UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ; Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius fundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum MCCCLXX. II. Coenobii ...

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

**urn:nbn:de:0128-1-17336**

Visual Library



N VII. zz Th. 1083a.
Bibl. Theodor. Paderbornens.

Bithenij

Opera
storica

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JO
TRI
SPANHE
DEINDE D. I
Herbipolin A

PRI

OPERA HIS
hactenu

PARTIM E
busque editionibus
partim ex

QVORVM

EX BIBLIOTH



F
Typis We
Mar

Collegii S
dono

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IOHANNIS

# TRITHEMII

## SPANHEIMENSIS PRIMO,

DEINDE D. IACOBI MAIORIS APVD
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi

*SECVNDÆ PARTIS*

## CHRONICA INSIGNIA DVO.

I. COENOBII HIRSAVGIENSIS, Diœcesis Spirensis: eius fundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum MCCCLXX.

II. COENOBII SPANHEIMENSIS, Diœcesis Moguntinensis: eius fundationem & progressum ab Anno Christi MCXXIIII. vsque ad Annum MDXXVI. vel potius res ab octo illis sæculis in tota Ecclesia & Imperio memorabiliter gestas, complectens.

*QVORVM PRIVS COLLATIONE ARCHETYPI IPSIVS Auctoris manu scripti correctius & plenius; posterius verò istud nunc primùm è tenebris eruta, ob insignem vtilitatem optimâ fide in lucem editur.*

Accedunt EPISTOLÆ eiusdem Familiares, ab excessu eius de cœnobio Spanheimensi ad Principes claroſque viros scriptæ, historiis eius æui refertæ.

*Ex Bibliotheca Cl. V.* MARQVARDI FREHERI, *Consiliarii Palatini.*

Cum INDICE copiosissimo.



FRANCOFVRTI
Typis Wechelianis apud Claudium
Marnium, & heredes Ioannis Aubrii.
M. DCI.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, DN. IOHANNI ADAMO ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO, SACRI Romani Imperii per Germaniam Archicancellario, & Principi Electori, &c.

*Domino meo clementißimo.*

EX quo mirificam Hiſtorię & voluptatem perſentiſcere à puero cœpi, & vtilitatem æſtimare cum creſcentibus annis addidici, iam dudum ita ſtatui, nihil rectius in litteris poſſe fieri, & de quo huic ſæculo magis gratulãdum ſit, quam quod omnia ad ſuperius æuum illuſtrandum facientia ſcripta, nec illa tantũ ſummæ, ſed etiam mediæ antiquitatis monumenta vndiq; eruere velut certatim laborant homines eruditi, & in publicum conferre geſtiunt. Quo in genere cum noſtræ etiam opellæ nonnulla hactenus Reſpublica litteraria libenter imputat, tum vero non vltimo inter ea loco exſtare cupio Trithemianorum iſtud Annalium non pœnitendum opus: quod ſolo titulo hactenus cognitũ, & à doctis deſideratum pariter & deploratum, à me tandem bona fortu-

na recuperatum, dignum luce & posteritatis vsu continuo iudicaui. Ille in Diœcesi tua haud infimus Prælatus, sed magis eruditionis merito (raro ea tempestate, vt paullo supra vulgus scientibus etiam de Magia calumniam generare posset) celeberrimum nomen adeptus, inter alia per Ecclesiam & Imperium memorabiliter gesta, res inprimis Moguntinas diligenti calamo consignauit, & posteritati conseruauit. Cui dum patronum competentem pro more circumspicio, rationem inire non potui, cuius iustius quam tuo, Reuerendissime Princeps Elector, nomini inscribi posset adeoque deberet. Quod etiam consilium Cancellario tuo, viro vere nobili, Philippo Wolfio à Rosebach (quem virum vt aliqua generis affinitate, ita magis animorum studiorumque coniunctione me contingere, in felicitatis parte pono) facile comprobaui. Neque id tam, quod res Ecclesiæ (vti modo dixi) tuæ præ cæteris cum cura Auctor ille noster literis mandauerit, vt perpetuum fere Chronicon Moguntinum hisce Commentariis inesse dicere ausim: quam quod totius Imperii Germanici præcipua momenta vicesque accurate annotauerit: in quo eam tu cum amplissimo & antiquissimo præsulatu coniunctam dignitatem magno merito tuo sustines, quam Græcus Auctor Nicetas Choniates, de prædecessorum tuorum aliquo

loquens,

loquens, τοῦ ἀρχηγοῦντος Ἀλαμανῶν, ὃς ἡ Λατίνων βούλεται φωνὴ καγκελάριον, ὡς οἱ Ἕλληνες ἐποίησεν, λογοθέτην vocat. Tuæ enim curæ & disposition is rerum per late patentem Germaniam à Cæsaribus gerendarum expeditio, perscriptio, publicatio; tuæ Iustitiæ & tribunalis Augusti conseruatio, tuæ Comitiorum conuentuumque sollemnium ordinatio. Tuæ igitur Archiua, tablina, chartophylacia. In quibus hoc genus monimenta & rerum omni æuo gestarũ commẽtarios, nescio an minus quam aliud vllum actorum regestorumq; genus asseruari publice interfit; sine quibus profecto in magna plurimarum rerum grauissimarum ignoratione versaremur. Istum certe Trithemium, vt præcedentium ætatum scriptores & reliquias omnes diligenter collegerat, euoluerat, excerpserat; ita suo æuo gestorum, in quibus potissimum se diffundit, testem locupletissimum habemus. Semper autem ita censui, nec me sententiæ adhuc pœnitet, Historiam quę Testis Temporum audit, non dictis melius fidem facere posse, quam si de suo proprioq; sensu (vt causidicorum filii loquuntur) causam scientię reddat. Qua vtiq; causa nimio pręstare iudicant eruditi, vetera ista cuicui modi religiose cõseruari, quam noua subinde ex animi sententia procudi & compilari. Quod vtinam & ipse Trithemius, eumq; sequuti Nauclerus, Auentinus, aliiq; fecissent: profecto quos illi auctores sequuntur, quam ipsos legere non paullo maluissemus.

Sed ij quoniam aut latent alicubi captiui aut sepulti, aut etiam planissime perierunt, hoc interim Catone (vt Augustus dicere solebat) contenti simus oportet. Quē interea si qualis in manus meas peruenit, fide optima repræsentarē sincerum & illibatum, tam probe defunctum fidi editoris fore me officio putaui, quā scriptorum ipsorum fidem veritatemq; præstare editori minime incumbit. Neq; enim ferendi sunt, qui in alienis scriptis, præsertim antiquitate, ingenioſi esse volunt: minus, qui audaces: minime omniū, qui in Historię auctorib. sibi permittūt quidquā pro arbitrio aut affectu obmutare. Quod si Historico vitio vertitur, iudicium narratis interposuisse; quid editori eius? Et scripserint sane, vt libuit singulis, vt visum, vt compertum: quando nobis credere, vt libet, & de creditis iudicare, liberum esse volumus. Sufficiat nobis ea religione in edendo vsos, vt non verbulum mutare indulgeremus; sed potius cum cura ad Auctoris archetypos, venerandæ antiquitatis miræque elegantiæ codices, exigeremus, & quantum fieri posset, integritati suæ relinqueremus. Quod quidquid est operis, eo ipso temporis articulo absolutum in luminis amas exire, quo tu Præsul illustrissime, viuis excedente laudatissimo antistite Wolfgango Dalburgio, optatissimus illi successor gubernacula amplissimi in Imperio muneris capesseres; eiusque fortunæ amicissimum gratu-

gratulatorem sereniſsimum principem Fridericum Palatinum Electorem collegam tuum, dominum meũ, nuper haberes; id verò ipſum præter ſuperiores cauſas nouam inſuper occaſionẽ ſuppeditare, adeoq; animum addere viſum eſt, de eodem illo virtuti tuæ debito delatoque honore tibi humili deuotione gratulandi, eumque vt tibi Deus Opt. Max. ſolidum & diuturnum, tuæque Eccleſiæ & prouinciæ ſalutarem eſſe velit, ex animo precandi. Quod noſtrum ſtudium vt pro eximia tua clementia boni conſulere digneris, Clementiſsime Domine, qua poſſum animi ſubmiſsione humiliter & enixe rogo & obteſtor. Vale. E Myrtileto, pridie Kal. Iun. Anno Chriſti M. D C I.

*Reuerendiſsimæ Celſit. Tuæ*

*deditiſsimus*

MARQVARDVS FREHERVS.

AD REVERENDISS. ILLVSTRISSIMVMQVE PRINCIPEM

# IOHANNEM ADAMVM,

## EX NOBILISSIMA BICKENORVM FAMILIA, DESIGNATVM ARCHIEPISCOPVM MAGVNTINVM, ELECTOREM IMPERII.

*VC usque magnis rite negotiis*
*Adscitus, acri prædite Palladis*
*Virtute, BICCENÆ propago*
*Stirpis; & arduitate victâ*
*Et mole rerum, culmen ad inclitum*
*Evectus, alto sidera vertice*
*Contingis, o vivax ADAME,*
*Præsulis officio supremi*
*Suffectus, ex quo præsenio occidit*
*Dalburgiorum sidus herilium.*
*Gratantur omnes huic honori,*
*Huic oneri simul, huic tiaræ.*
*Nam cura fessi quanta sit imperI,*
*Regnique lapsum jam minitantis, &*
*Secum trahentis quantacumque*
*Parietibus bene sustinendis*
*Fulcra admoventur, scis liquidissimè;*
*Modumque nosti, publica quo regi*
*Res administrarique justè*
*Debeat: hoc meliore clavum,*
*Cum fluctuosi motibus æquoris*
*Quassatur alnus remige languido,*
*Rector gubernabis Minervâ,*
*Inque ratâ statione sistes*
*Nantem carinam turbine lubrico.*
*Habes Philippũ sed ROSEBACHIVM,*
*Dextræ fatigatæ levamen,*
*Suppetias tibi ferre promptum,*
*Æqui columnam, præsidium Dices.*
*At tute quantis quotque politius*
*Excultus es, divine Princeps,*
*Artibus, ingeniique donis!*
*Te ditat uber copia, multaque*
*Linguarum adornat cognitio virum;*
*Scitique delectant legentem*
*Historici, Critici, Sophique.*
*Quin & Poësin discutis intimè,*
*Censorem agendo (scimus) idoneum.*
*Quapropter in coetum eruditum*
*Fervet amor tibi mirus ultro:*
*Quos inter insignem auspiciis sacri*
*Iuris FREHERVM ponere amat Themis,*
*Iam multa promentem serenas*
*Historicûm monumenta in aurâ,*
*Excussa partim de veteri situ,*
*Sepulta partim pænè jacentia,*
*Partimque privato labore*
*Edita, publicitus legenda.*
*Tu summe Præsul, Mercurialium*
*Fautor virorum, jure putabis hunc*
*Et diligendum, & singulari*
*Præreliquis animi viendum*
*Complexione, & triplice Gratiâ.*
*Hoc promeretur candor, & illius*
*Doctrina, virtus, acritasque,*
*Et vigiles operum lucernæ:*
*Per quas Monarchæ, cláraque Cæsarum*
*Regumque gesta, & stemmata Principum*
*Lucrantur immortale nomen,*
*Nunquam alio peritura sæclo.*

PAVLVS MELISSVS Francus,
Comes Pal. & Eq. aur.
civis Romanus.

CHRO-

# CHRONICA INSIGNIS, MONASTERII HIRSAVGIENSIS

## ORDINIS S. BENEDICTI, PER IOANNEM TRITHEMIVM ABBATEM SPANHEMENSEM edita.

*Historia cõmendatio.*

HISTORIIS conscribendis veteres incredibilem diligentiam adhibuêre, quibus Rempublicam non secus posse ornari crediderunt, quam armis defendi. Quippe cum historia sit quædam memoriæ cõseruatrix, virtutisque exemplar, & prudentiæ comes: quæ vel sola famam bonorum virorum, qui sapientia, sanctitate ac fortitudine sese præstare cęteris conati sunt, sempiterna quadam celebritate facit immortalem.

*Demonstratio exemplo.*

Quis originem mundi, annorumque supputationem, & illa quæ interea facta sunt hodie nescientibus innotesceret? quis incarnationem, natiuitatem ex Virgine, doctrinam, miracula, passionem, mortemque ac resurrectionem Iesu Christi saluatoris nostri æternique patris filij non credentibus persuaderet? aut quis passiones martyrum, conuersationes sanctorum, Troianorum excidium, in orbe latum imperium Romanorum, gesta diuersa regum & principum, cæteraque vetustatis memoratu digna, quæ nobis innotuêre, scriptis ignorantibus panderet, vel etiam narrantibus data possibilitate crederet, si scriptores historiarum ante nos nulli extitissent? Sola igitur historia est, qua fit, vt qui longissimi temporis interuallo disiungimur à veteribus, & eorum gestis interfuisse, & ijsdem vixisse temporibus videamur. Nempe historia immortalitatem hominibus inter mortales confert, rempublicam exornat conseruatq;, & à multis periculis prudentia veterum custodit immunem, fidem instruit, erigit spem, præmio æternitatis proposito, robur legibus addit: & cum omnia quę sensus vel appetit, vel metuit nihil aliud, quam somnium persuaserit, immortalitati animæ consulens, ad contemplationem diuinorum auidos reddit.

*Historia abſentes facit esse præsentes.*

*Historia vtilitas.*

Quanta vero nobis vtilitas proueniat lectione historiarum, nemo qui vel mediocriter sapit, nescire potest. Cognitio rerum gestarum veterum si bonæ fuerunt, nos ad imitationem virtutum, ad sapientiam fortitudinemque heroum docet & instruit. Si vero malæ aut perperam factæ, ne imitatores prauorum efficiamur, nos auisando cautos ac prudentes facit. Historia enim mortuorum viuum exemplar, mortaliumque inextinguibile lumen, merita, virtutes, laudesque bonorum virorum ea ratione nobis proponit, vt eorum incitati gloria, fama & immortalitate studeamus esse quod ipsi fuerunt: quatenus tale nos virtutis & sanctitatis exemplum relinquamus posteris, quale suscepimus ab his, quinos & tempore & virtute præcesserunt.

*Historia facit immortales.*

Cum autem prauorum impie facta, probra & meritas pœnas legentibus nobis ostẽdit, non ideo hæc scripta putemus quasi ad imitationem nobis proposita sint: sed potius auisari nos credamus, ne similia patrantes, pares incidamus pœnas, quas illi dederunt. Adde quod prudentia per experientiam multarum rerum duntaxat apprehendi à nobis potest, ad quam arte longa, vitaque breui existenti, nulli facilior patet accessus, quam illi qui veritatis amore quotquot inuenerint historias transacti temporis solerti mentis indagatione percurrit.

*Prudentia quid efficiat.*

*Blasius Abbas commendatur.*

Quæ cum ita sint, non vanitatis studio, sed diuino potius afflatum spiritu te credidérim optime Blasi, Hirsaugiensis monasterij insignis Abba, qui me tot importunis precibus, imo tot magnificis beneficijs hortari non cessas, vt historiam ipsius Cœnobij, cui fauente Deo præsides, ex schedis monimentisq; per te mihi oblatis, & ex diuersis nostrorũ Chronicis, quarum ingens apud nos copia est, conscribere velim, & ad posteritatis notitiã fratrumque tuorum consolationem & tanti cœnobij honorem immortalem, in lucem edere non omittam.

*Difficultas historia huius conscribendæ.*

Res magna & admodum difficilis est, mihi crede pater, seriem rerum gestarum cœnobij tui, à septuaginta annis supra sexcentos nimium turpiter neglectarum repetere, & in vnum opus continuum, seruata vbiq; integritate veritatis, ordinare.

*Duo sunt præcepta historiæ, Veri-*

Nam inter multa, quæ dantur historiam scribere volentibus, præcepta, duo sunt potissimum custodienda. Alterum, vt in narratione vbique veritas inuiolata permaneat: al-

*tas & ornatus.*

*Auctor Veritatem profitetur.*

terum, vt ipsa narrationis integritas aptissime proprijs & concinnis verbis exornata, sua vetustate alliciat intuentes. In primo quidem satis me facturum & posse & velle, non abnuo: quippe quem & professio ipsa monachica, imo Christiana fides non permittit esse mendacem: sacra attestante scriptura, quæ dicit, Os quod mentitur, occidit animam. & amator veritatis cum sim, nulla me necessitas vrget ad mentiendum. In secundo vero non me polliceor obedientem futurum, nisi forte tepida sufficiat voluntas, quæ mota ratione fraterna, nec satis velit, nec si cupiat, multum possit. His enim quibus sum scripturus historiam, amatoribus simplicitatis morem gerere, & propter eorum vtilitatem volui, & propter meam rusticitatem, quod omnes iudicabunt, facile potui.

*Tria historiæ genera sunt.*

Sunt autem tria historiarum genera. Vnum, quod generale dicitur, complectens seriem rerum gestarum, totius orbis seu multarum prouinciarum, regum & principum: quo genere scribendi vsi fuerunt Titus Liuius, Orosius, Eusebius Pamphili episcopus, Cornelius Tacitus, Cassiodorus, Freculphus Episcopus, Vincentius Beluacensis, Marianus Scotus monachus Fuldensis, Martinus prædicator, Antoninus Archiepiscopus, Helmandus monachus, Rupertus monachus, Hugo Floriacensis monachus, Iohannes de Columna, Iacobus Philippi Bergomensis, Marcus Antonius Sabellicus Venetus, Sebaldus Schedel de monte Norico, & alij complures. Alterum speciale, quod vnius aut paucorum regnorum, prouinciarum seu gentis res gestas describit: quo genere vsus est Iosephus & Egesippus Iudæi, Beda in gestis Anglorum, Gregorius Thuronensis Episcopus, Windichinus monachus Corbeiensis Saxo. Regino Prumiensis Abbas, Otto Frisingensis Episcopus, Marcus Antonius Sabellicus præfatus in historia Venetorum, & multi alij, quorum incertus est numerus. Tertium vero genus historiarum, topicum siue locale dicitur, quod vnius ciuitatis familiæ seu loci narrat historiam. Hoc genere vsi sunt Beda monachus, Sigebertus Gemblacensis monachus, Strabus Fuldensis, & complures alij, qui monasteriorum suorum historias conscripserunt. Hoc ipso quoque scribendi genere vltimo pro Hirsaugiensium fratrum amore, historiam texere, nimia eorum charitate impulsus statui. Cui etsi nitorem eloquentiæ adhibere nequeam, veritatem tamen in omnibus, quantum ad conscientiam meam pertinet, me polliceor obseruaturum. Eorum vero quæ scripturus sum, testes complures adducere possum, ex quorum historiis transumpta sunt, quorum ista sunt nomina. Ex annalibus literis & priuilegiis prædicti monasterij Hirsaugiensis nomina & successiones abbatum, cum eorundem rebus gestis accepi. Item multa ex diuersis auctoribus, historijs, legendis sanctorum & epistolis consecutus sum. Auctores autem sunt Windichinus monachus in historia Saxonum, & alius qui historiam ipsam compleuit, Regino Prumiensis abbas in historia Metensium, Berno abbas Augiensis in historia Alemanorum, Theodericus monachus in historia Treuirorum, Golscherus monachus in gestis eorundem, Marianus Scotus monachus Fuldensis omnimoda historia Germanica, Ottho episcopus Frisingensis in historia sua, Andreas monachus S. Hemerani Ratisponensis in gestis Bauariæ ducum, Henricus de Erphordia in historia memorabilium, Gotfridus Viterbiensis in chronica sua Pantheon. Gotfridus monachus S. Pantaleonis in historia Coloniensium, Ioannes de Hildenshem, Carmelita in chronica sua, Rupertus ordinis Præmonstratensis in omnimoda historia sua, Hugo monachus Floriacensis, Iohannes monachus Castellensis in libro de viris illustribus nostri ordinis, Euervvinus monachus Segenburgensis in chronica sua, Bernardus monachus Corbeyensis in sua historia Saxonum, & Bertrandus monachus in historia Hirsfeldensium. Multa quoque ex alijs diuersis historijs Bauarorum, Sueuorum, Maguntinensium, Spirensium, & ex gestis comitum Palatinorum Rheni, per quendam monachum Laurissensis cœnobij descriptis, sparsim hinc inde non sine magno labore inserui, quæ mihi ad rationem historiæ pertinere videbantur. Denique multa per digressum sparsim in Germania facta historiæ nostræ placuit inserere: quo non modo Hirsaugiensibus, verum etiam quibuscunq; ipsam legentibus animi conferat voluptatem. Idipsum pene omnes ante me feciſſe inuenio, qui monasteriorum suorum historiam, abbatumque successiones, aut res gestas literis commendarunt. Erit forsitan tempus, quo hoc opus nostrum, nō in vnius cœnobij angustia latere queat, sed hominum studio (ne dicam curiositate) tandem extractum in plurimorum manus perueniat examinandum. Vtergo vacuum nusquam progrediatur, nullique fiat onerosum memorabilioribus illud clausulis rerū in Germania gestarum, exornare moderamine certo volui. Quatenus & varietas rerum iucunda sit legentibus, & prolixitas nulli fiat onerosa.

*Quo genere hic vtatur.*

*Ex quibus sumat quæ dicit.*

FVNDA-

## FVNDATIO MONASTERII HIRSAVGIENSIS FACTA PER ERLAFRIDVM COMITEM ET NOTTINGVM FILIUM EIUS EPISCOPUM VERCELLENSEM, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS 830.

SCRIPTVRVS auxiliante Deo historiam insignis monasterii Hirsaugiensis, operæprecium arbitratus sum, ab eius prima fundatione exordium sumere: & quæ caussa mouerit ipsos fundatores, vt hanc rem aggrederentur, demonstrare. Erat eo tempore quo Ludouicus primus Romanorum gubernabat imperium. Erlafridus comes de Calue, vir diues & potens apud Imperatorem, qui habebat filium Nottingum nomine, virum in omni doctrina scripturarum eruditum: qui propter scientiam literarum ac vitæ honestatem, sub Carolo Magno Imperatore, patre Ludouici, episcopatum Vercellensis ecclesiæ fuerat consequutus. Is posteaquam ecclesiam suam aliquandiu secundum Canonicas sanctiones probe rexisset, dulcem visendi patriam cupidinem incidit: ad quam, ne vacuus remeasse videretur, cogitare cœpit, quid muneris præcipui secum adduceret, quo eam faceret clariorem. Impetrauerat sane non longe antea maximis precibus corporis sanctissimi præsulis Redicianorum Aurelij Armenij reliquias, iaspide & auro preciosiores, quas ad ecclesiam suam Vercellensem deferens, in mausoleo pulcherrimo quod præparauerat, collocauit. Itaque visurus patriam dulcesque genitores, hunc thesaurum inferre Germanis cum deliberasset, inter spem metumque fluctuans animo, ne forte illario hæc aut sancto displiceret Aurelio, aut si à populo Vercellensis ecclesiæ perciperetur, à suo cogeretur resilire proposito, rem omnem diuino consilio terminandam commisit. Vnde tota mente conuersus ad Deum, ac iuxta sepulchrum sancti noctem ducturus insomnem, prouolutus in terram, ipsum Aurelium diuum Christi amicum ardenti compellabat desiderio cum lachrymis, dicens: Sancte pater, *Aureli, decus meum, votumque post Deum animæ præsidium meæ*, tibi expando desiderium famuli tui, quod Deo coniunctus proculdubio nescire non potes: rogo te per diuinum amorem, qui te mihi venerabilem, ecclesiæ celebrem, ægris medicum, vnumque cum Deo sanctum & immortalem effecit, ne me diutius in hoc ambiguo fluctuare permittas, sed exaudi me famulum tibi prostratum, & doce me vt sciam quid agere debeam secundum Dei tuamque voluntatem. Cumque orans diutius in lachrymis humique iacens perseueraret, fatigatus oratione protractuque vigiliarum paulisper obdormiuit. Cui dormienti mox diuus Aurelius pontificalibus indutus splendidior sole astitit, Nottingumque compellans ex nomine dixit: Salus tecum frater Nottinge, surge, ne fleueris, ad hoc veni vt pergam tecum in Germaniam, plures ibi Christo adducturus populos iam corpore mortuus, quam si adhuc viuus inter gentes prædicans miraculis coruscarem. Quo cum veneris, ibi monasterium seruorum Dei constitues, vbi cæcum nobis obuium subito conspexeris illuminatum. Quibus dictis euanuit. At vero Nottingus venerandus episcopus de somno consurgens, lætus mox in ipsa nocte sarcophagum clam aperuit, ipsasque reliquias sacratissimi præsulis Aurelij in domum episcopij sui occulte deportauit, mausolum diligentissime reclusum multo tempore Vercellenses delusit, hospitem se habere putantes, quem non habebant. At vero Nottingus episcopus, paratis omnibus quæ ad rationem itineris pertinere videbantur, ex familiaribus suis fideliores quosdam in comites tantæ peregrinationis assumpsit, imponensque iumento sarcinulam sacras Aurelij reliquias continentem, itineris duce optimo comitatus propositam viam ingreditur.

*Erlafridus Comes in Calue.*

*Nottingus episcopus Vercellis filius erat.*

*Aurelius Vercellas transfertur à Mediolano.*

*Propositum Nottingi episcopi.*

*Oratio Nottingi ad S. Aurelium.*

*Aurelius apparuit Nottingo.*

*Vercellenses delusi sunt.*

*Nottingus in Germaniam proficiscitur.*

Quumque Germaniam feliciter ingressus, post aliquot dies patriam intraret suam, magna suorum lætitia exceptus est: & quantum inferret regioni thesaurum, absens scriptis, præsens verbis & operis exhibitione, patri cæterisque omnibus terræ incolis demonstrauit. Verum quum non esset in promptu locus munere benedictionis consecratus, tanto hospite dignus, nolentesque tam venerabiles reliquias vltra triduum commorari inter homines peccatores, communi deliberare consilio cœperunt, vbi habitaculum Christi confessori pararent. Erat eo tempore non procul à castello comitis Erlafridi capella in honorem S. Nazarii consecrata, quæ nomen monti, in qua sita fuerat, indidit vsq; in præsentem diem. Placuit itaq; omnibus, qui consilio intererant, corpus sancti patris Aurelij in eam reponere, donec de conuenientiori loco prouideretur. Postera die mane consurgentes Nottingus episcopus cum familiaribus suis & Erlafridus pater cum altero filio fratre pontificis Ermefrido, coniunctis quamplurimis ex nobilioribus

*Capella S. Nazarij martyris.*

*Nottingus episcopus Vercel.*

& plebeis, quos comes ob honorem tantorum hospitum fecerat esse præsentes, dispositisque necessarijs pro reuerentia sancti, corpus sacrum per decliuum montis circumgyrando ad præfatam diui Nazarij capellam ferre cœperunt. Venientes autem in eum locum, vbi hodie monasterium sancti Aurelij constructum est, ecce cæcus quidam in medio turbæ sacris reliquijs obuius, clamare cœpit voce magna dicens, Illumina me sanctissime cultor Dei Aureli, precibus tuis, quemadmodum pollicitus es. Ad quem Episcopus dixit: Vbi sanctus Aurelius promisit se te illuminaturum? Qui ait, Domine hac nocte dormienti mihi, in angustia mentis meæ sanctus iste apparuit dicens, Cras in nomine Iesu Christi illuminaberis. Et dixi: Domine, qui es tu? Ego sum (inquit) Aurelius episcopus, nouus hospes in Germania, quem filius domini tui comitis Erlafridi pridem adduxit. His dictis iterum clamauit: Sancte Aureli, adiuua me, vt videam te. Statimque aperti sunt oculi eius, & vidit perfecte. Omnes autem qui aderant, viso tam insolito miraculo magnificabant Deum dicentes: Laus tibi domine Iesu Christe, fili Dei viui. Dixitque vnusquisque ad cohærentem lateri suo: O quam magnus est iste sanctus, qui etiam cæcos illuminare potest. Nottingus vero episcopus dixit Erlafrido patri: Hunc pater locum sanctus Aurelius in mansionem elegit: concitatoque gradu montem ascendentes, pontifex immolato redemptionis nostræ sacrificio, reliquias sacras ad locum præparatum reposuit. Deinde post dies paucos Nottingus episcopus exposuit Erlafrido patri & Ermefrido fratri votum, quod dudum sancto Aurelio hortante in somnis mente conceperat, monens, orans & obtestans eos, quatenus ob amorem omnipotentis Dei, in honore beati Petri principis Apostolorum & sancti Aurelij episcopi monasterium seruorum Dei construerent, in eo loco, vbi cæcus fuerat illuminatus, promisitque se pro viribus suis huic negocio non defuturum. Et facile quidem persuasit, non modo suis exhortationibus, sed vel maxime consideratione miraculi quod viderunt. Erat enim pater alioquin vir deuotus, timens Deum, & ministrans pauperibus, qui iamdudum terrenis cœlestia præposuerat: & ob id nihil hæsitans, se cuncta facturum vna cum Ermefrido filio, sine mora episcopo promisit. Igitur Nottingo pontifice ad ecclesiam suam Vercellensem post duos menses reuerso.

*Cæcus obuius illuminatur in præsentia populi.*

*Aurelius apparuit cæco.*

*Reliquiæ in capellam ponuntur.*

*Nottingus Vercellas reuertitur.*

DCCCXXX.

*Hirsaugia fundari cœpit.*

Erlafridus comes promissionis non immemor suæ, monasterium sancto Aurelio in loco præmisso ædificare cœpit: & eodem anno, quo sacrati ossa eius pignora per filium fuerunt allata, inchoauit: qui fuit ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi octingentesimus tricesimus annus, Ludouici imperatoris primi septimus, *à transitu sanctissimi patris nostri* ducentesimus atque tricesimus primus, quod celeri perfectione in septem annis feliciter consummauit. Copiam siquidem tam lapidum quam lignorum ingentem terra illa profert, ita vt non sit opus illa aliunde quemadmodum nobiscum adduci. Interea dum hæc agerentur Nottingus reuerendus antistes, vt tam sancti operis se faceret participem, magnum pondus auri argentique misit ad patrem, quo non solum incepti operis iuuaretur intentio, verum & monachis inibi coadunandis de vitæ necessarijs ad seruiendum Deo liberius prouideretur. Misit etiam cruces aureas argenteasque & calices in ministerium diuini cultus, libros quoque & diuersa ornamenta ad decorem domus Domini, quæ omnia ad hæc nouerat esse necessaria. Erlafridus autem cœpto perstabat in opere, necessarium iudicans consummationis gratia festinare, ne si (quod non videbatur impossibile) ipse præuentus morte decederet, opus imperfectum aut tardius perficeretur, aut intermitteretur penitus. Nam & si Ermefridus filius cooperator patri in hoc opere sancto extitit, non tamen propter iuuenilem ætatem tantus amoris diuni zelus in ipso ardere videbatur, quantum tale negocium requirebat.

*Munera Nottingi transmissa.*

*Aureas cruces, calices, libros & ornamenta.*

DCCCXXXVII.

*Monasterij Hirsaugiensis perfectio.*

Anno igitur septimo postquam cœptum est monasterium Hirsaugiense construi, perfectum est, qui fuerat à natiuitate Domini 837. indictione 15. per indefessam Erlafridi comitis diligentiam, qui nullis parcebat impensis, vt hoc perficeret quod mente conceperat. Erat autem ecclesia satis pulchra more antiquorum sine columnarum sustentatione fabricata, ampla, & superius ligneo tabulatu cooperta, quatuor altaribus intus ornata. Porro dispositio claustri imitatione veterum, ampla quidem, sed simplicioris structuræ fuerat, ligneo tabulatu nihilominus desuper operta, & talis quæ non ad fastum, sed ad deuotionem monasticam satis videbatur idonea. Cætera monachorum habitacula, per gyrum claustri disposita, quantum ad consuetudinem istius temporis attinebat,

*Ecclesia prima qualis fuerit dispositio.*

*Claustrum. Qualia fuerint habitacula.*

tinebat, satis pulchra & ordinata fuerunt: quanquam si nostri monachi hodie similibus includerentur cellulis, se mancipatos vinculis & tenebris clamitarent. Huius rationem dabimus. Veteres olim monachi cellas quidem, ecclesias & alias mansiones humiles habebant & tenebrosas, sed eorum corda erant lucida valde in amore Dei omnipotentis, & in scientia diuinarum scripturarum. Nostri autem ecclesias, cellas, domosque & omnes mansiones iam lucidissimas fabricant, sed corda eorum vitijs & desidia plena, tenebrosa sunt: quoniam nec Deum sicut debuerant, diligunt, nec lectionibus scripturarum animum intendunt. Ita quoque quum calices olim essent cuprei, sacerdotes aurei fuerunt hodie autem calices sunt aurei, & cuprei sacerdotes. Hoc vero monasterium ab Erlafrido constructum in eo loco fuerat, vbi & cæcum illuminatum diximus, & ipse propter venationes suas domum saltus habebat. Quod tamen post annos ferme ducentos triginta quatuor (vt in sequentibus suo loco dicemus) ab Adelberto comite dirutum, & in eam formam qua hodie cernitur, extitit reformatum. Prioris enim monasterij hodie nullum penitus manet vestigium, quamuis vtriusque locus sit vnus.

*Notate vos monachi.*

*Et vos omnes presbyteri.*

## QVANDO ET VNDE PRIMI MONACHI AD HIRSAVGIAM FVERINT INTRODVCTI, ET QVIS PRIMVS EORUM abbas fuerit constitutus.

POSTQVAM Erlafridus nobilissimus comes consummato tam insigni opere, propositum suum ad effectum, non sine maximis impensis perduxerat, moræ impatiens, quippe qui nihil plus se optare diceret quam illum viuere diem, in quo choros monachorum in suo prædiolo collaudantes Deum cernere potuisset. Cœpit anxia mente reuoluere, vnde in nouum cœnobium à se glorioſe fundatum, veteris conuersationis monachos, ad regulam sanctissimi patris Benedicti religioſe institutos posset acquirere, qui & ipsi essent in conuersando sanctissimi, & idonei in idem propositum, venturos etiam alios informare. Viguit eo tempore in monasterio Fuldensi maxima religio monachorum sub regimine Rabani Mauri abbatis, quæ se per totam Europam fama præuolante diffuderat in ora omnium, eratque laus & memoria Fuldensium monachorum apud Imperatores, Reges & Principes in magno precio, non solum propter sanctitatem vitæ, sed etiam propter incomparabilem scientiam scripturarum, qua Fuldenses monachi eo tempore præ cæteris multis dicebantur eruditi. Vnde multi ex eis, in diuersis ecclesijs ad apicem pontificatus fuerunt assumpti. Ad hunc igitur Rabanum abbatem Fuldensem Erlafridus habito sociorum consilio legatos misit, mandatis Otgarij Moguntinensis eo tempore archiepiscopi adiunctis, postulans sibi concedi quindecim monachos & abbatem, monasterio suo quod ædificauerat inferendos: promisitque se facturum omnia, quæcunque illorum iudicio ad monasticæ institutionis vtilitatem oportuna viderentur. Erant eo tempore in cœnobio Fuldensi ducenti & septuaginta monachi viri religiosi, & pro magna parte in sacris Scripturis doctissimi. Hos ergo Rabanus audito nuncio Comitis, conuocans in vnum, mandatum Otgarij archiepiscopi, ac preces Erlafridi coram eis exposuit: & quid sentirent ipsi in hoc negocio secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti requisiuit. Qui vnanimi assensu concluserunt, tam sanctum Comitis desiderium non esse spernendum, quod & placitum nullus ambigeret omnipotenti Deo, & in salutem multorum speraretur esse futurum. Elegerunt ergo ad hanc prouinciam subeundam quindecim fratres, quibus præfecerunt abbatem Lindbertum venerabilem senem, qui fuerat frater Bunonis abbatis Hirsfeldensis, vir nobilis secundum seculum, sed multo nobilior secundum Deum.

*Religio monachorum magna in Fulda viguit.*

*Rabanus Maurus abbas.*

*Erlafridus nuncios mittit ad Fuldam.*

*Monachi Fuldenses 270.*

*Consultatio monachorum Fuldensium.*

*Lintbertus abbas cum monachis mittitur.*

DCCCXXXVIII.

Anno igitur Domini 838. indictione prima, Lindbertus abbas cum quindecim monachis venit in Hirsaugiam, missus per Rabanum Fuldensem abbatem. Comes vero deuotissimus Erlafridus abbatem ipsum & monachos sibi destinatos cum ingenti exultatione suscipiens, ad nouum monasterium lætabundus introduxit, eisque de vitæ necessarijs copiose prænidit, & omnia quæ in mente disposuerat, cum eorum consilio deinceps pertractabat. Eo tempore corpus sancti Aurelij adhuc seruabatur in capella beati Nazarii martyris, ecclesia monasterii nondum consecrata. Igitur post paucos menses, vt omnia desideratum consequerentur effectum, comes Erlafridus ad curiam imperialem apud Franckfordiam cum alijs principibus multis

*Fratres veniunt in Hirsaugiã.*

*Corpus S. Aurelij.*

*Conuentus principum apud Francofordiam.*

euocatus, terminatisque caussis imperij, pro quibus conuocatio principum indicta fuerat, Otgarium Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopũ, qui tum præsens aderat cum multis alijs episcopis, ad consecrandum nouum monasterium rogauit, inuitauit & obtinuit. Quemadmodum vero ista consecratio facta sit, consequenter est dicendum.

## QVANDO, PER QVEM, ET QVIBVS PRÆSENTIBVS, FACTA SIT DEDICATIO ET CONSECRATIO MONASTERIJ Hirsaugiensis primi.

*Conuentus principum in Spira.*

*Ecclesia & monasterium Hirsau. dedicantur.*

*Episcopi qui præsentes fuerunt.*

*Abbates & duces præsentes.*

CVM eo tempore inter Ludouicum Imperatorem & filios eius grauis propter imperium ageretur dissensio, contigit eam conuocationem principum, ad quam Erlafridum vocatum diximus à Franckfordia, transferri ad ciuitatem Nemetensem, quam Spiram vsitato vocabulo nuncupamus: quæ quum non procul ab Hirsaugia distet, quatenus cum maiore solennitate nouiter fundati cœnobij dedicatio fieret, caussam & opportunitatem comiti Christianissimo dedit. Conuenerant enim multi episcopi, abbates & principes, ad Imperialem synodum conuocati, è quibus complures inuitante Erlafrido comite, dedicationis officio interfuerunt. Anno igitur Domini 838. indictione prima, mense vero Septembri, Otgarius reuerendissimus Moguntinensis ecclesiæ episcopus, Erlafrido Comite & eius filio Ermefrido postulantibus, monasterium Hirsaugiense consecrauit sub honore principis Apostolorum Petri & sancti Aurelij episcopi, in præsentia multorum principum, episcoporum & Abbatum, qui curiam Imperatoris eo tempore sequebantur. Aderat ibi præsens Hildeboldus archiepiscopus Colonien sis, Willericus episcopus Bremensis in Saxonia, Ebo episcopus Hildesheimensis, Thiagrius episcopus Haluerstatensis, Rabanus Maurus abbas Fuldensis, Buno abbas Hirsfeldensis frater Lindberti abbatis huius primi Hirsaugiensis, Hildeminus abbas sancti Dionysij Sacri palatij archicapellanus, Henricus dux, Bernhardus dux, Bruno dux, Ludolphus filius eius, Erlafridus comes fundator monasterij, Ermefridus filius eius, Ortrungus comes, Adelhardus comes, & alij complures, quorum nomina cum præscriptis in libro gestorum Otgarij episcopi non sunt imposita, seu forsitan ex incuria scriptorum omissa. Consecratione autem Ecclesiæ solenniter (vt moris erat) peracta, Otgarius archiepiscopus vna cum cæteris episcopis, abbatibus & principibus corpus sanctissimi præsulis Aurelij de cella sancti Nazarij, cum magna deuotione allatum, summo altari honorifice inclusit, per cuius meritum multa miracula fiebant. Sed cum post annos quinquaginta tres sub Arnoldo Imperatore Nortmanni deuastarent Wormatiam, abbas Hardradus metuens, ne tam sanctæ reliquiæ quauis fraude aut violentia in manus deuenirent exterorum, accedente ad hoc fratrum consilio, testudinem fecit in ecclesia subterraneam, in qua corpus precioſi Christi confessoris Aurelij in sarcophago lapideo reposuit, cum inscriptione nominis & dignitatis, ipsamque cameram ita rursus cooperuit humo, vt nemo deinceps potuerit suspicari aliquid ibi esse occultum. Mansit autem hic tantus reliquiarum thesaurus ita sub terra reconditus per annos ferme centum & septuaginta, vsque ad tempora comitis Adelberti, qui sub Henrico Imperatore quarto renouauit Hirsaugiam: ita vt pene in obliuionem ductus, sola fama à proauis delata in nepotes, corpus sancti Aurelij quiescere in monasterio Hirsaugiensi prædicauerit. Et de hoc latius suo loco dicemus. Sacratissimo itaque Aurelij corpore per Otgarium archiepiscopum summo altari, vt præmisimus, cum maxima reuerentia incluso, Lintbertus baculum pastoralis curæ, comite Erlafrido & monachis petentibus, ab eodem Archiepiscopo in conspectu omnium susceptt. Deinde, accedens ad altare Comes Erlafridus cum filio, coram omnibus qui aderant, tradidit omnipotenti Deo, eiusque sanctis Petro Apostolo & Aurelio pontifici monasterium ipsum quod constructum erat, cum viculis, syluis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, agrisque & pratis circumadiacentibus, & omnibus iuribus & prouentibus, quos illi assignauerat secundum tenorem eulogij, quod super altare posuerat, secundum consuetudinem Ecclesiæ catholicæ, in quo præter generalem donationem totius nemoris, terræ ac viculorum in circuitu, etiam ista specialiter continebantur expressa. Ecclesia in Stamheim cum magna parte eiusdem villæ, cum viculis ad eam pertinentibus. Ecclesia quoque in Deckenpfrum cum omnibus quæ ibidem habuit. Dedit & in Gilstein duodecim hubas. In Meuchingen duodecim hubas & ecclesiam. In Muchlingen prædium bonum. In Toffingen ecclesiam. Et hæc sunt nomina vil-

*Corpus S. Aurelij in monasterii trãsfertur.*

*Corpus S. Aurelij absconditur.*

*Lintbertus fit abbas in Hirsaugia.*

*Donatio monasterij prima facta per Comitem.*

*Nomina villarum quos dedit.*

ta villarũ eulogio inserta, quæ sancto Aurelio eadẽ hora tradidit: Lutzelhart, Altburg, Luzenhart, Ebersbuel, Kallenbach, Kugelbach, Nagalthart, Ottenbrunnẽ, Hugsteten, Gumprechst, Wilar, Altiburan villã dimidiam, & alia multa prædia & bona, quæ in libro donationũ fuerunt exarata. Hãc donationẽ solenniter factam, Otgarius Archiepiscopus præfatus, vice Apostolici Domini Gregorij Papæ quarti, & pijssimi Imperatoris Ludouici primi, banno perpetuę stabilitatis communiuit, ipsumque monasterium cum omnibus denotationibus factis, & in futurum ritefaciendis, tradidit in manus præfati Lintberti abbatis, & successorum eius canonice secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti constituendorum, in perpetuum possidendum. Ea videlicet conditione, quod vita monastica iuxta normam præfati patris cunctis diebus in eo vigorosa permaneat: & quoties monachos orbari spirituali pastore contigerit, alium vel ex se, vel ex alio eiusdem ordinis monasterio idoneum, sine contradictione alicuius, in locum defuncti patris, eligendi liberam habeant potestatem. Constituit autem præfatus Archiepiscopus aduocatum Hirsaugiensis monasterij ipsum comitem Erlafridum, sub ea videlicet conditione, vt mortuo patre, filius in aduocatione non succedat, nisi fuerit ad eam per abbatem & monachos, qui pro tempore fuerint, libera & spontanea eorum voluntate assumptus. Verebatur enim deuotissimus comes, ne monasterium post mortem suam per filium siue nepotes iniuriam aut violentiam aliquam pateretur (quod hodie apud multos fieri cernimus) si aduocatia hæreditario iure deuolueretur ad posteros. Idcirco statuit, in abbatis voluntate pendere suo monasterio quem voluerit idoneum habere aduocatum. Et hæc libertas, multis per successum temporis confirmata priuilegijs, tam Apostolicis quam imperialibus, vsque in præsentem diem, in Hirsaugiensi cœnobio inuiolata perseuerat. Eodem quoque anno hæc dotatio & priuilegiata traditio facta per comitem Erlafridum, ab Imperatore Ludouico pijssimo confirmata est. Peractis enim omnibus, quæ ad solenne dedicationis officium pertinebant, singulisque ad sua reuersis, comes Erlafridus Lintberto abbate secum assumpto, vna cum Otgario venerabili Archiepiscopo & quibusdam alijs, ad Imperatorem Ludouicum in ciuitate Nemetensi, cum filijs, eo tempore (sicut diximus) curiam tenentem properauit, & lecto coram eo donationis eulogio perpetuam ab eo omnium confirmationem impetrauit. Nottingus autem Vercellensis episcopus, qui fundationis Hirsaugiensis monasterij primus author fuit, multa pro decore domus Domini miserat, cruces aureas & argenteas, calices, libros & varia diuini ministerij ornamenta, qui vtrum huic dedicationi interfuerit, incertum habemus. Sed iam ad tempora quibus præfuit monasterio Lintbertus abbas primus calamum directuri, vitam sanctissimi præsulis Aurelij, qui omnium istorum causa fuit, sub breui compendio duximus præmittendam, vt quicunque ista lecturi sunt, cuius meriti vir fuerit apud Deum, intelligant. Et ne prolixiores inueniamur quam ratio huius operis expostulat, ita conuersationis eius historiam veterem nobis oblatam percurrimus, vt verborum quidem plurimum, sententiarum vero aut nihil aut parum obmitteremus. Natus igitur in Armenia beatus Aurelius ex parentibus Christianis atque nobilissimis, vbi primum per ætatem licuit, literis traditus fuit. Qui prouidentia diuina instructus, breui nõ mediocriter in omni scripturarum eruditione proficiens, vniuersa quæ vel discere vel scire potuit in exercitium diuini conuertit amoris, noctes diesque meditator diuinæ legis existens, animum à terrenis penitus cœpit auertere, & in supernorum contemplationem dulciter eleuare. Crescentibus annis omnibus exornatus virtutibus & sanctitate præcipua fulgebat, norma & exemplar Christianæ conuersationis cum vniuersorum admiratione factus: vtpote qui ætate quidem iuuenis, moribus & sapientia multis senibus senior apparebat. Vnde per omnes ecclesiastici ordinis gradus ad pontificatus apicem in ciuitate Rediciana maximo populi non minus quam cleri applausu, quamuis renitens, ascendere meruit: in quo constitutus, honore maioribus quam hactenus virtutibus clarior effulsit. Formam sẽ gregis dominici irreprehensibilem exhibuit, & non minus exemplo quam sermone populum ad obseruantiam mandatorum Dei concitauit. Erat pater pauperum, & pius consolator viduarum: qui quicquid habere potuit, totum in vsus egentium ministrauit. Tam sanctæ irreprehensibilis conuersationis extitit, vt nemo fuerit illo tempore in Armenia, qui Aurelium episcopum Dei famulum cum laudis præconio non timeret. Omnis diœcesis Redicianæ viculos circuire monendo & prædicando sua sanctissima in persona solebat, cunctis ministrans verbum salutis. Erudiebat insçios, confortabat pusillanimes, deiectos erigebat, bonos & humiles hortabatur, quatenus in melius profi-

*Confirmatio donationis.*

*Concessio libera electionis.*

*Constitutio aduocati.*

*Libertas huius monasterij.*

*Confirmatio Imperatoris.*

*Nottingus Episcopus.*

*Vita S. Aurelij episcopi.*

*Verus episcopus opere & sermone Aurelius fuit.*

*Dionysius Mediolanẽsis episcopus mittitur in exilium in Armeniam.*

cerent desides pungebat, superbos & inquietos ad pœnitentiam reuocabat. Interea dum his sanctis operibus instaret, contigit beatum Dionysium Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopum ab Arrianis in eorum blasphemias subscribere nolentẽ, Imperatorum iussu in Armeniam exilio relegari, in eam videlicet ciuitatẽ Redicianã, cui sanctus Aurelius præerat episcopus. Hæc autem relegatio sanctissimi viri Dionysij facta est ab impijs Arrianæ factionis episcopis sub Constantino, Constantio & Constante Imperatoribus, anno Domini nostri Iesu Christi 361. Liberio Papa Romanæ ecclesię præsidente, qui & ipse eodẽ anno in exilium mittitur. At vero sanctus Aurelius venientẽ beatum Dionysium in ciuitatem suã Redicianam, vt verum Christi discipulum cum ingenti lætitia suscepit, & cognitis causis sui aduentus iterum atque iterum complexans virum, & cum lachrymans eum consolaretur audiuit, Lachrymas frater compesce, Domini est terra & plenitudo eius, omnisq; orbis Christiano patria est. Maxima Dionysius episcopus à beato Aurelio reuerentia susceptus, nec minore humanitate hospitalitatis & munificẽtia ab eo procuratus, in eadem ciuitate vsque ad mortem, exilio relegatus permansit. Mutuæ igitur conuersationis introducta consuetudine, magna inter eos amicitia & familiaritas intercessit, quæ tunc cœpit in tempore & iam manet & perficitur in æternitate. Tanta vero amborum sanctitas fuit, vt totam Armeniam fama eorum transcurreret, & omnes hominẽs in admirationẽ pertraheret. Confluebant infirmi ad eos & curabãtur à languoribus inueteratis, obsessi quoq; à dæmonibus ipsis orantibus sanctis liberabantur. Tanta siquidem miracula omnipotens Deus per hos seruos suos operari dignatus est, vt Armeniam totam virtute & doctrina eorum ad cultum sui misericors pater conuerterit. Sanctus deniq; Aurelius doctrina & prædicatione sua fideles quosq; diligentissime præmonebat, Arrianæ pestem hæreseos fugere, & in fide sanctæ Trinitatis cum ecclesia sanctorum permanere. Quamuis autem beatus Dionysius sub custodia teneretur, sicut relegati seruari eo tempore solebãt, patuit nihilominus ad eum quandocunq; volebat sancto Aurelio accessus, tantaque sibi inuicem dilectione coniuncti sunt, vt simul & cohabitare viui & consepeliri mortui condixissent. Verum post aliquot annos cum felix Dionysius mortẽ sibi instantem cerneret, beatum Aurelium his verbis alloquitur, dicens: Scio frater charissime, finem mihi adesse in hoc mũdo viuendi, tempusque resolutionis meæ iam instat, cursum consummaui, fidem seruaui, reliquum in præsenti seculo est vnum quod à te peto, vt cum mortuus fuero, quã primum potes, corpus meum ad ecclesiam meam Mediolanensem referas, vt quę me viuum habere non potuit, mortuum saltem habere mereatur. *Neq; longi itineris incommodo terrearis, Dominus erit tecum, merces tua magna nimis.* Cui S. Aurelius nimia eius dilectione & amore deuinctus consensit, leq; rogata facturum promisit. Itaque sanctus Christi confessor, imo & martyr Dionysius consummato viuendi ordine moritur octauo calẽdas Iunij anno Domini 379. Sunt qui scribunt eum relegatum in Cappadociam, ibique mortuum, & eius reliquias per S. Basilium episcopũ Mediolanum ad diuum Ambrosium fuisse remissas. Sed hæc opinionum diuersitas, apud eos qui nouerunt historias, facile potest concordari. Sanctus itaque Aurelius virtutũ & miraculorum gloria insignis, tum vt laudes hominũ ex his nascentes declinaret, tum vt defuncto satisfaceret amico. Post paucos annos reliquias beati Dionysij arte deficcatas naui imposuit, & Ponto feliciter transmisso, Mediolanensibus muris post longi spaciũ itineris, S. Ambrosio episcopo cum omni clero & populo eius occursum extra vrbẽ properante gloriosus inuexit. Quanta exultatione omniũ sacrũ cadauer fuerit exceptum, nemo facile dixerit, quippe quod omnes vt cœlo remissum decebãt reuerentia dignũ. Diuus autẽ Aurelius (vt breuior sim) peracto pietatis officio, cum ad suã redire cogitaret ecclesiã, hortante Ambrosio, cui cõtradicere nefas ducebat, remansit, & Mediolanẽses nõ minus quã proprius pontifex verbo & exemplo ad amorẽ cœlestis patriæ docere & inflammare curauit. Cumq; in orationibꝰ quotidianis suã peregrinationem Domino dirigendam cõmendaret, post reuolutionẽ anni quo Mediolanũ venerat, apparuit ei sanctus Dionysius dicens, *Exaudita sunt orationes tuæ apud Deum frater Aureli, ecce Domino te ad æternæ felicitatis gaudia vocante morieris, & iuxta corpusculi mei sacellũ optatam requiem sepulturã.* Confestim febris inuasit S. Aureliũ, qui disposito testamento valedicens fratribus, inter manus diui Ambrosij episcopi Mediolanensis commendatum, Domino spiritũ emisit octauo calendas Iunij, eodẽ videlicet die, quo & sanctus Dionysius ante triennĩ in Armenia discesserat, anno Domini trecentesimo octuagesimotertio, Gratiano cũ fratre Valentiniano imperãte. Sepultus vero est in proprio sarcophago ad latus S. Dionysij in Ecclesia Mediolanensi. Cuius exequias beatissimus pontifex Ambrosius cum multis lachrymis prosecutus, illum sermonem insignem fecit ad populum, qui incipit, Amissimus

*Maxima inter eos charitas.*

*Virtutes & miracula in Christi nomine facta.*

*S. Dionysius in custodia seruatur.*

*Dionysii verba ad S. Aurel.*

*Dionysius moritur.*

*Aurelius in Italiam profiscitur.*

*Corpus Dionysii Mediolanum introducitur.*

*Ambrosius detinet Aurelium.*

*Dionysius apparet Aurelio.*

*Aurelius moritur.*

*Ambrosius orationem facit in depositione Aurelij.*

misimus fratrem & pastorem dulcissimum, imo præmisimus aduocatum: in quo laudes & præconia ipsius sancti præsulis Aurelij, magnis eloquentiæ viribus effert in cœlum. Mānsit itaque corpus S. Aurelij ibidem sepultum multis claresceńs miraculis, à tempore imperij Gratiani vsque ad imperium Caroli Imperatoris Magni, per annos ferme 437. quousq; Nottingus Vercellensis episcopus magnis illud precibus ab Archiepiscopo Mediolanensi impetratum, anno quinto Ludouici Imperatoris primi, ad suam ecclesiam transtulisset. Quod non longe postea sub eodem Ludouico, in Germaniam patriam suam euectum (sicut prædiximus) in Hirsaugiense monasterium collocauit, vbi vsq; in præsentem diem meritis eius omnipotens Deus multas virtutes & magna operatur.

*Durat sepultus Mediolani annis 437.*

*Aurelius transfertur Hirsaugiã.*

## DE LINTBERTO, PRIMO HVIVS MONASTERII abbate, qui præfuit annis XVI. & de conuersatione eius, gestisq; illius temporis.

### DCCCXXXVIII.

ANno itaque Domini 838. sub Ludouico Imperatore pijssimo, Lintbertus monachus Fuldensis, primus huius monasterij abbas, constitutus electione fratrum, qui cum eo venerant de Cœnobij Fuldensis gremio, per Otgarium reuerendissimum Maguntinę ecclesiæ archiepiscopum baculo pastorali donatus est, & præfuit regimini huius Cœnobij annis sedecim. Natus erat parentibus non infimis, secundum seculi dignitatem, ex Suevia, frater Bunonis abbatis Hirsfeldensis, qui & ipse monachus sancti Bonifacij, sub abbate Baugolfo multis annis extitit. Porro Lintbertus ab infantia deuotus Deo, monachus factus est in cœnobio Fuldensi, anno ætatis suæ octauodecimo, sub præfato abbate Baugolfo, qui sancto Sturmoni successerat, & per incrementum ætatis tam sub ipso Baugolfo, quam Egilone & Rabano successoribus, moribus sanctitatis, & scientia eruditionis multum profecit. Itaque monachum induit anno Domini 796. indictione quarta. Ad Hirsaugiam vero missus Abbatiam suscepit, anno Domini (sicut prædiximus) 818. ætatis suæ 60. conuersionis vero quadragesimo secundo, & rexit annis 16. Erat autem vir multum reuerendus, regibus ac principibus notus & familiaris: qui semper ex eo, quo monasterium ingressus est, non solum irreprehensibiliter vixit, sed quod amplioris censetur virtutis, tantæ sanctitatis emicuit, vt omnibus veræ perfectionis in sua conuersatione præberet exemplum. Ad hunc Rabani præceptoris sui nonnulla in sacris literis scimus extare synthemata, quæ studiosi viri ingenium postulasse videntur. Legi sub nomine Lintberti abbatis pulcherrimum in cantica canticorum Salomonis opusculum, in quo fidelis animæ Deum suum sitientis desiderium & statum, tam pulchre, concinne & proprie describit, vt nullus meo iudicio, quem legerim, de hac materia clarius vnquam tractauerit. An vero huius author operis idem sit abbas noster Lintbertus Hirsaug. non satis probatum habeo. Verum persuaderi posset amanti, quia quisquis tandem fuerit, sub Lothario Imperatore Ludouici filio scripsit, quod ex ipsius operis prænotatione constat. Cum autem Lintbertus hic noster abbas Rabani Fuldensis doctissimi per omnia viri, multo tempore auditor & condiscipulus fuerit, non eum nisi eruditissimum euadere potuisse credendum est. Tenuerat enim ipse Rabanus adhuc monachus scholam monachorum publicam in cœnobio Fuldensi, quam etiam abbas continuauit: in qua monachos non solum in sacris scripturis, sed etiam in secularibus literis omnifariam erudiuit. Nec solum Fuldensis cœnobij monachos, sed etiam ex diuersis locis aliis ad se transmissos, multos in omni genere doctrinæ discipulos instituit. Ex his complures postea successu temporis ad magnas dignitates promoti sunt. Præceptorem habuerat ex discipulis Bedæ Anglici monachi reuerendissimum virum Albinum monachum & Abbatem monasterij sancti Martini Turonensis, Magni Caroli Imperatoris quondam didascalum, à quo ipse hauserat in Gallia, quod alios in Germania postmodum docebat. At vero Lintbertus Rabani primum condiscipulus & postremum auditor, quod à bono præceptore didicerat monachus, abbas nō neglexit. Erat sane regularis disciplinæ studiosissimus cultor, qui non solum viuere secundum normam sanctissimi patris nostri Benedicti subditos sibi monachos verbo docuit, sed etiam in omnium virtutum plenitudine conuersando, oues sine reprehensione præcedens, vt bonus pastor exemplo boni operis patuit. Eius siquidem meditatio die ac nocte in lege Domini continuata semper extitit, qui sine intermissione orans ad Dominum, verus Christi discipulus in finem permansit, fama sanctitatis & eruditionis eius se per omnem circa regionem diffundente, multi viri nobiles filios suos magisterio eius instituēdos tradiderunt. Complures etiam ex his qui clari apud homines in seculo videbantur, vl-

*Lintbertus abbas primus.*

*Qualitas Lintberti abbatis.*

*Quando sit monachus factus.*

*Conuersationis eius sanctitas.*

*Scripsit in Canticum canticorum*

*Rabanus præfuit scholæ Fuldensi publicæ.*

*Albinus præceptor Rabani.*

*Abbatis Lintberti religio.*

*Multiplicatio fratrum S. Aurelij.*

tro se illius disciplinæ propter amorẽ regni cœlestis subdiderũt, vnde numerus fratrũ breui auctus valde cœpit excrescere, & substantia temporalis multorum oblatione dilatata fuit.

*Corbeia fundatur in Saxonia.* Hisdem temporibus monasterium Corbeiense in Saxonia sub regula sancti patris nostri Benedicti, nouitatis suæ sumpsit exordium, quod fundari cœptum est anno Dominj 822. indictione 15. quod pene eodem tempore cum isto monasterio diui Aurelij pontificis completum inhabitari cœpit.

*Selgenstatensis monasterij fundatio.* Eodem ferme tempore monasterium sanctorum Marcellini & Petri martyrum, in loco qui dicitur Selgenstadt in Maguntinensi parochia, sub regula diui patris nostri Benedicti fundatum per Ludouicum Imperatorem primum extitit, cooperatione venerabilis viri Einhardi olim Cancellarij, tunc autem monachi & primi eiusdem cœnobij abbatis, in quo corpora prædictorum duorum martyrum Marcellini & Petri, anno Domini 828. à Roma, procuratione Imperatoris mense Nouembri allata honorifice reposita sunt.

DCCCXL.

*Viri ordinis nostri insignes.* Temporibus Lintberti abbatis primi sancti Aurelij Hirsaugiensis, circa annum Domini 840. sub Ludouico Imperatore pijssimo & filijs eius claruerunt in ordine nostro benedicto multi celeberrimi viri, sanctitate & eruditione scripturarum insignes, qui velut astra cœli totam ecclesiam moribus & doctrina mirum in modum illustrarunt. Rabanus Maurus abbas Fuldensis, de quo supra diximus, his temporibus apud omnes in precio habebatur, propter integritatem vitæ & inæstimabilem scientiæ disciplinam. Qui quãta scripserit, tam in libro nostro de Ecclesiasticis scriptoribus, quam in secundo de illustribus viris ordinis nostri, magna ex parte demonstrauimus.

*Rabanus ex abbate archiepiscopus.*

DCCCXLII.

Denique anno Domini 842. qui abbatis Lintberti quartus annus erat, de Fuldensi monasterio per fraudes quorundam incitatus exijt, atque ad Ludouicum, filium Ludouici senioris Imperatoris confugiens, vsq; ad mortem Otgarij Archiepiscopi Moguntinensis qui eum expulerat propter quam nescio causam, quasi exul remansit.

DCCCXLVII.

Sed post annos quinq; mortuo Otgario Rabanus archiepiscopus in locum eius fectus anno Domini 847. indictione 10. omnium suffragio sedit annis nouem. Homo pauperes misericordissimus, qui ecclesiam suam moribus & scientia strenue gubernauit.

*Haymo episcopus Halberstatensis.* Claruit etiam ijsdẽ temporibus in Saxonia Haymo ex monacho Hirsfeldensis cœnobij, tertius episcopus Halberstatensis, qui anno Domini 840. indictione 3. in episcopum ordinatus præfuit annis 13. In omni sanctitate & doctrina, qui multa præclara volumina scripsit, de quibus in præfatis libris nostris fecimus mentionem. Einhardus quoque

*Einhardus abbas monasterij Selgenstad.* ex imperiali Cancellario monachus, & ex monacho primus abbas in Selgenstad, vir doctus & religiosissimus, inter alia eruditionis suæ monimenta scripsit gesta Magni Imperatoris Caroli, in vno volumine. Historiam quoq; sui temporis, & quædam alia, quibus seriõ

*Freculphus ex monacho episc. Lexouiensis.* modo Latinæ linguæ, verum & Græcæ peritum ostendit. Freculphus monachus Fuldensis, qui scripsit ab origine mundi vsque ad incarnationem Domini chronicam valde insignem, quam de septem ętatibus mundi prænotauit: episcopus Lexouiensis his temporibus claruit, qui sua prædicatione & sanctitate multos in agnitionem veritatis eruditit.

*Hecti ex abbate archiepiscop. Treuerensis.* Floruit etiam circa hęc tempora Hecti ex abbate monasterij Mediolanensis, archiepiscopus Treuerensis, qui fundauit (monente sancto Materno in somnis) monasterium canonicorum regularium in Confluentia, vbi videlicet Mosella Rhenum influit, in quod corpus sancti Castoris de Cardona transferens collocauit. Sed canonici sancti Castoris ante plures annos regulam abiecerunt. Idem vero episcopus anno octingentesimo trigesimo octauo, quo Hirsaugia fundata est, moritur: & apud sanctum Matthiam extra Treuerim sepelitur. Hildeuinus quoq; abbas sancti Dionysij Parisiensis, vir vndecunq; doctissimus, descripsit vitã & passionem sancti Dionysij, ad Ludouicũ Imperatorem primũ. Qui

*Hildeuinus abbas S. Dionysii.*

*Sebastianus in Galliam transfertur, caput vero in Gronau.* anno Domini 827. ossa sancti martyris Sebastiani à Roma transtulit in Galliam: cuius caput post multos annos in monasterio nostri ordinis Treuerensis diœcesis, quod Virdisaugia nuncupatur, à fundatore ipsius repositum est.

*Theodulphus Aurelianensis episcopus.* Eodem tempore apud Gallos magno fuit in precio Theodulphus, ex abbate Floriacensis monasterij episcopus Aurelianẽsis, nõ minus sanctitate vitæ, q̃ eruditione Scripturarũ omni populo venerabilis. Hic à Ludouico Imperatore positus in custodiã, nescio ob

*Hymnus in Palmis. Gloria, laus, &c.* q̃ suspicionem cõiurationis ad filios à patre tum nimiũ dissentientes, hymnũ quem in die Palmarũ, in statione cantare solemus, composuit: quẽ quum eo die Imperatore propecustodiã in processione solenni transeunte, dulci melodia voce canora personasset, delectat' ille

ille & viri Constantia & dulcedine symphoniæ, mox eum dimitti præconis voce mandauit. Incipit autẽ hymnus ipse cõuenienti carmine editus, Gloria, laus & honor sit tibi, &c.

Strabus quoque monachus Fuldensis, Rabani auditor & scriba, ijsdem claruit temporibus: qui multa & varia scripsit, sicut in alijs libris de Scriptoribus, editis declarauimus. Hic Fuldensis monasterij Chronicam inchoauit, quæ per alios succedentes continuata, non paruum nobis in editione huius operis, iuuamen præstitit. Sed & Angelomus monachus Luxouiensis cœnobij, in exponendis Scripturis diuinis, hoc tempore doctissimus apparuit. De quo alibi fecimus mentionem. *Strabus monachus Fuldensis.* *Angelomus monachus.*

Ansegisus ex abbate Bobiensis monasterij archiepiscopus Senonensis, vir in Scripturis doctus, & in consilijs regũ magnus & celeberrimus, plura scripsit, quorũ alibi ratio habetur. Iohannes abbas Vercellensis, natione Scotus, Græce & Latine doctissimus, his temporibus claruit: qui iubente Carolo, Ludouici Imperatoris primi filio, libros S. Dionysij Areopagitæ in Latinũ primus omnium transtulit, & cõmentarijs non spernendis exornauit. De Naturæ quoq; diuisione, librũ multæ subtilitatis, cum pleriſq; alijs quæ non vidimus, composuit. Aldericus monasterij Ferrarien sis, nostri ordinis abbas post Hieremiam, sed ante Ansegisum immediate archiepiscopus Senonẽsis, his temporibus factus est. Corpora quoq; sanctorum Seueri episcopi Rauennatensis, Vincentię vxoris & Innocentiæ filiæ eius, per Otgarium archiepiscopum ad Maguntiã cum honore maximo translata sunt. *Ansegisus ex abbate episcopus Senonensis.* *Iohannes abbas Vercellensis.* *Aldericus ex abbate episcopus.* *S. Seueri translatio.*

Heriolus rex Danorũ cum vxore & filijs Maguntiæ baptisatur, tempore huius primi Lintberti abbatis, & magna pars Danorũ ad fidem Christi conuertuntur, per monachos Corbeiensis monasterij, qui amore supernæ felicitatis, ad prædicandum Euangelium sanctum gentibus Daciam ingressi fuerant. Amularius Fortunatus monachus Luxouiensis, postea Treuerẽsis Archiepiscopus, ac deinde sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalis, scripsit his diebus ad Ludouicum Imperatorem libros de officijs diuinis. *Rex Danorum baptizatur.* *Monachi Corbeienſes prædicant.* *Amularius ex monacho Treuerensis archiepiscopus.*

Anno Ludouici Imperatoris 23. sub Lintberto primo huius cœnobij abbate, Normanni ad fines Hollandiæ & Galliæ primum applicuerunt, qui multis postea annis hinc inde cum valido exercitu vagantes, infinita mala perpetrarunt.

Anno Domini 838. qui fuit primus annus Lintberti abbatis, 15. calendas Augusti sanctus Fridericus ecclesiæ Traiectensis octauus episcopus, in armario eiusdem ecclesiæ, post missarum solennia, dum orationi deuotus incumberet, à duobus satellitibus à Iudith imperatrice mercede conductis, crudeliter necatus, martyr summæ veritatis effectus est. Dixerat enim ad Imperatorem episcopus, non licet tibi habere Iudith filiam ducis Bauariæ, tibi sanguine proximam, pro vxore: aut abijce illam, aut ego te authoritate omnipotentis excommunicabo. His verbis impia Iudith exasperata, præconem veritatis non post multũ temporis interfecit. Hoc immani scelere audito Gregorius Papa quartus, Ludouicum Imperatorẽ pro agenda pœnitentia in monasteriũ Sueſſionẽſe posuit. Et Iesse episcopus Ambianensis, Iudith imperatricem alteram Herodiadem velo impositio monialem fecit. *Primus Normannorum incursus.* *S. Fridericus episcopus Traiectensis martyrizatur.* *Scelus magnum Imperatricis Iudith.* *Imperator cum vxore deponitur.*

Ex hac imperatrice Ludouicus filiũ habuit Carolum cognomento Caluũ, qui postea anno Domini 876. Imperator factus est. Hunc constituit ducem Bauariæ, Sueuię & Burgundiæ, alijs ex priore vxore filijs id ægre satis ferentibus. *Carol. Calnus filius Ludouici.*

Demum anno Domini 840. dum Ludouicus Imperator pœnitentia peracta filium suũ Lotharium patri rebellẽ persequitur: yeniensq; ad monasterium Hirsfeldense grauiter infirmatur, & curru reductus atq; nauigio ad Ingelnheim imperiale palatiũ statim moritur 12. calẽdas Iulij, anno Imperij susceptj 26. Cuius cadauer per Drogonem fratrẽ, episcopum Metensem, Metis in ecclesia sancti Arnolphi honorifice sepultũ est. Drogo autem iste filius Caroli fuit magni Imperatoris & frater Ludouici primi, vir doctus & amator religionis, ex monacho factus est episcopus prefatæ ecclesię Metensis, pro cuius decore multa fecit. *Imperator Ludouicus moritur.* *Drogo frater Imperatoris ex monacho episcopus.*

Mortuo Ludouico Imperatore pijssimo, Lotharius filius eius succedens imperauit annis 16. Habuit tres fratres ex patre: Pipinũ, quem fecit ducẽ Aquitanię: Carolũ Caluum, cui cessit in diuisione paterna regnum occidẽtale à Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium: Ludouicum, qui regnum occidentale, omnem videlicet Germaniã vsq; ad Rheni fluenta, cum quibusdã alijs ciuitatibus adiacentibus pagis trans Rhenũ, propter vini copiam sorte consecutus est. Ipse vero Lotharius maior natu, Imperatoris nomen cum toto regno, quod vsq; in hodiernum diẽ ex eius nomine Lotharingiã appellamus: quanquam modo sit ducatus, & tota prouincia, necnon & omnia regna Italiæ cum ipsa Vrbe Roma, in portionẽ suam accepit. Vxorẽ habuit Egillam, regis Angliæ filiam, quæ peperit ei duos filios Lotharium & Ludouicum postea Imperatorem. *Ludouicus filios habuit.* *Diuisio inter fratres facta.* *Lotharius Imperator.*

*Altfridus ex monacho episcopus Hildesheimensis.*

Claruit his temporibus Altfridus, ex monacho Corbeiensis cœnobij episcopus Hildenshemensis quartus, vir Deo vere dilectus, & in omni vita sanctissimus, qui rexit Ecclesiam sibi commissam strenue annis 28. & construxit maiorem ecclesiam præfatæ vrbis, in qua & sepultus est. Fuit autem electus in episcopum anno Lintberti abbatis nono, qui fuit Dominicæ incarnationis 847. indictione decima.

DCCCXLVIII.

*Synodus Moguntiæ celebratur à Rabano. Episcopi & abbates qui interfuerũt Synodo. Lintbertus in eadem synodo fuit.*

Rabanus archiepiscopus Moguntinus, iussu Lotharij Imperatoris synodum apud Moguntiam episcoporum & abbatum conuocauit, anno Domini 848. indictione vndecima, in qua hæreticum quendam, nomine Godschalcum presbyterum condemnauit, & multa ad decorem & vtilitatem ecclesiasticam constituit. Fuerunt inter alios ibi præsentes celeberrimi viri episcopi, Hecti archiepiscopus Treuerensis, Hildeboldus archiepiscopus Colonienſis, Altfridus episcopus Hildesheimensis, Haymo episcopus Haluerstatensis, Ludericus episcopus Bremensis, Lintbertus primus iste abbas sancti Aurelij Hirsaugiensis, Waldo abbas Fuldensis, Einhardus abbas Selgenstetensis, Brunvvart abbas Hirsfeldensis, Bertolphus abbas Mediolacensis: Aduentitius abbas Metensis, postea ibidem episcopus: Radulphus abbas S. Medardi Suessionensis, postea Bituricensis archiepiscopus. Et alij multi episcopi, abbates & monachi, inter quos complures erant vita & doctrina famosissimi.

*Error pseudoprophetissæ.*

His diebus quædam mulier fingens sibi angelum Dei apparuisse, qui nouissimum diem iudicij mox instare pronunciasset, multos tam ex clero quam ex populo, per diœcesin Moguntinam decepit. Quæ tandem per Rabanum archiepiscopum comprehensa, confessa est, fuisse se per consilium cuiusdam presbyteri ad hoc quæstus gratia inductum.

DCCCXLIX.

*Sancta Helena Imperatrix trãsfertur in Galliam.*

Anno Lintberti abbatis 11. corpus sanctæ imperatricis Helenæ matris Constantini Magni per Theogisum monachum à Roma transfertur ad Galliam, & in Remensi collocatur parochia, cuius caput hodie in Treuerensi ecclesia ostenditur.

*Fames in Germania fuit. Lintberti misericordia.*

Anno enim decimotertio, fames prævalida Germaniam ita vastauit, vt pater filium inedia mortuum, ad ignem coctum manducare voluerit, si per vicinos casu non fuisset interceptus. His diebus Lintberti abbatis præstantissimi, in pauperes clementia magnum & ei nomen & monasterio Hirsaugiensi profectum accumulauit. Quanto enim pluram usus pauperum distribuit, tãto maiora recepit. Rabanus etiam archiepiscopus multam eo tempore perdurante pauperibus munificentiam exhibuit.

*Anglia fit tributaria Papæ.*

Circa hæc tempora rex Christianissimus Angliæ Adelolphus Romam pergens, sub Leone Papa quarto, ex maxima deuotione Romanæ ecclesiæ tributariam fecit prouinciam suam, instituens, vt ex singula domo singulis annis sancto Petro nummus solueretur argenteus.

DCCCLI.

*Lupus presbyter obiit.*

Anno Lintberti abbatis decimitertij, Lupus Seruatus presbyter, vir doctissimus, ad quem Rabanus adhuc abbas scripsit olim octo libros in Epistolã Pauli ad Romanos, migrauit ad Dominum. Is ante biennium præsens in synodo Moguntinensi presbyterum illum Godschalcum de libero arbitrio, prædestinatione & sanguine Christi, male sentientem ac multos conturbantem, fortissima disputatione coram omnibus qui aderant, manifeste vicit & confutauit. Qui etiam ad euidentiorem declarationem veritatis, inter alia quæ scripsit, de his quoq; rebus tractatum pulcherrimum composuit.

*Errores Godescalci presbyteri.*

DCCCLIII.

*Haymo obiit.*

Anno Lintberti abbatis decimoquinto, qui est Domini 853. obiit sanctus Haymo, tertius episcopus Haluerstatensis, ex monacho Hirsfeldensi, vir per omnia Deo dilectus, qui verbo, scripto & exemplo, multos ad semitas iustitiæ reuocauit, & in maiori ecclesia Haluerstatensi sepelitur. Cui sanctus Hildegrinus in episcopatu successit annis fere 34.

*Hildegrinus succedit Haymoni.*

*Anscarius.*

Claruit his temporibus sanctus Anscarius, ex monacho cœnobij Corbeiensis, primus archiepiscopus Bremensis, ante quẽ tres fuerunt episcopi, videlicet Wilhardus, Willericus & Ludericus, sub archiepiscopo Colonienſi. Sed Lotharius Imperator destructa per Danos ciuitate Hamburg, archiepiscopatum qui tum erat ibidem transtulit in Bremam, cui sanctum ipsum Anscarium præfecit, qui sedit annis trigintaquatuor, vir doctus atque sanctissimus, qui multis in vita & post mortem miraculis claruit. Sepultus est in ecclesia Bremensi. Festum eius tertio nonas Februarij colitur.

*Leo quartus Papa ex monacho.*

Floruit etiam hoc tempore Leo Papa quartus, ex monacho cœnobij diui Martini in vrbe, tunc ordinis nostri primum presbyter cardinalis tituli Sanctorum quatuor coronatorum

torum à Sergio pontifice ordinatus, eoque mortuo succedens in pontificatu summo præfuit annis octo, mensibus tribus, vir doctus & vita sanctissimus, qui mortuus in catalogum sanctorum relatus est: cuius festum 16. cal. Augusti colitur.

DCCCLIIII.

Lintbertus autem abbas primus, vir valde venerabilis, post multos labores pro Dei amore in sancta religione habitos, senioque confectus, ad Christum toto corde suspirans moritur tertio Idus Iunij sub Lothario Imperatore, anno Domini 854. indictione 2. ætatis suæ 76. suscepti vero regiminis abbatiæ anno 16. nondum completo: qui monasterio huic laudabiliter & vtiliter præfuit, & multa per suam conuersationem sanctissimam donatione fidelium bona acquisiuit: cui in abbatia huius monasterii, Gerungus monachus successit annis duobus & triginta, de quo postea dicemus.

*Lintbertus primus abbas Hirsaugiensis moritur.*

Hoc ipso anno quo reuerendissimus abbas Lintbertus obijt, Nortmanni Britanniã, Galliam & Franciam crudeliter deuastant, ciuitatem Nammetensem subuertunt, & episcopum in sabbato sancto baptismi consecrationi intentum cum toto clero occidunt. Templa quoque sancti Martini Turonensis concremant.

*Nortmanni Galliam infestant.*

Sancto papa Leone mortuo eodem anno Ioannes Anglicus successit duobus annis & mensibus tribus, quem ferunt quidam fœminam extitisse, & vni familiari soli cognitã, & ab eo compressam peperisse in strata publica. Et ob id nonnulli eam inter pontifices ponere noluerunt, quasi indignum facinus abhorrentes. Sed nos iam cursu venerabilis Lintberti consummato, stylum ad successorem vertamus.

*Fœmina Papatum obtinuit.*

## *DE VENERABILI GERVNGO, SECVNDO ABBATE, QVI præfuit annis triginta duobus, & qualia temporibus suis gesta sunt.*

MORTVO igitur atque sepulto reuerendissimo abbate Lintberto, non sine magna tristitia fratrum, quippe qui maximo eius tenebantur amore: mox ad electionem noui pastoris conuenientes, venerabilem virum Gerungum in demortui patris locum constituere pastorem, anno Domini 854. indictione secunda: Lotharij primi Imperatoris anno 14. qui præfuit huic monasterio annis 23. Is vero Gerungus in Fuldensi cœnobio monachus factus sub Rabano abbate, cum Lintberto abbate & aliis fratribus in principio fundationis huc missus aduenit, qui se dignum sancti Benedicti patris filium semper exhibere cupiens propositum monasticum, quod semel pro Dei amore sumpserat inuiolatum, vsque ad mortem custodiuit. Vnde cum Lintberto mortuo multi pastorali cura monachi in hoc cœnobio essent digni, tamen inter dignos dignior iste apparuit, qui vt Aioth ambidexter, ita ad curam videbatur rerum temporalium idoneus, vt spiritualium curam anteferre omnibus & vellet & posset. Audiuit Rabanum in Fuldensi monasterio legentem, quo in abbatem sublimato eius discipulus Strabus scholæ publicæ prælatus est, qui hunc Gerungum tunc adolescentem Rabano præcipiente singulari diligentia prosecutus est. Mos erat in præfato Fuldensi cœnobio his temporibus monachos non solum in Scripturis sanctis instituere, sed etiam in omni secularis scientiæ literatura ad plenam eruditionem. *Probe enim iudicabant sapientissimi viri diuinas scripturas neminem posse perfecte intelligere, quem literas secularis doctrinæ contigisset ignorare.* Extant multa monachorum istius temporis præclara volumina, in quorum comparatione ea, quæ hodie cuduntur à plærisque tanquam paleæ vilescunt. Reperi autem inter alia Strabi huius opuscula, libellum de Arithmeticis dimensionibus, quem scripsit ad istum Gerungum abbatem sancti Aurelij, cui præponit epistolam sic incipientem: *Reuerendissimo merito patri, ætate filio, literâ discipulo, gratia magistro, Gerungo abbati æternæ beatitudinis præmium possidere.* Ex his intelligere possumus Gerungũ abbatẽ in omni literatura fuisse studiosum, quia nisi extitisset doctissimus, nunquam vir tantus de tam subtili disputatione scripsisset, maxime in tanta doctorum virorum copia ad ignarum. An vero etiam Gerungus ipse aliquid scripserit, incertum habemus: quem tamen fuisse doctissimum, postquam tantos audierit præceptores, non dubitamus. Longa enim intercapedo temporis, vtpote plusquam sexcentorum annorũ, multa præclare gesta monachorum & abbatum Hirsaugiensis cœnobij in obliuionẽ deducẽs, venire ad nostram notitiã non permisit. Fuit autẽ Gerungus vir strenuus, & maximus regularis disciplinatus amator: qui ab ineunte ætate à bonis præceptoribꝰ in timore Dei fundatus, bonum se pastorem ouibus sibi commissis opere & sermone vsq; ad vitæ finem exhibuit. Qui quamuis in conuersatione spirituali super omnes esset diligens & studiosus, curam tamen rerum temporalium non neglexit, quin potius eo præsidente monasterio substantia temporalis mirum in modum aucta fuit.

*Gerungus abbas Hirsaugiensis secundus.*

*Vita Gerũgi describitur.*

*Gerungus audiuit Rabanum abbatem.*

*Noui contemptores secularis literaturæ monachi.*

*Epistola Strabi ad Gerungum. Fuit vir in omnibus doctissimus.*

*Commẽdatur ex zelo disciplinæ abbas.*

His temporibus Bruno dux Saxonum construxit monasterium illud quondam ce-

*Gaudersheim fundatur in Saxonia.*

leberrimum in Saxonia, quod Gaudersheim dicitur, in quo moniales secundum regulã diui patris nostri Benedicti viuentes, posuit. Post eum filius eius dux Ludolphus qui opus inceptum à genitore suo perfecit. Prima aũt eiusdem monasterij abbatissa fuit Hadmodis eiusdẽ ducis Ludolphi senior filia, quæ præfuit Christi virginibus annis duobus & viginti, in multa vitæ & conuersationis sanctimonia. Qua mortua, soror eius nomine Gerburgis in abbatia successit annis 14. virgo & ipsa sanctissima, quæ multis effulsit in vita & post

*Tres duæ fuerunt abbatissæ.*

mortẽ clara virtutibus. Qua tandem & ipsa de medio sublata, tertia ducis Ludolphi filia in abbatissam electa fuit nomine Christina, quæ in sancto virginitatis proposito religiose conuersando à sanctitate præcedentiũ sororum nõ recessit. Idem quoq; Ludolphus dux

*Brunteshusen fundatur.*

construxit & aliud monasterium virginum in Saxonia dictũ Brunteshusen, & vtriusq; cõfirmationem à papa Nicolao cum multis sanctorum reliquijs obtinuit. Claruerunt his temporibus ex ordine monastico multi excellentissimi pontifices, sanctitate & scientia literarum insignes, Abbates quoque & monachi tam vita quam eruditione scripturarum celeberrimi, qui multa & varia ad ædificationem posteritatis in re literaria, volumina ediderunt.

*Abbo episcopus ex abbate factus.*

Abbo ex abbate monasterij sancti Germani fit episcopus Altisiodorensis, frater Helibaldus ante eum ibidem episcopus extitit, ambo viri strenui atque sanctissimi, & tã in diuinis scripturis, quam in seculari scientia nobiliter eruditi. Christianus qui & Druthmarus monachus Corbeiensis venerabilis presbyter, multa his temporibus in expositione

*Christianus monachus doctissimus.*

diuinarum scripturarum volumina componit. De quo nos in alijs libris de Scriptoribus ecclesiasticis, latius fecimus mentionem. Egil abbas monasterii Prumiensis in Treuerensi

*Egil abbas Prumiensis.*

parochia constitutus est, primo anno Gerungi, vir nobilis atq; doctissimus, amicus regum & principum, qui in regulari conuersatione maximum nomen laudis acquisiuit.

DCCCLV.

*Imperium tripartite diuiditur.*

Anno secundo Gerungi abbatis, qui fuit domini 855. Lotharius Imperator senio cõfectus conuocatis primoribus regni, imperium inter filios diuisit: & Ludouico quidẽ Italiam tradidit, eumq; imperatorem constituit: Lothario autẽ, regnum quod à suo nomine Lotharingiam vocari diximus, concessit. Carolo vero qui iunior natu erat, regnum Prouinciæ dedit. Quibus rite dispositis, valedicens suis seculum reliquit, & Prumiense monasteriũ sub præfato abbate Egilone ingressus, monachus factus est, qui in sancta religione

*Lotharius Imperator fit monachus.*

secundũ regulam sanctissimi patris nostri Benedicti laudabiliter perseuerans vsq; ad finẽ, tandem optime consummatus moritur 3. cal. Octobris, ibidem sepultus. Post Lotharium

*Ludouicus fit Imperator.*

itaque monachum factum Ludouicus eius filius imperauit annis vno & viginti.

DCCCLVI.

*Lotharij regis adulterium.*

Anno autem Gerungi abbatis tertio, qui fuit Domini 856. Lotharius rex frater Ludouici Imperatoris duxit in vxorem Thiedbergam filiam patrui sui Caroli Calui posteà Imperatoris. Sed non multo post repudiauit eam, & superduxit Waldradem concubinam suam pristinam, sororem Guntheri archiepiscopi Colonienſis, ex qua coniunctione multa mala non solum illi, sed etiam omni regno eius suborta sunt.

*Rabanus archiepiscopus moritur.*

Eodem anno Rabanus archiepiscopus Moguntinus moritur, & in monasterio sancti Albani, nõ sine sanctitatis opinione sepelitur, vir doctus & in pauperes misericordissimus quippe qui tẽpore famis, quæ anno Lintberti abbatis 13. totã Germaniã oppreſſerat, multorum inopiam releuauit. Morabatur enim eo tẽpore in quadã villa parochiæ suæ, cui vocabulum est Vinicella, nunc vero corrupto nomine *Winckel* appellatur, & pauperes de diuersis locis venientes suscipiens, quotidie plus quam trecentos alimento sustentabat, ex

*Misericordia eius in pauperes.*

his qui in præsentia illius assidue vescebantur. Venit autem die quadam inter alios mendicantes mulier quædam inedia pene consumpta, cum puerulo paruulo, quæ priusquam ad limen portæ domus episcopalis pedem imponeret, præ nimia imbecillitate corruens spiritum exhalauit. Puer autem mammillam genitricis mortuæ iacentis, tanquam adhuc viueret extrahens & sugere tentans, omnes intuentes gemere ac flere coegit. Successit ei in archiepiscopatu Moguntinensi Carolus annis septem.

*Nota miserabilem casum.*

*Nortmannorum incursus.*

*Vicus 55. parochiarum à Nortmannis destruitur.*

Circa hæc tempora Nortmanni cum Danis, Hollandiæ cum ingenti multitudine classibus applicantes, Duerstadem vicum nominatissimum, in quo parochiales ecclesiæ fuisse memorantur quinque & quinquaginta, penitus destruxerunt, interfectis omnibus habitatoribus eius. Deinde ciuitatem Traiectensem capientes destruxerunt, funditus omnem populum cum clero vniuerso crudeliter necantes. Hungerus autem Traiectensis eo tempore præsul, cum paucis Canonicis fuga lapsus, venit ad Lotharium quondam imperatorem in monasterium Prumiense.

DCCCLIX.

DCCCLIX.

Anno Gerungi abbatis Hirsaugiensis sexto, claruit Hucbertus ex duce monachus, & abbas monasterij sancti Richarij, frater Thiedbergæ reginæ, vir sapiens & strenuus, cui Lotharius ducatum inter Iurum & montem Veneris regendum commisit. Verum cum Lotharius Thiedbergam reginam sororem Hucberti abbatis postea superinducta pellice Wuldrada abiiceret, abbatem sensit inimicum, quo procurante tandem sororem recipere coactus est. *Hucbertus abbas ex duce.*

DCCCLX.

Anno Gerungi abbatis septimo, qui fuit Domini octingentesimo sexagesimo, Ludouici vero Imperatoris quarto, in ciuitate Moguntinensi diabolus nequitiam suam & odium erga hominem euidenter exercebat. Lapides de fenestris domorum iecit in homines, percussit noctu ac die quasi malleis quibusdam fortiter parietes, pulsabat multorū ad ianuas, inde manifeste loquendo furta passim prodidit, & magnam inter homines discordiam seminauit. Deinde animos omnium contra vnum hominem concitauit, quasi pro illius peccato cæteri talia paterentur, cuius fruges in vnum coaceruatas incendit. Vbicunque intrasset ille homo, statim domus per dæmonium illud incendebatur, ita vt ei iam nisi in agris nullus esset manendi locus. Propter hoc litanias presbyteris agentibus, & aquam benedictam spargentibus, hostis naturæ humanæ à lapidibus iaciendis interim aliquantulum cessauit: quibus recedentibus, diabolus horribiliter clamans dixit, se sub cappa vnius sacerdotis, cuius nomen expressit, dum aspergeretur aqua benedicta, quasi cum amico familiari latuisse, quem & accusauit publice, quod cum procuratoris filia concubuisset. Itaque per triennium continuum sic perstitit, donec ibidem multa ædificia incendio cōsumeret. Audiebatur quidem clamans, vlulans, loquens, pulsans, percutiens parietes, & iaciens lapides in homines, sed nihil penitus videbatur. Verum alibi legimus, hæc non in ciuitate Moguntina, sed in quodam vico eius diœcesis contigisse. *Diabolus per triennium Moguntiam vexat terribiliter.* *Improbitas dæmonis huius.*

Hocipso anno Gerungi septimo, indictione octaua, moritur apud Moguntiam Probus presbyter & monachus sancti Albani, vir sanctus atq; doctissimus, cuius conuersatio & studium eandem ecclesiam Moguntinam mirifice illustrauit. *S. Probus monachus & presbyter moritur.*

Hoc eodem anno sanctus Meginradus, ex monacho cœnobij Augiensis eremita in Nigra sylua, noctu in cella sua à duobus latronibus, magnam se pecuniam apud illum reperturos existimantibus martyrizatur 12. calendas Februarij: cuius corpus ad monasteriū Augiense reductum & sepultum infinitis miraculis multo tempore coruscauit. Porro latrones duob⁹ coruis, quos sanctus Meginradus nutrierat, insequentibus eos proditi, secundum leges patriæ rotati sunt. Claruit his diebus Egilo, ex monacho Senonensis post Wanlonem archiepiscopus, vir omni bonitate conspicuus, & dignus ouium Christi pastor. *Meginradus monachus martyrizatur.* *Egilo ex monacho archiepiscopus.*

Eo tempore fames & mortalitas magna per regnum Francorum efferbuit, & maxime per Aquitaniam & Burgundiam, ita vt præ multitudine morientium non esset qui mortuos sepeliret.

Eodem anno Egil abbas Prumiensis abbatiam suam sponte resignauit, cui Ansbaldus in regimine successit, vir omni sanctitate & bonitate conspicuus, qui verbo & exemplo multos ad amorem cælestis patriæ conuertit. *Ansbaldus Abbas claret.*

Claruit iisdem temporibus Mico monachus sancti Richarij, vir studiosus & valde doctus, qui multa & varia scripsit, tam metro quam prosa excellenter edita. E quibus legimus librum diuersorum Epigrammatum. Excerpta quoque Poetarum, librum etiam Ænigmatum, & quædam alia. Notgerus ex monacho sancti Galli episcopus Leodiensis, his temporibus inter Ecclesiasticos scriptores clarus habetur, qui primus vsum Sequentiarū adinuenit, quas cantari in ecclesia cis Alpina Nicolaus papa primus consensit. Huius Notgeri discipulus fuit Salomon, ex monacho Constantiensis postmodum episcopus, qui & ipse nonnulla ingenii præclari posteris monimenta reliquit. Wandelbertus quoque monachus Prumiensis cœnobij sub abbate venerabili Ansbaldo, hocipso tempore claruit: qui inter alia ingenij sui opuscula vitam & miracula sancti Goaris presbyteri & eremitæ iuxta Rhenum in Treuerensi parochia quiescentis, in duobus libris comprehendit. *Mico monachus S. Richarij.* *Notgerus ex monacho episcopus.* *Salomon ex monacho episcopus.* *Wandelbertus monachus Prumiensis.*

DCCCLXI.

Anno autem Gerungi abbatis octauo, Waldo Fuldensis abbas deponitur à Ludouico Imperatore, cui Thuode successit. *Abbas Fuldensis deponitur.*

DCCCLXIII.

Anno autem eius 10. qui fuit Domini 863. obiit Carolus Moguntinensis: cui Lintbertus successit. Ad hunc Lintbertum scripsit Offridus monachus Wissenburgensis, quō- *Offridus monachus Wissenburgensis.*

dam Rabani auditor quatuor libros Euangeliorum metrice in lingua nostra Theutonica quibusdam regulis formata: vt pauciſſimi hodie reperiantur, qui eius ſcripta intelligant. Scripſit & alia plura, de quibus in minori catalogo Germanorum fecimus mentionem.

*Werenbertus.*

Werenbertus etiam monachus S. Galli, vir in omni ſcientia tam ſeculari quam diuina doctiſſimus, his temporibus inter ſcriptores clarus habetur, qui multa ingenii ſui monimenta poſteris legenda compoſuit.

*Ruthardus.*

Ruthardus quoq; monachus, huius cœnobij Hirſaugienſis vnus ex primis miſſis à Fulda, Rabani & Strabi monachorum quondam auditor atque diſcipulus, vir vndecunq; doctiſſimus, metro excellens & proſa, inter ſcriptores huius tempeſtatis celeberrimi nominis fuit. Qui (vt ſcribit Meginfridus monachus Fuldenſis in Chronica) vir in omni ſcientia & ſanctitate conſpicuus, tantæ fuit eruditionis & probitatis, vt quum Ludouicus imperator eum poſt mortem Haymonis epiſcopi vellet in locum eius Halueritatenſis eccleſiæ ordinare pontificem, conſentire noluit, dicens notabile verbum: Da epiſcopatum alteri, qui ſit idoneus: ego quietem vitæ regularis, & ſtudium Scripturarum, omnibus diuitiis & honoribus mundi incomparabiliter duxi præferendum. Scripſit autem inter cætera ingenij ſui opuſcula, paſſionem ſancti Bonifacij archiepiſcopi heroico carmine pulcherrime in duobus libris. Hic primus inter omnes quos ego legerim, regulam ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti commentario gloſſare auiſus eſt: cuius expoſitionis procemium ſic incipit, poſt exordium ipſius regulæ. Tres enim ſunt eccleſiaſticæ diſciplinæ: prima phyſica, id eſt naturalis: ſecũda ethica, id eſt moralis: tertia logica, id eſt rationalis: nam phyſica, deriuatur ab eo quod eſt phyſis, natura, &c. Scripſit inſuper de muſica, geometria, arithmetica, & cæteris artibus humanitatis plura opuſcula. Ipſe enim primus in cœnobio ſancti Aurelij, vt Meginfridus teſtis eſt, monachis diuinas ſcripturas & ſeculares literas legere, more Fuldenſium cœpit. Tam vero eruditus in omni ſcientia fuit, vt non ſolum monachi de aliis cœnobiis ad audiendum illum, ſed etiam ſeculares certatim confluerent.

*Meginfridus chronographus.*

*Ruthardi ptum verſum.*

*Ruthardi ſcripta.*

*Ruthardus ſcholarum horum præfuit.*

DCCCLXV.

*Ruthardus moritur.*

Moritur autem plenus dierum & ſanctitate, anno Gerungi abbatis 12. qui fuit Domini 865. indictione 14. ſepultus in eccleſia ſancti Aurelii, octauo calendas Nouembris, cui Richbodo monachus hoc epitaphium poſuit:

*Ruthardi epitaphium.*

*Hoc per iter, rogito, qui pergis rite viator,*
*Pauliſper ſiſte greſſum, hunc titulumque lege:*
*Ipſum perſpectum ſupplex memorare ſepulti,*
*Ruthardig, pius, dic Miſerere Deus.*

*Hartmondus.*

Hartmondus præterea monachus ſancti Galli, vir ſtudioſus & doct⁹, ad quem Otfridus præfatus Wiſſenburgenſis, & noſter hic Ruthardus ſancti Aurelii multas epiſtolas ſcripſerunt, ingenium ſuum varia edendo acuit, & poſt Notgerum publicæ monachorum ſchoolæ præfectus, complures poſt ſe diſcipulos in omni ſapientia doctiſſimos reliquit. Sanctos papa Nicolaus primus Lotharium regem, fratrem Imperatoris, propter Thiedbergam reginam iniuſte repulſam, vna cum pellice Waldrada excommunicat ad inſtantiam fratrũ reginæ, qui cauſſam ad apoſtolici audientiam detulerunt. Ob eandem cauſſam Guntherus Colonienſis, & Thiedgaudus Treuerenſis archiepiſcopi, ab eodem papa depoſiti, vſque ad laicalem ſtatum dignam iniquitatis ſuæ mercedem acceperunt. Quippe qui falſis criminibus arte confictis, reginam innocentem damnare præſumpſerunt.

*Lotharius rex excommunicatur.*

*Treuerenſis & Colonienſis archiepiſcopi depoſiti.*

DCCCLXVI.

*Imperator Bulgarum fit monachus.*

Acta ſunt hæc anno Gerungi abbatis tredecimo, qui fuit Domini 866. Ludouici autem Imperatoris ſecundi vndecimo. His temporibus Imperator Bulgarũm cum omni gente ſua ad fidem Chriſti conuerſus, fit monachus. Sed quum filius eius iuueniliter ageret, ad cultum gentilitatis redire tentaret, pater cingulo regioque cultu reſumpto, cum iniquus cepit, oculiſque effoſſis in carcerem truſit. Minoreque filio in regnum locato, ad monaſterium reuerſus vſque ad mortem in propoſito monachico permanſit.

DCCCLXIX.

*S. Mauri transfertur.*

Anno Gerungi abbatis 16. corpus ſancti Mauri diſcipuli diui patris noſtri Benedicti abbatis, propter timorẽ Nortmannorũ, à Glandifolio ad monaſteriũ Foſſacẽſe in Burgũdiam transfertur. Floruit his temporib⁹ apud Gallos magno in precio Hincmarus Archiepiſcopus

episcopus Remensis, ex monacho sancti Dionysii Parisiensis, vir in diuinis scripturis eruditissimus, qui multa scripsit egregia volumina, quibus mentionem alibi fecimus.

DCCCLXXI.

Anno Gerungi abbatis 18. post depositionem Thietgaudi archiepiscopi, Bertholfus abbas Mediolanensis nostri ordinis, fit archiepiscopus Treuerensis, vir ingenio acer, qui priuilegia ecclesiæ suæ nec in minimo passus est violari: cuius tempore Treuerenses omnia ornamenta sanctuaria & reliquias metu Normanorum subterraneis cameris absconderunt. *Bertolphus ex abbate episcopus.*

DCCCLXXII.

Anno autem Gerungi abbatis 19. sanctus Rex Anglorum Edmundus Nortmannis martyrizatus, infinitis claruit miraculis. *Edmundus rex martyrizatur.*

DCCCLXXIIII.

Anno vero eius 21. qui fuit Domini 874. in Italiæ regione ciuitate Brixiensi per triduum sanguis pluit è cœlo, & Nortmanni multa mala Christianis faciunt. *Sanguis pluit è cœlo.*

Claruit his temporibus Wallo post Christianum monachum, & ipse ex monacho Altisiodorensis episcopus; frater Ansegisi archiepiscopi Senonensis, de quo supra diximus, anno Lintberti abbatis primo. Iste Wallo fuit vir scientia & moribus clarus, cuius maximum erat studiū magistros & professores literarū charitatiue amplecti, eorumq; cōsiliis vti, alloquiis perfrui, & suo illos conuiuio crebrius recreare. In omni conuersatione sua semper ex clero quosdā habere secum voluit, ne vel modica laicis daretur occasio detrahendi: vnde solitus erat dicere, nesciant laici quid faciāt clerici, & pares parib. socientur. *Wallo ex monacho episcopus.*

DCCCLXXVI.

Anno Gerungi abbatis 23. in mense Iunio, subita & nimia aquarum inundatio facta est, ita vt villa quædam in Saxonia, longe à torrentibus & fluminibus remota, in momento cum hominibus & bestijs, cum arboribus & ædificiis, cum ecclesia & altari penitus absorpta sit, ita vt nullum habitationis vestigium penitus remanserit. *Villa vna fuit totaliter absorpta.*

Circa hæc tempora claruit Ericus monachus Altisiodorensis, Wallonis episcopi capellanus, vir vndecunque doctissimus, qui multa & varia conscripsit opuscula metro & prosa, de quibus in Catalogo scriptorum fecimus mentionem. *Ericus monachus.*

DCCCLXXVII.

Anno Gerungi abbatis vicesimoquarto, Domini vero octingentesimo septuagesimo septimo, indictione decima, quinto calendas Septembris, Ludouicus Imperator secundus moritur apud Francfordiam, & in monasterio Laurissensi tunc ordinis nostri, nō longe à Wormatia sepelitur. Cui Carolus, qui dicitur Caluus, successit, filius Ludouici imperatoris primi. *Ludouicus imperator moritur.*

Claruit his temporibus magnæ eruditionis & opinionis apud omnes Milo monachus sancti Amandi, qui vitam eiusdem sancti, pulchro carmine ed dit, & librum de Sobrietate, ad Imperatorem Carolum Caluum. Huius nepos Hunibaldus monachus, & ipse in cœnobio sancti Amandi, sub disciplina patrui constitutus, in septem artibus, quas vocant Liberales, mirum in modum proficiens, multa ingenij sui opuscula composuit. Qui quum maximus esset musicus, de sancto Dauid, & alijs multis, cantus dulcissimos composuit. Hugbaldus quoque monachus Elnonensis, poëta & rhetor sui temporis omnium celeberrimus, de laude Caluorum, opusculum miranda inuentione composuit, in centenis versibus, cuius omnia verba incipiunt ab vna litera C, vt *Milo monachus.* *Hunibaldus monachus.* *Hugbaldus monachus.*

*Carmina clarisonæ caluis cantate camœnæ.*

Quod opus Imperatori Carolo Caluo dicauit. Scripsit etiam ad archiepiscopum Moguntinum Hattonem de Musica, non spernendum opusculum, & quædam alia. Sed & Bertrāmus monachus, in omni literatura doctissimus, scripsit ad Carolum regem de Prædestinatione. Item de corpore & sanguine Domini, cum aliis multis, quæ ad notitiam nostræ lectionis non venerunt. *Bertrammus monachus.*

DCCCLXXVIII.

Anno Gerungi abbatis vigesimo sexto, fuit Domini octingentesimo septuagesimo sexto, fuit quidam Iudæus nomine Sedechias, olim (vt fama est) physicus & medicus Ludouici Imperatoris, magicis disciplinis imbutus, qui faciebat multa miranda & stupenda ludibria publice coram principibus & quibuscunq; aliis. Egit namque arte sua, vt hominibus videretur deuorare hominē armatum cum equo & omnibus armis. Currum quoq; onustum fœno cum ipso fœno, equis & auriga. Amputabat hominibus capita, manus aut pedes, quæ pelui coram imposita, cum sanguine defluente, omnibus videnda præbuit: quæ *Iudæus magus mirabilia fecit.*

statim ad loca, vnde videbantur abscissa, sine detrimento hominis relocauit. In aere transiens videbatur & audiebatur ab omnibus, qui venationes, cursus, & alia quæ homines super terram exercere solemus, in nubibus & aere facere putabatur. Tam multas & varias ludificationes faciebat, vt omnes vltra quam credi potest, mirarentur.

DCCCLXXXII.

*Colonia, cū aliis destruitur.*

Anno Gerungi abbatis trigesimo, Nortmanni cum inæstimabili multitudine Coloniam, Traiectum, Tungris, Bunnā, cum omnibus viculis & castellis adiacentibus, comburunt & destruunt. Palatiū quoq; Aquense, & monasteria nostri ordinis, Stabulaus, Malmundarium, Prumiam, sancti Walarici & Richarij, ferro & igne devastant, nulli parcentes sexui, non ordini, non ætati, sed omnes interficientes quos invenire potuerunt. Post hæc Treverim incendunt, cives interficiunt, prædam abducunt. Ad Metēsem vrbem procedentes habito cum civibus prælio victores existunt, in quo

*Walo episcopus.*

Walo episcopus Metensis, cum multis aliis occubuit. Treverensis autem archiepiscopus Bertolphus fuga lapsus evasit, qui tamen anno sequenti obiit.

*Carolus Imperator obiit.*

Eodem anno Carolus imperator Caluus ex Italia proficiscens in Galliam, veneno potatus moritur. Iohannes autē papa octavus Ludovicum Balbum filium eius vnxit imperatorem: vnde commoti Romani, custodiri papam vt captum, iubent. & Carolum cognomento Grossum, Imperatorem eligunt: simulq; ambo Imperatoris nomen tenuerunt annis duobus, donec assumpto veneno Ludouicus Caroli Calui filius interijt. Et Carolus iste Grossus, solus imperauit annis duodecim.

DCCCLXXXV.

*Gerungus abbas moritur.*

Anno Domini 885. indictione tertia, Gerungus abbas Hirsaugiensis secundus moritur, anno regiminis sui trigesimo secundo, ætatis vero suæ 71. prima die mensis Augusti, sepultus in ecclesia sancti Aurelij, iuxta Lintbertum antecessorem suum. Fuit autem vir per omnia Deo deuotus, & non minus in temporalibus circumspectus, quam in spiritualibus disponendis idoneus. Cui Reginbodo successit, cuius tempore Nortmanni Wormatiam subuertunt, sicut dicemus.

## *DE REGINBODONE TERTIO HVIVS MONASTERII Hirsaugiensis abbate, qui præfuit annis sex, & de gestis illius temporis in Alemania.*

GERVNGO venerabili huius monasterij secundo abbate mortuo atque sepulto, conuenientes in locum ad hoc deputatum fratres, quorum iam magnus erat numerus,

*Reginbodo fit abbas.*

elegerunt in abbatem quendam senem monachum, nomine Reginbodonem, hominem quietum, pium & misericordem, qui præfuit monasterio annis sex. Erat autem (sicut Meginfridus testis est in Chronica) natione Bauarus, ex notabili familia ortus, quicum

*Vita huius abbatis Reginbodonis.*

in iuuentute à parentibus ad discendum literas, magistris traditus fuisset, doctus cum tempore in omni scientia tam humana quam diuina euasit. Deinde canonicus in Constantiensi ecclesia factus est, in qua multis diuitijs affluens, etiam animo defluere cœpit. Tandem reuersus ad seipsum, vanitatem præsentis vitæ ingemiscere cœpit, & quam breuis in hoc mundo sit incolatus hominis, cogitare. Tandem post multos anfractus fluctuantium cogitationum, venit ad Hirsaugiam & contemptis omnibus, quæ homines

*Qualiter monachus factus est.*

diligere in mūdo consueuerunt, monachus pro Dei amore factus est, sub Gerungo venerabili abbate. Qui deinceps omne studiū ad pietatem conuertens, semper quātum humana permisit imbecillitas aut orationi erat intentus, aut lectioni sacræ scripturæ. Tantæ pietatis fuisse perhibetur, vt victum suum pauperibus distribuens, sæpe ieiunus ipse permaneret. Mortuo autem Gerungo vnanimi omnium consensu in abbatem electus est. Anno Domini nostri Iesu Christi 885. indictione 3. & præfuit (sicut diximus) annis 6. Nam senio

*Quomodo fit factus abbas.*

grauatus & exterorum occupationum impatiens, cum vitæ contemplatiuæ dulcedinem iam dudum esset expertus, nec pateretur auelli, tandem sexto anno quo abbatiam susceperat voluntarie resignauit, quemadmodum suo loco dicemus. His temporibus scholæ

*Richbodo scholæ præsidet.*

monachorū in hoc cœnobio sancti Aurelij præfuit post Ruthardum Richbodo discipulus eius, monachus & presbyter, tam in diuinis quam in secularibus literis eruditissimus, qui vt Meginfridus ait, inter Monachos sui temporis secundum non habuit. Nec dubium est, quin exercitando ingenium suum exemplo veterum multa scripserit, quamuis nihil

*De tyranno qui fratres inquietauit.*

eorum ad nostram notitiam peruenit. Post electionem vero Reginbodonis in abbatem, Edvvidus quidam tyrannus multum inquietare cœpit monasterium & fratres sancti Aurelij dicens, sibi deberi summam nō paruam pecuniarum, quā Gerungo abbati quondam

mutuas-

mutuaſſet. Qui cum multa minaretur incõmoda, fratres qui mendacium hominis nouerunt, diuinũ cœperunt implorare auxiliũ, ſanctoque Aurelio monaſterij ſui cauſam tuendam contra improbitatem tyranni commiſerunt. Et ecce quadam nocte cum in craſtinum dies placiti ab vtraque parte conſtitutus eſſet, apparuit tyranno ſanctus præſul Aurelius in ſomnis dicẽs: Impie tyranne, quid tibi & fratribus meis, quos iniuſte bonis ſuis ſpoliare diſponis? Non tibi cedet impune. His dictis diuus Aurelius baculum paſtoralem lenans quem manu geſtabat, percuſſit in ſomnis tyrannum dicens, accipe meritorum tuorum in me primitias, breui ſuſcepturus grauiora, niſi mihi & fratribus meis mox ſatisfacere curaueris. At vero tyrannus Eduuinus tam pauore, quã verbere experrectus, totam tam inſolito clamore domum repleuit, vt omnes verterentur in ſtuporem. Poſtero autem die lecto decumbens, fratres ſancti Aurelij ad ſe vocauit, & coram vxore ac filijs iniuriarum veniam petiuit. Quibus vt pro ſe orarent ad Dominum rogauit, promittens ſe magna facturum monaſterio bona, ſi intercedentibus ipſis conualeſceret. Qui non poſt multos conualuit dies, & ſanctum Chriſti præſulem Aurelium, multis oblatis muneribus ſibi reddere placabilem ſtuduit.

*Vindicta Aurelij in tyrannum.*

DCCCLXXXVI.

Anno primo Reginbodi moritur Bertolphus archiepiſcopus Treuerẽſis, monachus noſtri ordinis, ſicut ſupra iam diximus, cui ſucceſſit in archiepiſcopatu ſucceſſor eius in Abbatia Mediolacenſi Ratbodo abbas vir doctus, & in agendis prudentiſſimus, qui eccleſiæ ſuæ Treuerẽſi multa ab Imperatoribus dona & poſſeſſiones acquiſiuit. Præfuit autem in archiepiſcopatu fere annis 36. & multa bona fecit.

*Ratbodo ex monacho archiepiſcopus.*

DCCCLXXXVII.

Anno ſecundo Reginbodi abbatis mortuus eſt Ansbaldus reuerendiſſimus abbas Prumienſis 4. idus Iulij, vir ſummæ ſanctitatis ac religionis, qui ad cœleſtem patriam feliciter tranſiuit, Cui in abbatia ſucceſſit Farabertus venerabilis pater 8. idus Auguſti.

*S. Ansbaldus abbas moritur.*

Claruit his temporibus Reinbertus ex monacho Corbeienſis cœnobij in Saxonia archiepiſcopus Bremenſis, vir in diuinis ſcripturis & ſecularibus literis doctiſſimus, qui ſcholæ monachorum publicæ multis annis in præfato monaſterio glorioſe docendo præfuit. Rexit autẽ eccleſiam Bremenſem annis 9. & moriens in Catalogum ſanctorum relatus eſt, cuius feſtum pridie nonarum Februarij agitur. Sepultus eſt in eccleſia Bremenſi multis coruſcans miraculis.

*S. Reinbertus ex monacho epiſcopus.*

Claruit etiam circa hæc tempora Almannus monachus Altuilarẽſis, vir vndecunque doctiſſimus, qui multa ingenij ſui præclara monumenta reliquit, de quibus alibi fecimus mentionem. Adreualt qui & Adelbertus monachus Floriacenſis, vir in omni ſcientia eruditus, qui & ipſe viuacitatem ingenij multimoda editione librorum oſtendit, his ipſis temporibus inter monachos clarus habetur. Remigius quoque monachus Altiſiodorenſis, & poſtea cuiuſdam eccleſiæ, vt ferunt, epiſcopus, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſcientia ſecularium literarũ nobiliter doctus, hæc tempora docendo & ſcribendo illuſtrauit, de cuius opuſculis in ſecundo libro illuſtrium virorum ordinis nonnihil fecimus mentionem.

*Almannus.* *Adrevaldus.* *Remigius.*

DCCCLXXXIX.

Anno Reginbodonis quarto, qui fuit Domini 889. indictione 7. moritur Richbodo monachus huius monaſterij, qui ſcholæ publicæ apud S. Aurelium poſt Ruthardum magiſtrum annis ferme 24. præfuit, & in omni ſcientia diſcipulos probe inſtructos complures reliquit. Poſt quem Harderadus monachus natione Francus docendi officium accepit, quod vix Biennio implens in abbatem aſſumptus eſt.

*Richbodo.* *Harderadus.*

DCCCXC.

Anno abbatis Reginbodonis quinto, Carolus Imperator cognõmento Groſſus, poſt multa quæ geſſerat bella, corpore & animo debilitari cœpit, qui veniens Triburias & conuocatis principibus, paulatim ab omnibus miſerabiliter derelictus eſt. In cuius locum Arnulphus filius Carolomanni imperauit annis 12. At Carolus non multo poſt moriens ſepultus eſt in monaſterio Augienſi pridie idus Iunij.

*Arnulphus fit Imperator.*

Eodẽ quoq; anno moritur Lintbertus archiepiſcopus Moguntinus, cui S. Sunderoldus monachus Fuldẽſis ſucceſſit, vir omni ſanctitate & religione cõſpicuus, quẽ Nortmanni paulo poſt occiderũt. His temporibus mortuo Imp. Carolo, Itali regnũ diuiſerũt, quorũ vna pars Berengariũ filium Eberardi, qui ducatũ Foroiulianorũ tenebat, alia vero Guidonẽ filium Lamperti ducẽ Spoletanum regẽ ſibi delegit: qui inter ſe cõſerto prælio, Guido victor euaſit, & Berengarium de regno expulit. Salomon ex monacho ſanctæ Con-

*Sunderoldus.* *Salomon.*

*Salomon.* stantiensis ecclesiæ episcopus hoc anno moritur, cui successit eiusdem nominis Salomon abbas sancti Galli, vir non solum nobilitate, verum etiam prudentia ac sapientia insignis, qui præfatæ vrbis tertius eius nominis dignoscitur esse pontifex.

*Episcopus occiditur in Missa.* Eodem anno Arnolphus episcopus Herbipolensis in Saxonia, occisus est inter missarum solennia satis crudeliter, postquam ecclesiæ præfatæ præfuit annis 37. & mensibus 7. Arnoldus siue Arnulphus Imperator Romanorum post Carolum Grossum habuit vxorem Lucardam filiã Welphonis ducis Bauariæ, quæ peperit ei duos filios & vnam filiam. Quorum primogenitus Ludouicus postea Imperator fuit. Secundogenitus nomine Conradus, dux Lotharingiæ, cuius filius eiusdem vocabuli etiam Imperator postea factus est. Porro filia Lucarda nomine quæ Ottoni duci Saxonum data fuit in vxorẽ, peperit Henricum postea Imperatorem primum. Ducem vero Lotharingiæ Conradum prædictum filium Arnulphi, interfecit Adelbertus comes Bambergensis, quem Henricus Nepos Imperator factus, dolo Hattonis archiepiscopi Moguntini interceptum capite truncauit, sicut inferius suo loco dicemus.

*Arnulphi Imperatoris vxor & liberi.*

DCCCXC.

*Reginbodo abbatiam suam resignauit.* Anno autem Domini 890. Reginbodo abbas senio grauatus, cum sentiret se per occupationes rei familiaris ab internæ dulcedinis contemplatione retrahi, & gauderet se ad statum pristinæ quietis posse reuerti, abbatiam suam sponte resignauit 12. cal. decembris anno promotionis suæ nondum sexto completo. Qui ad priuatæ conuersationis statum reuersus tam sancte & religiose vixit, vt omnibus non tolum in exemplum cederet, verum etiã cuncti fratres tantã in se pœnitendi constantiã & vitę austeritatem non agnoscentes, de senis feruore multum admirarentur. Rigorem siquidem monasticæ conuersationis vsque ad mortem, quem semel assumpserat, non reliquit. Erat in oratione & compunctione mentis cõtinuus, seq; vsq; adeo vigilijs & ieiunijs pro amore cœlestis patriæ affligit, vt omnes grandæuo compaterentur iuniores. Interrogatus aliquando à fratribus, quare se tantum affligeret, qui tamen nullum enorme peccatum in religione commisisset? respõdit: Etsi gratia Dei me protegente ex eo die quo monachus factus sum, nullum enorme peccatum (sicut dicitis) cõmisisse me memini, multa tamen interea boni operis exercitia negligenter omisi: & ex eo maxime tempore, quo Abbas esse cœpi, maioribus me negligentijs inuolui. *Afferre enim plures negligentias, quam virtutes, nostris diebus prælatura consuevit.* Oportet ergo nos fratres, quamdiu vsuimus pœnitentiã agere, & vsq; ad mortem à bonis operibus non cessare. Et ipse quidem venerabilis senex Reginbodo in sancta conuersatione sua firmus & constans perseuerauit vsq; ad mortem.

*Quam sancte postea vixerit.*

*Verbum notabile.*

*NB.*

## *DE HADERADO QVARTO HVIVS MONASTERII Hirsaugiensis venerabili abbate, qui præfuit strenue annis viginti octo.*

*Haderadus abbas quartus.* POST resignationem vero Reginbodonis sanctissimi viri, conuenientes in vnum fratres, vnanimiter elegerũt in abbatem Haderadum venerabilem monachum, quischilis fratrum præfuit, annis quidem iuuenem, vtputa triginta annorum, moribus autem & prudentia multis senibus seniorem. Electus est ergo dominicæ incarnationis anno 890. indictione octaua, eodem videlicet die 12. calend. septembris, quo antecessor eius resignauit, & præfuit monasterio annis vigintiocto. Fuit autem natione Francus, honestis parentibus genitus, qui ordinem monasticum intrauerat sub Gerungo abbate adolescentulus: & tam pie religioseque vixerat ad omnem obedientiam paratus, vt alter Placidus ab omnibus vocaretur, nec immerito. Erat sane tam placidæ mentis, vt nemo vnquam ira perturbatum illum meminerit. Tam vero studiosus in scripturis fuit, vt post magistri sui Reginbodonis venerandi decessum, in locum eius subrogatus, publicam scholam monachorũ in hoc monasterio sancti Aurelij strenue regeret, quod illo in tempore pro magno honore habebatur. Monachus enim ad hoc officium requirebatur doctissimus, non solum in scripturis diuinis, sed etiam in literis secularibus. Erat autem his temporibus in monasterijs nostri ordinis (*alterius in Europa Germaniæ & Galliæ nulla fuerunt*) hæc consuetudo celeberrima, vt scholæ monachorum in singulis pene cœnobijs haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi: qui nõ solum in diuinis scripturis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometrica, Musica, Rethorica, Poesi, & in cæteris omnibus secularis literaturæ scientijs eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant, sed

*Vita Haderadi abbatis.*

*Laudabilis in monasterijs consuetudo fuit, habere scholas.*

*Studium literarũ Græcarum in monasterijs fuit.*

sed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quod ex eorũ opusculis facile dinoscitur: quanquam vitio scriptorum, qui à primæua institutione præceptorũ paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autẽ idoneum ad hanc subeundam prouinciã in suo cœnobio monachũ abbas minime habuisset, de aliquo alio monasterio petere aprum, non erat verecundum. Maximũ enim dedecus iudicabant, dociles animos monachorum negligere, quos vt moribus & literis bene instituere possent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Sic nanque doctissimus ille monachus Gemblacensis Sigebertus, multo tempore in cœnobio sancti Vincentij Metensi, monachorum præceptor, quanquam de alio monasterio fuit. Ita Strabus monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Notgerus sancti Galli in Stabulaus, Albinus monachus Anglicus in Fulda, Milo sancti Amandi in Corbeia, atque alij complures in alijs monasterijs, docendi ad tempus tenuerut officium, vbi conuersionis primordia nõ sumpserunt. Hæc autem consuetudo sanctissima primũ in Anglia cœpit, vbi venerabilis ille monachus & presbyter Beda monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos. Quantum vero hæc monachorum institutio ordini nostro profuerit, ne mo ignorat, qui veterum historias studiosius reuoluit. Multi enim ex monachis propter scientiam literarum incomparabilem, ad episcopatus honorem sublimati fuerũt, qui ordinem nostrum vita & doctrina mirabiliter illustrarunt. Nam etiamsi studium literarum nihil conferret ordini, quam vtilem occupationem monachorum, esset nihilominus maxima veneratione à nobis promouendũ: *quia nisi mens hominis claustralis aliquo exercitio occupetur delectabili, in multas & varias miserias dilabitur.* Quod sancti patres probe intelligẽtes, lectionem scripturarum monachis omnino voluerunt esse familiarem. Huius sanctæ consuetudinis amator Haderadus noster, de quo nobis est sermo, studium literarum adeo complexus est, vt breui in omni literatura tam seculari quam diuina, doctissimus euaserit. Qui postquam in abbatem sublimatus est, scholæ monasticæ præfecit condiscipulum olim suum Linthelmum, doctissimum in omni scientia monachum, natione Sueuum, ex humilibus quidem, sed honestis parentibus natum: qui tantam in docendo monachos diligentiam fecisse legitur, vt multos iam deinceps propter inæstimabilẽ scientiæ prærogatiuam, ad diuersa cœnobia monachos Hirsaugiensis congregationis abbates & plerosque etiam episcopos fieri contingeret. Circa hæc tempora Haderadi abbatis Arnulphus Imperator, Nortmannorum exercitum superans in bello, pene deleuit: qui tamẽ resumptis viribus, multa in imperio postea perpetrarunt mala.

*Quam magna veterum diligentia literarum.*

*Quam vtile sit monachis studium literarum.*

*Linthelmus fit magister scholæ.*

*Imperator cõtra Nortmannos.*

DCCCXCI.

Nam anno sequenti, qui erat Dominicæ incarnationis 891. ciuitatem Wormaciẽsem quæ imperio semper in omnibus fidelissima extitit, occisis habitatoribus subuerterunt: & sanctum Sonderoldum ex monacho archiepiscopum Maguntinum, virum vita & doctrina reuerendissimũ, 6 cal. Iulij, quæ fuit dies sabbati, occidentes, martyrem fecerunt. Haderadus vero abbas audiens quæ Nortmanni in Wormacia fecissent mala, metuensq; ne Rheno transmisso omnẽ circa regionẽ deuastarent, vsus consilio fratrum testudinem in ecclesia S. Aurelij subterraneã fecit, in qua corpus ipsius sancti, cum tabula inscriptionẽ nominis & dignitatis eius continente tam subtiliter abscondit, vt reperiri à nullo homiñ potuisset: quod ibi remansit vsq; ad tempora Adelberti comitis omnino incognitum. Nam nõ longe postea Nortmannis ab imperio expulsis, Vngari Bauariã, Sueuiam & Saxoniã deuastare cœperunt, quibus cum alia atq; alia succederent in omni prouincia Germaniæ prælia, corpus sanctissimi præsulis in tuto reconditũ necessario remansit. Fecit etiam Haderadus alias quasdã subterraneas foueas in secretioribus monasterij locis, in quibus calices, cruces, & alia diuini ministerij ornamenta potuissent abscondi, si contigisset Nortmannos propius accessisse. Sancto autem Sonderoldo per Nortmannos (vt prædiximus) occiso, Hatto Augiensis abbas in archiepiscopũ Moguntinensem eligitur, vir quidem obscurus genere & nulla nobilitate insignis, sed acutus ingenio, de quo sit iudicare difficile, melior consilio fuerit ne, an peior. Præfuit autem ecclesiæ Moguntinæ vno & viginti annis.

*Archiepiscopus Sonderoldus martyrizatur.*

*Corpus sancti Aurelij sub terra abscondi-tur.*

*Hatto Augiensis abbas fit archiepiscopus Moguntinus.*

DCCCXCII.

Anno tertio Haderadi abbatis, qui fuit Domini 892. Vngari Carintaniam inuadũt, & in sabbato sancto pugna commissa vincuntur & occiduntur.

Eodem anno Nortmanni monasterium Prumiense iterum innadunt. Abbas cum fratribus fuga lapsus vix euasit, ingressi cœnobium quosdam ex monachis interficiunt, plurimamq; familiam trucidantes, reliquos captiuos abducunt.

*Nortmanni Prumiam iterum inuadunt.*

*Regino abbas Prumiensis clarus habetur.*

EOdem anno Farabertus abbas Prumiensis, annuente rege Francorum, abbatiam suam sponte resignauit: cui Regino monachus eiusdem cœnobij successit, vir vita & eruditione celeberrimus: qui inter cætera ingenij sui opuscula transacti temporis Chronicon scripsit, ad Adelberonem Treuerensem Archiepiscopum, incipiens ab origine mundi vsque ad tempora sua, opus profecto celeberrimum & lectione doctorum virorum dignissimum.

*Rupertus monachus S. Albani clarus.*

Claruit circa hæc tempora apud Moguntiam in monasterio sancti Albani Rupertus monachus, vndecunque doctissimus, Græcæ & Latinæ peritus, qui scholæ monachorum in eodem loco publice præsidens, multa ingenij sui monimenta posteris reliquit. Extant eius Homiliæ & Sermones non inelegantes: vitam quoque & passionem sancti Albani metrice descripsit. De Musica proportione nonnulla composuit. Sebulo quoque abbas sancti Dionysij vir nobilis & potens, apud Gallos habetur in pretio, quem etiam reges propter sapientiam prudentiamque admirabilem timuerunt.

*Sebulo abbas S. Dionysij clarus habetur.*

*Eutrandus Ticinensis Diaconus.*

Qui cum castrum quoddam in Aquitania situm ardentius expugnaret, ictu lapidis percussus interiit anno sequenti. Circa hæc tempora floruit Eutrandus Ticinensis diaconus, vir Græcæ & Latinæ peritus, & in secularibus literis non infime doctus, qui inter cætera ingenij sua opuscula historiam actuum Berengariorum edidit, quam Græco vocabulo Antipodosin, idest retributionem appellauit. Retribuit enim Berengario Tyranno in Italia contra imperium scvienti scriptis, quod expulsus ab eo in exilium ire coactus sit. Inchoavit ipsam historiam suam in Franckfordia non longe à Moguntiaco, & in Græcia complevit.

*Berno ex comite abbas Gigniacensis.*

*Monasterij Cluniacensis fundatio.*

His etiam temporibus claruit in Burgundia Berno ex comite fundator & primus abbas Gigniacensis monasterii, vir sanctitate & religione venerabilis, qui etiam dono & impensis aviæ comitissæ Cluniacense monasterium construxit, cui præfecit in abbatem primum sanctum Odonem quendam Musicum Thuronensem, virum doctum atq; sanctissimum, qui scripsit nonnulla ingenij sui præclara opuscula, de quibus mentionem iam fecimus in secundo libro de illustribus viris nostri ordinis.

*Paschasius abbas doctissimus.*

Paschasius quoque Ratbertus abbas Corbeiensis his diebus clarus habetur, qui scripsit ad Placidum abbatem de sacramento altaris libellum non spernendum: vitam quoque sancti Adelhardi: in Threnos quoque prophetæ Hieremiæ pulcherrimum opus. Qui cum Græcæ linguæ non esset ignarus, etiam transtulisse quædam Latine perhibetur.

*S. Adelgarius.*

Sanctus quoque Adelgarius, ex monacho Corbeiensis cœnobij archiepiscopus Bremensis, his temporibus claruit, & 20. annis ecclesiam suam strenue gubernauit, vir doctus atque sanctissimus, cuius festum idibus Maij colitur.

*Sigismundus.*

*Cuntzigo.*

His temporibus sub Haderado abbate & Luithelmo scholastico claruerunt, multi studiosi atq; doctissimi monachi in hoc monasterio, è quibus vnus nomine Sigismundus in episcopũ Haluerstatẽsem electus verbo & exemplo, populo sibi cõmisso strenue præfuit annis ferme 30. iacetque sepultus in eadem ecclesia. Cuntzigo quoque monachus valde venerabilis, imperante Arnulpho factus est abbas monasterij sancti Nazarij in Launsi Wormatiensis diœcesis, qui tamen vix vno anno superuiuens moritur, & in eodem monasterio sepelitur.

*Herdericus monachus Hirsaugiensis.*

Fuit etiam inter eos monachus alius nomine Herdericus, vir in omni literatura tam seculari quam diuina doctissimus, qui multa & varia conscripsit maxime in musica, & cantus pulcherrimos in honorem beatæ Mariæ & diuersorum sanctorum, multa etiam diuersi generis carmina scripsit, è quibus ego non vidi quicquam præter hos duos versiculos, quos Meginfridus ei in Chronica adscripsit, super benedictionem cibi & potus dicendos.

*Appositis Christi benedicat dextera donis,*
*Alma Dei nostrum benedicat dextera potum.*

DCCCXCVI.

*Synodus magna Triburis celebratur.*

*Nomina episcoporum in synodo præsentium.*

Anno Haderadi abbatis sexto, qui fuit Domini 896. indictione 14. synodus magna celebrata est apud Triburias, in qua fuerunt viginti sex episcopi cum multis abbatibus Saxoniæ, Bauariæ, Sueuiæ, Galliæ, Lotharingiæ & aliarum prouinciarum. Inter episcopos autem isti fuerunt famosiores: Hatto archiepiscopus Moguntinensis nostri ordinis, ex abbate Augien. Ratbodo archiepiscopus Treuerensis nostri ordinis, ex abbate Mediolanensi: Hermannus archiepiscopus Colonienſis: Adelgarius archiepiscopus Bremensis nostri ordinis, ex monacho Corbeiensi: Sigismundus episcopus Haluerstatensis nostri ordinis, ex monacho huius cœnobij Hirsaugiensis: Ratbodo episcopus Traiectensis vir doctus

ctus atque sanctissimus: Sigehardus episcopus Hildesheimensis: Ludhelmus episcopus Tullensis nostri ordinis, ex monacho sancti Maximini Treuerensis: Rudolphus episcopus Herbipolensis: Salomon Constantiensis episcopus nostri ordinis, ex abbate sancti Galli.

Porro inter abbates isti erant præcipui. Herigerus abbas Fuldensis, Harderadus abbas Hirsfeldensis, Haderadus abbas sancti Aurelij Hirsaugiensis, Burchardus sanctorum Marcellini & Petri Selgenstatensis, Adelbertus abbas Corbeiensis, Wilhardus abbas sancti Albani Moguntinensis, Bertulphus abbas sancti Ferrucij Bildenstatensis. In hac sancta synodo residentes episcopi cum abbatibus monasteriorum, multa pro vtilitate ecclesiastica statuerunt, & maxime contra quosdam seculares, qui authoritatem episcopalem deprimere & minuere laborabant. Super his ergo & multis alijs decreta sanxerunt, quæ subscriptione communi, vt moris est, roborarunt. *Haderadus interfuit.*

Clarus habebatur his temporibus Elfredus rex Anglorum, qui anno decimotertio Haderadi abbatis regnare cœpit, & 40. annis regnauit, vir in omni conuersatione sua Christianissimus, prudentia & eruditione scripturarum quoque celeberrimus, qui horas 24. diei noctisque in tres partes distribuens, primas octo horas in legendo, scribendo, meditando & orando expendit, alias octo in disponendis regni negotijs, & reliquas octo in cura corporis sui prudentissima distributione consumpsit. *Elfredus rex Anglorum.*

DCCCXCIX.

Anno Haderadi abbatis nono, Regino Prumiensis abbas, quemadmodum in sua chronica scribit, depositus est: causas autem depositionis non expressit, sed ita dicit, anno Domini 899. Richarius abbas monasterij Prumiensis constituitur, qualiter autem ergà eum actum sit, idcirco hoc in loco annotare distuli, ne forte iniurijs prouocatus, vltra quam Christiana patientia permittit, persecutionis meæ causas exaggerasse videret. Ex quibus verbis conijcere possumus, eum cum iniurijs abbatia depositum, quanquam causas ignoremus. *Regino abbas deponitur.*

Eodem anno Arnulphus Imperator moritur 3. calend. decemb. sepultusque est honorifice in Odingas in Bauaria, vbi & pater eius tumulatus iacet. Cui filius eius Ludouicus, procerum electione succedens imperauit annis 12. verum post mortem Arnulphi imperium confunditur, dolentibus Romanis atque vniuersis Italiæ populis, quod in Germaniam translatum esset. Quamobrem nec à Romanis, nec à summo Pontifice deinceps insignitisunt Germanici imperatores, vsque ad primum Ottonem. Vnde in Italia quidam Berengarij vsurparunt imperium. *Arnulphus Imperator obiit. Ludouicus filius succedit. Berengarij in Italia regnant.*

DCCCC.

Anno Haderadi abbatis decimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis noningentesimus annus, Vngari, morte Arnulphi imperatoris audita, maximo exercitu collecto, Bauariæ fines inuadunt, castella diruunt, Ecclesias igne consumunt, populosq; sine discretione sexus, ætatis vel ordinis interficiunt: & quo magis timorem super omnibus incutiant, interfectorum se sanguine potant. At Ludouicus Imperator, suorum depopulationem non ferens, conserto cum Vngaris prælio, iuxta flumium Augustam præterfluentem, qui Lycus dictus est, mille ferme ex eis interfecit. Sed Vngari, positis insidijs tandem victores euadunt, ac deinde Bauarorum, Sueuorum, ac Francorum regna percurrunt, cunctaque vastando incendunt. *Vngari Bauariam deuastant. Bellum cum Vngaris sit super Lycum.*

Claruit his temporibus Ambrosius, qui & Ansbertus est dictus, monachus nostri ordinis, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis doctissimus: qui scripsit in Cantica Canticorum insigne volumen: in Psalterium quoque, & Apocalypsin beati Iohannis Apostoli: de Cupiditate quoque non contemnendum opusculum: & quædam alia, quæ nobis tam ad memoriam non recurrunt. *Ambrosius.*

DCCCCIII.

Anno Harderadi abbatis decimoquarto, Falco Remensis archiepiscopus, à quodam satellite Baldeuuini comitis Flandriæ crudelissime interficitur, propter abbatiam sancti Vedasti, quam vterque habere contendebat: Episcopus ex donatione Caroli regis Francorum, comes nullo sibi concedendam iudicante. *Remensis episcopus interficitur.*

Anno eodem, Adelbertus comes Bambergensis Rudolphum episcopum Herbipolensem de sua ecclesia fugat, & totam diœcesin deuastat. *Episcopus Herbipolensis expellitur.*

DCCCCIIII.

Anno autem sequente, Conradum ducem Lotharingiæ, patrem Conradi primi imperatoris, qui erat frater istius imperatoris Ludouici, quemadmodum iam supra

*Conradus rex interficitur.*

diximus, idem Comes Adelbertus in bello quodam in Hassia, iuxta Fridislariam interfecit, tertio calendas Martij. Erat enim Imperatori Ludouico comes idem aduersarius, propterea quod pater eius Conradus dux, fratrem suum antea interfecerat.

*Conuentus apud Triburias prope Oppenheim.*

Eodem anno Haderadi abbatis decimoquinto, in mense Iulio, Ludouicus rex generalem conuentum principum habuit, apud Triburias villa regia, non longè à Moguntia co, super Rhenum, quæ modo deserta nullum pristini honoris vestigiũ tenet, præter muros castelli dirutos. Est autem inter Oppenheim & Moguntiam, per Rhenum descendentibus ad manum dexteram, locus vbi quondam hæc villa imperialis cum castro & monasterio pulcherrimo sita fuerant, pauculas modo habens domunculas rusticorum. Inde

*Alias Lariſſa.*

Ludouicus mouens exercitum per Franconiam, castrum quoddam comitis Adelberti, quod appellatur Thariſſa, & est nunc monasterium nostri ordinis, in diœcesi Herbipolensi, cinxit obsidione, & cepit. Adelbertus autem comes non erat in eo, sed cum exercitu suo

*Adelbertus comes occiditur.*

validissimo in castello Bambergensi, quem dolo & deceptione Hattonis archiepiscopi Moguntinensis ad se ductum, capite truncauit, quinto iduum Decembris. Porro castellũ illud Tharis in monasterium ordinis nostri commutatum est, in quo & idem comes Adelbertus perhibetur esse sepultus. Distat autem à Bamberga per descensum Mogani, quatuor milliaribus nostris Germanicis.

DCCCCV.

*Leo monachus fit Papa.*

Eodem anno Haderadi abbatis decimoquinto, qui fuit Domini noningentesimo quinto, post mortem Benedicti papæ quarti, Leo monachus nostri ordinis de Brandalo, in summum Pontificem eius nominis quintum electus, sedit dies quadraginta. Habebat domi Christophorum quendam presbyterum, subdolum, qui dominandi libidine ductus papam coniecit in vincula, vbi nõ multo post ex animi dolore moritur. Inuadensq; pontificatum, quem sicut male acquisiuit, ita post menses septem turpiter amisit, trususq; per Sergium in monasterium, nolens monachus factus est.

DCCCCIX.

*S. Wymo.*

Anno Haderadi abbatis decimonono, Wymo monachus Corbeiensis in Saxonia nostri ordinis, vir doctus & sanctus, in archiepiscopum Bremensem electus præfuit annis octodecim, qui postea pro Dei amore Gothiam ingressus, illis populis verbum Dei prædicauit, & post aliquot annos ibidem mortuus & sepultus multis miraculis coruscauit.

*Sigbertus.*

Hisdem temporibus claruit in eodem cœnobio Corbeiensi, vir valde doctus Sigebertus, monachus, discipulus præfati Wymonis sanctissimi pontificis & socius peregrinationis, qui mortuo illo in Gothia, ad monasterium reuersus vitam eius geminostylo descripsit, hoc est metrico & prosaico. Scripsit etiam quædam alia, quorum in secundo illustrium virorum nostri ordinis libro, iamdudum fecimus mentionem.

DCCCCX.

*Vngarorum incursus.*

Anno Haderadi abbatis vigesimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis noningentesimo decimo, Franci orientales & Saxones multa cum Vngaris bella gesserunt, sed parum profecerunt.

*Adelbero.*

Eodem anno Adelbero monachus cœnobij huius sancti Aurelij Hirsaugiensis, discipulus Luithelmi, scholasticus factus est in monasterio sancti Albani prope Moguntiam, vbi magna tunc multitudo viguit monachorum: quos quum glorioſe in omni scientia scripturarum tam secularum quam diuinarum instrueret, magnã eruditionis suæ famam apud omnes in circuitu homines acquisiuit, qui post paucos annos per archiepiscopum Herigerum abbas sancti Ferrucij factus est. Erat enim vir dignus honore, non solum propter incomparabilis scientiæ doctrinam, qua præ cæteris multis fuit insignis, sed etiam propter prudentiam & vitæ omnimodam sanctitatem.

DCCCCXII.

*Ludouicus Imperator moritur.*

Anno Haderadi abbatis vigesimo secundo, Ludouicus Imperator mortuus est sine liberis. Habuerat quidem vxorem Lutgardem, filiam Ludolphi ducis Saxonum, sororem ducis Ottonis, sed liberos ex ea non accepit. In cuius locum electus est à principibus Con-

*Conradus.*

radus primus, filius Conradi ducis Lotharingiæ, & fratris prædicti Imperatoris Ludouici, quem Comes Bambergensis Adelbertus (vt supra dictum est) in bello peremit. Iste Conradus, vltimus fuit Imperator de stirpe Caroli Magni, & imperauit annis septem. Contra hunc erexerunt se multi principes, scilicet Arnoldus dux Bauariæ, quẽ ad Vngaros cum vxore & liberis fugere compulit. Burcardus dux Sueuiæ: Euerardus comes Francorum, Giselbertus dux Lotharingiæ, & potentissimus Saxoniæ ac Thuringiæ dux Henricus filius Ottonis

Ottonis post eum Imperator, Hos tamen omnes, Conradus tam sapientia quam fortitudine cito suam retraxit in partem.

DCCCCXIIII.

Anno autem Haderadi abbatis nostri vigesimoquarto, & Domini nostri Iesu Christi anno noningentesimo & decimoquarto Imperij Conradi secundo, Vngari gladio & igni iterum deuastant totam Alemaniam, venientes vsque ad Fuldam, Alsaciam & Basileam.

His temporibus Betto monachus nostri ordinis & præpositus monasterij sanctæ Columbæ, fit episcopus Altisiodorensis, vir doctus & religiosus, qui à pueritia sua monasticis disciplinis optime instructus fuit. *Betto.*

Anno vigesimo secundo Haderadi abbatis Hatto archiepiscopus Moguntinensis moritur: cui Herigerus successit. *Hatto moritur.*

DCCCCXVII.

Anno autem 27. abbatis Haderadi sanctus Ratbodo Traiectensis episcopus migrauit ad Dominum tertio calendas Decembris, qui fuit vir doctus atque sanctissimus, spiritu prophetiæ plenus: scripsit quoque multa in laudibus sanctorum opuscula. Requiescit Dauentriæ miraculis clarus. *Ratbodo episcopus moritur.*

Circa hæc tempora claruit Wipertus vir nobilis, diues & potens in seculo, qui fundauit monasterium ordinis nostri in diœcesi Leodiensi, nomine Gemblach. Cuius cum structuram perfecisset, introductis monachis & abbate, ipse deposito seculari habitu, monachus in eodem cœnobio factus, vita & conuersatione clarus effulsit. *Monasterium Gemblacense fundatur.*

Claruit etiam his diebus apud monasterium sancti Galli Wiberadis sanctimonialis fœmina, quæ pro Dei amore inclusa, die noctuque orationibus, ieiuniis, & sanctis meditationibus instans, prophetiæ spiritu meruit illustrari. Ipsa prædixit sancto Vdalrico tunc apud sanctum Gallum inter monachos conuersanti, quod futurus esset episcopus in ecclesia Augustensi, quod verum postea rei probauit euentus. *S. Wiberadis monialis.*

DCCCCXVIII.

Anno Domini 918. indictione 6. Harderadus abbas huius cœnobij quartus, moritur quarto iduum Augusti, anno regiminis sui 28. cui in abbatia successit Rudolphus monachus, qui præfuit monasterio & fratribus annis 7. quemadmodum dicemus, vir grandæuus, & non multum ad regimen vtilis. *Haderadus abbas moritur.*

## *DE RVDOLPHO, QVINTO HVIVS MONASTERII ABbate, qui præfuit annis septem, & quibusdam gestis illius temporis in Alemania.*

MORTVO Haderado venerabili abbate, sicut diximus 4. iduum Augusti, atque iuxta morem honorifice sepulto, Rudolphus monachus quidam ætate profectus, in eius locum subrogatus, per electionem fratrum præfuit annis septem, sub cuius regimine disciplina regularis non multum profecit. Fuit enim vir pius nimium & liberalis, ne dicam prodigus, qui poculis delectaretur & conuiuijs. Vnde & temporalia neglexit & spiritualia minime conseruauit. Vnde fratres post annos duos eum deponere volentes, non potuerunt, propter assistentiam amicorum, quorum inter seculares multos sibi comparasse muneribus & donis ferebatur. *Rudolphus abbas.*

Eodem anno quo Haderadus abbas venerabilis obijt, mortuus est & Conradus imperator primus, decimo calend. Ianuarij, sepultus in monasterio Fuldensi iuxta altare sanctæ crucis, qui priusquam moreretur lecto decumbens, cum à principibus interrogaretur, quem sibi consuleret eligendum in successorem, respondit. Meliorem scio neminem Saxonum duce Henrico, qui est vir optimus, prudens & inclytus, per quem imperium facile ad statum pristinum poterit reformari: ipsum confidenter eligite, quia potens est vos defendere, & amissa recuperare. *Conradus Imperator primus, moritur.*

DCCCCXIX.

Itaque Henricus dux Saxonum in imperiũ electus consilio Conradi imperauit annis octodecim. Incepit autẽ anno Rudolphi abbatis primo, dominicæ videlicet natiuitatis 919. vir pacificus, cultor iustitiæ, magnificus, & iniquorum extirpator acerrimus. *Henricus Imperator primus.*

DCCCCXXI.

Anno Rudolphi abbatis tertio, cum ipsorum fratres propter inordinatam cõuersationem ab officio suo vellent deponere, non potuerunt propter vim & minas amicorũ, quos partim sanguine, partim munere sibi fecerat & habuerat defensores. Vnde coacti patientiam habuerunt, quo vsque Dominus Deus aliter ordinare negotium disponeret.

Eodem anno Adelbero monachus huius cœnobij, qui ante aliquot annos apud S. Albanum Moguntiæ scholasticus monachorum constitutus fuerat, electione fratrum & promotione archiepiscopi Moguntinensis fit abbas monasterij sancti Ferrucij, quod alio nomine Blidenstadt appellatur. Hoc ipso anno Luithelmus monachus & scholasticus apud sanctum Aurelium moritur, vir vita & eruditione clarissimus, multos post se doctissimos relinquens discipulos, quorum multi in diuersis monasterijs sunt facti abbates & quidam etiam episcopi.

*Adelbero fit abbas S. Ferrucij.*

*Luithelmus scholasticus moritur.*

His ferme temporibus, monasterium nostri in Saxonia fundatur ordinis, quod Ringelheim vocatur, à Theodorico comite eiusdem loci. Huius comitis filiam Mechtildem, Henricus Imperator primus duxit vxorem, quæ peperit ei tres filios & quatuor filias: Brunonem, qui fuit postea archiepiscopus Colonienſis. Ottonem Imperatorem primum, & Henricum ducem Bauariæ. Mechtildis prima filia fuit abbatissa nostri ordinis in Quedelburg. Gerburga secunda filia primo nupsit Lothario regi Francorum, quo mortuo iterum nupsit Giselberto duci Lotharingiæ. Tertia fila Rixa nomine, nupsit Rudolpho duci Bauariæ. Quarta nomine Haduigis, nupsit Hugoni Parisiensi comiti, qui postea rex Francorum factus est.

*Monasterium Ringelheim fundatur.*

*Filij Henrici Imperatoris.*

DCCCCXXII.

Anno Rudolphi abbatis quarto, Henricus rex Vngaros Saxoniam exigendo tributum peruagantes de finibus suis expulit, cæsis eorum exercitibus. His temporibus præfuit in hoc monasterio post Luithelmum scholæ publicæ monachorum Dierhardus monachus, vir in omni literatura tam diuina quam seculari doctissimus, qui nonnulla fertur scripsisse opuscula, sed ad notitiam nostram non venerunt.

*Vngari cæduntur in Saxonia.*

*Dierhardus monachus scholasticus.*

Claruit etiam his diebus Gildericus ex abbate monasterij sancti Germani nostri ordinis episcopus Altisiodorēsis ecclesiæ, vir moribus & doctrina valde venerabilis, qui multa bona præfatæ ecclesiæ suis laboribus impendit. Rutgerus quoque Treuerensis ecclesiæ archiepiscopus post Rabbodum his temporibus clarus habetur, qui inter cætera ingenij sui monimenta librum decretorum composuit, quem in Synodo coram suffraganeis suis apud Treuerim producens in publicum approbauit.

*Gildericus ex monacho episcopus.*

*Rutgerus episcopus Treuerensis.*

Henricus Imperator circa hæc tempora fundauit ecclesiam Misnensem, & posuit in ea sedem Episcopalem, eiusque pontificem magnis priuilegijs honorauit, deditque illi terras multas, vicos, villas & castella, quatenus per eum etiam Vngaris incursantibus terram, facilius posset resistere. Interea etiam cum per nouem annos pacem fecisset cum Vngaris, multas in Saxonia ciuitates, muris & fossatis munitissimas fieri procurauit, vt si hostes denuo irruerent, Christiani murorum se præsidio tuerentur.

*Episcopatus Misnensis fundatur.*

DCCCCXXIIII.

Anno Rudolphi abbatis sexto, qui fuit dominicæ natiuitatis 924. mortuus est monachus quidam huius cœnobij nomine Adelhardus, qui sub Haderado abbate quondam in scripturis diuinis & secularibus ad plenum instructus, nescio qua occasione tantam capitis incidit molestiam, vt post biennium cæcus fieret, amisso autem lumine visus, dolor etiam capitis cessauit, & factus est homo præter cæcitatem sanissimus: inde cum iam cæcus factus, præsentis vitæ dulcedinem magna ex parte amisisset, fecit ex necessitate virtutem, seque totum diuinis exercitijs mancipauit, & omni qua potuit virtute fidelem se Dei cultorem exhibere studuit. Nemo illum deinceps mundanis vnquam vidit negotijs intentum, non moribus leuem, non verbis ociosum, semper aut orationi aut meditationi, crebrius tamen contemplationi erat intentus. Tantæ vero compunctionis & deuotionis extitisse perhibetur, vt quotiescunq; de passione domini nostri Iesu Christi aliquid coram eo diceretur aut legeretur, mox resolutus in lachrymas cum rugitu clamauerit ita, quod etiam alios qui fuissent præsentes ad fletum prouocauerit. Eius autem tam pura & Deo grata conuersatio fuit, vt spiritum consequi meruerit prophetiæ. Multa enim ipse futura prædixit, quæ rei euentus vera probauit. Nam & triennio antequam moreretur, die & horam obitus sui futuri, quibusdam ex fratribus aperuit. Desolationem quoque huius monasterij, quæ post annos ferme 80. subsecuta est, tam clare prædixit, ac si eam præsentem ante oculos positam cerneret. In eius transitu, sicut Meginfridus monachus scribit, auditæ sunt in aere angelorum dulcissimæ cantantium voces, noctu super sepulchrum eius lampades visæ, & quędam alia indicia sanctitatis. Moritur autem anno præscripto 7. calend. Ianuarij, anno ex quo visum amiserat 23. ætatis vero suæ 78. indictione prima.

*Adelhardus monachus cæcus, spiritu prophetiæ plenus moritur.*

*Sancta conuersatio Adelhardi monachi erat.*

*Quod spiritum prophetiæ habuerit.*

*Quam religiose discesserit.*

DCCCCXXV.

Sequēti anno qui fuit dominicæ natiuitatis 925. Rūdolphus abbas etiā mortu⁹ est in mense

mense Martio, diem non notauit Meginfridus, anno regiminis sui 7. quod monachus praescriptus Adelhardus quibusdam ex monachis secreto praedixisse ferebatur: sub isto Abbate Rudolpho, monastica disciplina multum tepuerat. Erat enim (sicut praediximus) homo leuis, conuiuijs & potationibus deditus totus, parum aut nihil de conuersatione regulari curans. Vnde monachi praesertim aetate minores, nondum in timore Dei fundati, his laxitatibus semel assueti, nunquam deinceps ad internam conuersationem spiritus reuocari potuerunt.

*Rudolphus abbas moritur, sub quo disciplina tepuit.*

## *DE DIETHMARO, SEXTO HVIVS COENOBII ABBATE, QVI praefuit annis viginti septem, & de diuersis gestis illius temporis in Alemania.*

POST mortem Rudolphi abbatis, magna in delegendi successore inter fratres difficultas suborta est. Nam aliqui ex senioribus, quibus cordi erat disciplina vitae regularis, talem habere pastorem optabant, qui pristinum illum monasticae religionis feruorem iam pene extinctum in monasterio isto, verbo & exemplo resuscitare & vellet & posset: contra maior quidem, sed non sanior pars fratrum, qui paruo Rudolphi abbatis exemplo remissiores animo iam facti fuerant, abbatem suis conuenientem moribus quaerebant.

*Dissensio fit in electione.*

Tandem post multos tractatus, consilium interponente suum venerabili Hildeberto, Fuldensis monasterij abbate, elegerunt vnanimi consensu Diethmarum monachum sancti Galli, iam antea eis aliquando notum, quippe qui Linthelmo scholam sancti Aurelij olim tenente per biennium apud eos commoratus sit.

*Consilium Fuldensis abbatis. Diethmarus fit abbas.*

Hunc ergo in abbatem eligentes 18. calend. Maij, de monasterio sancti Galli honorifice adductum susceperunt eodem anno, quo Rudolphus viam vniuersae carnis fuerat ingressus anno videlicet dominicae natiuitatis 925. indictione 13. Henrici regis Romanorum anno sexto, praefuit annis 27. Fuit autem ex Sueuia oriundus, patre genitus Arnoldo, matre Heluuige, secundum seculi quidem dignitatem nulla nobilitatis prerogatiua insignitis, sed qui humilem progeniem Christi amore redderent claram. Filium enim hunc suum adhuc paruulum in monasterio praefato sancti Galli omnipotenti Deo seruiturum obtulerunt, per cuius meritum se Deo quoque reconciliari posse confidebant. At vero puer semel Deo à parentibus deuotus, quasi alter Samuel coepit in omnibus quae ad religiosam conuersationem pertinebant, studiosius agere, & quae à senioribus dicebantur diligentissime conseruare.

*Vita Diethmari abbatis.*

Fuit eo tempore monachus nomine Hartmondus, qui post Notgerum scholae monachorum apud S. Gallum multis annis praesedit, cuius in superioribus iamdudum fecimus mentionem. Is cum gratiam docendi haberet singularem Diethmarum puerulum cum alijs instituendum suscipiens, breui illum coaeuis reddidit doctiorem. Erat sane ingenio docilis, tantaque viuacitate memoriae adhuc puerulus vigebat, vt pro miraculo haberetur. Mortuo non post multos annos, Hartmundo successit in regimine literatoriae institutionis Adelardus monachus valde doctus, qui Diethmarum & Helpericum singulari praeditos ingenio, singulari quoque diligentia docebant. Diethmarus ergo in omni scientia philosophiae tam mundanae quam ecclesiasticae doctus euasit, non minus integritate monasticae conuersationis, quam eruditione literarum insignis, septennis in monasterio à parentibus traditus fuit.

*Commendatur à studio literarum. Ingenium eius commendatur.*

*Adelardus scholasticus S. Galli.*

Anno 28. gradum sacerdotij accepit. Et post septennium cum esset annorum 35. hoc ipso anno in abbatem huius monasterij fuit assumptus. Vitae continentissimae fuit, in cibo parcus, in potu parcior, qui regularem disciplinam in hoc monasterio pene collapsam prudentissimo moderamine ad priorem statum reuocauit. In agendis quibuslibet negotijs prudenter se gerebat, & omnipotens Deus benedictionis suae gratiam ei multipliciter impendit. Erat non solum doctus, sed etiam tam in Romana lingua quam in Alemannica eloquentissimus, & tam idoneus ad persuadendum, vt eius sententiae rarus fuerit qui contradixerit. Fratrum suorum infirmitates ita prudenter & patienter tulit, vt nullus tam insolens vnquam visus sit, qui per eius longanimitatem prudentissimam ad meliora non profecerit.

*Aetas Diethmari abbatis.*

*Conuersationis eius qualitas.*

DCCCCXXVII.

Anno eius 3. Herigerus archiepiscopus Moguntinus moritur calend. decemb. cui in archiepiscopatu succedit reuerendissimus ille abbas Fuldensis Hildebertus, genere Fran-

*Hildebertus abbas Fuldensis sit ar-*

*chiepiscopus Moguntinus.*

cus,vir miræ sanctitatis,& præter naturalem sapientiam animi literarum quoque scientia satis illustris,qui inter cætera dona gratiarum, spiritum quoque prophetiæ habuisse memoratur.Hic est Hildebertus amabilis Deo pontifex,cuius cõsilio(vt prædiximus) Diethmarus ante biennium in abbatem huius monachicæ habitationis de sancto Gallo fuit assumptus:præfuit autem ecclesiæ Moguntinæ annis 14.Iste venerabilis antistes Ottonem Imperatorem primum vnxit in regem.

DCCCCXXVIII.

*Vngari vincuntur ab Imperatore.*

Anno Diethmari abbatis 4.Henricus Imperator pugnans cum Vngaris, Danis & Boemis,triumphator euasit,interficiens quasi viginti millia ex eis,ducensque nongentos cum præda ingenti captiuos.

*Diethardus ex abbate episcopus.*

His diebus Diethardus abbas monasterij Hirsfeldensis,factus est episcopus Hildensemensis in Saxonia,nonus in ordine:& præfuit ecclesiæ præfatæ annis vigintiduobus,in cuius locum Burchardus factus est abbas.

*Ratherius ex monacho episcopus.*

Claruit circa hæc tempora Ratherius ex monacho Bobiẽsis cœnobij episcopus Veronensis,vir nimiæ simplicitatis,sed eruditione tam secularis literaturæ quam ecclesiasticæ nominatus.qui pulsus ab episcopatu Papiæ,in exilium ab Hugone rege Italiæ,quia Bauaris fauebat:& iterum in pristinum honorem restitutus,librum de suis ærumnis luculento sermone composuit.Scripsit & alia multa legentibus vtilia,quorum alibi mentionem fecimus.Multum laborauit scribendo & prædicando contra hæresin Anthropomorphitarum,quæ suo tempore in Italia repullulare cœperat dicens: Deum corpore & membris constare humanis.

*Hildeuinus.*

Eodem tempore claruit Hildeuinus ex abbate Bobiensis cœnobij episcopus Veronensis ante Ratherium immediate, ac postea archiepiscopus Mediolanensis ab Hugone rege Italiæ constitutus.

DCCCCXXIX.

*Lanceæ domini venit ad imperiũ.*

Anno Diethmari abbatis 5.lanceam mirandi operis , & clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam,quæ dicitur primi & magni imperatoris Constantini fuisse, quam Samson comes Rudolpho regi Burgundiæ donauerat,Henricus Imperator precibus,minis & immensis muneribus ab eo extorsit , quam ad insigne & tutamen imperij posteris reliquit: hanc vero nostris temporibus Nurenbergenses se habere cum cæteris Caroli Magni insignibus profitentur,quam & vidimus.

*Monasteriũ Quelenburg fundatum est. Mechtildis prima abbatissa.*

His quoque temporibus Henricus Imperator construxit illud famosum cœnobium monialium sub regula sancti Benedicti in Saxonia,quod Quelenburg nominatur,in honorem beati Seruatij Tungrorum quondam episcopi , in primam abbatissam constituit Mechtildem filiam suam,quæ fuit virgo multis clara virtutibus , soror videlicet Ottonis imperatoris primi & Brunonis archiepiscopi Colonensis.

DCCCCXXXIII.

*Fons sanguinis effluxit.*

Anno Diethmari abbatis octauo, in ciuitate Ianuensi fons sanguinis largissime effluxit,portendens forte ipsius vrbis imminentem ruinam,quę eodem anno subsecuta est. Nam ciuitas ipsa,ab Aphricanis infidelibus cum multa classe adnauigantibus eodem anno capta est,ciues omnes aut trucidati aut captiui abducti sunt.

*Burchardus ex abbate episcopus.*

Eodem anno Burchardus abbas Hirsfeldensis factus est episcopus post Diedonem in ecclesia Herbipolensi,cui in abbatia successit Megingus vir strenuus & morum honestate insignis.

DCCCCXXXV.

Anno abbatis Diethmari 10.qui fuit dominicæ natiuitatis 935. magna synodus episcoporum & abbatum apud Erphordiensem vrbem Thuringiæ celebrata est.

*Prodigia.*

Multa hoc anno mortem imperatoris Henrici miracula præcesserunt. Sol sereno cœlo obscuratur, per fenestras domorum radios immittens sanguineos. Mons in quo

*Iauditum prodigium.*

Henricus postea fuit sepultus,flammas in multis locis euomuit. Hominis cuiusdam sinistra manus ferro amputata,post annũ ei dormienti ad integrũ restituta est,& pro signo miraculi remansit in loco coniunctionis linea subtilis sanguinei coloris.

*Henricus Imperator moritur.*

Anno sequẽte Henricus rex perdomitis circumquaq; gentibus, cum Romã proficisci statuisset,infirmitate correptus iter intermisit.Qui cum se moriturũ cerneret,cõuocatis principibus & omni populo,filium suum natu maiorem Ottonem Imperatorem designans,cęteris filijs prædia cum thesauris distribuens,moritur 4.nonarũ Iulij, anno ætatis suæ ferme 60.regni autem 18.sepultus in monasterio monialiũ, quod ipse inchoauerat,vxore perficiente,in Quelenburg.Cui filius eius Otto primus succedens, annis 38.imperauit,

*Vngarorum incursus.*

uit, cuius anno primo Vngari Franciam, Alemaniam, Burgundiam & Galliam vsque ad Oceanum deuastantes, per gyrum intrantes in Italiam, redierunt tandem in sua cum ingenti præda.

DCCCCXXXVI.

*Otto consecratur in regem.*

Anno igitur Diethmari abbatis 11. qui fuit dominicæ natiuitatis 936. indict. decima, Otto primus per manus Hildeberti archiepiscopi Moguntini Aquisgrani in regem vnctus est.

Cum enim duo pontifices, Treuerensis videlicet & Colonien sis inter se contenderent, quis hoc munus consecrationis iure peragere debuisset, procerum iudicio, ad Hildebertum Moguntinum pontificem delatum est.

*Modus consecrationis. Ad gladiū.*

Qui accedens ad altare, & sumens inde gladium imperialem cum baltheo, conuersusque ad regem, ante se genua flectentem dixit: *Accipe hunc gladium, in quo deycias omnes Christi aduersarios, barbaros & malos Christianos, tibi authoritate diuina traditum, cum omni potestate totius impery Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum, Amen.* Deinde sumptis armillis & chlamyde induit eum dicens; *His cornibus humerotenus demissis, moneariſ quo zelo fidei feruere debeas, & in tuenda pace vsque in finem constans perseueres.* Exinde sumpto sceptro baculoque dixit; *His signis monitus esto, quatenus paterna castigatione subiectos corripias, primumque te Dei ministris, deinde etiam viduis, orphanis & pupillis protectorem ac defensorem semper exhibeas, eisque manum misericordiæ clementer porrigas,* Posthæc fuso super caput eius oleo consecrationis ait; *Vnxit te Dominus in regem super populum suum, vt nunquam de capite tuo oleum miserationis deficiat, quo hic & in futuro misericordiam ab ipso creatore tuo consequaris, Amen.* Postremo imposuit capiti eius regalem coronam dicens: *Coronauit te corona iustitiæ, qua mentis te ministrare iustitiam debere subditis, quatenus hoc ornamento regali præmunitus, & tuis reuerendus, & inimicis terribilis appareas, & post huius vitæ terminum sempiterno cum angelis præmio coroneris, Amen.* Completa benedictione pontificis, regem in solium regalem cum omni lætitia posuerunt.

*Ad armillam.*

*Ad sceptrū.*

*Ad vnctionem.*

*Ad coronam.*

DCCCCXXXVII.

*Monasteria tria cremantur.*

Anno Diethmari abbatis 12. monasteria S. Galli in Sueuia, Bonifacij in Fulda, & Scotorum, igne consumpta sunt.

*Dux Henricus captus.*

Eodem anno dux Euerardus cepit Henricum fratrem imperatoris, quem pater expulso Arnoldo Bauariæ ducem constituerat, sed Bauaris mox per Ottonem deuictis, frater decarcere soluitur.

*S. Adamarus abbas.*

Claruit his temporibus post S. Odonem, Adamarus abbas Cluniacensis, vir sanctitate vitæ & eruditione scripturarum satis præclarus, qui tandem oculorum lumine orbatus in medio fratrum suorum magnum patientiæ se præbuit exemplar. Hic tandem consummato præsentis vitæ termino, in sanctorum catalogo relatus est, cuius festus agitur die sidibus Septembris.

DCCCCXXXVIII.

*Hildebertus obiit.*

Anno Diethmari abbatis 13. Hildebertus reuerendissimus atque sanctissimus nostri ordinis quondã abbas, vt supra diximus, archiepiscopus Moguntinus moritur: cui Fridericus successit, qui construxit monasteriũ S. Petri Apostoli extra muros Moguntinenses ad Aquilonem.

DCCCCXL.

*Monasterium Bergense fundatur.*

Anno Diethmari abbatis 15. fundatum est monasterium nostri ordinis in ciuitate Magdeburgensi, in honore S. Ioannis, in eo loco vbi hodie maior ecclesia est posita, ipso monasterio postea extra ciuitatem in monte translato, quod appellamus Bergam. Hanc autem fundationem Otto Imperator primus incepit & perfecit, primus autem cœnobij abbas fuit Anno, monachus cœnobij S. Maximini Treuerensis, vir in scripturis tam diuinis quam secularibus multum eruditus, & non minus integritate morum quam scientia venerabilis.

*Anno abbas.*

DCCCCXLIII.

*Diethardus scholasticus moritur.*

Anno Diethmari abbatis 18. qui fuit dominicæ natiuitatis 943. obijt Diethardus monachus & scholasticus huius qui præfuerat scholæ monachorum publicæ annis 22. post Luthelmum monachum, vir in omni scientia scripturarum doctissimus, & non minus conuersatione quam doctrina insignis: decessit autem 12. calend. Octob. indictione 1. cui in officio docẽdi successit Meginradus monachus multũ venerabilis, qui Luithelmi auditor in iuuentute fuerat, quo defuncto sub Diethardo prædicto monacho, in omni scientia tam diuina quam seculari valde profecit, & multos auditores post se doctissimos reliquit.

*Meginradus.*

Claruit hisdem temporibus in monasterio S. Galli, vir valde doctus in omni scientia

*Helpericus scholasticus S. Galli.*

bonarum artium Helpericus monachus, Diethmari quondam condiscipulus, qui post mortem Adelhardi monachi & scholastici præceptoris sui, docendi officium in eodem monasterio nactus, multos præclaros discipulos in omni doctrina eruditos post se reliquit. Qui quanta conscripserit opuscula, alibi vbi de scriptoribus tractauimus, satis expressimus.

*De vxoribus & filiis Imperatoris Ottonis primi.*

Hoc ipso eodem anno moritur Editha filia regis Angliæ prima, vxoris nomen sortita Ottonis Imperat. mulier sancta & Christo valde deuota, sepulta in præfato monasterio Magdeburgensi. Hæc peperit Ottoni duos filios, Ludolphum ducem Saxoniæ & Wilhelmum, qui post Fridericum fuit archiepiscopus Moguntinus. Exhinc duxit Adelheidem filiam ducis Burgundiæ viduam vxorem, ex qua item duos filios suscepit, Ottonem qui post patrem Imperator factus est, & Mechtildem quæ fuit ordinis nostri abbatissa in Queldenburg.

Eodem quoque anno obijt mater Ottonis primi Mechtildis imperatrix, & in prædicto cœnobio monialium iuxta maritum suum Henricum sepulta est.

*S. Wenceslaus martyrizatur.*

His diebus princeps Bohemiæ Wenceslaus vir sanctus & Christianissimus à fratre martyrizatur, ambitione principandi sæuiente. In cuius vltionē Otto Imperator bellum Bolislao fratricidæ indixit, & longa per annos 14. inter eos concertatio fuit.

*Arigandus.*

Circa hæc tempora Arigandus abbas Monasterij S. Petri in Francia, religione & sanctitate clarus habetur in ciuitate Senonensi, qui vitam monasticam in eodem loco magnifice reformare non minus exemplo quam verbo curauit. His etiam diebus post Wil-
*Gerlandus.* helmum Gerlandus monachus S. Germani Altisiodorensis nostri ordinis, fit archiepiscopus Senonensis, vir doctus & religiosus, qui cum Senonensem aliquot annis strenue rexisset ecclesiam, migrauit ad Dominum, & in monasterio suo diui Germani vnde assumptus fuerat, sepultus est. Post quem Hildemannus monachus S. Dionysij Parisiensis nostri ordinis, vir valde doctus, archiepiscopus Senonensis factus est. Anno Diethmari abbatis 21. fames in Gallia magna præualuit, Vngari cum Bauaris & Imperatore pugnant &
*Hildemannus.*
*Dani conuertuntur ad fidem Christi.* superantur. Anno 23. Imperator Otto Danos vicit, & Gotfridum regem eorum cum omni gente Christianum fecit, & episcopatum Selesuicensem & Ripensem de nouo erexit. Erexit insuper archiepiscopatum Magdeburgensem, ipsamque ciuitatem construxit, & multa cœnobia fundauit.

DCCCCLI.

*Imperator secundum ducit vxorem.*

Anno Diethmari abbatis 26. qui fuit 951. Dominicæ natiuitatis, Otto Imperator nuptias cū Mechtilde secunda vxore sua in ciuitate Papiensi celebrauit, cū maxima pompa & solennitate, quam priore anno, Berengario deuicto, ex vinculis eius liberauerat.

Anno sequente, qui fuit vltimus Diethmari abbatis, Berengarius tyrannus præstiti sacramenti contemptor, Italiam denuo grauiter afflixit: vnde Imperator iterum inuocatus ab Italis atque Romanis, Italiam cum ingenti exercitu contra Berengarium secundo ingressus, vicit, & superauit eundem, atque de Italia fugauit. Qui non inueniens vbi re-
*Berengarius tyrannus vltiùs incarceratur.* quiesceret pes eius, tandem apud Augustam se cum vxore in deditionem imperatoris submisit, missusque in castellum Bambergense ac custodiæ mancipatus, nō multo post diem clausit extremum, cuius bella, fraudes & gesta, Eutrandus diaconus Ticinensis luculento sermone descripsit.
*Magni terræmotus.* Magni hoc anno terræmotus in diuersis Germaniæ Galliæque locis facti sunt.

DCCCCLII.

*Diethmarus abbas moritur.*

Eodē anno dominicæ natiuitatis 952. indictione decima, quarto nonas Martij, obijt reuerendissimus abbas Diethmarus, huius monasterij sextus in ordine, anno suscepti regiminis 27. ætatis vero suæ 71, sepultus in ecclesia S. Aurelij, vir per omnia Deo dignus, qui regularem obseruantiam in hoc monasterio pene cōlapsam, verbo & exemplo magnifice reformauit. Nec solum in obseruantia regularis disciplinę se studiosum exhibuit, sed etiā in conseruandis possessionibus monasterij, ampliandisq; , magnam diligentiam fecit. Locum enim hunc libris & reliquijs sanctorum valde nobilitauit, & multis ornamē-
*Monachorum magna multitudo.* tis decorauit. Magna multitudo monachorum sub eius regimine in hoc cœnobio claruit, quorum aliqui sanctitate vitæ valde fuerunt insignes, plures autem propter scientiam & doctrinam scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De diuersis quoq; nostri ordinis per Germaniam monasterijs monachi, ad scientiam scripturarum haurien-
*Maximum studiū monachorum.* dam huc mittebantur; quia talis eo tempore consuetudo in ordine nostro seruabatur, vt
*Monachi habebant scholasticos.* monachi pro pleniori eruditione cōsequenda, si qui viderētur idonei ad diuersa monasteria instruēdi, mitterentur. In omnib⁹ enim nostri ordinis cœnobijs, in Germania & Gallia maxime, monachorum scholastici ex monachis habebantur, qui iuniores quosque & ingenio

genio præstantes,in primitiuis literarum scientijs erudirent,& postea qui habiles inuenti fuissent,ad altiora transmitterent.In solis autem famosioribus cœnobijs, quibus & abundātia rerum temporalium erat copiosior,& monachorum numerus maior,cōstituebantur ad officium docendi alios,monachi omniū doctissimi,& nō solum in diuinis, sed etiā in secularibus literis eruditi,ad quos ex inferioribus gradus cœnobijs mittebantur monachi altioribus disciplinis instituendi.Quicunq; vero inter eos maioris eruditionis famā in ordine acquisierat,etiā plures ad se missos discipulos , ad erudiēdum monachos habebat. Inter monasteria autem hunc morem studiorum habentia,hoc tēpore præcipua fuerunt, monasterium Fuldense,sancti Galli,Augiense,Hirsfeldense,nostrum Hirsaugiense, S. Albani Moguntinense,Corbeiense,Prumiense,Mediolacense,S.Dionysij Parisiense, sancti Maximini Treuerēse,Remense,Altisiodorense,Turonēse,Stabulense,& Wissenburgēse: in quibus omnibus erant monachi & multi & valde studiosi, è quorū collegio in singulis cœnobijs vnus cæteris in scientia scripturarū excellentior scholasticus ponebatur. Abbates autem qui monachos habere cupiebāt in omni scientia eruditos, ad diuersa monasteria ex suis quosdā mittebant instituendos. Vtinam tale studiū hodie in nostris haberetur monasterijs,quam multa bona fierent,infinita mala prohiberentur: sed nō omnibus inest amor scientiæ scripturarum:propterea noster ordo sacratissimus quasi sine honore iacet sepultus.Duo quondam ipsum ordinem nostrum gloriosum reddiderunt, vitæ meritum,& eruditio scripturarū:quorum dum alterum intermittitur,ad alterum raro peruenitur. Hoc his tēporibus pauci aduertunt, quorū qualis scientia, talis & conuersatio quæ ista nesciunt.Sed nos ad historiæ ordinem redeamus.Diethmarus autē felicis recordationis abbas,de quo loquimur, sciens vtilitatem scientiæ scripturarum monachos suos summo annitu in omni doctrina literaria erudire statuit : & ob id magistrum eis doctissimum Megingradum monachum,de quo superius dictū est,scholasticum præfecit:ad cuius eruditionis famam Windichinus monachus & scholasticus monasterij Corbeiensis in Saxonia excitatus videre, audire & alloqui tantum virum desiderasse se dicit , quem & vidit,& supra quam dicere potuit,admiratus fuit.Qui Windichinus quantus fuerit in eruditione scripturarum,postea dicemus.

*Vita & doctrina ordinē nostrum illustrarunt.*

*Studium abbatis Diethmari.*

*Windichinus monachus Corbeiensis venit Hirsaugiam.*

## *DE SIGERO, SEPTIMO HVIVS COENOBII ABBATE, qui præfuit annis ferme 30 moribus eius, & gestis quibusdam illius temporis.*

MORTVO autem Diethmaro reuerendissimo huius monasterij abbate,sicut prædiximus,in locum eius mox electus est Sigerus monachus,qui decani gesserat officiū, vir moribus & vita reuerendus , & tam in diuinis scripturis q̄ in secularibus literis egregie doctus,qui huic monasterio præfuit annis ferme 30. in omni sanctitate & religione. Fuit autem in abbatem electus,eodē die,quo antecessor eius obierat,4.videlicet nonas Martij, anno dominicæ natiuitatis 952.qui fuit Imperatoris Ottonis primi annus 16. Hic Sigerus ex Moguntiaco natus,cum esset annorum quatuor & viginti , & multis in seculo polleret diuitijs,honoribusque,omnibus spretis & contemptis pro Dei amore monachus factus est sub abbate Diethmaro prædecessore suo in tantumq; profecit in sanctæ religionis cōuersatione,sapientia & scientia scripturarum,vt Diethmaro viam vniuersæ carnis ingresso,ipse vnanimi omnium consensu pastor ouium Christi sit constitutus. Qui qualē se subditis suis exhibuerit,quam zelosum pro disciplina regulari, q̄ pium bonis, & seuerum negligentibus,nemo scribere melius posset,quā qui videre illum & conuersari cū eo in cœnobio meruit.In omnibus sane sollicitus fuit,vt se bonis operibus virtutum subditis semper præberet viuum exemplar,ne aut bona prædicans opere semetipsum negligeret, si aliter viueret,aut doctrinam verbi subtrahens inutilis pastor subditis , canisque mutus non valens latrare videretur.Vnde quicquid exemplo non docuit,nemo alius potuit operari.

*Sigerus abbas 7. eligitur.*

*Qualis fuerit vita Sigeri huius.*

DCCCCLIII.

Anno primo Sigeri abbatis Imperator Otto primus ciuitatem Moguntinam obsidione vallauit.

DCCCCLIIII.

Secundo autē anno qui fuit Domini 954. Wifridus archiepiscopus Colonienſis 29. anno pontificatus sui obijt. Porro destitutus clerus & populus vnanimi deliberatione in virū Domini Brunonē fratrem Ottonis Imperatoris primi conspirauit,quē missis primoribus ecclesiæ ipsius,& petunt & cōsequuntur eū pontificem, cuius monimenta vigilātiæ in ædificijs & ornatu ecclesiarū vsq; in hodiernum diem multiplicia Coloniæ visuntur,

*Bruno frater Imperatoris fit archiepiscopus Coloniensis.*

*Wilhelmus filius Imperatoris fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno Fridericus archiepiscopus Moguntinus obijt, cui Wilhelmus filius Ottonis Imperatoris primi successit, qui de ipso ita in Chronica scribit: Anno inquiens dominicæ incarnationis 954. indictione 12. beatæ memoriæ dominus Fridericus S. Moguntiacensis ecclesiæ archiepiscopus, 8. cal. Nouemb. obijt.

Eodem vero anno ego Wilhelmus tanta successione indignus, loco eius, cum consensu cleri populi eiusdem sanctæ sedis, 16. cal. Ianuarii, in loco Arnsteden sum electus, & 9. cal. Ianuarij Maguntiæ ordinatus. Hæc sunt verba Wilhelmi.

*Windichinus.*

Claruit his temporibus in Saxonia Windichinus monachus S. Viti in Corbeia, vir in diuinis scripturis doctus, & in secularib. eruditissimus, qui scripsit ad Mechtildem filiam Ottonis Imperatoris primi, abbatissam videlicet in Quedlenburg, sicut supra diximus de gestis Henrici primi, Ottonis primi, & origine Saxonum historiam tribus libellis digestã. Vitam quoque sancti Pauli primi eremitæ, & passionem S. Teclæ virginis gemino stylo, prosaico videlicet & metrico, sed & alia multa, quorum alibi iam dudum fecimus mentionem. Hic multis annis in præfato monasterio Corbeiensi scholæ monachorum publice præfuit, & complures discipulos post se doctissimos reliquit, ex quibus multi ad episcopatus & abbatias diuersas postea fuerunt assumpti. Hic etiam in eo libello, quem scripsit de studijs veterum, fatetur se fama Meginradi scholastici & monachorũ S. Aurelij incitatum veniſſe ad Hirsaugiam, & cum eis diebus multis habuisse colloquium, tantumque ibi vidisse studium & feruorem monachorum ad scientiam scripturarum, tanquam doctissimos reperisse viros, vt satis nequiuerit admirari, ipsumque Meginradum scholasticũ præcipuis laudibus effert dicens, eum esse alterum Hieronymum, & nulli veterum eruditione inferiorem.

*Quod Windechindus fuerit in Hirsaugia.*

*S. Gregorius & Euerardus eremitæ in nigra sylua.*

Circa hæc tempora claruerunt Gregorius presbyter filius regis Angliæ, pro Christo peregrinus, & Euerardus monachus, ambo solitarij in sylua Nigra, iuxta cellam S. martyris Augiensis Meginradi. Quorum primus Gregorius cum esset filius regis, patrem, regnũ, patriam & omnem pompam seculi, amore regni cœlestis contemnens, clamq; aufugit, vsque ad mortem in præfato loco Domino in magna sanctitate hominibus mansit incognitus.

Alter vero Euerardus cum esset decanus ecclesiæ Argentinensis, diuina inspiratione contempsit mundum & angelo Dei reuelante locum præfatum, vitam sanctissimam vsque ad mortem in eo cum S. Gregorio peregit. Hic sanctissimus Euerardus beato Vdalrico Augustensi episcopo multum familiaris & dilectus fuit, à quo sæpius visitari consueuit. Tanti vero apud Deum meriti fuit, vt viuus & mortuus multis claruerit miraculis, mortemque suam præfato S. antistiti Vdalrico longe ante prædixit. Ab his duobus sanctissimis eremitis, locus idem in quo nunc monasterium nostri ordinis est, non multo postea constructum, deinceps vsque in hodiernum diem ad eremitas vocatus est, adquem à multis retro annis concursus populi magnus fieri consueuit, licet monachi sint his temporibus inibi degentes dissolutissimæ vitæ.

*S. Vdalricus Episcopus Augustensis.*

Claruit etiam his diebus S. Vdalricus episcopus Augustensis, vir Deo clarus, qui multis miraculis in vita & post mortem clarus effulsit. Hic cum adhuc esset iuuenis in monasterio S. Galli fuit nutritus, & in scripturis necessariis institutus. Tandem factus est episkopus Augustẽsis, fundauitq; monasterium nostri ordinis in eadem ciuitate, in honore S. Affræ martyris, in quo & ipse tandem monachus factus est.

Moritur autem ibidem sepultus, anno domini 973. qui fuit abbatis Sigeri annus 27. indictione prima, 4. nonas Iulij, anno ætatis suæ 83. episcopatus vero assumpti 50. sub Ottone Imperatore secundo.

*S. Maiolus abbas Cluniacensis.*

Sanctus quoque Maiolus quartus Cluniacensis monasterij ordinis nostri, iisdem temporibus doctrina & sanctitate clarus habetur, qui sexto anno conuersionis suæ S. Ademaro propter imbecillitatem corporis & oculorum omissionem cedente dominici gregis, pastor constitutus, multis virtutibus clarus enituit, cuius dies festus agitur 5. iduum Maij.

DCCCCLVII.

*Vngari ab Ottone cæduntur.*

Anno Sigeri Abbatis 5 Otto Imperator magnus, Vngaros cum magno sui suorumque periculo magna cæde prostrauit, in loco qui dicitur Lechfeldt, non longe ab Augusta, in quo bello Conradus dux cum multis aliis cecidit. Henricus quoque dux Bauariæ frater Imperatoris, eodem anno obijt.

Anno sequente Hademarus abbas Fuldensis obiit, qui monasterium suum dudum incen-

incensum magnifico opere constructum, cui Hatto filius sororis successit, qui postea archiepiscopus Moguntinus factus est.

Eodem anno moritur Rupertus archiepiscopus Treuerensis, cui Henricus successit, qui regulares officinas & clausträ sancti Petri circa ecclesiam construxit, & regulä Canonicorum ibidem obseruari præcepit. Hæc est maior ecclesia Treuerensis, in qua hoc tempore, sicut & in cæteris antiquis ecclesiis, canonici secundum regulam eis præscriptam in communi viuebant, vnam habentes mensam, vnam bursam, vnumque commune dormitorium, sicut hodie inter nos iuxta normam nobis propositam conuersamur. *Canonica vita in cathedralibus ecclesiis antiqua institutio.*

DCCCCLVIII.

Anno Sigeri abbatis 6. qui fuit domini 958. & regni Ottonis Imperatoris magni 22. cruces apparuerunt in vestimentis hominum qui multos terruerunt, & ad salutarem pœnitentiam reduxerunt. Quorundam etiam vestes quasi lepra respersæ maculisque infectæ apparuerunt. *Cruces apparent in vestibus hominum.*

Circa hæc quoque tempora monasterium ordinis nostri in Saxonia fundatur, quod Hildesleuen dicitur, multaque cœnobia monialium sub regula diui patris nostri Benedicti, in diuersis regionibus in Saxonia præcipue constructa sunt. Hoc etiam anno Willa vxor quondam regis Berengarij, illo, apud Bambergam sub custodia Imperatoris mortui contempto seculo monasterium ingreditur, & sub habitu sanctæ religionis religiose deinceps conuersatur, anno Sigeri abbatis 8. Venerunt legati Tuscorum ad regem Ottonem petentes sibi dari aliquem virum doctum, qui eos viam veritatis instrueret, quibus misit Adelbertum ex monacho Corbeiensis cœnobij episcopum, virum doctum & sanctum, qui vix euasit manus eorum. *Cœnobium Hildesleuen fundatur.* *Adelbertus.*

DCCCCLXII.

Otto Imperator anno Sigeri abbatis 10. inuitatus à Romanis contra insolentias Ioannis papæ 13. Romam perrexit: cumque eum papa gratanter suscipiens honorifice super cathedram Augustalem poneret, & per benedictionem solenniter in Imperatorem consecraret, monito pontifice super obiectis ac emendationem promittente, cum gloria reuersus est in Germaniam. Verum cum papa fidem promissam violaret, semperque deterior fieret, Imperator secundo inuitatus à Romanis anno sequenti denuo Italiam ingreditur, ad cuius introitum papa fugit. Magna igitur synodus iubente Imperatore Cardinalium, episcoporum, abbatū & clericorum Romæ facta est. Vbi palam recitatis papæ criminibus, cum rogatus, citatus monitusque per literas, primum comparere, seque expurgare contemneret, imo synodum se excommunicaturum minaretur, decreto Imperatoris & omnium præsentiū in synodo patrum depositus est 10. cal. Decemb. Et Leo S. Romanæ sedis protoscriniarius, vir venerabilis & approbatus, in papā vnanimi omniū consensu electus est, ductusq; ad Lateranense palatium collaudātibus factū Romanis ad summum sacerdotium consecratur. Capita autem criminum, pro quibus Ioannes depositus est, ista fuerunt, missam celebrauit & nō communicauit. Item Benedictum patrem suum spiritualem lumine priuauit, qui statim mortuus est. Item Benedictum patrem subdiaconum virilibus amputatis occidit. Item adulterium & fornicationem perpetrauit, & incestum cum vidua Reinerij & Stephana patris concubina, cum Anna vidua & nepte sua & multis alijs, sanctumque palatium lupanar & prostibulum meretricum fecit. Item in ecclesia Tudertina episcopum ordinauit puerum decem annorum. Item ordinationes faciebat pro precio. Item diaconum ordinauit in stabulo equorum non debitis etiam temporibus. Item sacrilegus fuit, cruces & clenodia sanctuarij meretricibus distribuit. Item vinum bibit in amore diaboli. Item in ludis aleæ Venerem, Iunonem alioſque Deos gentilium sibi adiutores inuocabat. Item venationem publice exercebat. Item matutinas & alias horas canonicas non celebrauit, nec muniuit se more Christianorum signo sanctæ crucis. Item viduas maritatas & virgines vi oppressit, & stuprauit multas. Item homicidij, periurij & sacrilegij reus accusatus est, incestum in propriam cognationem commisit, cum duabus quoque sororibus se commiscuit. Item lorica & alijs armis indutus quasi dux processit contra S. Imperatorem ad bellum. Aliaq; multa & horrenda corā Imperatore in sancta synodo per cardinales, episcopos, diaconos & alios boni testimonij viros sub iureiurando publice delata sunt. Multi fuerunt in hac synodo episcopi, & ex nostris ibi fuit Henricus archiepiscopus Treuerensis, Otgerius episcopus Spirensis, Adaldacus archiepiscopus Bremensis, & Lādohardus episcopus Mindensis in Saxonia. Erant autem omnes episcopi in synodo 40. Cardinales, presbyteri, diaconi & subdiaconi *Otto cordinatur in Imperatorem.* *Synodus præsente Imperatore Romæ celebratur.* *Papa Ioannes deponitur.* *Crimina Papæ pro quibus est depositus.* *Horrendum inauditumque scelus.* *Episcopi ex Alemania præsentes in depositione papæ.*

*Numerus eorum qui fuerunt in hac synodo.*

48. numero: qui omnes cũ primoribus Romanis & vniuerso populo, vno ore Iohannem deponentes à papatu, tanquam monstrum & diaboli mancipium vnanimi voto Leonem huius nominis 8. in summum pontificem elegerunt, iurantes se nunquam ab eo discessuros, nec papam deinceps sine Imperatoris filij que eius consensu electuros. His ita peractis S. Imperator nolens Romanos exercitu nimio grauare, simul credens illos in fide promissa mansuros, multis abeundi licentiam concessit: quod cum Ioannes depositus resciisset,

*Infidelitas Romanorũ.*

sciens instabilitatem & auaritiam Romanorum, misit ad eos clam nuncios, promittens se omnes Ecclesiæ thesauros illis daturum, si imperatorem cum S. papa Leone trucidarent. Romani quam statim exercitus imperatorij paucitate confisi, & pecuniarum promissione animati, buccina concrepante super imperatorem vt cum occidant festinanter contendunt. Quibus in ponte Tiberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, sanctus Imperator occurrit, cuius fortissimi milites assuefacti in bello, in eos audacter prosiliunt, & quasi accipitres auium multitudinem nullo resistente perterrent, non latibula, non corbes, non concaua ligna, non cryptæ sordium receptacula fugientes tueri potuerunt. Occiduntur itaque Romani sine numero, sine misericordia, sine personarum delectu. Nec vnus quidem ex omnibus remansisset superstes, si non Imperator piissimus, misericordia motus in eos quibus misericordia nulla debebatur, milites suos adhuc interficere sitientes retraxisset inuitos. Itaque superatis omnibus, de cæterisque qui remanserant obsidibus receptis, venerabilis papa Leo ad pedes Imperatoris prouolutus, rogat obsides Romanis reddantur, seque illorum fidei commendet: cuius rogatu S. Imperator motus,

*Romani occiduntur & pertineri & infideles.*

*Imperator ab vrbe secedit.*

obsides reddidit, ipsumque papam Romanorum fidei, sciens quod futurum erat, sicut agnum lupis commendauit. His gestis cessit ab vrbe. Interea mulieres cum quibus Ioannes quondam papa voluptates suas implere solebat, & numero plures & genere non penitus ignobiles, concitauerunt Romanos vt Leonem papam quem ipsi voce concordi elegerant, interficerent, & Ioannem in vrbem reuocarent. Quæ cum fecissent, Leonemque occidendum caperent, de manibus eorum (Deo miserante) cum paucis euasit, & ad Imperatorem piissimum calamitatem suam expositurus accessit. Moxin vrbem Ioannes reducitur, in summique Apostolatus sedem reponitur, statimque inter cætera crudelitatis suæ signa Ioanni diacono cardinali manum dextram amputat, & Azoni scriniario linguam duosque digitos præcidens, etiam naribus truncat. His cognitis Imperator, tantas vltus iniurias seruorum Dei reparato exercitu Romam quantocius redire disponit. Interea Ioannes olim papa, sed iam Apostolicæ sedis temerarius inuasor, nihil prauitatum suarum emendans, dum se cum viri cuiusdam vxore oblectaret, per diabolum in temporibus grauiter percussus, octauo die miserabiliter sine viatico corporis & sanguinis Christi diem clausit extremum. Quo mortuo, Romani omnis iuramentorum & iurisiurandi obligationis immemores, Benedictum cardinalem diaconum in papam constituunt, seque illum nunquam dimissuros, imo contra Imperatorem defensuros iuramento promittunt. Quo audito Imperator vrbem vallauit, neminem qui non membris truncaretur, exire permisit, machinis & fame vsque adeo Romanos infideles afflixit, donec ciuitatem violenter intrauit. Leonem venerabilem papam propriæ sedi restituit, ac Benedictum sumen Apostolatus inuasorem ad eius pedes præsentauit. Qui post susceptam confusionem in publica synodo, quam meruit, exilio relegatus in Saxoniam, ibi mortuus est. Sanctus itaque Leo in sedem Apostolici culminis repositus sedit anno vno mensibus quinque, feliciterque obijt. Imperator sanctissimus sumpto de principibus factionum supplicio, acceptisque obsidibus, in Germaniam reuersus est.

*Leo captus fuga elabitur.*

*Ioannes Papa depositus introducitur Romam.*

*Ioannes à diabolo percussus obiit.*

*Innuser Benedictus substituitur.*

*Roma capitur, Leo in sedem suam restituitur. Benedictus in exilium mittitur.*

DCCCCLXIIII.

*Monasterii S. Pantaleonis fundatur in Colonia.*

Anno autem Sigeri abbatis 12. qui fuit dominicæ natiuitatis 964. Bruno archiepiscopus Colonienſis frater Ottonis Imperatoris primi, monasterium S. Pantaleonis in Colonia fundare cœpit: vbi inter fodiendum corpus S. Maurini abbatis & martyris inuentum, multis claruit miraculis. Primus eiusdem cœnobij abbas Christianus dictus est, cuius vita concordabat vocabulo. Venerabilis iste Bruno Colonienſium archipræsul inter multa pietatis suæ studia, corpus S. Euergisti pontificis & martyris de ciuitate Tungrensi Coloniam transtulit, & in monasterio S. Ceciliæ collocauit. Item superiorem partem S. Petri Apostoli, baculi & catenam qua vinctus fuit, cum multis alijs reliquijs, de ciuitate Metensi reduxit, ac in cathedrali ecclesia reposuit. Item corpus S. Proculi martyris à Roma translatum ad ecclesiam Susatensen in Westphalia dedit. Item corpus beatissimi martyris Eliphij, in monasterium S. Martini Scotorum nostri ordinis in Colonia reposuit: sed & corpus S. Gregorij Spoletani episcopi à Roma, & S. Agilophi à Malmundario recipiens, ad Coloniam transuexit.

*Reliquiæ sanctorum Coloniam translatæ per Brunonem episcopum.*

DCCCCLXV.

DCCCCLXV.

Anno 13. Sigeri abbatis, qui fuit domini 965. sanctæ memoriæ Bruno præfatus archiepiscopus Colonienſis moritur, & in monaſterio S. Pantaleonis quod anno præcedente incepit, ac in extremis poſitus conſummari mandauit. Sepultus eſt anno pontificatus ſui 12. qui multa miranda ſuo tempore fecit, tamque prudenter ducatum ab Imperatore fratre ſibi commiſſum pro pace fidelium rexit, vt officium Epiſcopi propterea (vt multi faciunt) non obmiſerit. Huic in archiepiſcopatu ſucceſſit Wolmarus annis quatuor.

*Bruno archiepiſcopus moritur.*

DCCCCLXVII.

Anno 15. Sigeri abbatis, Otto ſecundus Romæ à Ioanne papa petente, & aſtante patre, in Imperatorem conſecratus eſt. Sequente anno obiit Wilhelmus filius imperatoris archiepiſcopus Moguntinus, in cuius locum Hatto abbas Fuldenſis huius nominis ſecundus ordinatus eſt archiepiſcopus, qui fertur tempore famis magnam multitudinem pauperum mendicantium in vno horreo concremaſſe, quaſi ipſi inducerent famem ſuper regionem ſuam mendicitate & ocio, volens in hoc conſulere tam eorum inopiæ quam vtilitati communi. Vnde aiunt quod tertio anno nondum completo, in archiepiſcopatum diuinæ animaduerſionis vindicta in eum proceſſerit, eumque mirabili & prius inaudito multis genere ſupplicij dure ſatis punierit. Tanta enim turba murium vndequaque prorumpens in eum glomerata irruiſſe dicitur, vt quocunque ſe verteret, iſtiuſmodi beſtiolarum morſibus premeretur: ſi erat in alto vel eminentiori quolibet loco, mures per parietes aſcendebant: ſi vero incluſus, per rimulas intrabant, eumq; infinita multitudine obruentes mordebant, lacerabant ac deuorare penitus geſtiebãt. Quarum tanta fuit importunitas, vt quanto repellerentur impetu, tanto maiori furore incurſabant: cumque ſe nuſquã in terra tutum conſpiceret, pontifex iam miſerandus aquarum ſe munimine cinxit, aciuxta oppidum Bingionum turrim in medio Rheni, ad cuſtodiam patriæ olim conſtructam, ſcapha ſubuectus aſcendit, ſperans eo loci mures per vndoſi fluminis raptum nullatenus eſſe venturos: ſed non eſt locus quo ſuam diuina poteſtas prohibeatur exercere vindictam, natantes per aquas infinita multitudine denuo mures turrim per muros aſcendunt, intrant, pontificem inquietant, rodunt, infeſtant, tandemq; nimia eorũ multitudine obrutum miſerabiliter necant. Huic nos fabulæ auctoritatem nec damus, nec rurſus ſubtrahimus, quam vſq; in hodiernum diem & à veteribus deſcriptam legimus, & abincolis terræ, vt à proauis perceptam auditu ad nepotes referre non ignoramus. Turris autem in Rheni fluminis medio nomen retinẽs à caſu, Murium turris dicitur, in qua Hattopontifex ab ipſis conſumptus beſtiolis perhibetur. Hoc ipſo anno Meginradus monachus & ſcholaſticus huius cœnobij eruditiſſimus, in bona ſenectute moritur: vir cui Hirſaugia in omni ſcientia ſcripturarum vix parem habuit, qui in omni genere diſciplinæ tam perfecte fuerit inſtitutus.

*Otto filius Imperatoris Romæ coronatur Imperator.*

*Hatto ex abbate archiepiſcopus Mogunt.*

*Hatto pauperes concremauit in horreo.*

*Vindicta ſceleris Hattonis ante inaudita.*

*Muribus in omni loco circumuallatur epiſcopus.*

*Circa Bingen in Rheno conſumitur epiſcopus à muribus.*

*Murium turris adhuc hodie dicitur.*

*Meginradus monachus & ſcholaſticus obiit.*

DCCCCLXVIII.

Deceſſit autem 14. cal. Nouemb. anno domini 968. indictione 11. Huic in regimine ſcholæ monaſticæ Reinhardus monachus ſucceſſit, vir quidem ſatis doctus, ſed ad præceptoris ſui menſuram non peruenit: neque tanto docendi feruore monachos ea quæ nouiſſet, agebatur, vt doctos poſt ſe diſcipulos relicturus ſperaretur. Fuerunt tamen ex inſtitutione Meginradi ſcholaſtici quãplures docti monachi, in præſenti cœnobio, è quibus vnus nomine Eginardus, in quadã eccleſia Saxonię epiſcopus factus eſt. Wernerus ad S. Albanũ Moguntiæ, Bernolphus ad monaſterium S. Michaelis abbates conſtituti ſunt.

*Reinhardus monachus ſcholaſticus*

*Eginradus, Wernerus & Bernolphus abbates.*

DCCCCLXX.

Anno autem Sigeri abbatis 18. qui erat dominicæ natiuitatis 970. Theodoricus Metenſis epiſcopus, conſobrinus Ottonis Imperatoris, fundauit monaſterium noſtri ordinis in inſula iuxta ciuitatem Metenſis epiſcopij, in honorem ſancti martyris & Leuitæ Vincentij, quod multis prædijs & ornamentis egregie dotauit.

*Cœnobium S. Vincentij Metis conſtruitur.*

Hoc tempore Bulgaribus imperabant duo filij Simeonis monachi Petrus & Baianus, quorum Baianus in arte Magica doctiſſimus erat, & per eam multa mirabilia faciebat. Quotieſcunque aut quandocunque voluit, mutauit ſe in lupum, vel in cuiuslibet alterius beſtiæ formam, vel vt penitus à nullo videretur, & alia miranda & potuit & fecit, de quibus homines magnam in admirationem perducere conſueuit.

*Baianus in arte Magica doctiſſimus claret.*

His temporibus claruit Richardus ex monacho S. Germani Altiſiodorenſis epiſcopus, vir nimiæ ſimplicitatis & minoris induſtriæ quam hæc tempora exigere videbantur, vitæ tamen merito & zelo religionis multum venerabilis.

*Richardus.*

*Abbo abbas doctissimus Floriacensis & martyr. Aymonius.*

Claruit etiam his temporibus doctissimus ille abbas Floriacensis nomine Abbo, vir vita & zelo disciplinæ regularis clarissimus, qui scripsit inter alia ingenij sui opuscula, super calculo Victorij non abijciendum libellum. Tandem in Vasconia verbum Dei prædicans gentibus martyrio rubricatus ascendit ad cœlum. Aymonius quoque monachus Floriacensis sub præfato Abbone iisdem temporibus hanc scientia & conuersatione illustrabat ætatem, qui scripsit ex mandato eiusdem abbatis sui Abbonis de incrementis & initijs Gallorum satis pulchrum opus. De miraculis quoque sanctissimi patris nostri Benedicti libellum & quædam alia, de quibus alibi fecimus mentionem.

*Herigerus.*

Herigerus quoque abbas Bobiensis, cuius meminit Berno abbas Augiensis in libro de aduentu domini, ijsdem claruit temporibus: multa scripsit, quorum rationem signauimus in secundo libro virorum illustrium nostri ordinis. Erat sane vir vndecunque doctissimus, & tam ratione conuersationis quam doctrinæ valde famosus.

*S. Wolffgangus.*

Circa hæc tempora etiam claruit S. Wolfgangus episcopus Ratisponensis in Bauaria, vir magnæ sanctitatis & patrator multorum miraculorum, qui perhibetur ante pontificatum fuisse monachus Treuerensis ordinis nostri. Hic S. Vdalricum Augustensem episcopum ecclesiasticæ tradidit sepulturæ.

*Rosuida monialis doctissima.*

Claruit etiam hoc tempore Rosuida monasterij Gandesheimensis nostri ordinis in Saxonia, virgo sanctimonialis, in diuinis scripturis multum studiosa & erudita, secularium quoque literarum non ignara, metro exercitata & prosa, quæ multa scripsit non iniucunda opuscula, quorum memoriam in præfato libello virorum illustrium fecimus latiorem.

DCCCCLXXII.

Anno 20. Sigeri abbatis, qui fuit domini 972. Volimarus archiepiscopus Coloniensis moritur, cui successit Gero filius Christiani comitis & Wiburgæ sororis comitis de Magdeburg. Iste Gero archiepiscopus cum fratre suo Diethmaro comite fundauit monasterium nostri ordinis in Saxonia, quod dicitur, monachorum nouum castrum, quod nos vulgariter Munchennuenburg, vsitato nomine appellamus.

*Cœnobium Münchnuenburg fundatur.*

*Cœnobium Lunenburgi fundatur.*

Circa hæc tempora Hermannus Saxoniæ dux constructit monasterium Luneburg, in Saxonia, in honorem S. archangeli Michaelis, in quo monachos nostri ordinis posuit, quibus præfecit abbatem primum monachum de cœnobio S. Pantaleonis Colonien. assumptum nomine Ludericum, virum moribus & eruditione venerabilem.

DCCCCLXXIIII.

*Otto Imperator primus obiit.*

Anno Sigeri abbatis 22. Dominicæ natiuitatis 974. indictione 2. Otto Imperator primus moritur, anno regni sui 38. Imperij vero 13. cuius corpus cum magnis lugentium exequijs in Ecclesia Magdeburgensi quam ipse constructit, est tumulatum. Ottone Imperatore primo sicut prædiximus mortuo, Otto filius eius huius nominis successit, & ferme annis 10. post patrem imperauit, vxorem duxerat adhuc patre superstite Theophaniam filiam Ioannis Imperatoris Græcorum, ex qua genuit Ottonem filium, qui post patrem tertius imperauit. Filias quoque tres, Sophiam, quæ fuit abbatissa nostri ordinis in Gandesheim, Adelheidem, quæ etiam fuit nostri ordinis abbatissa in Quedlenburg: & Iuttam, quam Vdalricus dux Bohemiæ duxit vxorem, rapiens eam violenter ex quodam cœnobio monialium in Ratispona.

*Otto secundus.*

*Cœnobium Gladbach fundatur hoc tempore.*

*S. Sanderadus abbas in Gladbach.*

His quoque temporibus Gero archiepiscopus Coloniensis fundauit monasterium insigne ordinis nostri in diœcesi sua, quod Gladbach nominatur, vno duntaxat miliare distans ab oppido Nussiensi, quod multis prædiis & ornamentis ditauit. Primus autem eiusdem cœnobij abbas fuit Sanderadus vir sanctissimæ vitæ, & regularis disciplinæ, tam in se quam in subditis maximus cultor, qui multis virtutibus & signis clarus in vita & post mortem sanctorum Catalogo insertus est, cuius dies festus 9. calend. Septembris agitur.

*Cœnobium S. Martini Coloniæ fundatur.*

Circa hæc etiam tempora monasterium S. Martini in Colonia ordinis nostri fundatum est, cui præfuit primus abbas Mymborinus natione Scotus, vir religione & sanctitate multum venerabilis. Vnde & Scoti ipsum monasterium multis annis inhabitarunt, propter incomparabilem vitæ sanctitatem, quousque tandem à pristino feruore tepescentes & in omnem dissolutionem remissi, de isto sicut & de cæteris quibusdam cœnobijs Germaniæ expulsi sunt.

DCCCCLXXVII.

*Werenboldus monachus Hirsaugiensis.*

Anno Sigeri abbatis 25. Werenboldus monachus huius monasterii obijt, 4. Idus Nouembris, qui cum esset vir studiosus & doctus, scripsit de laude martyrum pulchrum, libellum:

libellum: de clade & desolatione patriæ alterum libellum, & quædam alia sicut Meginfridus refert.

Anno isto moritur Theodoricus archiepiscopus Treuerensis, sub quo canonici maioris ecclesiæ ibidem abiecta regulari vita, quam hucusque in eadem ecclesia maiores eorum continuauerunt, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine & conuersatione seculares. Quorum exemplo malo, canonici quoque S. Paulini Treuerenses, S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses & complurium aliarum ecclesiarum diuersis quidem temporibus, sed vno impietatis spiritu regularis vitæ communitatem abiecerunt.

*Canonici Treuerenses siunt ex regularibus seculares.*

Hoc eriam anno obiit successor Hattonis secundi Rupertus archiepiscopus Moguntinus, cui Willegisus vir bonus & Dei cultor insignis successit, qui construxit ecclesias S. Martini episcopi, quæ maior dicitur, & S. Stephani protomartyris, in qua & sepultus est: monasterium quoque S. Victoris extra Moguntiam ampliauit, & multis ecclesiis monasteriisque multa bona fecit.

*Wilegisus.*

Claruit his temporibus Rupertus Rex Franciæ, vir iustus, doctus, pius & religiosus, monachorum, clericorum, omniumque literatorum hominum amator ac defensor, qui inter alia ingenii sui opuscula composuit Sequentiam illam de Spiritu sancto, quam nos in ordine nostro secunda & tertia die Pentecostes in missa canimus, quæ incipit: Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. Responsorium quoque, Iudæa & Hierusalem. Illudque de sancto Petro apostolo Cornelius centurio, cum multis alijs edidit. Tantæ autem religionis fuit, vt in sanctorum relatus Catalogo, multis corruscauerit miraculis.

*Rupertus rex Franciæ doctus & sanctus claruit.*

Eodem tempore claruit in Anglia Adelboldus monachus Glasconiensis, discipulus S. Dunstani, primum abbas Abendoniensis, ac deinde episcopus Wyntoniensis, vir doctus & tam vita quam eruditione insignis. Huius Adelboldi præceptor fuit, sicut diximus, S. Dunstanus ordinis nostri monachus, deinde abbas Glasconiensis, postea episcopus ante ipsum Wyntoniensis, postremo archiepiscopus Cantuariensis, vir sanctissimæ conuersationis, & miraculorum corruscatione insignis, cuius festus agitur dies 14. calend. quo & obiit, anno pontificatus sui 33. ætatis vero 70. Dominicæ autem natiuitatis 988.

*Adelboldus*

*S. Dunstanus.*

DCCCCLXXX.

Anno vero 28. Sigeri abbatis, qui fuit dominicæ natiuitatis 980. obijt Adelbertus ex monacho cœnobij S. Maximini Treuerensis nostri ordinis, primus archiepiscopus Magdeburgensis in Saxonia, dolore calculi, anno episcopatus sui 13. mense 8. indictione vero 8. vir deuotus atque doctissimus. Quo mortuo electus fuit Othericus monachus Corbeiensis vir sanctus, & tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis eruditissimus, qui scholæ monasticæ in præfato cœnobio post Windichinum aliquanto tempore præfuit. Electioni de se factæ inuitus consensit, orauitque Dominum, vt eum fieri episcopum non permitteret, quod & impetrauit. Nam in itinere pro confirmatione ad curiam Romanam, non sine opinione sanctitatis decessit.

*Adelbertus.*

*Othericus ex monacho archiepiscopus.*

Anno Sigeri abbatis trigesimo, Otto Imperator secũdus, bellũ periculosum gessit in Calabria, in quo Henrichus Augustensis episcopus cũ multis aliis episcopis, Otto dux cum multis nobilibus, & Wernerus abbas Fuldensis, cum multis aliis occisi sunt, & Imperator natando vix euasit.

*Caduntur duces & abbates.*

Claruit his temporibus Adelbertus ex monacho Fuldensis cœnobij episcopus Pragensis in Bohemia, vir doctus & sanctus ac fidei Catholicæ propagator eximius, qui post multos pro Christo labores habitos, à Prutenis pro fide Christiana martyrio coronatus est, & in catalogũ sanctorum relatus, cuius festus dies agitur 9. cal. Maij. Osvvaldus quoque ex monacho Floriacensis ordinis nostri cœnobij, archiepiscopus Eboracensis, vir doctus & sanctus, nepos B. Odonis Cantuariensis archiepiscopi, his temporibus clarus habetur.

*Adelbertus.*

*Osvvaldus*

DCCCCLXXXII.

Anno dominicæ natiuitatis 982. indictione 10. die vero 10. Calendarum Septembrium, Sigerus abbas huius monasterij 7. diem clausit extremum, anno assumpti regiminis 30. sepultus ante altare S. martyris Laurentij, in ecclesia D. patris Aurelij, vir deuotus & religiosus: cui vsque ad S. Wilhelmum, similis in Abbatia Hirsaugiensi non successit. Lupoldus successit.

*Sigerus abbas huius monasterij septimus moritur.*

## DE LVPOLDO, OCTAVO HVIVS COENOBII ABBATE, QVI præfuit annis 4. tantum, de moribus eius & gestis illius temporis.

*Lupoldus.*

SEPVLTO reuerendissimo abbate Sigero, quemadmodum præmisimus, conuenerunt in vnum fratres, vt sibi de pastore secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti prouiderent: qui post votorum illationem, vt fieri solet, in vnum Lupoldum monachum ex suis in abbatem vnanimiter elegerunt, 6. calend. Septembris, anno Domini 982. indictione 10. Ottonis Imperatoris 2. anno 8. virum senem admodum & venerabilem, qui præfuit huic monasterio annis duntaxat 4. mensibus 3. Hic Lupoldus genere fuit Bauarus, natione Ratisponensis, ex parentibus mediocribus, sed tamen honestis genitus, qui ordinem monasticum sub Diethmaro sexto huius monasterij abbate, intrauit adhuc iuuenis, in quo plus quam 40. annis vixit religiosissime sine querela, ambulans ante faciem suam in pace & tranquillitate spiritus, nulli molestus, nulli onerosus: erat enim homo nimiæ simplicitatis, & forsitan plus quam mores subditorum & hæc temporarequirebant quietus, qui monasticæ conuersationis exemplar erat, non prædicator, quippe quem & vita sancta commendabat propria, & nulla commoueret impietas aliena.

*Vita Lupoldi abbatis.*

*Archiepiscopus Colonensis instaurator cœnobij S. Martini. Erhardus.*

His temporibus post Geronem archiepiscopum Colonien sem fuit Warimus pontifex ecclesiæ, annis 9. qui monasterium S. Martini ordinis in Colonia (de quo supra diximus) nostri, renouauit, magnificeque dotauit, & Scotis possidendum in perpetuum tradidit, sub regula sanctissimi patris nostri Benedicti.

Claruit circa hæc tempora Erhardus monachus Lunebergensis in Saxonia, in diuinis scripturis studiosissimus, & secularium literarum non ignarus, qui multa ingenij sui opuscula posteritati reliquit legenda: scripsit enim inter cætera exquisitæ lectionis commentaria in Genesin, in Exodum, in Leuiticum, & in alios Bibliæ plerosque libros.

*Algerus monachus Corbeiensis.*

Algerus quoque monachus Corbeiensis in Saxonia, & multis annis scholasticus, ante conuersionem secularium & post conuersionem monachorum, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis doctissimus. Hisdem temporibus claruit, qui inter cætera ingenij sui monimenta scripsit de Sacramento altaris & de libero arbitrio, non spernenda opuscula. Arnulphus etiam, siue nostro more Germanico, Arnoldus monachus huius cœnobii, his diebus scripsit metricum opus super Prouer. Salomonis, & licet nobis non constent reliqua ingenii eius opuscula, nihilominus plura illum & alia scripsisse non dubitamus. Neque enim vnius editione opusculi tantum hominis ingenium prouocatum ad scribendum potuit vel cessare.

*Arnulphus.*

*Monachi quinq; martyres.*

His quoque diebus claruerunt 5. monachi ordinis nostri, videlicet Benedictus, Nathanael, Ioannes, Isaac, & Christianus, discipuli B. Adelberti Pragensis episcopi & martyris, de quo supra dictum est: qui post multorum conuersionem hominum in Vngaris, Prussia & Polonia, sua prædicatione Domino adiuuante peractam, tandem in Polonia pro Christi nomine martyrio coronati sunt, 9. calend. Maij.

*Libatius.*

Claruit & his ferme temporibus Libatius monachus cœnobij S. Albani martyris prope Moguntiam, vir moribus & conuersatione sanctissimus, quem Benedictus papa 7. propter incomparabilem scientiam scripturarum & zelum fidei Christianæ, in episcopi ordinauit, & ad prædicandum euangelium gentibus in Russiam misit, vbi verbo & exemplo innumerabilem Christo populum acquisiuit.

*Othvvinus.*

Othvvinus quoque decimus episcopus Hildeshemensis ex monacho cœnobij Magdeburgensis nostri ordinis in Saxonia, doctus & zelo religionis feruidus, his temporibus clarus habetur: & præfuit ecclesiæ Hildeshemensi annis ferme 29.

*Odo.*

Odo etiam abbas Corbeiensis, in Francia episcopus Beluacensis factus, circa hæc tempora claret, qui tam eruditione scripturarum quam integritate conuersationis, in magna apud omnes reuerentia habebatur, apostolicisque & regalibus legationibus compluries functus, in maximis negotiis suis.

*Bruno.*

Claruit his quoque diebus Bruno ex monacho Corbeiensis cœnobij in Saxonia episcopus Verdensis, frater Hermanni ducis, vir præsule dignus, quippe qui tam monasticis institutis quam ecclesiasticis disciplinis nobiliter imbutus fuisse perhibetur.

*Gebhardus.*

Gebhardus etiam episcopus Augustensis, ex abbate monasterij ordinis nostri quod Eluangen dicitur, in eadem diœcesi constitutum, his floruit temporibus, qui moribus & scientia vtrunque cornu altaris ornauit.

DCCCCLXXXIII.

*Ieiunium bannitum instituitur.*

Anno Ludolphi abbatis primo, dominicæ autē natiuitatis 983. indictione 11. Egbertus archiepiscopus Treuerensis instituit ieiunium bannitum tertia hebdomate post festum

festum Paschatis celebrandum, propter siccitatem nimiam, quæ omnem regionem vehementer afflixit.

DCCCCLXXXII.

Anno sequente, qui Lupoldi abbatis secundus, Otto 6. Iduum Decembris Romæ moritur, & in ecclesia S. Petri principis apostolorum honorifice sepelitur. Cui filius eiusdem nominis Otto tertius succedens, imperauit annis ferme 18. Vxorem habuit Mariam regis Arragoniæ filiam sterilem, vnde prolem non suscepit. *Otto Imperator qui huius nominis secundus moritur.*

DCCCCLXXXV.

Anno Lupoldi abbatis 3. obiit Warimus archiepiscopus Colonien sis, cui Euergerus successit. Claruit his temporibus Lubentius archiepiscopus Bremensis in Saxonia, ex monacho Hirsfeldensi, vir in scripturis sanctis studiosus, qui præfuit populo sibi commisso annis 25. strenue. *Otto tertius. Lubentius.*

Osdacus etiam ex monacho Augiensis cœnobij post Othuuinum episcopus Hildesheimensis factus, circa hæc tempora clarus habetur, rexitque commissam sibi diuinitus ecclesiam verbo & exemplo strenue annis 29. *Osdacus.*

Claruit his quoque temporibus in Anglia Osbernus monachus Glascouiensis cœnobii ordinis nostri, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis celeberrimæ eruditionis, qui scripsit inter cætera lucubrationum suarum opuscula, vitam S. Dunstani archiepiscopi Cantuariensis. De musica quoque varios que dulci composuit modulamine cantus: sed & alius nostri ordinis monachus cœnobij Remensis. *Osbernus monachus doctus.*

Flualdus nomine hæc tempora eruditione sua illustrauit, & multa scripsit. Inter plura vero extat insigne opus, in quo gesta Remensium pontificum ab initio ipsius ciuitatis orsus describit, inserendo vitam seu passiones complurium sanctorum. *Flualdus monachus Remensis.*

Hisdem quoque temporibus apud Moguntiam in cœnobio S. Albani martyris nostri ordinis, claruit Theodericus monachus, in diuinis scripturis & secularibus multum eruditus, qui scripsit successiones & gesta Moguntinorum pontificum. In cantica quoque canticorum commentatus est: in Euangelium Ioannis similiter commentaria perpulchra composuit. Sed alia plæraque ingenij sui præclara posteritati monimenta reliquit, quorum tituli iam memoriæ non occurrunt. *Theodericus monachus Moguntinensis.*

Eodem quoque anno Villigisus archiepiscopus Moguntinensis Ottonem tertium vnxit in regem, & post triennium à Gregorio papa 5. Romæ in Imperatorem consecratus est. Lotharium regem Francorum Lotharingiam infestantem apud Virdunum superans fugauit, & ad restitutionem omnium abbatorum compulit. Claruit etiam circa hæc tempora Bruno monachus cœnobij S. Viti Gladbacensis nostri ordinis in diœcesi Coloniensi, vir multum studiosus, & tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregie doctus, qui multa quidem scripsisse dicitur, sed pauca eorum ad notitiam nostram peruenerunt, de quibus alibi fecimus mentionem. *Imperator inungitur. Lotharium vincit. Bruno monach. Gladbacensis.*

His etiam temporibus claruit in isto cœnobio Hirsaugiensi vir nobilis, studiosus, & in omni varietate scripturarum egregie doctus, presbyter & monachus nomine Adelbertus, qui propter vitæ meritum & eminentiam, doctrinam & philosophiam opinionis in abbatem Clingensis monasterij assumptus fuit, qui vtinam huic monasterio præpositus fuisset, forsan nunquam in tantam desolationem & ruinam cecidisset status cœnobij Hirsaugiensis, de cuius miseria post pauca dicturi sumus. Præfuit autem monasterio præfato Clingensi strenue annis multis, verbo & exemplo dignum se obedientemq; Christi vicarium exhibere in omnibus curans. Erat autem in omni Germania nomen eius celebris famæ, tum propter scientiam eruditionis, tum etiam propter vitæ integritatem. Vnde & principes & ecclesiarum pontifices multum in eius consilio pendebant. *Adelbertus abbas in Clingenmünster.*

DCCCCLXXXVI.

Anno domini 986. indictione 14. Lupoldus abbas anno suscepti regiminis 4. completo, & tribus mensibus, moritur 8. cal. Decemb. & in ecclesia monasterij S. Aurelij sepelitur, vir quantum ad suam personam optimus, cui nihil dulcius quiete monastica, silentio & contemplatione fuit. Erat tamen circa aliorum cohercenda peccata aliquantulum remissior & ad misericordiam promptior. *Lupoldus abbas moritur.*

*DE HARTFRIDO, IX. HVIVS MONASTERII ABBATE, QVI PRÆfuit annis duntaxat duobus, & certis gestis illius temporis.*

IGITVR mortuo abbate Lupoldo ac tradito more Christianorum ecclesiasticæ sepulturæ, monachi huius cœnobij pastore destituti, post longas inter se habitos tractatus tandem elegerunt sibi in abbatem Hardfridum monachum, iuuenem quidem in annis, *Hardfridus abbas.*

sed talem prudentia & moribus, de quo spes optimi pastoris non modica haberetur. Electus est itaque anno dominicæ natiuitatis 986. eodem die quo Lupoldus decessit 8. cal. Dec. & præfuit vix duobus annis. Erat autem natione Sueuus, annorum ferme sex & triginta ætatis, moribus cœnobiticis apprime ornatus, in omni eruditione scripturarum non infime doctus, facie decora, virilique statura proportionabiliter eleuatus, ingenio acutus & disertus eloquio, & talis qui facile auditoribus quæ vellet, videretur posse persuadere. Et reuera nisi eum immatura mors ante tempus rapuisset è medio, hunc locum ab extremis periculis & malis, quibus non post multos inuolutus est, Domino adiuuāte præseruasse potuisset, quod exinitio regiminis eius quam facile potuit auspicari. Quam primum enim sublimatus, in abbatem extitit, totis curauit viribus, vt secundum puritatem regulæ sanctissimi patris nostri Benedicti, omnes in monasterio viuerent monachi: & si quem aliter reperisset conuersantem, non sustinuit, sed monitum semel & iterum, necemendatum, durius coram omnibus iuxta normam ordinis punire consueuit. Et ne quis corrigentem posset arguere, in omnibus se irreprehensibilem sectatorem bonorum operum & viuum exemplar virtutum subiectis studuit exhibere.

*Vita Hardfridi abbatis.*

*Commendatur zelus eius pro disciplina.*

DCCCCLXXXVII.

Anno eius primo, Otto Imperator tertius Bohemiam cum exercitu valido ingreditur, & ducem eius cum vniuersa gente ad deditionem coegit. Claruit his temporibus Adelbertus ex monacho Bobiensi nostri ordinis abbas Gēblacensis, præceptor Burchardi Wormatiensis doctissimi, postmodum episcopi, vir in diuinis scripturis doctus, & in secularibus literis valde eruditus, cum adhuc monachus esset in præfato cœnobio Bobiensi publicam monachorum scholam tenuit, ac multos post se discipulos eruditissimos reliquit. Ingenij quoque sui multas lucubrationes posteritati transmisit.

*Adelbertus.*

*Engelbertus monachus Treuirensis.*

Floruit etiam his temporibus Engelbertus monachus cœnobij S. Eucharij Treuirensis, quod hodie S. Matthiæ apostoli vocabulo nuncupatur, patria Mosellanus, vir vndecunque exercitatus metro, doctissimus & prosa, qui scripsit inter cætera ingenii præclari opuscula, vitam & passiones duodecim Apostolorum metrice, de musica & decomp. positione monochordi quædam syntagmata composuit, & plæraque alia quæ ad manus nostras non venerunt. Hic postea in abbatem monasterii, cuius nomen reperire non potui electus, post annos aliquot in Domino requieuit 12. cal. Martij, sicut in eius Epitaphio patet subiecto:

*Hoc recubat busto semper memorabilis abbas,*
*Engelbertus ouans, spiritus astra colit:*
*Mensis Martii obiit, bis senis ipse calendis,*
*Construxit templum, quod retinet tumulum.*

*Pestis magna fuit in Germania.*

Anno secundo abbatis Hardfridi maxima pestilentia, fames & mortalitas per totam Germaniam nimis inualuit, & tanta siccitas, quod pene genus omne frumenti interram sati perijt, præ nimia siccitate, quia non habuit humorem, quo crescere potuisset. Interea dum lues ipsa pestilentiæ in omni circa regione nimium grassaretur, morereturque multitudo hominum maxima, etiam monasterium S. Aurelii Hirsaugiense nostrum heu crudeliter inuasit, & totius destructionis eius, quæ paulo post sequuta est, vt nobis apparet, occasio fuit. Nam in breui tēpore, vtpote quatuor mensium, tā miserāda clade, 60. huius cœnobij monachi cōsumpti sunt, qui omnes in hac pestilētiæ mortalitate obierunt. Nouissime vero mortuis tot fratribus, cū finis putaretur adesse periculi, pastor oues secutus est.

*Huius monasterij 60. monachi obierunt.*

DCCCCLXXXVIII.

*Hardfridus abbas moritur peste.*

Nam eodem anno, qui fuit dominicæ natiuitatis 988. Hardfridus huius monasterij abbas nonus, obijt 3. nonarum Decembrium, anno ætatis suæ 38. assumpti vero regiminis secundo. Post cuius obitum, mox huius monasterij proximæ destructionis seminarium proh dolor inextinguibile surrexit. Remanserunt autem defunctis monachi in hoc superstites 12. in quibus summa constituendi abbatis in locum demortui residebat: qui vtinam rebus prudentius consuluissent suis, & non per contentiones & schismata locum Deo consecratum in manus tradidissent exterorum. *Monachorum summa virtus humilitas, maximumque vitium superbia:* quia dum alter alterum libidine dominandi excellere nititur, monasterium seruorum Dei in foueam dæmonum commutatur. Tale monasterio huic malum his temporibus post mortem præfati abbatis contigit, quoniam dissensio fratrum in electione discordantium illud funditus, vt ita dixerim, destruxit. *Vide hoc malum huic loco tam celeberrimo, domine Deus, in quo tot sanctissimi viri nomini tuo paulo ante seruientes tibi placuerunt. Ecce, meliores & qui zelum habebāt disciplinæ regularis, de medio translati sunt, &*

*Remanent adhuc in cœnobio monachi 12.*

*Deploratio calamitatis huius monasterij.*

*sunt, & remanserunt monachi inutiles, superbi, elati & carnales, vt destruant suis functionibus locum celeberrimum nomini tuo consecratum. Quare hoc ita fieri voluisti, domine Deus, qui iuste iudicas? Nunquid vt prævalerent impij, iustos consumere voluisti? Absit. Iudicia tua Domine cernimus, causas ignoramus: nec ad nos attinet causas iudiciorum suorum discutere, quas sine peccato possumus nescire. Immo nomini tuo sanctissimo, quas possumus gratias agimus, qui monasterium istud propter causas tibi notas ita permisisti cadere, vt in statum & conditionem resurgeret meliorem. Nam si velimus monasterium Hirsaugiense quod hodie cernimus, cum personis, rebus, substantia & ædificiis conferre veteri, quod miserabiliter ruisse deplangimus, comparationē præteriti ad præsens nullam inueniemus. Tantum enim præsentis temporis Hirsaugia vetus illud monasterium cū omnibus conditionibus suis excellit & supergreditur, quantum posterius tempore videtur.* Sed historiam debito prosequentes ordine, factum sicut ad nos, veterum testimonia scripturarum perlatum est, fideliter & breuiter exponamus. Nam etsi parum ad ædificationem legentium conducere possit, erit tamen eius notitiæ cunctis, qui simili sorte transigunt vitam, in conuersatione claustrali auisatio non inutilis, qua discant in electionibus abbatum non se, non proprium commodum, sed Dei solius honorem quærendum.

*Comparatio veteris monasterij ad præsens.*

*Facile auisamur ne in faciendis erremus.*

## *DE CONRADO, X. HVIVS COENOBII ABBATE, QVI PRÆfuit annis fere XII. & dissensione pessima quæ contigit in electione.*

DEFVNCTO siquidem venerabili abbate Hardfrido cum 60. monachis, sicut dixi- *al. xvi.*
mus, de conuentu, duodecim superstites remanserunt: qui post tres ferme menses ad eligendum abbatem in locum vnum conuenerunt corpore, qui tamen mente (vt statim apparebit) longe ab inuicem erant separati. Duos enim in dissensione eligentes Conradum, qui munus confirmationis ab episcopo suscepit, & Euerardum profugum, qui monasterium spoliauit, seminarium & materiam destructionis huius loci prohdolor impijs præbuerunt: vna siquidem pars adhærebat Conrado tanquam legitime & canonice electo, alia Euerhardum verum ac legitimum, secundum primas sanctiones prædicabat esse pastorem. Prævaluit tamen iure Conradus & tanquam à saniore parte fratrum electus, ordinationem à pontifice suscepit. Interea dum Cōradus pro munere benedictionis est sollicitus, Euerardus sublatis thesauris omnibus, calicibus, crucibus & ornamentis & quicquid subripere potuit cum duobus monachis suæ partis, ad comitem, qui alioquin monasterio iam grauiter erat infensus, petiturus auxilium properauit. Quem illenon solum libenter, sed etiam valde graranter suscepit, gauisus (vt postea liquido patuit) occasionem sibi datam, qua bonis monasterii dudum hiantem animum inferret, nunc tandem satiandum. Statim latro possessiones monasterij Deo & sancto Aurelio dudum oblatas à fidelibus Christi, truculentus inuadit, diripit, & in stipendium suis militibus quasi vicissitudine impensæ seruitutis distribuens concedit. Inuadit villas, curtes, agros, domos, & quicquid ad monasterij ius pertinere cognouerat, & sub prætextu iustæ defensionis Euerardi (vt ipse dicebat) abbatis, res monasterij paulatim suis vsibus infiscauit. Quem in his omnibus monachi defensorem non habentes, inuocare protectorem potuerunt, cum omnes, aut potentiam comitis vererentur, aut spoliorum monasterij ducerentur cupiditate? Præterea Euerardus, datus in reprobum sensum, & alienatus mente, ad rapinam milites incitabat, se dicens esse abbatem, sibi licere monasterij sui res cui velit permittere. Interea Conradus abbas, & monachi suæ parti consentientes, contumelias & iniurias quibus opprimebantur, deferebant ad episcopum, auxilium contra insultus tyrannorum postulantes. Sed nihil factum ad restitutionem ablatorum eo tempore constat, sed violentia maior indies crescebat, cum sibi licere à parentibus oblata repetere, iam comes publice fateretur. Beata illi omnis videbatur occasio, qua de spolijs monachorum auaritiam in quam inciderat, grauiter satiaret. Conradus itaq; pauper iam & miserabilis abbas cum paucis monachis, nec omnibus quidem fidelibus, in cœnobio, maximo timore metuq; perculsus residebat, vix habens vnde se suosq; pasceret ac vestiret.

*Conradus eligitur, contra eum Euerardus.*

*Euerardus furatur omnia ornamenta ecclesiæ.*

*Euerardus fugit ad Comitem cum duobus monachis.*

*Monasterium misere spoliatur.*

*Euerardi crudelitas.*

*Conradi abbatis electio, genus, mores.*

DCCCCLXXXIX.

Electus autem fuit anno dominicæ natiuitatis 989. indictione secunda, duodecimo calend. Martij, & præfuit monasterio in multis tribulationibus & miserijs annis quasi 12. Erat autem natione Francus, humili prosapia genitus, & propterea minus idoneus tantis malis totque tyrannis resistere. Vir bonus fuit & simplex, plus ad mysteria religionis tractanda natus, quam monasterium in tantis turbationibus prouide & vtiliter gubernare. Porro pessimus ille apostata Euerardus, cum se minaretur monasterium in manu valida breui intraturum, Conradumque abbatem in carcerem coniecturum, morte præuentus

*Euerardus apostata, fur & sacrilegus, moritur.*

interijt. Monachi autem qui cum eo cœnobio exiuerant, profugi semel facti, manserunt, & amplius ad monasterium non sunt reuersi. Et quidem Euerardus hunc finem malitiæ suæ dignum accepit, qui destructionis monasterij huius auctor & occasio fuit. Quo mortuo iam Conradus abbas, & monachi qui remanserant, maiori pace ac securitate in monasterio viuere potuerunt, cum is qui totius mali princeps fuerat, de medio esset sublatus. Eorum autem quæ de monasterio siue per apostatam, siue per comitem, aliosque illorum ministros fuerunt ablata, nihil restitutum omnino fuit: sed potius quoad fieri potuit, plura semper distracta in manus secularium deuenerunt. In hac miseria & afflictione Conradus abbas cum fratribus suis, in paruum iam numerum redactus, quamdiu vixit consenuit, quod post annos 12. mortuo (sicut dicemus) expulsis monachis, per comitem seculares introducti sunt.

*Ablatorum nihil restituitur.*

*Triticum & pisciculi pluunt de cœlo in Gallia.*

Eodem anno quo Conradus in abbatem eligitur, grana tritici & pisciculos pluisse in Gallia de cœlo ferunt, qui tamen ad vsum non valuere humanum, propterea quod intrinsecus corrupti nimium aperte fœterent. Eo etiam anno S. Dunstanus archiepiscopus, cuius longe superius meminimus, 14. cal. Iunij ad Dominum migrauit.

*Theophane Imperatrix obiit.*

Hoc etiam anno mortuo Ioanne papa 16. Bruno natione Germanus, cognatus Ottonis Imperatoris fit papa, qui dictus est Gregorius quintus. Ipse Ottonem ad imperium coronauit Romanum. Anno Conradi abbatis secundo moritur Theophane mater Imperatoris, & in basilica S. Pantaleonis Coloniæ sepelitur in absyde meridionali, quam dū vixit, summo honore coluit, & rebus proprijs munificenter cumulauit. Ipsa etiam inter alia corpus S. Albani martyris olim pro Christo in Britannia passi, de Italia ad monasteriū S. Pantaleonis præfatum adduxit.

DCCCCXCIIII.

*Monasteriū S. Michaëlis in Hildesheim fundatum est.*

Anno Conradi abbatis 4. qui fuit dominicę natiuitatis 994. monasterium S. Michaëlis archangeli in Hildensheim nostri ordinis fundari cœpit per S. Bernardum eiusdem ciuitatis episcopum, qui & in eodem monasterio sepultus, infinitis coruscauit miraculis.

DCCCCXCV.

*Constitutio de Imperio Germanorum.*

Anno sequente S. Adelbertus ex monacho nostri ordinis episcopus (de quo suprà diximus) Pragensis, qui Vngaros conuertit ad fidem, à paganis in Prussia septies perfossus & tandem capite truncatus martyrium consummauit, 9. cal. Maij. Gregorius papa quintus congregata synodo statuit, consentientibus Romanis & omni clero, Romanum Imperium apud Germanos debere perpetuis futuris temporibus permanere, ita vt Germaniæ principes per Ottonem tertium deputati, habeant ius & potestatem Imperatorem eligendi. Quæ constitutio iam per annos sex & quingentos vsque ad nos, inuiolabili stabilitate seruata est.

*Gerbertus ex monacho fit Papa Syluester, huius nominis secundus.*

Claruit his temporibus Gerbertus monachus ordinis nostri cœnobii Floriacensis, vir in Mathematica, Astronomia, Philosophia, Arithmetica, cæterarumque pene omnium scientiarū doctrina eruditissimus, qui multos discipulos nobilissimos reliquit, inter quos etiam fertur Otto Imperator fuisse non vltimus. Hic propter incomparabilem scientiam suam primo fuit archiepiscopus Remensis in Gallia per Hugonem regem Franciæ constitutus, deinde pulsus: per Ottonem Imperatorem constituitur archiepiscopus Rauennatensis: ac postremo fit summus pontifex in vrbe Roma, & Syluester secundus dictus est.

*Scriptæ ipsius Gerberti viri doctissimi.*

Scripsit de sphæra pulchrum opus. Item de compositione astrolabij & quadrantis. In Arithmetica quoque pulchras compositiones fecit. Dialogum quem cum Leone abbate habuit nuncio Apostolico, multi plurimum commendant. Epistolas plures quas ad inquisitiores discipulorum scripsit, vidimus. Hic est papa Syluester, qui à plærisque pacti fœderisque cum dæmonibus initi arguitur, cuius rei nos ferre sententiam nec volumus, nec debemus. Sedit autem in pontificatu summo annis 4.

*Maiolus & Odilo abbates Cluniacenses.*

His etiam temporibus post obitum S. Maioli abbatis Cluniacensis nostri ordinis, factus est abbas in Cluniaco S. Odilo eximiæ sanctitatis vir, qui præfuit eidem monasterio cum feruore maximo religionis, annis ferme quinquaginta sex. Is cum esset vir doctus, fertur nonnulla scripsisse opuscula, & præcipue sermones ad fratres, quibus ingenii sui dexteritatem ostendit.

*Terræmotus magni fuerunt in Europa.*

Anno Conradi abbatis 10. fuerunt maximi terræmotus per loca Germaniæ & totam pene Europam, quibus multa fortissima etiam ædificia pulsata corruerunt. Apparuit insuper cometes eodem anno, qui multos terruit suo aduentu.

M.

Anno Conradi 11. qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus annus, ossa Caroli Imperatoris

ratoris quondam Magni hucusque multis incognita, apud Aquisgranum ab Ottone Imperatore tertio, quæsita & inuenta sunt. *Ossa Caroli Magni Imperatoris reperiuntur.*

Eodem anno obijt Euergerus archiepiscopus Colonien sis, cui S. Heribertus in archiepiscopatu feliciter successit. Qui construxit in oppositio ciuitatis Colonien sis iuxta flumen Rheni destructo castro, monasterium nostri ordinis in honorem B. Mariæ semper virginis, quod Tuitium appellamus, in quo abbatē & monachos secūdum regulam S. Benedicti constituit, multisq; prædijs & ornamentis cumulauit. *Monasterium Tuitiense construitur.*

Eodem anno Imperator cum multis cardinalibus, episcopis, abbatibus, principibus, & valido exercitu Poloniam visitaturus, inter alia regni negotia sepulchrum S. Adelberti martyris Pragen sis episcopi, nuper (vt supra diximus) pro fide Christi martyrizati, qui sepultus in Polonia miraculis infinitis & stupendis illo in tempore coruscabat. Obtinuit autem eiusdem martyris brachium vnum, à Bolislao duce Poloniæ, quod cum ingenti deuotione susci piens, Romæ in ecclesia S. Bartholomei collocauit. Idem quoque Imperator ob honorem sanctissimi martyris Adelberti, fratrem eius Gaudētium monachum ordinis nostri in archiepiscopum primum ecclesiæ Pragen sis, vbi frater episcopus fuerat, annuente summo pontifice Syluestro secundo cōstituit: qui cum esset vir doctus atq; sanctissimus, multas sua prædicatione in circuitu gentes ad fidem Christi conuertit. *S. Adelbertus martyr claret miraculis.* *Gaudentius.*

Claruit his temporibus Ansfridus ex comite monachus nostri ordinis, & ex monacho 18. episcopus Traiectensis. Alij dicunt quod ex episcopo monachus sit factus in monasterio sanctæ Mariæ nostri ordinis, quod ipse construxit. Et hoc magis consonat veritati & chronicæ Traiectensium quæ dicit quod anno Domini 1005. tanquam filius castigatus à Deo lumen oculorum amiserit, & sacræ religionis habitum in præfato monasterio S. Pauli hodie dictum, cuius ipse fundator extitit susci piens, vsque ad finem vitę in sancto proposito cum multa deuotione & sanctitate perseuerarit. Præfuit autem ecclesiæ Traiectensi annis 15. & multa bona monasterijs & ecclesijs suo tempore fecit. Post hunc, Adelboldus monachus (vt quidam ferunt) Bobien sis nostri ordinis ecclesiam Traiectensem rexit annis 18. uir doctus & prudentissimus, qui fuit Henrici Imperatoris secundi (de quo suo tempore dicemus) cancellarius & consiliarius aliquanto tempore, qui dexteritatem ingenij sui exercitans, multa scripsit præclara opuscula: Gesta enim domini sui Henrici Imperat. II. in vno volumine digessit, qui & primus & solus post Carolum magnum ex imperatoribus catalogo sanctorum inscribi meruit. De laudibus quoq; S. Crucis B. Mariæ semper virginis, aliorumque diuersorū sanctorum varia tam metro quam prosa conscripsit opuscula, multa etiam bella pro libertate ecclesiastica gessit contra Theodoricum Hollandiæ comitem. *Ansfridus.* *Monasterium sancti Pauli Traiecti fundatur.* *Adelboldus ex monacho episcopus Traiectensis.*

Circa hæc tempora quidam monachus ab Hierosolymis rediens, apud quendam eremitam in Sicilia circa montem Æthnā flammas euomentem aliquādiu hospitio detētus est. A quo cum audisset in eodem monte Vulcani, defunctorum animas torqueri flāmis & ex his multas liberari quotidie per orationes fidelium, & maxime Cluniacen sium monachorum, quod sibi manifestum testimonium spirituum tam bonorum, quam malorum idem eremita firmabat. Vnde monachus ad Cluniacum digressus hæc Odiloni patefecit abbati, cuius ordinatione memoria fidelium animarū, altera post festū omnium sanctorum die, deinceps in sancta ecclesia Dei cœpit frequentari. *Commemoratio fidelium animarum hoc tempore cœpit.*

His quoque temporibus claruit apud Treuiros nostros Theodoricus monachus cœnobij sancti Mathiæ Apostoli, ordinis nostri, qui cum esset vir studiosus atq; doctissimus, scripsit de inuentione S. Celsi librū vnum, quæ per Egbertū archiepiscopū 7. calend. Martij in præfato monasterio facta est: & quædam de quibus mentionem alibi fecimus. *Theodoricus monachus.*

Claruit etiam ijsdem temporibus Remigius abbas Mediolacen sis nostri ordinis in diœcesi Treuerensi, vir in scripturis diuinis studiosissimus, & in secularibus literis egregie doctus, qui publicam in suo cœnobio scholam monachorum tenuit, in qua non solum suos subditos, sed etiā ex diuersis alijs cœnobijs monachos ad se missos erudiuit. Hui⁹ viri studium & scripta in secundo libro illustrium virorum ordinis nostri plenius digessimus. *Remigius abbas Mediolacensis Doctor insignis.*

Floruit etiā his temporibus Theodorus monachus S. Mathiæ Treuerensis contemporaneus, Theodorici monachi supradicti condiscipulus, vir moribus & scientia illustris, qui scholæ publicæ multis annis in eodem cœnobio glorioſe præfuit, & varia scribendo ingenium posteris notum facere curauit. E quibus extant in Apocalypsin Ioannis non abijciendæ lectionis synthemata. De musica & astronomia varia composuit. Hic post multos in sancta religione labores, ad Dominum remunerandus felix migrauit, cui hoc Epitaphium discipuli posuerunt: *Theodorus monachus S. Mathiæ Apostoli.*

*Epitaphium Theodori huius monachi.*

*Theodori monachi pausant hic membra sepulti,*
*Qui pietate vigens, simplicitate cluens*
*Presbyter officio, quod complens ordine certo*
*Feruebat summi laudibus in Domini,*
*Prudens & doctus, nulli pietate secundus,*
*Totum quod didicit, mox aliis retulit,*
*Vt sibi commissum bene collaudando talentum*
*Centuplicet iustus atque pius Dominus:*
*Transiit in nonis felici fine Decembris,*
*Pro quo posce Deum, qui legis hunc titulum.*

M I.

*Imperator deuictis Romanis Crescentem perimit.*

Anno Conradi 12. Otto Imperator expeditionem tertio mouens in Italiam cum ingenti exercitu Romanos deuastat, vincit, superatque. Porro Crescentem, qui principatum Romę inuaserat, & multa contra ecclesiam Dei & vicarios Christi mala commiserat, capite truncari fecit. Cumq; Romæ aliquandiu degens remissius cum Romanis ageret, eum contemptui habere cœperunt. Vnde conspiratione facta, militum eius aliquot interfecerunt, ipsumque in palatio fortiter obsiderunt. Qui per industriam Henrici ducis Bauariæ & Hugonis marchionis simulato pacto, vix extractus à Roma discedit, comitante papa: & quia vxor Crescentis, mulier speciosissima, in actus Venereos Imperatori dudum consentiens, spe regnandi cum se relicta Imperatorem abijsse conspiceret, ac doleret, poculum ei subordinat venenatum, quo ille hausto in Italia inter remeandum moritur.

*Imperator in Italia moritur intoxicatus.*

Pontifices autem & qui cum ipso erant principes, indutum cadauer purpura arte composuerunt super equum ac si viueret, ne forte tumultus in Italia fieret, si mors imperatoris fuisset rescita, educentesq; intestina reliquerunt apud Augustam Vindelicorum, corpus vero in basilica Aquensi sepelierunt.

*Henricus secundus fit Imperator.*

Cui Henricus ex ducibus Bauariæ ortus, sed actu Bambergensis comes, electione principum succedens, Moguntiæ à Villigiso archiepiscopo regni diadema suscepit. Hic est Henricus huius nominis secundus Imperator, qui in sanctorum catalogum scribi meruit: de quo postea dicemus in suo loco, quem hic anticipando signauimus.

M I I.

*Conradus abbas moritur, & vacat monasterium annis 63.*

Anno Dominicæ natiuitatis 1002. indictione 15. Conradus abbas decimus huius cœnobij moritur idibus Februarij, quo cum lamentis fratrum in ecclesia sancti Aurelij sepulto, vacauit abbatia Hirsaugiensis annis 63. sicuti in sequentibus per ordinem dicemus.

## *DE ABBATIA HVIVS MONASTERII VACANTE PER annos 63. & quibusdam gestis interea monasterij, ordinis, & Alemaniæ.*

CONRADO venerabili, ne dicam miserabili, abbate huius monasterij decimo, viam vniuersæ carnis ingresso, monachi numero pauci in hoc loco superstites remanserunt. Inter quos quum essent duo, qui olim in dissensione electionis Euerardo adhæserant, & nec nunc quidem ad viam veritatis penitus essent reuersi, maiorem quam eatenus fuerant experti, reliquis tribulationem suscitarunt. Enimuero quum inter se consultarent super electione noui pastoris, vices suas comes violenter & manu armata interposuit, seque daturum illis abbatem pollicitus, ne ad electionem procederent penitus interdixit.

*Comes electionem interdicit fratribus.*

Qui vt monasterium sub specie pietatis paulatim monachis vacuum, & auaritiæ suæ totum quod reliquum erat, potuisset reddere, præposito eis suis ex familiaribus œconomo seculari, qui curam gereret omnium, donec promissus abbas, quem se nunquam daturum sciebat, veniret, ac secundum regulam gubernaret omnia, tum se restituturum cuncta quæ abstulerat, humilibus verbis in dolo promisit. Reuera enim hoc quærebat, quod non longe postea contigit, vt monachis vel mortuis, vel expulsis, ipse ad ius suum vniuersa reuocaret.

*Oeconomus secularis monachis præponitur.*

Nam post triennium ferme quadam inter fratres & œconomum orta dissensione, quod non erat difficile in tanta rerum desperatione positis, nactus occasionem tyrannus, omnes præter duos, qui Euerardo dudum adhæserant, partesque comitis semper tutati fuerant, de monasterio eiecit.

*Monachi expelluntur de cœnobio.*

Erant autem numero 4. vel 5. qui abeuntes inter se prudenti quidem, sed inutili, persuasi

suasi consilio antequam diuiderentur ab inuicem, abbatem elegerunt: qui tamen ad possessionem monasterij minime peruenire potuit. Dispersi enim in omnem terram, iniurias quas patiebantur cunctis passim reuelabant, sed non erat qui auxilium ferre contra talem tyrannum aut vellet, aut etiam potuisset. Interea dum isti vagantur de monasterio ad monasteriū, seq; vbi vnusquisque poterat enutrire, stabiliret: post aliquot annos etiam duobus illis monachis, qui in cœnobio remanere permissi fuerant, mortuis an expulsis non satis mihi constat, clerici seculares inhabitare monasterium iussi sunt.

*Abbatem elegunt, sed ad monasterium non perueniunt.*

Ex eo itaque tempore vsque ad comitem Adelbertum, de quo suo loco dicemus, monasterium S. Aurelij monachis vacuum, mansio clericorum & *prostibulum meretricum factum est*. Interea si quid remansit, quod comes & cæteri fures non rapuerunt, clerici cum suis concubinis & meretricibus ita paulatim consumentes, in nihilum redegerunt, vt nec libris, quorum ingens copia ibi collecta fuerat, per diligentiam veterum monachorum, quos doctissimos superius ostendimus, parcere potuissent. Nam quum illo tempore, quando imprimendi libros scientia nec dum fuit in vsu, volumina cariore venderentur precio, indocti nebulones preciosissimum illum thesaurum bibliothecæ, in paucis annis tam turpiter vendendo & consumendo distraxerunt, vt nec vnum quidem codicem alicuius ponderis & precij reliquissent. Bibliothecam vero Hirsaugiensem, tempore illo fuisse preciosam, & multis voluminibus cumulatam, ex eo vel maxime conijcere possumus, quod quum à prima fundatione, per annos ferme 180. multi doctissimi viri per ordinem sibi succedentes, in eodem monasterio floruerint, sicut ex superioribus clarissime patet. non est credendum, eos vel ad tātam peruenisse doctrinam & eruditionem omnium bonarum artium sine libris, vel ad decorem bibliothecæ, quē maxime diligit omnis eruditus, nihil suo tempore scribendo apposuisse.

*Clerici seculares monasterium inhabitant.*

*Bibliotheca dilapidatur.*

*Bibliotheca insignis cœnobij huius.*

Certum ergo manet apud me & absque omni dubitatione firmiter conclusum, viros illos qui mutuo sibi succedentes non solum Hirsaugiam, verum & Germaniam totam sua eruditione illustrabant, maximum & preciosum post se thesaurum librorum in bibliotheca huius monasterij reliquisse: venditis autem clerici omnibus atque distractis precium, non in vsum ecclesiæ, neque ad conseruationem ædificiorum, sed (sicut diximus) cum suis concubinis & meretricibus turpiter consumentes, intra paucos annos cœnobium neglecta reformatione parietū & tectorū penitus ruinosum reddiderunt. Super sacrosancta ecclesiæ altaria pluit, pecora intra mœnia claustri stabula receperunt, & omnia penitus ad desolationem festinare videbantur. Comes, ista nō solum nō prohibuit, sed etiā vehementer gauisus est fieri, per quæ monasterij nomē & locum breui in nihilum redactum iri, iuxta desiderium suum cernebat.

*Clerici communia intenti.*

*Cœnobium desolatur.*

Nos vero seriem annorum ab hinc vsque ad instaurationem Hirsaugiensis cœnobij perducturi, quum non habeamus monasterio vacante, cui tempus adscribamus abbatem, in his quæ vel de ordine nostro, vel de gestis in Alemania perstringenda sumpserimus passione vtemur pro actu, vt festinantes ad futurum loci pastorem, diu enim scribere sine ductore tediosum breuissime occurrentia annis monasterio vacanti, etiam per saltus (vt fieri solet) assignemus, quatenus ipsi historiæ promissa non desit integritas.

*Vacantia monasterij auctor supputat.*

Igitur monasterio vacante anno primo Henricus comes Bambergensis (sicut supra diximus) per electionem ad imperium assumptus est. Qui habuit vxorem filiam Sigifridi comitis Palatini Rheni nomine Cunigundem, cum qua propter amorem castitatis, vsq; ad mortē in sancta virginitate permansit. Iste sanctus Imperator episcopatum Bambergēsem, in prouincia Moguntina fundauit, cui præfecit Euerardum primum episcopum, eumque à iure & subiectione, quam pontifices debent archiepiscopis suis cum multis alijs priuilegijs concessis & impetratis à summo pontifice exemit. Imperatrix autem sancta Cunegundis de, patrimonio suo cœnobium monachorum nostri ordinis fundauit in monte iuxta Bambergam, in honorem sancti archangeli Michaelis & omnium spirituum superorum, quod vsque in hodiernum diem feliciter perseuerans Mons monachorum & dicitur & habetur, quod multis prædijs, donarijs & ornamentis cumulauit. Idem Henricus monasterium B. Mariæ semper virginis nostri ordinis in diœcesi Argentinensi nimia vetustate ruinosum reparando fundauit, & fundando reparauit, quod à fluuiolo præterfluente Schuttern dicitur, & prædijs reditibusq; pro monachorum sustentatione necessarijs, copiose satisfecit esse prouisum. Ferunt de hoc monasterio incolæ monachi, q̄p Otto quidā rex Angliæ tempore beati Gregorij papæ Magni, anno dominicæ natiuitatis 603. Francorū rege Theodorico bellū cum Thodoberto Lotharioq; agente, amore cœlestis patriæ incensus, limina visitarit Apostolorum, & inde per Alsatiam digrediens, hoc

*S. Henricus Imperator cum Cunigunda castitatem obseruat.*

*Episcopatus Babergensis fundatur.*

*Monasterium montis Monachorum fundatur.*

*Monasterium Schutterense instauratur.*

*Eiusdē monasterij prima fundatio.*

ipsum cœnobium consilio auxilioque cuiusdam sancti Pirminij, ex discipulis B. Maurí abbatis eo tempore pontificis, primitus constructum, monachos introductos de regula S. Benedicti, necessarijs quoque prouidisse stipendijs.

*Vngari conuertuntur ad fidem per Gisilam reginam.*

Vngari his temporibus ad fidem Christi authoritate & industria Gisilæ, quæ fuit sororor imperatoris & nupta Vngarorum regi Stephano, cum rege ipso suo conuertuntur. Ipsa enim sancta mulier, instantia sua regem perduxit, vt se & totam gentem baptizari peteret, qui in baptismate Stephanus est vocatus, tantaque deinceps vitam sanctitate ornauit, vt post mortem in numerum sanctorum relatus sit.

MX.

*Bruno.*

Anno abbatia vacante 6. Bruno ex monacho nostri ordinis archiepiscopus à Prussis, multis supplicijs afflictus manibusq; ac pedibus abscissis, tandem capitis obtruncatione martyrium consummauit.

*Burchardus Episcopus Wormatiensis.*

Circa hæc tempora claruit Burchardus ex monacho Gemblacensis cœnobij, siue (vt alijs placet) Bobiensis, episcopus Wormacensis, vir in diuinis scripturis studiosissimus & secularium literarum non ignarus, Alberti Bobiensis monachi, & postea Gemblacensis abbatis quondam auditor atque discipulus, sicut in superioribus diximus. Qui inter cætera ingenij sui opuscula magnum illud volumen Decretorum in 20. lib. distinctum, quod ex authoris nomine veteres Burchardum appellarunt, ex diuersis in vnum laboriose & satis vtiliter comportauit.

*Meginfridus monachus & chronographus.*

Claruit etiam his temporibus Meginfridus monachus Fuldensis Chronographus, qui velut rosa inter spinas, ita studiosus & doctus inter desides, carnales, ignarosque monasterij sui monachos, clarus emicuit. Is inter cætera ingenij sui opuscula, historiam sui monasterij ab origine diligenter complexus, abbates singulos secundum ordinem temporis sibi ad inuicem succedentes inseruit, & vniuscuiusque gesta breuiter annotauit: eorum quoque cœnobiorum quibus vel monachos ex Fuldensi missos nouit, vel abbates, pari ratione meminit, quorum vel successiones abbatum & memorabiliora facta inscribendo compendiose descripsit. Ex cuius viri laboribus, multa me fateor in hoc opere nostro de Hirsaugiensi historia necessario commiscuisse.

*Iuuenis in asinum maleficio mutatus.*

Contigit circa hæc tempora Henrici imperatoris mirabile factum. Iuuenis quidam maleficio duarum vetularum in formam asini mutatus est, ita vt omnibus videntibus asinus appareret: quod multis impossibile videtur, non intelligentibus quod permissione diuina spiritus malignus oculos hominum mirandis ludificationibus illudere potest. His etiam temporibus, Baldericus episcopus Leodiensis post Notgerum immediatus, fundauit monasterium S. Iacobi in insula Leodiensi, in quo monachos ordinis nostri posuit.

*Monasterium sancti Iacobi Leodiense fundatur.*

MXI.

*Erckenbaldus.*

Anno abbatia vacante 9. maior ecclesia Bambergensis, Imperatore cum 46. episcopis astante, consecrata est. Et eodem anno Willegisus archiepiscopus Moguntinus obijt. Cui abbas Fuldensis Erckenbaldus successit, & annis 9. præfuit.

*Ezelinus Comes Palatinus Rheni præclaras.*

Circa hęc tempora cum Ezelinus comes palatinus Rheni, frater S. Cunigundis imperatricis aduersaretur regi, & per continuos decem annos, & eius magnanimitate fuit confirmata ad eius sententiam, sacramentis publica fide ab vniuersis Lotharingijs, omnis regius honor eidem regi negaretur: Rex consultius arbitratus, virum egregium beneficijs placare quàm molestijs vllis molestare, amicitiam eius exposcit: quam consecutus, insulam quæ est in Rheno S. Suitberti cum omnibus suis appendicijs Duisburg, et iam atq; Salaueld non modica regni sibi subsidia, suisque liberis perpetua hæreditate possidenda largitur. Duxerat iste comes vxorem nomine Mechtildem, filiam Theophanis imperatricis & sororem Ottonis tertij, ex qua nati sunt ei tres filij & septem filiæ. Hermannus qui post Pillegrinum fuit archiepiscopus Colonienſis cognomento Nobilis. Euerardus post Poponem archiepiscopus Treuerensis ex præposito videlicet Wormatiensi. Et Ludolphus paterni ducatus successor. Richizam primam filiam Misecho dux Poloniæ duxit vxorem. Adelheidis in Niuella, Theophanem in Essendia, Heluuigis in Nussia, Mathildis in Didkirchen, atque Willichalda in Monasterio S. Mariæ Colonienſi, in capitolio. Sophia similiter in cœnobio S. Mariæ Moguntiæ atque Gandesheim sanctimonialibus fœminis abbatissæ nostri ordinis, eo tempore omnes sunt prælatæ loco regiminis. Iste comes Ezelinus, vir dives & strenuus construxit monasterium monachorum ordinis nostri nõ longe à Colonia in honorem S. Nicolai archiepiscopi quõdam Myrreorum, quod Bruvviler nominatur, quod multis prædijs & ornamentis decorauit, in quo & sepultus est. His etiam tempo-

*Kaiserswerd. Duisburg & Salauelda.*

*Sex comitis Ezelini filiæ abbatissæ fiunt.*

*Monasterium Bruvviler ense fundatur.*

temporibus claruit Reinhardus abbas monasterij Senonensis S. Petri apostoli, vir doctus & religiosissimus, qui monasterij sui officinas nimia vetustate ruinosas glorioſe instauravit, monachosq; in regulari tramite instruens, ad pristinæ conuersationis feruorē reduxit. Scholam etiam monachorum publicam tenuit, & monachos suos in omnibus literis & scientijs tam secularibus quam diuinis, ad plenum erudiuit.

*Reinhardus Senonensis doctissimus.*

M X I I.

Anno Domini 1012. qui fuit abbatia vacante annus decimus, cum Rupertus presbyter ecclesiam S. Magni martyris in Saxonia primam in nocte natiuitatis Domini missam inchoasset, quidam Otbertus laicus cum alijs viris 15. & fœminis tribus choream ducens in cœmiterio, secularibusque perstrepens cantilenis celebrantem nō mediocriter distractum fecit. Quibus cum sacerdos mādaret per ædituum, vt tacentes ab huiusmodi leuitatibus in nocte tam sancta desisterent: illique præcipienti non obtemperarent, commotus ille stans ad altare sacrosanctum dixit: Faciat omnipotens Deus, vt per annum totum sic saltantes manere vos oporteat. Mirabile dictu, quia imprecantis vocem sequutus est ilico effectus: ita per totius anni spatiū saltabāt sine intermissione die ac nocte, nō edebāt, neq; bibebāt, ablq; somno manebant, nō pluuia super eos cecidit, non frigus, non calor eos, nec lassitudo affecit. Nulli quantumlibet interrogati quicquam loquebantur, vestimenta & calceamenta non sunt attrita. Et primo quidem vsque ad genua, deinde vsque ad fœmora terræ sub pedibus conculcatæ videbantur immersi. Filius quoque ipsius sacerdotis cum sororem suam arrepto brachio de medio saltantium vellet cum violentia educere, brachium eius de corpore auulsit: illa autem quasi nihil passa nec doluit, nec emisit vocem, nec vna quidem gutta sanguinis destillauit, sed choream continuauit cum reliquis inceptam. Anno tandem euoluto S. Heribertus archiepiscopus Colonienſis ad cœmiterium venit, & saltantes à maledicto absoluit, introductosque in ecclesiam Domino reconciliauit. E quibus fœminæ mox obierunt, virorum quidam in breui, qui etiam miraculis post mortem claruisse feruntur, quippe qui duram satis pœnitentiam egerunt. Reliqui vero quib⁹ viuere diutius licuit, tremore membrorū quid passi fuerint, ostēderūt.

*Homines per integrū annum saltarunt. Imprecatio sacerdotis Ruperti.*

*Mirabile saltum in puella.*

*S. Heribertus absoluit maledictos à pœna.*

Cum circa hæc tempora monachi Fuldensis cœnobij propter deformatissimam vitam in derisum omni populo venissent, sæpiusque à S. Imperatore moniti prauos mores emendare contemnerent, cum sciret eos nimia diuitiarū abundātia factos contumaces, multa bona & possessiones auferri ab eis præcepit, & alijs monasterijs distribuit.

*Monasterium Fuldense spoliatur propter monachos.*

M X I I I I.

Anno 12. abbatia Hirsaugiensi vacante, nubes magna in Flandria subito cecidit, & multa millia hominum submersit. Multa quoque & horrenda signa in cœlo eodem anno apparuerunt, & sequuta est mortalitas hominum magna.

*Nubes eadem multa hominum millia submersit.*

M X X.

Anno vero 18. qui fuit dominicæ natiuitatis 1020. Sanctus Heribertus, archiepiscopus Colonienſis moritur, & in monasterio Tuitiensi, quod ipse fundauerat, sepelitur. Cui successit Pilligrinus annis fere 15.

*S. Heribertus moritur. Pilligrinus.*

Eodem anno moritur Erckenbaldus archiepiscopus Moguntinensis, cui Aribo successit, vir doctus & multum venerabilis, qui inter cætera ingenij sui opuscula super 15. Psalmos graduum, non contemnendum opusculum edidit.

*Erckenbaldus. Aribo archiepiscopus Moguntinus.*

His temporibus claruerūt multi excellentissimi viri in ordine nostro, scientia & sanctitate insignes.

Berno abbas Augiensis, cœnobij Constantiensis diœcesis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus literis egregie doctus, philosophus, rhetor & musicus insignis, qui scripsit ad Pilligrinum archiepiscopum Colonienſem insigne volumen de musica: ad Moguntinum quoque archiepiscopum Aribonem de aduentu Domini, dē officio missæ, de ieiunio quatuor temporum, & alia multa, de quibus inter scriptores mētionem fecimus. Guido quoque Aretinus monachus cœnobij de cruce S. Leufridi, vir vndecunq; doctissimus, & musicorū princeps insignis, qui de musica pulchrū conscripsit opusculum, per cuius regulas disciplina cantus ad faciliorem modum redacta est. De cęteris eius opusculis, alibi latiore industria scripsimus.

*Berno abbas Augiensis.*

*Guido Aretinus monachus & musicus insignis.*

Euerbinus quoq; abbas monasterij Doleiensis, quod in diœcesi Treuerensi sub honore S. Mauricij, & sociorum eius constructum, à Spanhemensi cœnobio meo nouem ferme Teuthonicis miliaribus distat, in finibus Lotharingiæ, ijsdem claruit temporibus: vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis eruditissimus, qui scripsit vitam S. Simeonis monachi Treuerensis, de quo postea dicturi sumus ad Popponē ciusdē ciuitatis

*Euuerbinus in Theologia Treuirensium doctissimus.*

archiepiscopum. Scripsit etiam gesta eiusdem Popponis. De ieiunio, eleemosyna & pœnitentia quoque nonnulla synthemata. Scholam in theologia monachorum publicam tenuit, & alia multa nobis incognita scripsit.

*S. Elphegus episcopus & martyr.*

Claruit etiam circa hæc tempora in Anglia S. Elphegus ex abbate monasterij ordinis nostri quod Balneum dicitur, primum episcopus Vintonienſis, postea Cantuarienſis archiepiscopus, vir doctus atq; sanctissimus, qui post multos labores pro Christi amore habitos martyrio coronatus est, cuius festum colitur 13. calend. Maij.

*S. Simeon monachus Treuirensis.*

His etiam diebus claruit in ciuitate Treuerensi S. Simeon monachus montis Sinai, natione Græcus, quem Poppo archiepiscopus Treuerensis rediens ex partibus trãsmarinis secum adducens, pro Christi amore in præfata ciuitate quadam, in turri, eremiticam ducentem vitam inclusit. Fuit enim vir multarum virtutum, & qui multa sustinuerit à dæmonibus & malis hominibus. Mortuus autem statim in sanctorum catalogum relatus est, & infinitis miraculis coruscare cœpit. Eius vitam Euerbinus abbas de Doleia, de quo iam diximus, luculento sermone descripsit. Huius sanctissimi viri Simeonis tria folia Psalterij Græci penes me habeo, quæ propter eius meritum tãti facio, ac si thesaurum pretiosum auri argentiq; possiderem. Eius festum calendis Iunij agitur.

*Gerardus.*

Claruit etiam circa hæc tempora S. Gerardus, ex monacho nostri ordinis episcopus Morisenus in Vngaria, qui posteaquam verbum Dei gentibus longo tempore prædicasset, ab impijs & paganis grauissimis supplicijs affectus, martyrium pro fide nostra passus est.

*S. Wilhelmus abbas Diuionensis.*

Sanctus quoque Wilhelmus abbas Diuionensis nostri ordinis, hac ipsa claruit ætate. Vir doctus & vitæ sanctissimæ, maximo feruens zelo regularis disciplinæ, qui in vita & post mortem multis miraculis claruisse perhibetur.

*S. Poppo abbas cœnobij Stabulensis.*

Sanctus etiam Poppo abbas monasterij Stabulẽsis nostri ordinis, doctrina & cõuersatione his temporibus clarus habetur in diœcesi Leodiensi & per totam Galliam, patratione quoque multorum miraculorũ insignis, qui monasticam disciplinam suo tempore pene collapsam magnifice restaurauit. Eius festum agitur 8. cal. Februarij.

*Richardus ex abbate Virdunensi canonizatus.*

Richardus quoq; abbas Virdunensis, cœnobij eiusdẽ ordinis nostri clarus his temporibus habetur, cuius vita sanctissima multis virtutibus insignis fuit, qui doctrina & religione sua multos ad emendationis vitæ semitam reduxit.

*Meginfridus.*

Claruit his etiam temporibus Meginfridus, ex monacho cœnobij S. Burchardi iuxta Herbipolim ordinis nostri Magdeburgensis ecclesiæ 6. archiepiscopus, per S. Henricum constituus, vir doctus & multum religiosus, qui præfuit ecclesiæ præfatæ annis 27.

*Brando.*

Circa hæc tempora claruit etiam Brando, ex abbate monasterij Fuldensis decimus episcopus Haluerstatensis, vir prudens & reuerendus, qui duo collegia canonicorum fundauit: S. videlicet Iohannis Baptistæ in ciuitate Halberstatensi, & sancti Bonifacij Boslcuen.

*S. Gothardus.*

Sanctus etiam Gothardus episcopus Hildenshemensis magna sanctitate clarus, circa hæc tempora in Saxonia habetur. Hic primo fuit monachus Fuldensis, postea abbas in Altha nostri ordinis in Bauaria, ac postremo 14. episcopus præfatæ Hildenshemensis ecclesiæ, cui præfuit annis 16. Construxit autem cœnobium nostri ordinis iuxta ciuitatẽ Hildenshemensem, in honorẽ S. Bartholomæi Apostoli, quod ex suo nomine ad S. Gothardum nostris temporibus appellatur, quoniam in eo sepultus est.

*Monasterium S. Gothardi in Hildesheim fundatur.*

His diebus Poppo filius Ludolphi ducis Austriæ, archiepiscopus Treuerensis, de quo prædiximus, qui S. monachum Simeonem, à monasterio B. Mariæ in Bethlehem, Treuerim secum abduxit, clarus valde habetur, qui Danos ad fidem Christi dicitur conuertisse, quemadmodum in gestis Treuirorum habetur, & à Benedicto papa canonisationem eiusdem S. Simeonis propter miraculorum patrationem maximam impetrauit, & ecclesiæ sibi à Deo commissæ annis 41. glorioſe præfuit. obijt autem anno Domini 1057. indictione 10. 6. calend. Iulias.

*Poppo archiepiscopus Treuirensis.*

MXXIII.

*Concilium celebratur in monasterio Selgenstadt.*

Anno Domini 1023. indictione 6. abbatia Hirsaugiensi vacante, anno 21. Aribo Moguntinus archiepiscopus, idibus Augusti synodum episcoporum & abbatum celebrauit in monasterio sanctorum Marcellini & Petri in Selgenstadt, pro pace cleri & vtilitate ecclesiastica, vbi multa summa prouidentia fuerunt constituta. In hac synodo sancta, sicut ex gestis ipsius legimus, fuerunt præsentes Burchardus episcopus Wormacienſis, de quo supra dictũ est, Wernharius Argentinensis episcopus, Bruno Augustensis episcopus, qui fuit frater S. Henrici imperatoris, Euerhardus episcopus Bambergensis, Meginhardus episcopus

pus Herbipolensis, necnon & Richardus abbas Fuldensis, Arnoldus abbas Hirsfeldensis, Reginboldus S. Nazarij Laurishemensis abbas, Hericho abbas Treuirensis, abbas S. Maximini, Euerbim⁹ abbas Doleianus, Henricus abbas S. Burchardi Herbipolensis, Sizicho abbas de Schluchtera, Gerbertus abbas S. Albani, Adelbertus abbas de Clingenmunster, & Rudolphus abbas de Blidenstadt, viri ordinis nostri, moribus eruditione insignes.

MXXIIII.

Anno vacante abbatia 22. indictione 5. Henricus Imperator secundus, 3. iduum Iulij moritur, & in maiori ecclesia Bambergensi, quam ipse fundauerat, sepelitur. Henrico autē mortuo, principes Electores Conradū huius nominis secundum, ad imperiū elegerūt, genere Francum, virum bonum & strenuum. Vxorem duxerat Giselam relictam Brunonis Saxonum ducis, ex qua genuit Henricum filium, qui post eum imperauit, & Cunigundem filiam, quæ in Lympurgensi monasterio iacet, sepulta. Iste Imperator Conradus secundus construxit præfatum monasterium Lympurgense ordinis nostri in diœcesi Spirensis, quod prædijs, ornamentis, priuilegijs & libertatibus multis decorauit. Ferunt, antea castrum in eodem loco fuisse constructum, & per ipsum in monasterium monachorum esse commutatum.

*S. Henricus Imperator obiit.*

*Conradus secundus Imperator fit.*

*Monasterium Lympurg fundatur.*

MXXXI.

Anno Domini 1031. qui fuit monasterio vacante 29. archiepiscopus Moguntinus Aribon moritur, cui S. Bardo abbas Hirsfeldensis nostri ordinis succedens 20. annis ecclesiæ Moguntinæ præfuit, qui fuit vir doctus & sanctissimæ conuersationis, atque post mortem sanctorum catalogo insertus est.

*Bardo ex abbate fit episcopus Moguntinus.*

Obijt autem anno Domini 1051. indictione 4. 4. iduū Iunij. Circa hæc tempora claruit Thietagus ex monacho Corbeiensis cœnobij in Saxonia ordinis nostri archiepiscopus Pragensis post Gaudentium, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregie doctus, & non minus vitæ merito quam eruditione scripturarum venerabilis.

*Thietagus.*

MXXXV.

Anno domini 1035. qui fuit vacante monasterio Hirsaugiensi, annus 33. obijt Pillegrinus archiepiscopus Colonienſis, cui successit Hermannus filius Ezelimi comitis palatini Rheni, de quo supra diximus.

*Hermannus.*

Eodem anno Rudolphus abbas Hirsfeldensis nostri ordinis factus est episcopus Padebornensis, vir doctus & morum integritate venerabilis.

*Rudolphus.*

MXXXVII.

Anno autem monasterio vacante 35. moritur S. Cunegundis, quōdam imperatrix, quæ S. Henrico Imperatore mortuo, pro amore omnipotentis Dei mundum contempserat, & in monasterio Confugiensi sanctæ conuersationis habitum suscipiens, cum sanctis virginibus Christi monialis, & ipsa virgo, vsque ad mortē permansit. Eodē anno S. Bardo archiepiscopus Moguntinus ecclesiam S. Martini Moguntinensem Conrado Imperatore episcopisq; multis & abbatibus præsentibus dedicauit 4. iduum Nouembris.

*S. Cunigundis moritur.*

Sanctus etiam Stephanus rex Vngariæ hoc ipso anno moritur, cui Henricus filius successit, vir sanctus & Deo dilectus, qui & ipse vna cum patre sanctorum catalogo insertus est.

*S. Stephanus rex moritur.*

Eodem quoq; anno S. Simeon monachus & inclusus Treueris moritur, calend. Iunij, de quo iam supra fecimus mentionem, qui tantis mox coruscauit miraculis vt à Benedicto papa 9. Poponē archiepiscopo petente statim post mortem sit canonizatus. Eius vitam (vt antea diximus) Euerbinus abbas Doleiensis pulchro descripsit eloquio.

*S. Simeon moritur.*

MXXXIX.

Anno 1039. qui fuit monasterio vacante annus 37. indictione 7. pridie nonarum Iunij obijt Conradus Imperator secundus, & in ecclesia Spirensi, q̄ construxerat, multisque beneficijs donauerat, sepelitur: cui successit electione principū filius eius Henricus huius nominis tertius, & annis 17. post patrem imperauit. Vxorem habuit Guniheldam regis Danorum filiam, qua sine liberis mortua duxit secundam Agnetem filiam Wilhelmi comitis Pictauiensis, ex qua suscepit Henricum huius nominis Imperatorem quartum, qui post eum regnauit: & duas filias Giselam monialem, & Adelheidem, quæ fuit abbatissa nostri ordinis in Quetelnburgk.

*Conradus.*

*Henricus.*

*Monialet filia Imperatoris.*

Eodē anno moritur Euerardus primus episcopus Bambergēsis, cui successit Suuitgerus, qui postea factus est papa. Regenboldus quoque episcopus Spirensis obijt, cui Sibicho successit.

MXLII.

Anno monasterio vacante 40. Helias abbas monasteriorum S. Martini & S. Panta-

*Helias.*

leonis nostri ordinis in Colonia, natione Scotus, obijt vir doctus & sanctus, qui cum monachis suis vitam arctam duxerat.

*Guimundus.*

Claruit his temporibus Guimondus archiepiscopus Auersanus, ex monacho nostri ordinis, vir tam in diuinis scripturis quã in secularibus literis eruditissimus, qui viuacis ingenij sui multa præclara monimenta reliquit. E quibus vulgatum & famosum est illud quod in tres libros diuisum per dialogum edidit cum Rogerio monacho de corpore & sanguine Domini, contra nouos errores Berengarij Andegauensis ecclesiæ diaconi. Idem quoque Rogerius monachus cœnobij de cruce S. Leufridi nostri ordinis, vir studiosus & doct⁹ & postea monachus S. Pantaleonis in Colonia, scripsit inter alia, gesta Brunonis archiepiscopi Colonien sis fundatoris eiusdem cœnobij, & quædam alia non contemnenda lectionis opuscula. Claruit etiam ijsdem temporibus Theodoricus monachus Hirsfeldensis, qui scripsit de vita & laudibus sanctissimi patris nostri Benedicti ad Richardum abbatem Fuldensem quædam opuscula. Sed & alia quædam, quorum titulos in secundo libro virorum illustrium digessimus.

*Rogerius monachus doctus.*

*Theodoricus monachus.*

M XLIII.

*Amichadus monachus Fuldensis.*

Sequenti anno qui fuit dominicæ natiuitatis 1043. indictione 11. Amichadus monachus Fuldensis natione Scotus moritur, qui multis annis in eodem cœnobio pro Christi amore fuerat inclusus, vir sanctissimæ vitæ, super cuius sepulchrũ noctu lumina visa sunt, & angelorum Psalmodia diuinitus audita.

*S. Clarus monachus Selgenstatensis.*

Floruit etiam circa hæc tempora Clarus monachus cœnobij sanctorum Marcellini & Petri in Selgenstadt Moguntinensis diœcesis, nostri ordinis, vir doctus & religiosissimæ conuersationis, qui in eodem loco pro Dei amore inclusus orationi & contemplationi vacans die ac nocte spiritum prophetiæ consequutus asseritur, cuius festus dies agitur cal. Ianuarij.

*Engeluotus archiepiscopus.*

Engeluotus etiam monachus nostri ordinis in Anglia his temporibus propter sanctitatẽ vitæ & eruditionẽ scripturarum clarus habetur, qui postea Cantuarensis ecclesiæ archiepiscopus factus, magna sanctitate insignis miraculorum attestatione euasit.

M XLIIII.

*Præpositura in Nuẽburg fundatur. Monasteriũ monialium prope Heidelbergam.*

Anno Domini millesimo quadragesimoquarto, qui fuit monaster. Hirsaugiensis vacante 42. indictione 12. Anshelmus abbas monasterij Lauriss ensis, ordinis nostri præposituram in honore S. Bartholomei Apostoli fundauit, prope Heidelbergam Wormacien sis diœcesis, in qua præpositum & monachos locauit, q̃ postea anno Domini 1195. Conradus comes Palatinus Rheni, consentiente Sigehardo abbate Lauriss ensi in cœnobiũ monialium eiusdẽ nostri ordinis commutauit: cui primam abbatissam Cunegundẽ præfecit.

M XLVI.

*S. Guido moritur. Spiræ sepelitur.*

Anno domini 1046. qui fuit monasterio vacante 44. S. Guido abbas Bobiensis in Italia nostri ordinis ortus, in suburbanis Rauennæ villa casa Marensi, vir sanctissimæ vitæ, qui monachum quendam Martinum nomine à mortuis resuscitauit, & alia multa miracula fecit, pridie calend. Aprilis moritur, anno regiminis sui 48. cuius festum celebratur 4. cal. Maij. Eo nanq; die sacrum corpus eius per Henricũ 4. de Italia translatum est ad ciuitatem Spirensem, & in ecclesia eius nomini consecrata honorifice repositum.

*Bruno.*

Claruit his temporibus etiã Bruno, ex monacho cœnobij Monichenneuburg ordinis nostri in Saxonia episcopus Verdensis Friderici comitis frater, vir sapiens & eruditus, qui ecclesiam sibi commissam verbo & exemplo strenue gubernauit.

*Tres de Papatu contẽdentes deponuntur.*

Anno monasterio vacante 44. Henricus Imperator Italiam ingressus tres de papatu contendentes, videlicet Benedictum 9. Syluestrum 3. & Gregoriũ 6. deposuit, & Suitgerũ Bambergensem episcopum, verum Christi vicarium substituens Clementem 2. appellauit, à quo coronam Imperij in die natalis Domini susc epit. At Clemens papa nono mense pontificatus sui moritur, & in choro maioris ecclesiæ Bambergensis sepelitur.

M XLVII.

*Poppo episcopus obiit.*

Anno sequente moritur Poppo archiepiscopus Treuerensis, cui Euerardus filius Ezelimi comitis palatini Rheni, de quo supra mentionem fecimus, successit, & ecclesiam Treuerensem strenue rexit.

*Heribertus.*

Claruit his temporibus Heribertus episcopus Altisiodorensis, vir doctus atq; clarissimus, qui post aliquot annos, quibus ecclesiæ Altisiodorensi strenue præfuit, seculum deserens, monachus nostri ordinis factus est in cœnobio sancti Saluatoris in pago Senonẽsi, ibiq; multis postea annis religiosissime viuens bono in Christo fine quieuit.

*Hermannus.*

His etiam temporib. floruit in monasterio S. Galli ordinis nostri in Sueuia Hermannus, qui dicebatur Contractus, monachus vndecunq; doctissimus, Græce, Latine, & Ara-

bice peritus, philosophus, rhetor, astronomus, poeta, musicus, & mathematicus omnium sui temporis celeberrimus, qui multa præclara volumina edidit, quorum mentionem alibi fecimus. Ipse quoq; Antiphonam illã de beata virgine Maria, Salue regina misericordiæ, composuit. Aliam etiam Alma redemptoris, de eadem sacratissima Dei genitrice fertur edidisse.

MXLVIII.

Anno domini 1048. monasterio Hirsaug. vacante 46. anno: Bruno episcopus Tullensis destinatione Imperatoris, & electione cardinalium, fit papa vrbis Romæ, dictus Leo nonus, & sedit annis ferme 6. Erat autem filius comitis de Elingen & monachus ordinis nostri, vir doctus & sanctissimus, qui cum Romam pergeret ad capescendum papatum, audiuit voces angelorum in aere cantantium, dicit Dominus ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Hic Christum in specie leprosi super lectum suum posuit. Scripsit etiã contra hæreses Græcorum ad Constantinum Imperatorem Constantinopolitanũ, Cantus quoq; de diuersis sanctis. Huius papæ Leonis instantia monasterium Hirsaug. instaurari cœptum est, sicuti postea dicemus.

*Leo Papa IX. ordinis nostri, & sanctissimus.*

Claruit etiam his diebus ex monacho nostri ordinis Hunbertus sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ cardinalis vir doctissimus, quẽ Leo papa secũ duxerat Romam, eiusq; consilio in agendis quibuslibet rebus, ordinis præcipue, vtebatur. De huius viri opusculis in secundo illustrium virorum nostri ordinis libro tractauimus latius.

*Hunbertus ex monacho Cardinalis.*

Lampertus monachus nostri ordinis cœnobij S. Laurentij Leodiensis, Adelmi grãmatici Brixiensis episcopi quondam auditor, vir certe in omni scientia magnifice doctus, hac quoq; tempestate ordinẽ nostrum eruditione sua mirifice illustrauit. Scripsit vitam S. Heriberti Colonien sis episcopi, & multa alia, de quibus alibi diximus.

*Lampertus monachus Leodij.*

M L.

Anno dominicæ natiuitatis 1050. indictione 3. sanctus Leo papa 9. ad componendas res & statum ecclesiarum pacemque Gallijs reddendam, Roma egressus cum cardinalibus multis venit in Germaniam. Erat eo tempore comes Adelbertus de Caluue monasterij Hirsaugiensis aduocatus, sed desolationis patronus, qui non solum restituere contempsit, per proauos S. Aurelio impie ablata, verum se iusto omnia possidere titulo arbitratus, nihil minus quam de reparatione monasterij cogitabat. Contigit igitur anno prænotato, qui fuit desolationis monasterij octauus & quadragesimus, supra millesimum vero Domini (sicut diximus) quinquagesimus, quod idẽ Leo sanctissimus papa comiti prefato sanguine iunctus, Roma egressus, Italiaq; transmissa per fines Sueuorũ iter suum versus Moguntiam dirigeret. Quod cum Adelbertus comes præfatus resciisset, auunculum videlicet suũ sanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ pontificem suas transiturũ per terras, obuiã illi properans humillimis cum precibus deuicit, quatenus in hospitiũ nepotis humilis intrare non despiceret. Papa tum deuotione inuitantis, tum sanguinis ratione permotus, petenti assensit, castellum comitis intrauit, qui perhumaniter exceptus, doctrinæ salutaris verbũ, vt sui moris erat seminans, mentes hospitũ suorum ad amorẽ cœlestis patriæ erigere summopere studebat. Quadam die pontifex recreationis animi causa comitem dextra complexus, de castello non procul ad vicini montis verticem exiuit, ad quem inter loquẽdum: Quam aptus inquit (ô fili) locus mihi hic videretur montibus circũseptus vndique, quem & aquarũ copia vtilẽ & solitudo reddit quietũ, in quo seruorũ Dei monasteriũ construi debeat, qui creatori nostro laudes continuas persoluentes pro salute multorum deuotius exorarent. Cui comes: Est (inquit) beatissime pater, in vicino ecclesia ab antecessoribus meis in honorem cuiusdam S. Aurelij, cuius & corpus in ea fertur sepultum, olim ad monachorum habitaculum cum reliquis mansionibus necessarijs cõstructa: in qua cum dudum monachi per annos non paucos omnipotenti Deo religiose seruiuissent, postremoque à regulari disciplina misere torpentes, cum nullis admonitionibus maiorum acquiescerent, à progenitoribus meis tanquam scandalum plebis inde proiecti sunt.

*Leo Papa in Germaniam venit.*

*Leo Papa inuitatur à comite Adelberto ad castrum Caluue.*

*Leo Papa Comitem alloquitur.*

*Comitis verba ad S. Papam Leonẽ.*

His sacratissimus pontifex auditis ad locum personaliter accessit, libros qui remanserunt, reuoluit, cupiens historiæ cognoscere veritatem. Erat ibi clericus inter cæteros senex nomine Bertholdus, qui olim in loco viderat monachos Deo famulantes. Is pontifici rem omnẽ sicut gesta fuerat aperuit, & quomodo auus comitis Adelberti cœnobiũ bonis spoliasset omnibus, expulsisq; monachis paucos in locum clericos posuisset.

*S. Papa locum S. Aurelij personaliter accedit.*

Quibus cognitis sanctus præsul ingemuit, sed cordis sui dolorem prudenter dissimulans, vbinam corpus diui haberetur Aurelij, ab eodem clerico quæsiuit: qui cum diceret se à maiorib. suis audiuisse sacras S. Aurelij reliquias, tempore quo Nortmãni vastaue-

*Clericus aperit historia veritatem S. Leoni.*

*Corpus S. Aurelij quæritur.*

runt Galliam, per quendam abbatem huius loci sub terram fuisse absconditas, & vsq; in eum diem incognitas omnibus permansisse. Sanctus papa accitis operarijs terrã in diuersis ecclesiæ locis fodere cœpit, & thesaurum abscõditũ diligenter inquirere, sed posteaquam casso labore diu laborassent artifices & nihil penitus reperissent, cœperunt omnes qui aderant de inueniendo corpore sancti desperare.

Tunc sancto in orationibus pontifice prostrato, ipsosque cohortante artifices ne desperent, vnus ex his cæteris in arte sua magis peritus, qui nuper ex dominio Venetorum cum filijs aduenies, multo huic loco suis laboribus impendit bona, industrioseq; perquirens singula loca, tandem ex repercussione malleorum deprehendit terram subtus esse cauatã: ad cuius consiliũ, in eodẽ loco fodere artifices cœperunt, qui tandẽ non sine magna difficultate humo remota cameram subterraneam inuenerunt pulchre satis formatam, in qua sarcophagus apparuit extrinsecus admodum ornate dispositus.

*Camera subterranea inuenitur.*

Quem cum sanctissimus papa vidisset, magno repletus gaudio præcepit, vt omnes ad orationẽ genua flecterent, & Deũ pro cõfessoris sui desiderata inuentione collaudarẽt.

Oratione completa sanctus Leo propius accedens, iussit aperiri sepulchrum: quoreclusoq; suauissimus odor exalauit, qui omnes qui aderant, mira suauitate sui reficeret. Inuenerunt itaq; sanctissimi confessoris Christi Aurelij sacratissima ossa sericijs inuoluta pannis, pulchre in formam corporis debito collocata ordine, & ad caput eius tabulã ex plumbo ista continentem. Corpus S. Aurelij episcopi tempore Arnulphi regis repositum, Herderado abbate 8. calend. septemb. Cum S. papa hunc titulum coram omnibus legisset, ingemuit dicens: Væ illis qui locum hunc tanti præsulis sanctificatum, meritis & præsentia desolarũt, & clauso sarcophago, ne reliquiæ sancti quouis modo subtraherentur cum suis ad castellum comitis est reuersus.

*Corpus S. Aurelij inuenitur sub terra.*

Postera die cũ S. papa Leo tempus vidisset intentioni suæ cõplendæ oportunũ, vocatis comite sæpe dicto Adelberto & Wiltrude vxore eius deuotissima fœmina in præsentia suorũ cardinaliũ cęteris exclusis dixit ad nepotẽ: *Hesterno vidimus die, chare nepos, sacratissimi confessoris Christi reliquias honore debito spoliatas, ipsumq; locũ pro amore cœlestis patriæ omnipotenti Deo & sacræ monasticæ religioni, olim à progenitoribus tuis rite dicatũ, multis quoq; annis Petri Dei famulos inhabitatũ, quẽ tui maiores auus genitorq; pessima & crudeli auaritia ducti, abbatis possessionib & bonis desolatũ fecerunt: & q omni scelere sceleratius est, monachis expulsis officinam sanctarũ virtutũ introductis dissolutissimæ vitæ secularibus clericis in omniũ spelunca vitiorum cõmutarunt. Tuq; prauis maiorũ inhærens vestigijs, sicuti probato sumus edocti testimonio, non solũ ea quæ illi sacrilegi polluti à seruorũ Dei cœnobio iniustissime abstulerũt sine Dei timore possides, sed tuæ salutis penitus immemor, totũ q illi parcẽdo reliquissent intactũ rapuisti: Deumq; & S. Aureliũ, imo ciues superna patria vniuersos irritando tibi aduersarios fecisti. Neq; enim paruũ peccatum æstimandũ est, q in Deũ & sanctos eius cõmittitur, cũ apud ipsos etiã homines iniusta rerũ alieni iuris vsurpatio scelus grauissimũ iudicetur. Ecce tu vna cum progenitoribus tuis pactũ violasti primumq; tuorũ corrupisti, imo abolisti sanctũ testamentũ, & quæ illi omnipotenti Deo simplici ac sancta deuotione pro animarũ remedio suarũ obtulerunt. Tu Deũ & sanctos eius impia crudelitate & crudeli auaritia succensus, spoliare nõ timuisti, facilq; inimicus & aduersarius, nõ modo Dei & sanctorũ eius, sed & tibimetipsi generiq; tuo hostis declaratus & crudelis antistes, ipsam propaginẽ ex tuo semine generandam grauissimo scelere inodasti, qua quãdiu sacrilega hæreditate etiã nesciens polluitur, aut in paucis generationibus deficiens exterminatur, aut in hac vita miserabilis euadet æternis post mortẽ supplicijs pro demeritis cruciãda. Tibi autem quæ spes æternæ felicitatis cõsequendæ poterit esse (ò fili mi) cũ per tã manifestũ scelus & sacrilegiũ Deũ omnipotentẽ cum omnibus sanctis suis inimicũ tibi feceris, hostemq; & aduersariũ, periculosum est tibi, penitusq; damnabile, crede nobis, Deũ habere contrarium, qui etsi patienter iniurias videatur ferre suas in hoc tempore, vindex cum sit iustusq; iudex, æternis hanc patientiam post mortem supplicijs non dubites vindicabit. Nos vero quibus cura salutis tuæ tuorumq; est, non modo ratione pastoralis cuius, qua licet immeriti saluti omnium sumus debitores ex officio, verum etiã ex sanguinis cognatione, qua nobis sorore natus intime coniunctus, te tuosq; perire nõ patiemur in æternum, quantũ in nobis est. Vtde authoritate omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli, quorum gerimus vices in terris, te monemus & requirimus, atque sub æternæ damnationis interminatione, perque districtũ Dei iudiciũ te contestamur, ac sub anathemate districte præcipientes tibi mandamus, quatenus præditũ locũ, clericis expulsis, quos authoritate Apostolica omni beneficio & residentia in eadem hac hora decernimus priuatos, in pristinum statum reducere cures, monachosque & abbatem secundum regulam diui patris Benedicti, quemadmodum à principio ibi fuisse memorantur instituas, eisque omnia & singula per tuos progenitores, teque vel alios quoscunque ablata, sine mora restituas: & si quid amplius ad hæc perficienda requiritur, necessariũ de tua substantia fideliter & sine vlla contradictione præ-*

*Oratio S. Leonis Papæ ad Comitẽ.*

*Comitem sacrilegij arguit.*

*Increpatio dura Pontificis in comitem.*

*Spes vitæ nulla sacrilegũ.*

*Comes fuit filius sororis Papæ.*

*Sanctus Papa mandat comiti restituere, monachos.*

*æterna*

*æternæ vitæ amore legaliter impendas. Hæc tibi quantocius perficienda vna cum coniuge tua nobis dilecta, consummandaque, authoritate omnipotentis Dei, in remissionem tuorum peccatorum serio iniungimus. Quæ si, quod absit, neglexeris, nostrorumq; mandatorum contemptor inuentus fueris, indignationem omnipotentis Dei, sanctorumque Petri & Pauli apostolorum & omnium electorum Christi noueris incursum, teque sub anathematis vinculo, authoritate Apostolica, cõstrictũ diuini examinis iudicio fore obnoxiũ grauissimis gehẽnæ tormentis, cũ impijs sine fine puniendũ.* Hac pontificis oratione cõpunctus, ad genua eius comes procidit, seq; peccasse grauiter cũ lachrymis publice cõfessus, omnia quæ iuberetur facturũ pro viribus promittit, Veniã cõmissorũ absolutionẽque postulans à Pontifice audiuit: *Si perfeceris ea, quæ præcipientibus nobis te facturum promittis veniam tibi non solum commissorum cum absolutione impendemus, sed etiam præmia felicitatis æternæ multimoda in cœlo tibi reposita repromittimus.*

*Monet Cõmitem vt omnia mendacia serio reddat.*

*Comes promittit Papæ omnia se facturum.*

His rite peractis beatissimus papa Leo cœptum continuans iter ad Moguntiam, cum suis tandem peruenit, vbi synodum præsente Imperatore cum 42. episcopis & multis abbatibus & clericis celebrauit, & multa pro vtilitate ecclesiastica constituit. In hac synodo Sibecho Spirensis episcopus de criminibus quibus accusabatur sacra se communione purgauit. Hinc sanctissimus papa peracta Synodo Aquisgrani descendit, ibi Imperatorem expeditionem agentem, contra Baldeuinum comitem Flandriæ, quousque verteretur, expectauit. Iste sacratissimus papa Leo 9. multa in Germania bona fecit, ecclesias, capellas, & altaria in diuersis locis absq; numero propria in persona consecrauit, & quod pontificuli plures hodie facere erubescunt, ad quod tamen obligati sunt ratione officij, summus pontifex non obligatus facere non despexit.

*Leo Papa hinc digrediens, Synodũ celebrat.*

*Quod pontificuli despiciunt hoc Papa fecit.*

M L I.

Anno sequente videlicet Dominicæ natiuitatis 1051. qui fuit monasterio vacãte 49. Imperator natale Domini Wormaciæ celebrauit, vbi Leo papa sanctissimus ei valedicens, causisque ecclesiasticis mediocriter compositis Romam reuersus est.

*Leo Papa Romam reuertitur.*

Eodem anno Imperator Pentecosten celebrauit in Padolbronna, vbi S. Bardo archiepiscopus Moguntinus ad missam habito sermone obitum suum instare prædixit, seq; orationibus fidelium commendans eodem mense in Domino quieuit 4. iduum Iunij, cui Luitboldus successit annos 8. menses 4. Hic archiepiscopus Luitpoldus fundauit monasterium nostri ordinis iuxta mœnia ciuitatis Moguntiæ in monte speciosо, in honorem S. Iacobi Apostoli maioris, quod multis prædijs, donis & ornamentis cumulauit, in quo & sepultus est.

*S. Bardo archiepiscopus obitũ suum prædixit, & moritur.*

*Monasteriũ sancti Iacobi Moguntiæ fundatur.*

M L I I I.

Anno monasterio vacante 52. sanctus papa Leo 9. obijt Romæ 3. calend. Maij anno dominicæ natiuitatis quarto & quinquagesimo supra millesimum, vir sanctitate & authoritate multum venerabilis, qui miraculis post mortem claruit. Hunc sancti summique vniuersalis ecclesiæ Pontificem inter patronos Hirsaugia duos venerare præcipuos, quo monente ac procurante hodie inter abbatias multas insignior existit, quantumque papa excellit authoritate simplicem episcopum, tantum tu papa Leone præcipiente instaurata, primum S. Aurelij cœnobium hodie superexcellis à Nottingo quondam Vercellensi episcopo constructũ. Huic S. Leoni successit Gebhardus Eistetensis Episcopus, qui Victor secundus dictus est, & sedit annis duobus. Hoc ipso anno moritur Sibecho episcopus Spirensis, cui Arnoldus successit.

*Leo Papa moritur, patronus meritus Hirsaugiensis.*

*Eistetensis episcopus, Victor secundus, Papa.*

M L V.

Anno sequente obijt Hermannus archiepiscopus Colonienſis, cui sanctus Anno successit. Iste sanctus Anno archiepiscopus construxit monasteriũ nostri ordinis in diœcesi Colonienſi, quod vocatur à fluuio prætersluente Segenberg, insigne valde cœnobium, quod multis prædijs & possessionibus ad sustentationem monachorum ditauit, in quo & ipse moriens tandem sepultus est.

*Monasteriũ Segenberg fundatur.*

Claruit his diebus Aaron abbas monasterij S. Pantaleonis in Colonia nostri ordinis, vir doctus & maximus, regularis disciplinæ amator & custos, qui cantum nocturnalem de beato Gregorio Magno à sancto Leone papa nono compositũ, has in partes ipso tradente, ex Italia portauit.

*Aaron.*

Claruit etiam his temporibus Fridericus monachus Cassinensis, deinde abbas ac postremo papa, sicut postea dicemus, frater Gotfridi ducis Lotharingiæ, qui cum esset archidiaconus ecclesiæ Romanæ missus à beato papa Leone Constantinopolim, quum reuersus ipsum pontificem reperisset mortuum, contempto seculo monachus in præfato cœnobio Cassinensi factus est.

*Fridericus Cardinalis fit monachus.*

MLVI.

Anno Domini millesimo quinquagesimosexto, monasterio vacante quinquagesimoquarto anno, Victor papa secundus, egressus de Italia venit in Germaniam, & ab Imperatore apud Goslariam, circa festum natiuitatis beatæ Mariæ, honorifice, in præsentia multorum Pontificum, abbatum, principum & nobilium susceptus est.

*Victor Papa venit in Germaniã.*

Eodem anno moritur Arnoldus episcopus Spirensis, cui Conradus succedit.

Eodem quoque anno Henricus Imperator tertius, quum sibi mortem adesse cerneret, Henricum in Romani pontificis præsentia, electione principum regem constituit, rebusque (vt potuit) dispositis, obijt tertio nonas Octobris. Sepultus in ecclesia Spirensi, Victore papa secundo cum multis alijs cardinalibus, patriarchis, episcopis & principibus astante. cui successit filius Henricus huius nominis quartus, puer annorum quinque, & imperauit annis quinquaginta, cuius mater Agnes Imperatrix aliquanto tempore prudenter gubernauit imperium. Tandem sanctus Anno Coloniẽsis archiepiscopus puerum regem consilio principum matri subripit, & imperium cum alijs deputatis rexit, quousq; puerum ætas legitima ad regendum per se idoneum fecit.

*Henricus moritur, & filius huius nominis IV. fit Imperator.*

MLVIII.

Anno monasterio vacante 56. indictione 11. Victor papa obijt, cui Fredericus abbas monasterij Cassinensis, filius ducis Gothelonis, & frater Gotfridi ducis, de quo supra iam diximus, in pontificatu successit, & Stephanus nonus nomine dictus, præsedit mensibus decẽ. Hoc ipso quoq; anno ciuitas Padelbornensis cum duobus monasterijs, teria sexta ante palmas, igne miserabiliter cremata est.

*Fridericus abbas Cassinensis fit Papa Stephanus.*

*Ciuitas exuritur.*

Erat eo tempore in monasterio eiusdem ciuitatis, quod hodie dicitur Aptinckouen ordinis nostri monachus quidam Paternus nomine, natione Scotus, qui multis annis pro Christi amore ibidem inclusus vitam duxerat solitariam, orationi, lectioni, meditationique & contemplationi deuote semper intentus, qui hoc ipsum incendium prophetico Spiritus sancti præcognoscens instinctu, longe prius quam fieret prædixit futurum, si Deũ homines salutari pœnitentia placare neglexissent. Cum vero monasterium medium staret in flammis, & eum fratres de inclusorio fractis seris conarentur extrahere, noluit consentire, dicens se dudum diuinæ voluntati commisisse, nequaquam inclusionis suæ præpositũ mortis metu trãsgressurum. Adhuc voluebat in ore sermonem cum rapax appropians flamma fratres vitę propriæ sollicitos quantocius fugere compulit. Paternum vero cum eius cellula consumpsit.

*Paternus monachus inclusus.*

*Cum sua cella volens exuritur.*

Claruit his temporibus Lampertus monachus cœnobij Hirsfeldensis nostri ordinis, vir studiosus & doctus, qui inter cætera ingenij sui opuscula monasterij sui chronicam breuem quidem, sed non inutilem composuit. Scripsit etiam de rebus imperatorum, pontificum & principum in Alemania gestis pulchrum opus & non iniucundum, quod à temporibus Caroli Magni, qui primus ex Teuthonicis imperauit, incipiens vsque ad annum Domini millesimum septuagesimum septimum, multa rerum memoria referum continuauit. Henrici autem Imperatoris quarti latissime, quia contemporaneus eidem fuit, res gestas in eodem volumine descripsit. Ex hoc ipso volumine, nos non parum adiuti sumus.

*Lampertus chronographus monachus Hirsfeldensis.*

Hisdem quoque temporibus claruit Anselmus, monachus Remensis, vir in omni literarum scientia eruditus, qui scripsit itinerarium sancti papæ Leonis noni, de quo antea diximus, à Roma in Germaniam & Gallias, in quo gesta eius, in synodis in diuersis locis habitis cõmemorat, quanta videlicet iustitia & authoritate causas examinauerit ecclesiasticas, quantaq; districtione peccantes corripuerit, & quemadmodum virtus ei sit cooperata diuina, sicut patuit in Episcopo Frisingensi, qui quum in Synodo contumaciter ageret contra authoritatem Apostolicam, repente in omnium conspectu obmutuit.

*Anselmus monachus Remensis.*

Claruit etiam his diebus Bernardus monachus Cluniacensis nostri ordinis, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregie doctus, scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, iussu Hugonis abbatis Cluniacensis consuetudines & ceremonialia eiusdem monasterij. Petrus quoq; Damianus ex monacho nostri ordinis episcopus Hostiensis, & sacrosanctæ ecclesiæ Rom. Cardinalis, his temporibus clarus habetur, vir certe inter doctos sui temporis doctissimus, & nõ minus sanctitate q̃ eruditione venerabilis. Qui multa ingenij sui præclara volumina edidit, quorũ titulos alibi plene digessimus. Hic amore religionis sanctæ episcopatum suum deseruit, & ad monasterium reuersus est.

*Bernardus mona. Cluniacensis.*

*Petrus Damianus Cardinalis.*

Circa hos etiam annos claruit Lampertus de Legia, monachus cœnobij S. Mathiæ Treuirensis ordinis nostri, vir vndecunque doctissimus, metro exercitatus & prosa, qui multorum,

*Lampertus monachus Treuerensis doctissimus.*

multorum sanctorum legendas historiasque descripsit, tam prosa quam diuersi generis carmine. De his in secundo libro illustrium virorum ordinis nostri fecimus mentionem. Theodoricus quoque monachus cœnobij S. martyris Albani extra Moguntiam his temporibus inter scriptores clarus habetur, qui cum esset vir doctus, multa scripsit tam metro quam prosa, quorum titulos alibi latius consignauimus. *Theodoricus monachus S. Albani Moguntinus.*

His temporibus floruit etiam Lanfrancus ex abbate Cadomensis cœnobij in Anglia ordinis nostri archiepiscopus Cantuariensis, qui cum esset vir in omni scientia seculari & diuina suo tempore omnium eruditorum testimonio doctissimus, & apud Gallos Italosque scholas publicas glorioſe rexisset annis non paucis, tandem diuino spiritu motus, omnia contempsit terrena, & in monasterio Beccensi sanctæ conuersationis habitum suscipiens tanta se humilitate depressit, vt nihil sciens ab omnibus putaretur. Voluit enim vir in seculo magnus, pro Christo in cœnobio videri paruus, & latere in abiectione humilitatis. Vnde cum quadam die fratribus ad mensam residentibus iuxta regulam monasticam legeret, & inter legendum quippiam proferret sicut debuit, Prior qui non multum doctus erat, vocem legentis interrupit, eumque aliter quam debuit legere nesciens præsiuit non esse dicendum, & qui humilitatis habitum assumpserat, obedientiam omnibus præceptis & regulis Grammatices humiliter præferebat. Posthæc cum notus in monasterio factus quis esset, eruditionem suam diuinitus non posset abscondere, præcepto sui abbatis obtemperans, scholam monachorum publicam in cœnobio tenuit, & multos post se discipulos doctissimos reliquit. Deinde post annos aliquot in abbatem Cadomensis cœnobij electus est, & postremo Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopus constitutus. Scripsit nonnulla præclaræ eruditionis opuscula, quorum alibi fecimus mentionem. *Lanfrancus. Nota humilitatem doctissimi Lanfranci.*

Anno monasterio Hirsaugiense vacante 57. obijt Lupoldus archiepiscopus Moguntinensis, 7. idus Decembris in monasterio sancti Iacobi, quod ipse construxerat, sepultus: cui successit abbas Fuldensis nomine Sifridus, nostri ordinis, vir magnificus, doctus & religiosus. Eodem quoque anno moritur sexto calendas Octobris Meginherus abbas monasterij Hirsfeldensis, vir in diuinis scripturis doctus, & secularium literarum non ignarus, magnarumque in Christo virtutum, & vnicum hac ætate in Theutonicis regionibus rectæ ac monastice viuendi exemplar. Is cum Burchardo Halberstadensi episcopo, propter decimationes in Saxonia litem annis non paucis habuit: contra cuius improbitatem, cũ nec forenses, nec Ecclesiasticæ leges quicquam valerent, & abbate sæpius querimonia in ius relata surdis tributialibus fabulam narrasset, tandem ad tribunal iudicis Iesu Christi prouocauit. Quo breui mortuo, episcopus diuina vltione tactus, diruptis visceribus miserabili morte sequutus est: qui tamen priusquam moreretur eiulans & clamans, ad Dei se iudicium per abbatem Hirsfeldensem dixit esse citatum, iussitque decimas illis reddi ablatas, veniamque à monachis per nunçium postulauit. *Sifridus. Meginherus abbas Hirsfeldensis moritur. Episcopus citatus ad iudicium diuinum, moritur.*

Claruit his quoque diebus Ruthardus monachus Corbeiensis cœnobij, qui Meginhero præscripto in abbatia Hirsfeldensi successit, vir studiosus & doctus, quippe qui multo tempore scholæ monasticæ in Corbeia publice præfuit, & eruditos post se discipulos reliquit. Hic quondam in eodem monasterio Corbeiensi abbas fuerat ordinatus, sed quorũdam criminum falso (vt creditur) insimulatus, abbatia amissa, nonnullos per diuersa monasteria priuatus exegerat annos, tandemque propter eruditionem suam abbas in Hirsfeldia factus est. Scripsit de tranquillitate vitæ pulcherrimum libellum, in quo seipsum multimoda ratione consolatur, dicens mortalem non debere turbari propter quoscunq; euentus rerum transitoriarum, cum omnia sint mortis aduentu terminanda, in breuique mortalibus in hac vita molesta videntur occurrere. Scripsit & alia nonnulla, quorum in aliis locis titulos iamdudum posuimus. *Ruthardus abbas Hirsfeldensis doctissimus.*

# DE SECVNDA INSTAV. RATIONE MONASTERII S. AVRELII FACTA PER ADELBERTVM COMITEM DE CALVVE ANNO DOMINI M. LIX. incepta.

*Fundationis huius cœnobij secunda prasagia.*

ANNO autem Dominicæ natiuitatis nono & quinquagesimo supra milleſimum, qui fuit monasterio vacante septimus & quinquagesimus, à fundatione autem prima huius loci, quæ facta est à comite Erlafrido & eius filio Nottingo Vercellensi episcopo, ducentesimo & decimonono anno, cum Adelbertus comes, vtpote iuuenis fortis, diues & secularibus curis totus immersus, verborum & comminationum sanctissimi auunculi sui papæ Leonis noni, promissionisque suæ & iuramenti paulatim obliuiſci videretur, & instaurationem cœnobii S. Aurelij Hirsaugiens. quam sub anathematis obligatione accelerandam promisso iurauerat, de die procrastinaret in diem: verita Wiltrudis vxor eius deuota, Christi famula, simul ac metuens ne mora nimium protracta sanctum viri sui propositum penitus euacuaret, aut si illum mori contingeret, nihil ex his quæ S. Pontifex præceperat deinceps optatum perduceretur ad effectum: virum suum crebris perurgere admonitionibus cœpit, orans & obtestans, quatenus memor verborum & comminationum sanctissimi pontificis auunculique Leonis, & quam duram in eum, si negligeret, fulminassent excommunicationis & æternæ damnationis sententiam, verba præsulis metuendi: parceret denique propagini sui generis toti, quæ futura esset successura tempore parenti si crudelior sibi penitus esse deliberasset, eaque quæ sanctissimus vir præcepisset, quantocius executioni demandare curaret: se alioquin vehementer timere, ne prouocata Dei omnipotentis iustitia, inobedientiam contra tanti Pontificis mandata præsumptam, grauissimo tandem & æterno supplicio puniret. Hæc & similia his comiti marito crebrius vxore inculcanti, ac verba summi pontificis terrore plena quotidie ad memoriam reducenti, se breui facturum omnia secundum iussionem sancti senioris: & monasterium D. Aurelij restituturum in gradum pristinum, vxori comes promisit. Sed cum S. fœmina sine effectu verba coniugis prolata transire de die in diem cerneret, & semper impedimentis grauibus accedere grauiora, statuit importunitate vincere, quem se lenitate & mansuetudine non posse superare considerauit. Iam ergo deinceps non diebus, non noctibus cessabat mulier deuota admonere, rogare, & quadam oportuna violentia maritum impellere, vt quantocius opus promissum inciperet, neiram omnipotentis contra se Dei prouocaret. Quadam igitur vice iterum aggressa verbis comitem vxor cum sermonem beatissimi papæ ingeminasset, victus ille importunitate nimia statuit redimere noxam, missisque pro artificibus ad opus necessarijs, cœpit illorum vti consilio, & quid mente gereret aperire. At illi cernentes ecclesiam B. Aurelij ligneo tabulatu veterum more constructam, & per clericorum negligentiam ac malitiam temporum semidirutam vna cum cæteris mansionibus claustri nó posse subsistere, dabant consilium, vt veteri structura nimium simplici disiecta nouum ex lapidibus cœnobium inchoaret, cuius firmitas & posteritatem facti admoneret stabilis, & impensas perditum ire non sineret. Fuit enim (sicut in prima fundatione longe superius diximus) ecclesia primum per Erlafridum comitem fundata satis quidem ampla, sed more veterum simplex nimium & minus firma, quæ non diu stare sine periculo posse videretur. Igitur comes Adelbertus consilio tam architectorum & aliorum artificum, quam prudentium virorum in monasteriorum dimensionibus expertorum accepto, primam ecclesiam ab Erlafrido ante ducentos annos constructam funditus præcepit destrui, & locum pro nouo templo secundum formam sibi à peritis traditam restituendo purgari. Interea lapides de vicino monte quadratos & ligna cæteraque ad tantum opus necessaria magnis sumptibus fecit adduci, & quicquid requirebatur ad nouum ædificium copiosissime præparari.

*Wiltrudis comitissa deuota fœmina.*

*Wiltrudis comitissa oratio ad Comitem.*

*Vincit importunitas vbi patientia contemnitur.*

*Consilium dant artifices de constructione noui monasterij.*

*Vetus ecclesia destruitur.*

*Fundamenta nouæ ecclesiæ ponuntur.*

MLX.

Anno dehinc altero, qui fuit Dominicæ natiuitatis 1060. indictione 13. vacante autem monasterio 58. fundamenta huius ecclesiæ sancti Aurelij, quam modo cernimus, facta sunt, & in paucis annis monasterij instauratio consummata est, prout suo loco dicemus. Eodem anno in territorio Parisiensi ferunt sanguinem pluisse de cœlo in festiuitate omnium

omnium sanctorum super populum tempore sacrificij diuini missæ. Conradus etiã Spirensis episcopus hoc anno obijt, cui Einhardus in pontificatu successit.

Circa hæc tempora comes Euerardus & Ida comitissa monasterium ordinis nostri, quod Schafhausen dicitur, constructurunt in Sueuia, quod magnis prædijs & bonis cumularunt. Horum filius Vdo Treuirensis archiepiscopus fuit post Euerardum, de quo supra diximus. *Monasterium Schafhausen fundatur.*

Claruit his temporibus Marianus natione Scotus, primum monachus S. Pantaleonis Colonienſis, deinde Fuldensis, ac postremo apud Moguntiam pro amore Christi reclusus, vir Deo deuotus & in scripturis diuinis studiosus, qui scripsit ab origine mundi vsq; ad annum 1084. Chronicam succinctam, annorum notatione pulchre intersectam, cuius lectio ad cognitionem temporum satis vtilis & iucunda esse poterit studiosis. *Marianus Scotus monach. chronographus.*

MLXIIII.

Anno Domini 1064. qui monasterio vacante 52. indictione 12. sanctus Cunno, quẽ Imperator ad ecclesiam Treuerorum miserat pro susciendis insignijs archiepiscopatus tum vacantis, martyrizatus est per Theodoricum comitem, propterea quod sine populi electione constitutus esset à rege, tertioque die de monte præcipitatus, ad Dominum migrauit. Sepultus in monasterio Doleiensi nostri ordinis, multis signis mox claresceere cœpit. Comes postea pœnitentiam acturus, pro scelere commisso Hierosolymam perrexit, & ibi vitam finiuit. Cæteri omnes consentanei sceleris, mala morte breui consumpti perierunt. Huic successit Vdo filius Euerardi comitis, de quo iam antea diximus. Eodem quoque anno Siphridis archiepiscopus Moguntinus, Guntherus episcopus Bambergensis, Otto Ratisponensis episcopus, & Wilhelmus episcopus Traiectensis, cum alijs multis, vltra quam septem millibus Hierosolymam orationis & deuotionis causſa pergentes vix duo millia redierunt. *Cunno occiditur.* *Archiepiscopus Moguntinus Hierosolymam cum 7000. visitat.*

Hoc etiam anno Wormatiense antistite Arnulpho viro pontificalis modestiæ & sanctitatis mortuo, Adelbero monachus sancti Galli nostri ordinis frater Rudolphi ducis successit, vno pede omnino debilis, vir per omnia spectaculo dignus. Erat enim fortitudinis magnæ, edacitatis nimiæ, crassitudinis tantæ, quæ aspicientibus horrorem magis inuteret, quam admirationem. *Adelbero epiſc. Wormatienſis.*

Claruit his temporibus Wilramus, ex scholastico Bambergensi monachus Fuldensis, & tandem ex monacho abbas cœnobij Mersburgensis, vir tam in diuinis scripturis, quam in secularibus literis non infime doctus, qui in Parisiensi gymnasio philosophiam multis annis glorioſe docuerat. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula super Cantica canticorum tres libellos metro & prosa distinctos. Alia quoque nonnulla scripsit nobis necdum visa. *Wilramus abbas Merſburgenſis.*

Bernardus quoque monachus Corbeiensis nostri ordinis ijsdem temporibus in Saxonia claruit, vir in scripturis tam diuinis quam secularibus admodum eruditus, metro exercitatus & prosa, qui publicæ scholæ monachorum in eodem cœnobio multis annis præfuit, & discipulos complures post se doctos reliquit. Edidit non contemnendæ lectionis opuscula, quorum alibi fecimus mentionem. *Bernardus monachus Corbeienſis.*

Guntherus quoque monachus cœnobij S. Amandi ordinis nostri, hæc tempora docendo & scribendo varia illustrauit. Vitam & passionem S. Cyriaci martyris metro descripsit non ineleganti, cum multis alijs quæ ad nos necdum peruenerunt. *Guntherus monachus S. Amandi.*

Theodericus quoque abbas sancti Trudonis nostri ordinis doctissimus, & tam in secularibus literis quam in diuinis scripturis ad plenum imbutus, scripsit eleganti carmine vitam Trudonis, sancti quoque Bauonis, S. Reinoldi, & complurium aliorum. *Theodoricus abbas S. Trudonis.*

Claruit etiam his temporibus S. Arnulphus monachus cœnobij B. Medardi Suessionensis, qui ob amorem solitudinis & vitæ contemplatiuæ per plures annos in incluſorio sterit: deinde abbas eiusdem monasterij ac postremo Suessionensis parochiæ episcopus factus, multos verbo & exemplo ad morem cœlestis patriæ incitauit. Hic ad confirmandam inter Flandrenses pacem, venit in Flandriam, ibique moriturum se prædixit, & fundato cœnobio monachorum nostri ordinis in ecclesia & honore S. Petri mortuus est, & ibidem sepultus 18. calend. Decemb. *S. Arnulphus.*

Sanctus quoque Maurilius ex monacho cœnobij Fiscauiensis nostri ordinis archiepiscopus Rotomagensis post depositionem Malgerij his temporibus clarus habetur, vir multarum virtutum decore ornatus, charitatis abstinentiæque cultor insignis, de cuius sancta conuersatione præcelsa laudum præconia feruntur. *Maurilius ex abbate Epiſcopus.*

His temporibus S. Anno Coloniensis archiepiscopus construxit monasterium or-

*Monasteriũ in Graffschaffe construitur.*

dinis nostri in Westphalia, quod in lingua illius gentis *Grefschaffi* appellatur, in quo posuit abbatem & monachos qui secundum regulam viuerent, quos necessarijs omnibus prouidit. Tertium quoque ordinis nostri monasterium sanctus archiepiscopus Anno fundauit in finibus Sclauorum quod Saluedia nominatur, in quo etiam monachos regulæ sanctissimi patris nostri Benedicti cum abbate posuit, quos prædijs & donationibus multis cumulauit.

*Fundatio monasterij Salued. Ioannes.*

His temporibus venit quidam monachus ex Hibernia ordinis nostri, qui dicebatur Ioannes, in territorium Meckelnburg in Saxonia, prædicans incolis verbum Dei, quem propter zelum fidei & infatigabilem euangelizandi constantiam Romanus pontifex gentibus illis præfecit episcopum, qui tandem pro fide & iustitia martyrio coronatus, ad Dominum migrauit.

*Hermannus ex monacho episcopus Bambergensis.*

Hermannus quoque ex monacho cœnobij sanctæ Felicitatis in Schwartzach, non longe ab Herbipoli nostri ordinis his diebus post obitum Guntheri episcopi Bãbergensis in locum eius successit. Sunt qui scribant Hermannum hunc, vicedominũ fuisse Moguntinum, & amicorum precibus ac precio episcopatum coemisse, postea vero pœnitentia ductum intrasse monasterium.

## *QVANDO ET VNDE PRIMI MONACHI AD HIRsaugiam, in hac secunda fundatione siue instauratione aduenerint.*

INTEREA dum opus inceptum in fundatione templi S. Aurelij pontificis noui per comitem Adelbertum continuaretur, sanctæ mulieri omnis mora nimium videbatur prolixa, quippe quæ & animum mariti remissum inconstantemque non ignorabat, & cũ necdum in diuino timore satis fundatum de facili à sancto proposito reflecti posse sciebat. Vnde sagaci vsa consilio consummationem monasterij non duxit expectandam, ne forte mors impedimenta quælibet interponeret, si aut eam priusquam perficeretur opus aut comitem rapuisset. Mouit ergo vxor deuota maritum, ac tandem persuasit, vt monachos non expectato consummationis termino, qui adhuc longe videbatur abesse, introduceret: cum quorum consilio perficeret, quod in construendis mansionibus & cellis monasticis nondum esset consummatum. Dedit ergo comes persuadenti fœminæ consensum, & vnde monachi adducerentur, qui secundum regulam monasticam inculpate viuerent, habere consilium. Erat autem in illo tempore monasterium solitariorum, quod ab antiquo (sicut longe retro diximus) Ad eremitas dicebatur, in Nigra sylua, bonæ opinionis & regulam conuersationis monachorum inibi degentium, præ cæteris Sueuiæ monasterijs laudatum, cuius famæ boni odoris gloria inducti, comes & comitissa monachos, si possent impetrare, petere decreuerunt. Missa itaque ad ipsius cœnobij abbatem legatione comes Adelbertus rogat, sibi monachos vita & conuersatione præcipuos mitti, qui monasterium à se fundatum sub regula S. patris Benedicti possideant. Missi sunt ergo de monasterio prædicto fratres cum Friderico venerabili viro, quem sibi præfecerunt abbatem.

*Comitis Adelberti inconstantia.*

*Wiltrudis comitissæ stile consilium.*

*Bona fama monasterij ad Eremitas.*

*De monasterio Solitariensi fratres aduenisse.*

MLXV.

*Monasteriũ inhabitare incipiunt.*

Veneruntque ad Hirsaugiam, anno Dominicæ natiuitatis 1065. indictione 3. pridie nonarum Decemb. à desolatione primi monasterij 63. à fundatione autem prima 227. anno. Quos vt vidit deuota Christi famula Wiltrudis comitissa, cum incredibili gaudio suscepit, dispositisque omnibus quæ ad sustentationem seruorum Dei videbantur necessaria, monasterium eis vna cum comite marito consentiens in possessionem sempiternã tradidit. Sed cum Fridericus abbas & fratres dicerent traditionem hanc nequaquam sufficere, nisi coram episcopo in facie sanctæ matris ecclesiæ, vocatis ad hoc testibus idoneis vt moribus bonis, ita & generis nobilitate præstantibus secundum consuetudinem ordinis fuerit confirmata, displicuit quidem comiti, quippe qui monasterium & monachos in suam cupiebat redigere potestatem. Dissimulans autem exteriori apparatu mentem quam gerebat, respondit, se consummato opere facturum omnia quæ ratio postularet. At vero de possessionibus quas tam ipse quam progenitores sui de monasterio dudum violenter rapuerant, cum restituisset aliquas ad vsum fratrum, plures reseruauit, & forsitan nec illas quidem restituisset, nisi religiosæ coniugis importunitate fuisset nimia superatus. Verum post obitum Friderici abbatis cum reuerendissimus abbas Wilhelmus regimini monasterij fuisset prælatus, puritate & simplicitate sua columbina comitis astutiam & meram cœnobij huius libertatem, tam à summo Pontifice, quam ab Imperatore cum consen-

*Comitis seruitia mala contra fratres.*

*Abbas Wilhelmus libertatem cœnobij impetrauit.*

consensu Adelberti comitis impetrauit, quemadmodum suo in loco plenius dicemus. Postea vero quam fratres in possessionem monasterij, nec dum consummati fuerunt admissi, cœperunt diligentissime operam dare, vt ecclesia quantocius perficeretur, sperantes se tunc rerum quoq; temporalium necessariam prouisionem iuxta pollicitum saluatoris nostri in Euangelio, diuique patris monachorum in regula sine dubio assequi, eum ante omnia in exhibitione seruitutis Dei omnipotentis debitum præmiserint famulatū. Erant autem fratres numero duodecim, quorum feruorem & deuotionem cum S. fœmina Wiltrudis comitissa vidisset, omni qua potuit virtute satagebat apud maritū, ne quid ad consummationem tam sancti operis deesse contingeret. Vnde suam munificentiam in fratres, & pietatem in Deum, multis beneficijs ostendit: & quæcunque ad sustentationē seruorum Domini intellexisset necessaria, nunc manifeste, nunc etiam occulte liberaliter impendit. Et licet fratres vna cum artificibus, quos comes impensis suis conduxerat, incepto fortiter ac diligenter instarent operi, non tamen illud tam cito ad perfectionem opatam perducere potuerunt. Per annos namq; decem ferme consummata fuit ecclesia, vna cum cæteris quibusdam habitaculis necessarijs, ad conuersationem monachorum. Anno siquidem dominicæ natiuitatis 1060. sicut antea prædiximus, noua ecclesia veteri præcedente anno deposita, iactis fundamentis saxeis inchoata est, & tandem anno 1070. perfecta, & sicut postea dicemus anno septuagesimoprimo per episcopum Spirensem Henricum consecrata. Annis itaque decem in constructione monasterij laboratum est. Abbas autem Fridericus consummationem ecclesiæ, cum cæteris mansionibus monasterij, tamesi manum indefessam operi apponeret, videre non potuit: quia post triennium falsis accusationibus quorundam circumuentus, sicut dicemus, depositus ab officio dignitatis fuit, & non multo post obijt. Huius autem fundationis & monasterij dedicationem, traditionem & libertatem, quamuis in hoc loco secundum narrationis ordinem, priusquam abbatis Friderici gesta scribenda sumamus, exponere deberemus: quia tamen post eius mortem sub abbate Wilhelmo contigerunt, ad ipsius quoque tempora duximus reseruandas.

*Numerus fratrum in principio monasterij.*

*In decem annis ecclesia S. Aurelij fuit perfecta.*

*Fridericus abbas non vidit loci perfectionē.*

*Ordinem historiæ author variat transponit.*

## *DE FRIDERICO, XI. HIRSAVGIENSIS MONASTERII ABBATE qui præfuit annis III. & moribus eius, ac gestis illius temporis.*

FRATRIBVS itaque monachis de cœnobio eremitarum in Hirsaugiam comite Adelberto petente venientibus, quemadmodum iam diximus, numero duodecim in abbatem primum huius instaurationis prælatus est Fridericus, qui ab origine fundationis monasterij Hirsaugiensis abbas vndecimus fuit. Electus autem fuit anno Domini 1065. indictione 3. anno posteaquam vacauerat abbatia tertio & sexagesimo, ordinatus ab Einhardo Spirensi episcopo, & præfuit annis 3. mensibus 8. de cuius vita & conuersatione, quantum ad huius rationem operis pertinet, pauca sunt à nobis præmittenda. Fridericus itaque abbas, de quo nobis sermo est, natus fuit ex parentibus ingenuis, de gente Sueuorum antiqua familia, secundum seculi huius nobilitatem non infimus, à quibus in iuuentute ad discendum literas positus, satis quantum ætas illi permisit, in discendo cum tempore profecit. Postea vero quam sapere & intelligere aliquantulum cœpit, ad Deum se non sine mentis feruore, in puero quidem admirabili conuertit, & in monasterio eremitarum, apud cellam videlicet S. Meinradi, mansionem inter monachos, parentum adiutus suffragio petijt & impetrauit. Ex hinc tempus omne in exercitijs monasticis & disciplina regulari satis quiete non paucis annis exegit, nulli molestus, nullique onerosus, sed ante faciem tuam in simplicitate ambulans, parum de mundi huius ratione cogitabat. Lectioni namque diuinarum scripturarum & internæ compunctioni à iuuentute deditus ac magistrorum solicitudine & prouidentia probe institutus, veluti consuetudine quadam introducta didicit, cum mundo nullum prorsus habere commercium. Erant nempe illo tempore monachi in sæpe dicto monasterio regularem vitam ac puritatem coram Deo & hominibus sine querela optimam ducentes, qui pueros & iuuenes, quos in sui consortium susceperant, verbo & exemplo non solum in scientia scripturarum, sed etiam in moribus, ad compunctionis internæ deuotionem imbuebant. Quibus exercitijs Fridericus pene ab infantia maiorum cohortatione & exemplis instructus, viam simplicitatis virtuosæ quam semel didicit, vsque ad mortem inuiolabiliter custodiuit. Post multos vero annos, cum Adelbertus comes de Caluue (sicut diximus) monachos & abbatem ex Solitariensium cœtu supplex expeteret, nullus tū Friderico melior occurrit,

*Fridericus fit abbas huius monasterij.*

*Vita & conuersatio Friderici abbatis.*

*Quomodo monachus factus.*

*Lectioni deditus mundana non curauit.*

*Laus monachorum Solitariensium.*

quippe qui non modo verbis, sed etiam exemplis corda subditorum ad contemptum mundi & amorem cœlestium fortius omnibus posse inflammare videretur. Erat enim dispositione corporis non secus ac mentis quadam maiestate dignitatis reuerendus, statura mediocris, qui non multum breuis nec longus nimium haberetur, in facie corpulentus & plenus, fortis & robustus, nec tamen crassus nimium, capillis nigris canisque hinc inde respersis, & nulla caluicie depilatus. Qui quum nomen & dignitatem pastoralis curæ suscepisset, aut nihil aut parum prioris sanctæ institutionis omisit, sed in orationibus, lectionibus scripturarum, meditationibusque sanctis & internorum contemplationi vacans die ac nocte secularium negotiorum occupationes facile non admisit. Vagos quoque de monasterio discursus non amabat, vigiliis & ieiunijs corpus suum pro Dei amore indesinenter afficiens, hostiam Domino se viuam & immaculatam offerre satagebat. Ad pauperes multum erat misericors, quos vt potuisset pro Dei amore aliquantulum esurientes reficere, sæpius ieiunus remanens sibi competentia cibaria impertiuit egenis. Vbicunque enim offendisset pauperem, mox sine dilatione (quantum potuit) illius inopiæ tam in amictu quam in victu subueniebat. Nam secundum nomen suum in omnibus erat pacificus, mitis, dulcis, & quietus, plenus charitate Dei & dilectione fraterna, incessu grauis, eloquio dulcis, & pulchra morum grauitate ornatus. Adeo vero coram Deo se humiliare dicerat, vt etiam in exteriori conuersatione nitor quidam gratiæ spiritualis reluceret, internam cordis humilitatem palam cunctis ostenderet. Inter scriptores namque reliquos quod officium apud veteres monachos erat valde communiter in vsu, locum tenere cum fratribus non erubuit, in quo se per vices ab oratione vacans vtiliter occuparet. In habitu suo nihil differebat à monachis subditis, qui eo tempore omni vtilitate & extremitate iuxta regulam contenti subtus cucullis, desuper vero cappis vtebantur. In hac itaque humilitate & innocentia vitam suam Fridericus abbas diligenter custodiens, prauorum temeritatem tamen non potuit euadere, quæ bonis viris ab initio mundi semper fuit infesta, sed vsque adeo iniurijs malorum patuit, vt tandem ab officio dignitatis suæ (sicut dicemus postea) fuerit iniustissime depositus.

*Dispositio & forma corporis Friderici abbatis.*

*Quibus fuerit deditus exercitijs Fridericus.*

*Pius in pauperes semper fuit.*

*Commendatur abbas Fridericus quod pacificus erat.*

*Humilitas interior & exterior.*

MLXVI.

Anno Friderici abbatis primo Sifridus Archiepiscopus Moguntinus de partibus transmarinis redijt, deque septem millibus quos secum abduxerat, vix duo milia reduxit.

*Siphridus archiepiscopus Maguntinus.*

Eodem anno regnum Angliæ per Wilhelmum Nortmannorum bastardum miserabiliter affligitur, cuius regem Araldum interficiens pro eo regnauit. Qui mox pene omnes eiusdem regni pontifices misit in exilium, nobiles & principes interfecit, mediocres in seruitutem militibus dedit, vxores indigenarum aduenis suis matrimonio copulauit, & in ciuitate Eboracense plusquam centum supra mille sacerdotes crudeliter occidit. In festis etiam paschalibus hoc ipso anno cometes per quatuordecim ferme noctes in cœlo apparuit.

*Rex Angliæ interficitur.*

*Sacerdotes occiduntur.*

MLXVII.

Anno Friderici Abbatis 2. qui fuit Dominicæ natiuitatis 1067. indictione 5, obiit Einhardus episcopus Spirensis, cui Henricus successit canonicus Goslariensis, tantæ dignitatis vir, dum per ætatem maturus, & non tam electione cleri aut populi ad hanc profectus, quam indulgentia regis, cui in puerili ætate fuerat familiarissime assentatus.

*Episcopus Spirensis.*

Claruit hoc tempore Marbodus ex monacho episcopus Redensis, vir in diuinis scripturis doctus & secularium literarum non ignarus, metro exercitatus & prosa, qui multa ingenii sui monumenta posteris reliquit, & inter cætera scripsit insigne opus in Cantica canticorum, passionem quoque sanctorum Thebeorum martyrum & vitam compluriorum aliorum sanctorum eleganti carmine descripsit.

*Marbodus ex monacho episcopus.*

MLXVIII.

Anno autem sequente qui fuit Dominicæ natiuitatis 1068. cum abbas Fridericus iuxta morem & consuetudinem suam rebus diuinis totus esset intentus, lectioni, meditationi, orationique & contemplationi deditus, fratribusque suis quos ipse sibi constituerat rerum omnium monasterij disponendarum, in externis œconomos nimiam in agendis permitteret libertatem, cœperunt cum diabolo instigante contemnere, & quomodo ipsum à dignitate sua deijcerent, consilium habere. Spiritualis namque vitæ tranquillitatem, qua ille vehementer se occupare solebat, non religioni sed inertiæ suæ adscribebant, ipsumque ignauum & rerum temporalium inexpertum irridebant, quippe qui ad eorum commodum & vtilitatem in externis, nihil penitus prouidere aut posse aut velle videretur. *O quid non præsumit cæca prauorum ambitio, quæ præsentibus nequiter inhians memoriam futurorum*

*Murmur fratrum cõtra Fridericum exoritur.*

*Interpretatio monachorum prana.*

*Exclamatio*

*turorum non admittit. Virum omni honore dignum monachi penitus indigni non solum non venerantur, sed etiam persequentes despiciunt, & eum quem summo honore ab vltimis etiam terræ finibus, sita opportunitas requireret, vocare ad se debuerãt, repellere à se & abijcere turpiter nõ formidant.* Comitem Adelbertum principes factionis monachi prorsus Deo & hominibus ingrati, adeunt: Fridericum abbatem suum inertem ignauumque non satis prouide accusatum deferunt, & quam inutilis sit monasterio alijs atque alijs verbis mendaciter confingunt. Et quidem facile animum comitis viro sancto & innocenti reddunt auersum, vtpote qui mundanis rebus assuetus nihil minus quam internæ conuersationis quietem cogitabat. Erat etiam comes abbati iam pridem non mediocriter infensus, propterea quod consulẽtibus idipsum quoque monachis, liberius quam illi erat in mente, traditionem monasterij pontificali roborandam auctoritate exigere tentasset. Vnde fratrum accusationes contra Fridericum abbatem libenter admisit, & mox abbatiali eum honore priuasset, nisi vxoris deuotissimæ consilio fuisset aliquandiu prohibitus. Sed nec ad eum causa accusationis delata videbatur sufficiens, pro qua abbas deponeretur: non quod iustitiæ rationem in hoc attenderet, sed ne apud homines leuitatis argueretur, si ad tam leuem querelam monachorum, hominem alioquin bonæ apud omnes famæ & opinionis, à prælatura remouisset. Interea dum hæc agerentur, Fridericus abbas sanctæ simplicitatis amator, more suo cœlestibus intentus disciplinis, earum machinationum quæ parabantur in suum exitium penitus ignarus, dolos & fraudes suorum non aduertit. Cum autem cernerent accusatores iniqui, se hac via non posse proficere, vt sanctum virum omnino deijcerent, alium modum inuenerunt. Consilio namque diabolo suggerente inter se habito, crimen fornicationis pastori suo morbidæ oues imponunt, vt eum quem vincere non poterant, iniuria superarent. Hac fama delata ad comitem, non examinauit causam secundum regulam æquitatis, non fecit produci testes à suspicione iniquitatis, sed violentiam viri præposuit, eosque testes admisit contra innoxium, quos accusatores in causa ad se non pertinente habuerat. Deposuit ergo virum sanctum & innocentem iudex præsumptuosus, quem accusatum quidem nouerat, non confessum, non legitimo testimonio conuictum. *Et quamuis ad laicum non pertineat ratio huiusmodi actionis*, præsumpsit tamen ambitio quod voluit iudicantis, cui tempus fauere videbatur in obsequium sceleris, quo præsul erat secularis & iuuenis & puer, nomen regis sine regimine portabat. Depositus autem per violentiam comitis abbas Fridericus, illatam contumeliã pro Dei amore patientissime tulit, & nihil passus, in omni patientia & mansuetudine inter alios pacifice vixit, nulliq; molestus in aliquo fuit, neque vicem iniurijs rependit, quamuis non paucas quotidie ab infirmioribus irrisiones sustineret. Qui cum locum iræ dare potuisset, noluit: sed cum his qui oderant pacem, pacificus & tranquillus omni tempore permansit. Sed omnipotens Deus iuste iudicans, patientiam pauperis non despexit in finem, quoniam quem tribulari innocenter permiserat, quam iniuste fuerit depositus, breui postea reuelauit. Doli namque machinatio patuit, aperta est iniquitas, fraus quoque detecta, & innocentia viri omnibus facta est manifesta. Nullam enim causſam deponendi eum legitimam habuerunt, sed inuidia obcæcati æmuli crimen fornicationis in eum mendaciter composuerunt, sicut postea manifeste apparuit. Enimuero quum vir Dei esset homo humilis & quietus, minusque intenderet rebus & actionibus mundanis, seque in auctoritate pastoralis seueritatis nequaquam subditis reddidisset formidabilem, cœperunt eum contemnere & habere exosum, ipsum tanquam inutilem de abbatia cogitauerunt eijcere. *Non est malitia supra malitiam claustralium peruersorum, qui nullum facinus abhorrentes, audent omne quod liuor suggesserit.* Depositus autem fuit anno Dominicæ natiuitatis millesimo sexagesimo octauo, indictione autem 6. anno regiminis abbatialis assumpti tertio cõpleto & mensib. ferme 8. Mansit igitur inter æmulos suos (vt diximus) vir humilis, quietus, nulli grauis, nulli onerosus, sed internæ compunctioni deditus, dies noctesque in oratione Domini consummauit. Interea aduenies abbas monasterij sancti Nazarij Lauriſſensis, cum innocentis viri deiectionem cognouisset, cuius vitam & mores sanctissimos dudum antea nouerat, ingemuit: quem inter lupos velut agnum diutius manere non sustinens, ex magna eum pietate secum abduxit, & in monte sancti archangeli Michaelis, qui Ebernisberg dicitur, collocauit, ac de necessarijs quam diu vixit copiosa miseratione prouidit. In eodem vero monte vsque ad mortem permansit, orationibus cæterisque piæ conuersationis studijs intentus, tantoque liberius contemplationi & quieti mentis dedit operam, quanto ab omni cura & tumultu secularium occupationum fuerat remotus. Denique non multis postea annis euolutis Domino vocante

*Abbas apud Comitem accusatur inertia.*

*Quare fuerit Comes abbati indignatus.*

*Accusatio nõ erat sufficiens.*

*Crimen fornicationis abbati imponunt.*

*Fridericus abbas deponitur iniuste.*

*Quam patienter tulerit iniurias sibi factas.*

*Monachorum malitia peruenit in lucem.*

*Quando sit depositus ab officio dignitatis.*

*Abbas in Torsch Fridericum secum abduxit.*

*Vitam religiosam continuat.*

*Catenam portauit ad nudam carnem.* infirmari cœpit & sancto in pace fine quieuit. Quo mortuo catena ferrea ad nudam carnem eius inuenta est, quam multis annis creditur non sine dolore, quod cicatrices carnibus infixæ monstrare poterant, in occulto portasse. Sepultus est in eodem loco non sine opinione sanctitatis, super cuius tumulum nocturnis horis lumina emissa, vt multi referebantur, visa sunt, & signa diuinitus ostensa. Et is quidem abbatis Friderici exitus fuit, cuius animam cœli gaudijs introductam confidimus, quæ Christum totis semper visceribus in carne posita amauit, pro cuius amore multa patienter sustinuit.

*Signa cœlitus ad sepulchrum eius facta sunt.*

## *DE WILHELMO HVIVS MONASTERII ABBATE DVODECIMO, qui præfuit annis viginti duobus, & de gestis per eum, atque sanctissima conuersatione eius.*

*Consilium de pastore eligendo.* POST depositionem deuotissimi viri abbatis Friderici, non parua inter fratres concertatio fuit suborta, quis in locum eius idoneus substitueretur, qui & verbo & exemplo pastorem se vtilem ouibus exhiberet, & prouisionem temporalium rerum (*sine cuius adminiculo religio subsistere nequit*) nō negligeret. Verebantur enim violentiam Comitis, quoniā cuius auxilio Fridericum à dignitate sua deposuerant, eius iram si contra succesſorem eadem præsumerent, non inconsulte metuebant.

*Wilhelmus monachus.* Erat eo tempore in cœnobio sancti Hemerani Ratisbonæ, monachus quidam Wilhelmus nomine, vir multum doctus & religiosus, quem quidam ex fratribus notum antea viderant, reliqui famam bonæ conuersationis eius satis celebrem sæpe audiuerant.

*Omnes in Wilhelmum consentiunt absentem.* Igitur post longos inter se habitos tractatus, tandem sapienti diuinitus inspirati consilio, vsu concordi vnanimitate concluserunt, non se alium electuros quam monachū præfatum Wilhelmum, quem scripturis optime imbutum, & sanctis moribus adornatum, sciebant futurum non inutilem esse pastorem. Mittunt ergo duos ex se, cum legatione Comitis Adelberti, ad monasterium Sancti Hemerani Ratisbonam, qui nomine omnium, Wilhelmum sibi dari in Abbatem postularent. Nuncii Ratisbonam veniunt, legationem suam Abbati & conuentui (quemadmodum iussi fuerant) exponunt. Wilhelmum animarum suarum pastorem expetunt, & (suis necessitatibus ostensis) impetrant. Qui Wilhelmus dum fratrum Hirsaugiensium voluntatem cognouisset, non in superbiam se extulit, sed ieiunijs & orationibus caussam omnino Domino commendauit. Imperio vero senioris sui compulsus, post dies paucos, cum fratribus qui missi fuerant, ad peregrinationem se contulit, & comitante Domino ad Hirsaugiense monasterium venit. Magno fratrum gaudio susceptus est, & mox in abbatem, consensu omnium qui aderant, electus. Cognita vero depositione antecessoris sui iniqua, grauiter tulit, exhortans; Comitem, vt virum innoxium, dignitati pristinæ restitueret, cœpit. Quem vt obstinatum in sua temeritate conspiceret, redire ad monasterium suum vnde venerat, cogitauit. Hoc fratribus quum innotuisset, prouoluti pedibus eius humillime orant, ne desolatos tam misere deserat, ipsum Diuino examini clamant futurum grauiter obnoxium, si pastore orbatos, lupis suo recessu permitteret patere deuorandos. Quumque maximis eum precibus obuoluunt, ægre tandem impetrant, vt maneat. Qui nec ordinari ab episcopo voluit, nec in loco Abbatis stare, aut residere, quamdiu Fridericum antecessorem suum, in hac vita cognouit esse superstitem. Quo, non post multos menses, ad Dominum migrante, suæ tidem ordinationi consensit. Verum non prius consentire voluit, quam monasterium omnimodo traderetur libertati. Aduocati namq; Comites, monasterium in ius suum penitus redegerant, & nullam oblati libertatem, iuxta tenorem primæ fundationis libertime permittere volebant.

*Legatio mittitur ad Ratisbonam pro Wilhelmo.*

*Wilhelmus venit ad Hirsaug.*

*Renuit ordinari antecessore suo viuente.*

*Nō vult assumere monasterium nisi liberatum.*

Videns ergo Comes Adelbertus Wilhelmi abbatis constantiam, quod monasterij regimini se nequaquam intromittere vellet, nisi manus ipse deponeret, & locum perpetua libertate condonaret: simulauit se in omnibus obtemperaturum, quæcunque ad huiusce rei negocium necessaria præuiderent. Ad instantiam itaque eius, Comes Adelbertus perrexit cum eo ad curiam Regiam, literas præ se simulate ferentes, libertatem cœnobij astutia seculari falsas composuit: quas muniri sigillo regio impetrauit, Wilhelmo columbina simplicitate reuerendo nihil tale penitus suspicante. Verum post annos quinq; dolū intelligens, per Dei misericordiam euicit: quemadmodum suo loco per ordinē dicemus. Sanctus igitur & innocens quum esset Wilhelmus, verax atque fidelis, omnes ex suis virtutibus metiens, monasterium à seruitute iam credens exemptum ordinari in Abbatem consensit.

*Comes Wilhelmū dolo circumuenit.*

MLXIX.

MLXIX.

Anno igitur Dominicæ natiuitatis milleſimo ſexageſimo nono, indictione autem ſeptima, in die ſancto Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ fuit quarto nonas Iunij, monaſterio necdum conſummato, Wilhelmus abbas conſtitutus eſt: & in præſentia multorum nobilium tam clericorum, quam laicorum, ab Henricho Nemetenſi Epiſcopo iuxta morem ordinatus, atque in ſedem Abbatiæ, non abſque flumine lachrymarum collocatus. Præfuit autem in magna religione & ſanctitate per annos duos & viginti: in quibus ſtatum & conditionem huius monaſterij, tam in perſonis, quam in rebus temporalibus mirifice dilatauit. Natus eſt in Bauaria honeſtis parentibus procreatus, à quibus omnipotenti Deo in pueritia ſua fuit à pijſſimis parentibus oblatus in prædicto monaſterio ſancti martyris Hamerani Ratisbonenſi, vbi tam moribus ad puritatem regulæ, quam eruditione literarum vſque adeo cum tempore & diligentia profecit, vt ne dicam in monaſterio, ſed ne in altero quidem, ſua ætate habuerit parem. Ingenium eius ſubtiliſſimum, & in omni ſcientia tam humana, quam Diuina, eruditum fuit: quemadmodū ſua præclara volumina oſtendunt, quæ & monachus & demum Abbas edidit, quæ ſi quis diligenter cum intellectu reuoluerit, quanto intellectus acumine præditus fuerit, ſciet. A pueritia enim ſua (vt diximus) in monaſterio conſtitutus, omne illud tempus quod ex horis regularibus & cæteris laboribus monaſticis ſupereſſe potuit, aut orationi impendit, aut ſtudio bonarum literarum. Nemo illum in cœnobio vel extra, vnquam vidit ocioſum: ſemper aliquo ſpirituali, vel certe literali fuit intentione occupatus. In his artibus, quas vocant Liberales, eruditiſſimus fuit, vt ſuos etiam longe vinceret præceptores. Erat enim Philoſophus acutiſſimus, & in diſputationibus adeo ſubtilis, vt à nemine penitus vinceretur. In Muſica ſingulari doctrina fulgebat: quippe in laudibus Sanctorum, qui cantus plures dulci modulamine compoſuit. Porro in Mathematica & Aſtronomia, in Arithmetica & in arte Calculatoria tam eruditus fuit, vt quum in omnibus haberetur doctiſſimus, his quaſi ſingulariter ſcientijs operam nauaſſe videretur. Quid autem ediderit, obiter indicabimus. Scripſit enim de Muſica, de Compoſitione monocordi, de Aſtrolabio & eius compoſitione, de Compoſitione quoque horologij, de Correctione Pſalterij, & de Ratione Computi Eccleſiaſtici. Ipſe quoque in ſacris Scripturis ſtudioſiſſimus fuit, in quarum lectione dulce contubernium omni quoad vixit tempore, habere conſueuit. Erat vir per omnia dignus honore, cuius etiam diſpoſitio corporis quendam reuerentiæ cultum abintuentibus exigebat. Statura ſiquidem procerus, in anteriori corporis parte caluus, pilos in reliquo raros habebat, faciem cerulei mixti albedine coloris, pulchram aliquantulumque productam, manuumque digitos pulchra longitudine ſubtiles, ac totum corpus debita proportione ad virtutem fuerat ordinatum. Vox illi grandis atque virilis erat, qualis cum naturali quodam ornatu verborum, optimum quenque oratorem facere conſueuit. Vnde in exhortando multum valuit, ita vt dulcedine vocis, & quadam auctoritate ſermonis modeſtiſſime præſtans, animos auditorum in ſua videretur habere poteſtate, dum quicquid dicere voluiſſet, admirabili facilitate pulchritudine neque auditoribus potuit perſuadere. In corrigendis vero delinquentibus, & ſi aliquantulum videbatur ſeuerus, mira tamen prudentia & diſcretione vtebatur, tantaque ſagacitate morbos animarum diſcernere & curare nouerat, quanta nullus medicorum corporum ægritudines ſanare potuiſſet. Summa in Deum charitate feruebat, pro cuius amore nullis laboribus, nulliſque parcebat expenſis, quibus vel Dei honorem vel proximorum ſalutem operari potuiſſet. Corpus ſuum ieiunijs, vigilijſque pene continuis pro Chriſti amore macerabat, tantiſq; lachrymis ſanctæ compunctionis ſe mactabat in ſacrificium laudis, vt eum lumen oculorum cito amiſſurum credidiſſes. Iucundus erat in conuerſatione fraterna, non diſſolutus, ineratque ei cum grauitate paſtorali dulcis affabilitas, qua cunctos in ſui fauorem facile attraxit. Tantæ vero humilitatis extitit, vt non ſolum doceri ab inferioribus in his quæ neſcire forſitan videretur, ſed etiam corrigi multoties non ſit dedignatus. Fratres ſuos & in Chriſto filios mirabili dilectionis affectu fouebat, ſingulorumque cauſas & neceſſitudines, non ſecus quam animam ſuam curare ſtudebat. Nullus vnquam ſuorum quantumlibet triſtis vel tentatus, ad eum gratia conſolationis acceſſit, qui non dulcedine verborum eius abiret magnifice conſolatus. Summæ in pauperes clementiæ fuit: omneſque infirmos, egenos, debileſque, quos reperit paterno fouebat affectu, vſque adeo vt ſe veſtimentis multoties ſpoliaret ſuis, quibus nuditatem alicuius pauperis operiret. Multa enim pauperibus & hoſpitibus larga manu diſtribuit, &

*Wilhelmus ordinatur abbas ab epiſcopo Spirenſi.*

*Præfuit annis 22.*

*Wilhelmi elogium, & vita.*

*In pueritia ſua factus eſt monachus Ratiſbona.*

*Doctiſſimus in omni ſcientia fuit.*

*Nunquam vifus eſt otioſus.*

*In ſeptem artibus liberalibus fuit eruditiſſimus.*

*Opuſcula quæ poſt ſe reliquit.*

*Qualitas & diſpoſitio corporis Wilhelmi.*

*In perſuadendo fuit efficaciſſimus.*

*De caſtigatione corporis ſui & compunctione.*

*Magno fratres affectu dilexerat ſemper.*

*Miſericors in pauperes fuit.*

tamen in omnibus curam fratrum non neglexit. In ea contentione, quæ inter sum-
mum pontificem Gregorium septimum & Henricum regem quartum, in multarum
periculum animarum vertebatur, nulla potuit ratione induci, vt his qui vicarium Christi
*Cum ecclesia sensit Rom.* impugnabant, vel in minimo consentiret. Nec solum partes Apostolici defendere &
obseruare voluit, sed etiam quoscunque potuit verbo & exemplo publice & priuatim
*Neminem à conuersione monastica repulit.* non aduertens indignationem malignantium, ad eius obedientiam reduxit. Magnæ fuit
charitatis magnus amator, vt neminem Deo seruire volentem repelleret, non pauperta-
tem, non imperitiam personarum attendit, sed omnes ad obsequium Creatoris venien-
*Singularitatem in cibo & potu non amauit.* tes, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, doctos & indoctos, sine generis aut gentis dis-
crimine admisit. In victu & amictu nec curiosus fuit, nec superfluus, mediocritatem in
omnibus amauit. In mensa nunquam cibarijs aut poculis vti singularibus consensit, sed
mox vt quippiam talium fuisset ei appositum, infirmioribus distribui præcepit. Omnem
notam singularitatis in exteriori conuersatione fugiendam monacho ex regula doce-
*In compunctione singularitatem amauit.* bat, qui tamen in conuersatione interiori laudabiliter multum singularis erat. Nam in
compunctione cordis, in deuotione mentis, & in feruore diuini amoris multum fuit sin-
gularis, adeo vt se in quotidiano lachrymarum & orationum sacrificio totum mactaret
Domino, cuius tam sancta, tam innocens, tamque religiosa vitæ puritas extitit, vt si-
gnis & miraculis magnificis comprobata, omnipotenti Domino gratissimam fuisse
*Multi ad eum nobiles viri cõfluebant.* non possit dubitari. Denique cum fama religiosæ conuersationis eius, quæ diu latere
non potuit, se per Germaniam & Galliam longe lateque diffunderet, cœperunt multi no-
biles & diuites huius seculi magnæque dignitatis & eruditionis viri certatim ad eum con-
fluere, & se sub eius magisterio diuino seruitio humiliter mancipare. Ex his complures
in seculo abundantes, multa de paterna hæreditate sua secum ad monasterium pro su-
*Confidentia in Deũ magna semper fuit. Promiss. diuinitus & miraculosa.* stentatione fratrum, & redituum necessariorum comparatione attulerunt. Magnam in
omnipotentis Dei pietatem omnibus diebus vitæ suæ fiduciam habebat, seque talem in
sanctitate morum erga Dominum exhibuit, quod in nulla vnquam ab eo necessitate de-
relictus fuit. Quadam namque die cum fratres quibus curam rerum temporalium com-
miserat, maxima & ineuitabili necessitate constricti quinque argenti libras in commu-
nem rei domesticæ vtilitatem conuertendas, à pio pastore nullum habente denarium
penitus exigerent, consolari eos verbis dulcissimis cœpit, dicens de misericordia Dei nul-
latenus esse desperandum. At illi nimia necessitate oppressi consolationis verba non ad-
uertunt. Surgens itaque de medio fratrum abbas reuerendissimus deprecaturus Domi-
num pro instante suorum necessitate egreditur, cui mox ignotus quispiam occurrens me-
moratum pondus argenti in manus tradidit, & ilico recessit. Multa sunt per virum Dei
Wilhelmum facta miracula, quæ cum in historia vitæ ipsius habeantur latissime descri-
*Claudum curat ebriũ in ponte.* pta, à nobis superflue denuo scriberentur. Claudum duobus se baculis sustentantem in
ponte circa monasterium S. Aurelij habens obuium, pristinæ sanitati inuocato Christi
nomine restituit. In nemore quippiam acturus operis multos homines ex panibus pau-
*Cõtractum sanat brachium.* cis magna fide in Christum sursum erectus satiauit. Gebhardi monachi, qui post mortem
viro Dei ad cœlos translato in abbatia monasterij successit, toto corpore contracti miser
tus, dextri sanitatem brachij, quo se ipsum in edendo iuuare posset, precibus ad Domi-
*Furtum reuelat.* præmissis impetrauit. Appositum sibi ex furto piscem quodam tempore, nullo instructus
humanæ reuelationis indicio, sed prophetico spiritu intus edoctus respuit, & manifestato
*Vinum auget.* scelere coquos dure satis reprehendit. Vas quoque per negligentiam ministrorum tuto
in terram vino, penitus vacuum solo iussu (vt ita dicam) ipso etiam nesciente, optimo
*Capturam fratri piscii dat.* rursus vino plenum subito repertum est, quod pauperibus statim distribui præcepit. Exem-
plo denique summi pastoris Iesu Christi de misericordia Dei securus, fratrem die tota fru-
stra in piscando laborantem, confisum de pietate saluatoris denuo exire laxareque in ca-
pturam rete suum iussit, & magnæ quantitatis lucios octo primo tractu frater cœpit. Cõ-
tinuo pater sanctus pauperes inuitat ad conuiuium, cum quibus donum manducaret di-
*Annonam quoq; multiplicat.* uinitus oblatum. Cum tempore famis pauperes larga reficeret manu, & exhausta frumẽ-
tis promptuaria iam prorsus apparerent vacua, Christi seruus Wilhelmus opera pietatis
nequaquã propterea minuit, & ecce theca frumentaria, quæ vesperi diligenter reuisa inuẽ-
ta est vacua, mane denuo per fratres lustrata frumentis plena fuit reperta. Sed his narrãdis
cur insistam miraculis, cum omniũ miraculorũ maximum sit ipsius instauratio monastici
*Wilhelmus ordinẽ monasticum reformauit.* ordinis & disciplinæ regularis, cuius nec dũ feci mentionem? Ipse nanq; est, qui ordinem
nostrum in omnibus pene Teuthonici regni prouincijs misere collapsum reformare stu-
duit, & in multis etiam cœnobijs mirifice reformauit. Monachos enim quoscunq; potuit
verbo

verbo & exemplo ad obseruantiam regularis disciplinæ feruentissimo, spiritus S. ardore succensus, reuocauit, & summo studio pristinum illum feruorem spiritus, quo sancti patres nostri Benedictus, Maurus, Placidus, Columbanus, Gallus, Ægidius, Gregorius, Bonifacius, Lullus, & cæteri pene innumerabiles olim feruebant in Deum, ad monachos sui temporis reducere mirum in modum cupiebat. Enimuero septem ordinis nostri cœnobia in diuersis prouincijs partim per se in persona propria, partim vero per suos monachos atque discipulos à fundamentis erigens, pro Dei honore constituxit. Ex his primum fuit cella S. Gregorij quæ Richenbach dicitur, de cuius fundatione inferius loquemur latius. Secundum est monasterium sancti Gregorij martyris in Nigra sylua Constantiensis diœcesis, in quo posuit monachos de suo conuentu Hirsaugiensi viros probatos & in omni religione clarissimos. Quibus in abbatem præfecit Henricum discipulum suum & monachum huius cœnobij, virum spectatæ religionis, qui verbo & exemplo subditos suos ad contemptum præsentium & amorem futurorum animauit. Tertiũ vero in Bauaria fundauit in honorem S. Martini episcopi, vbi etiam de suo cõuentu monachos & abbatem posuit, qui proculdubio sub patre sanctissimo regularibus instituti disciplinis nõ poterant esse nisi religiosissimi, maxime cum ad nouas plantationes non infirmiorem quosq; , sed meliores quos habuisset monachos mittere prudentissima consideratione pater Deo plenus consueuerit. Quartum fundauit in Thuringia cœnobium, in ciuitate Erphordensi in honorem sanctorum Apostolorum Christi Petri & Pauli, in quo similiter fratres de conuentu suo Hirsaugiensi posuit, ipsumque cœnobium & fratres Giselberto ex monacho Hirsaugiensi eo tempore abbati, in Reinhartzbronna regendum & procurandum quousque eis de abbate prouideret, commendauit. Verum cum fratres, qui hodie monasterium ipsum Erphordiense inhabitant, regem Francorum Dagobertum fundatorem suum fuisse dicant, poterit nos forsan aliquis falsitatis arguere, quod abbatem Hirsaugiensem Wilhelmum fundatorem eius audemus appellare. Idcirco testem veritatis historiam vitæ ipsius in medium producimus, in qua manifeste habentur, quæ nos de hac re locuti sumus. Nec disceptationem aduertimus, quoniam si primus fundator Dagobertus extitit, Wilhelmus non primus, sed post ruinam prioris cœnobij fundator secundus fuit. Quintum vero monasterium ordinis sui pater sanctus in honorem beatissimæ Dei genitricis & virginis Mariæ, ad Duplicem aquam de nouo constituxit, in quo monachos & rectorem ex suo conuentu viros vita & conuersatione venerabiles collocauit. Sextum in villa quadam, quæ Wielheim vocata est, seruorum Dei cœnobium posuit, quod postea tamen in montem S. Petri commutatum fuit, ad quod similiter monachos & pastorem dedit. Septimum vero ordinis nostri monasterium fundauit in prouincia Charentinorum, quod Lauense dicitur, ad quod fratres de suo conuentu misit viros probatæ conuersationis, quibus Wetzilonem monachum venerabilem præfecit abbatem. Multa insuper ordinis nostri monasteria in diuersis Germaniæ prouincijs nimia vetustate pene collapsa, in pristinum statum reformauit, & nonnulla ab aliis inceptа, nec tamen consummata, continuando perfecit. Porro monachos & abbates de suo conuentu ad multa cœnobia tam nouiter in diuersis locis fundata, quam etiam ad puritatem regulæ instaurata & reformata destinauit, quorum mentionem, quantum ad notitiam memoriæ nostræ peruenerunt, in sequentibus faciemus. Erat enim vir magnarum virtutum, & magnæ apud omnes æstimationis, qui cum simplicitate columbina prudentiam serpentis possidebat, & propterea pastorem se fratrum suorum, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus idoneum & vtilem exhibebat. Singularem quoque lucrandi animas gratiam à Domino cui fideliter seruiuit, accepit, perquam multos & pene innumerabiles ad Christi obsequium homines perduxit. Nam cum Adelbertus comes monasterij Hirsaugiensis instaurator, pro quindecim monachis duntaxat stipendia prouidisset, sanctus pater Wilhelmus omnipotentis misericordia sibi cooperante, per oblationes fidelium & fratrum numerum mirabiliter auxit, & omnibus necessaria prouidit. Centum nanq; & quinquaginta monachos sub sua disciplina quotidie Dominum laudantes habuit, quibus necessaria vitæ corporalis & spiritualis, iuxta regulã patris nostri sanctissimi Benedicti frugaliter procurauit. Supra hunc monachorum numerum habebat & alios fratres barbatos complures, quos vsitato nos vocabulo Conuersos appellamus, qui laboribus manuum insistentes, temporalium curam secundum mandata seniorum agerent, & monachis contẽplationi & orationi semper deditis corporũ necessaria prouiderent. Ferunt deniq; hunc reuerendissimũ patrem Wilhelmum conuersorum huiuscemodi vsum in Germaniç cœnobijs primum vel instituisse, vel potius abolitum re-

*Septem cœnobia fundauit.*

*Richenbach. Cœnobium S. Gregorij martyris.*

*Cœnobium S. Martini in Bauaria.*

*Cœnobium S. Petri in Erferd.*

*Opinionem refert fratrum Erphordiensium.*

*Cœnebium fundauit ad duplicem aquam.*

*Cœnobium sextum.*

*Cœnobium fundauit in Charentia.*

*Cœnobia restaurauit antiqua.*

*Simplex fuit & prudens.*

*Cõmes Adelbertus in paucis dotauit monasterium. Wilhelmus personas & stipendia auxit.*

*Conuersorum consuetudinem primus inuenit.*

nouasse,quam solum in primæua monachorum cõuersatione olim nouimus celebrem. O quam pulchrum fuerat in illo tempore conuersationi tot Dei famulorum interesse, qui vnanimes spiritu & voluntate concordes in domo Dei ambulabant cum consensu quorum & si corporalis habitatio fuerit in præsenti seculo, mens tamen & desiderium versabantur in cœlo. His pater sanctus decreta sanctæ regulæ conformia,pro pleniori institutione morum & mentium edidit,quæ missis fratribus ad Cluniacum, vt illorum cõsuetudines discerent ac reportarent,in vno volumine varia & pulchra distinctione compilauit. Harum consuetudinum codex in multis hodie cœnobijs habetur, testis priscæ religionis & sanctitatis monachorum Hirsaugiensium, licet per nouarum constitutionum Bursfeldensium editionem,pene ab vsu videatur abolitus. Libet autem fratrum conuersorum institutionem à S. Wilhelmo abbate sapienter factam paucis perstringere, vt sciat posteritas quanta sollicitudine,diligentia & studio salutem suam fratres huius monasterij sub pastore pijssimo quæsierint. Ad nocturnas vigilias omnes cum summa festinatione & reuerentia in ecclesiam conuenire,suas orationes deuotissime dicere, omniaque cum silentio agere singulis noctibus solebant. Et quia diuinis laboribus operibusque deputati fuerunt, ne grauarentur supra vires nimia prolixitate vigiliarum, breuiter eis matutinæ cantabantur,quibus expletis licebat ad stratum redire volentibus, aut si maluissent in ecclesia remanere,quousque nocturni complerentur à monachis in choro. Mane singulis diebus summo missam omnes audiebant, qua finita conueniebant ad capitulum culparum,vbi pro commissis negligentijs se proclamantes pœnitentiam à magistro condignã accipiebant. Deinde si cui placebat, confitebatur culpas suas sacerdoti,vt diem feruentiori Dei in amore alacritate perficeret. Post hęc vnusquisque ad opus sibi pergebat iniunctum, laborantque omnes cum incredibili feruore charitatis,non secus quam si omnibus necessaria prouidere suis laboribus singuli tenerentur.

*Constitutiones monasticas edidit nouas.*
*Qualis fuerit Conuersorum vita eo tempore.*
*Ad nocturnos omnes consurgunt.*
*Missam quotidie audiunt, & capitulum.*

Habebant enim singuli intra vel extra monasterium iniuncta sibi officia, quæ tam fideliter,diligenter & honeste administrabant, ac si diuinitus præcepta extitissent. Summa inter eos feruebat mentis in Deum deuotio,tantaque inter se charitate & amore fraterno in vnitate spiritus erant coniuncti,vt nulla turbatio nullaque displicentia,pacem & tranquillitatem eorum vnquam infirmauerit. In communi viuebant omnes, abdicationem omnis proprietatis tam stricte inuiolabiliterque custodientes, vt nihil penitus vel mundum sentire putarentur. Ad obedientiam seniorum erant promptissimi, alacres semper & voluntarij: ad omnia quæcunque illi mandare voluissent, non solum in leuibus & quotidianis actionibus,sed etiã in grauioribus, & his quæ secundum æstimationem humanam impossibilia viderentur. Inter quos non solum contentiones & iurgia nulla erãt, sed nec verbum ociosum quidem aut risum prouocans ab aliquo eorum poterat audiri. Singulis quatuordecim diebus in Dominica,festis quoque maioribus, & in viam dirigendi,qui ante Dominicam non reuerterentur,singuli communicantes corpus Domini nostri Iesu Christi cum maxima reuerentia & deuotione sumpserunt. Ad completorium singulis diebus conuersi omnes vna cum monachis vniuersis ad ecclesiam conueneruntquo finito cum summo silentio iuxta præceptum regulæ ad cellas suas euntes,parumperque compunctioni vacantes,ad lectos dormitum se reponebant,quo statutis horis ad nocturnos possent consurgere. In omnibus deniq; exercitijs spiritualibus, quæ hominem clausralem perficiunt,& ad morem cœlestis patriæ incendunt,tam studiose,tam deuote, tamq; feruentes vitam suam instituerunt, vt solo tempore quidem posteriores, moribus autem & obseruantia disciplinæ regularis antiquissimus illis in eremo Ægypt. monachis pares omnino coram Deo & hominibus haberentur. Sed nunc tandem ad historiæ narrationem reuertamur,quia non opus est vitam & mores viri sanctissimi huic operi nostro per ordinem inserere,quæ conscriptæ in speciali volumine continetur. Cum itaque Friderico quondam pastore fratrum importunitate per comitem abdicato Wilhelmus reuerendissimus abbas,tandem post multa impedimenta fuisset ordinatus, nec monasterij fundatio completa fuerat, nec donatio necessaria per ipsum comitem, per consuetudinem temporis legitime confirmata.

*Laboribus manuum diligentissime intendant.*
*Summa deuotio & charitas in eis feruebat.*
*Ad omnem obedientiam erant promptissimi.*
*Verba nulla inter eos otiosa non contentio.*
*Communicatio corporis Christi.*
*Ad completorium accurrunt omnes.*
*In omni cõuersatione erant sanctissimi.*
*Ad historiã sit regressio.*

## *DE CONSECRATIONE NOVÆ BASILICÆ S. AVRELII, dotatione,manumissione & libertate monasterii, quam Wilhelmus procurauit.*

*Instat Wilhelmus vt ecclesia perficiatur.*

CVM igitur ecclesia monasterij necdum fuisset consummata, quando Wilhelmus ad Hirsaugiam venit quemadmodum antea diximus, neque dotatio per comitem Adelber-

Adelbertum facta, communitione necessaria confirmata, sanctus pater vna cum fratribus suis: quorum tum paruus adhuc erat numerus, summa cura, diligentia & studio monendo, promouendo & cooperando cœpit instanter agere, quatenus opus inceptum quãtocius compleretur. Cum autem diligentissime instarent operi cœpto, Adelberto comite & deuotissima coniuge prębentibus impensas, non minus quoque in circuitu fidelibus nobilibus & ignobilibus largitione eleemosynarum suarum cõcurrentibus, breui totum ædificium fuit consummatum.

*Ecclesia perfecta est cum monasterio.*

M LXXI.

Anno nanque Dominicæ natiuitatis 1071. indictione 9. structura ecclesiæ ante decennium ferme inchoata, per Dei auxilium consummata est, vna cum reliquis habitaculis monachorum eodem tempore inchoatis. Eodem itaque anno, qui fuit Wilhelmi abbatis annus secundus, pridie nonarum Septembrium, eadem ecclesia dedicata per Henricum episcopum Nemetensem ordinarium, in cuius parochia monasterium est cõstructum, Adelberto comite eiusque vxore deuotissima Wiltrudi atq; Wilhelmo abbate petentibus. His igitur factis cum amator veritatis Wilhelmus monasterium omnimodæ libertati iuxta promissionem comitis traditum æstimaret, nihilque suspicaretur fraudis, lætus in Domino, propositum suum, iuxta regulam sanctissimi patris nostri Benedicti exequitur. At vero paucis annis transactis deuotissima Christi famula Wiltrudis comitissa audiens ex marito quam dolose & fraudulẽter sanctũ virum in literarum imperialium pro monasterij libertate datarum circumuenerit, quã secretissime hoc ipsum abbati Wilhelmo reuelare curauit, si quo modo restringere dolosi fraudes posset, admonens, & nouas literas prioribus cancellatis super libertate monasterij extrahere, seque daturam nõ segniter operam, vt consentiente viro nullus filiorum contrarium se poneret. Quanta cum tristitia & amaritudine vir sanctus fraudem non sibi tantum, sed Deo factam ingemuerit, nõ facile dixerim, quippe qui iam comitis animum non rectum erga cœnobium fore manifeste didicerat, ex quo in seruitutem denuo redacto seruorum Dei habitaculo, nihil aliud quam cito cultus monastici instare videretur euersio. Sed cum deceptum se miserabiliter cerneret, nullumque apud homines remedium inueniret, videreturq; turpissimum post ordinationem episcopi locum & fratres deserere, nec minus graue cum periculo regularis disciplinæ frustra sub tyrannica seruitute ad posteritatis commodum velle laborare, ad Deum tota se mentis deuotione conuertit, & quod obtinere per homines ab homine fraudulento se posse desperauerat, facile per Dei misericordiam recepturum se sciebat. Et ecce omnipotens qui preces & lachrymas pauperum suorum non despicit, tantis comitem subito aduersitatibus intus à suis filijs & propinquis, foris ab extraneis tribulari prouida dispensatione permisit, ita vt omni humano penitus consilio & auxilio destitutus, nihil aliud quam extremam rerum & vitæ desperationem cogitaret. Admonitus tandem vxoris deuotissimæ consilio, virorum spiritualium suffragia requirit, qui non aliter euasurum illum calamitates quas pateretur, viro (vt ita dicam) ore confirmabant, nisi monasterium Hirsaugiense quod iniuste occupauerat, restitueret omnimodæ libertati. At ille nihil moratus omnia se facturum promisit, vocatoque ad se reuerendissimo abbate Wilhelmo omnimodam libertatem monasterij omniumq; ad ius monasterij pertinentium abrogatis ac penitus cancellatis prioribus literis, in manus eius obtulit: omnique iuri aut proprietati ratione aduocationis vel alterius cuiusque iurisdictionis seu maioritatis pro se filijsque & hæredibus suis in perpetuum firma contestatione coram vxore, filijs & multis alijs renunciauit. Deinde præcepit abbati, quatenus literas vel per se vel per quoscunque alios super hac ipsa perpetua libertate monasterij conficeret, quacunque forma & tenore, sibi melius videretur expedire, se quando vellet cum eo ad regiam præsentiam sine mora iturum, & omnia quæ ad huiusce rei pertinerent confirmationem sine dolo fideliter esse facturum. Itaque post paucos dies abbas Wilhelmus gratias Deo peragens debitas, formam literarum cum consilio prudentum virorum pro libertate perpetua concepit, vadensque cum Adelberto regem personaliter adijt, & paginam testamentariam quam cõceperat, sigilli regalis munimine in manus ipsius regis Henrici quarti obtulit corroborandam. Et quia totius libertatis, & dotationis vel (vt proprie dicamus) restitutionis monasterij Hirsaugiensis per sæpe dictum comitem factæ, in eisdem literis plenius dignoscitur summa contineri, non erit inutile si formam ipsius instrumenti regalis de verbo ad verbum huic operi nostro fideliter inseramus.

*Ecclesia cõsecratur per episcopum Spirensem.*

*Fraus comitis sancto innotescit, abbati per Comitissam.*

*Wilhelmus amare fit animo ex hoc.*

*Deum adiutorem inuocat abbas Wilhelmus.*

*Comiti tribulatio immittitur.*

*Comes spiritualium quæret consilia.*

*Comes monasterio in perpetuum renunciat.*

*Comes abbatem literas conficere iubet vt vult.*

*Abbas & Comes pergunt ad regem.*

*Rex confirmat testamentum comitis.*

## PAGINA TESTAMENTARIA LIBERTATIS.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Henricus diuina fauente clementia Rex, omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet ac futurorum cognoscat industria, quod in regno nostro regulare quoddam monasterium situm est, in prouincia scilicet quæ dicitur Teuthonica Francia, in episcopatu Nemetensi, in pago Wernigau dicto, in comitatu Ingersheim, in sylua quæ dicitur Nigra, iuxta fluuium qui dicitur Nagaltha, quod Hirsaugia, siue S. Aurelii cella nuncupatur, vbi & idem sanctum corpore requiescit: quod tempore Ludouici pij regis, in honore S. Petri & Aurelij episcopi constructum honorifice & Deo dicatum fuit ab Erlafrido quodam nobili senatore & religioso, & à Nottingo filio eius reuerendissimo Vercellensi episcopo, aliisque parentibus Adelberti comitis de castello Calue, sed deinceps à posteris eorum dilapidatum est. Nunc autem idem comes Adelbertus instinctu Dei tactus, nec non coniugis suæ Wiltrudis crebris precibus adhortatus, monasterium ipsum iam restaurauit, & quæ aliquandiu inibi defecit, vitam monachicam reparauit, & prædia quæ illuc antiquitus à parentibus suis tradita sunt, sed partim à posteris eorum inuasa, partim & à se ipso quasi iure hæreditario possessa sunt, reddidit, & insuper de propriis tot ac tantas prædiorum illuc impensas contradidit, quo seruitium Dei nunc à quindecim fratribus sub regula S. Benedicti inibi procurandis gratia Dei peragi & stabiliri possit, coniuge ipsius prænominata, filijs Brunone, Adelberto, Gotfrido, & filiabus Vta & Irmingarde sibi in hoc & in omnibus his institutis consentaneis, & in primis ipsum scilicet locum Hirsaugiam, cum omnibus nunc in præsentiarum illuc collatis iustitiis legitimis & pertinentiis prædiorum, seu quarumcunque rerum ex toto super altare S. Aurelij reddidit, delegauit & contradidit Domino Deo, sanctæ Mariæ, sancto Petro Apostolo, S. Aurelio episcopo & S. Benedicto in potestatem & proprietatem, & prædicti monasterii abbati nomine Wilhelmo, eiusque successoribus in dispositionem liberam cellam necessariam, fratribusque Deo sub regula monastica inibi seruituris ad vtilitatem. Et ne vnquam à posteris similiter vt à parentibus suis, Dei seruitium deinceps illic destrui possit, prudenter prouisit & instituit eandem cellam cum omnibus suis pertinentiis nunc collatis & deinceps deferendis abbatiæ & deinceps omnino non subdi, nec subesse itugo alicuius terrenæ personæ vel potestatis, nisi sola abbatis dominationi, ordinationi & potestati, & sic totius libertatis iure & priuilegio eam adamplexus est, & ob regni cælestis hæreditatem in Christo omnimodis stabiliter sublimauit. Dehinc omni potestate, seruitio, iure, & proprietate prædicti monasterii, ipse cum coniuge, filiis & filiabus supradictus sese omnino fideliter abdicauit. Sed hoc totum reuera felix negociator prudenter effecit, primum ob spem præmium vitæ æternæ, ob remissionem peccatorum, ob salutem corporum, & sempiternam requiem animarum, & ob quotidianam memoriam sui ipsius, coniugis suæ prænominatæ, filiorum & filiarum suarum, necnon omnium parentum, posterorum, consanguineorum, amicorumque suorum & omnium ad curam suam pertinentium. Ob memoriam quoque regũ, episcoporum, principum, & omnium prædicta cellæ statum & honorem diligentium ac defendentium & omnium Christi fidelium. Et quod prout posse fuerit cunctis Christi pauperibus beneficium semper illic patefiat receptaculum. Ad hæc enim vt fratres cœnobii ipsius nunc inibi congregati, adhucque in Christo congregandi, tutius ac liberius Domino Deo in sanctæ professionis securitate seruire possint, huiusmodi libertatis eos munere dotauit. Vt quandocunque patre suo spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum regulam S. Benedicti inter se vel vndecunque vbi opus fuerit abbatem sibi non solum eligendi, sed etiam constituendi. Quem cum fratres regulariter elegerint, dehinc vt solet, ad constituendum eum in eorum monasterii conuentiant, & vna clero aduocato populoque in sanctuario præsentibus, decanus vel quicunque prior sit loci ipsius, accipiat virgam regiminis de altari sancti Aurelii & absque omni prorsus contradictione tradat in manum ipsius, quem tota fratrum congregatio sibi elegerat. Hic subinde canonice abbas ordinatus, sine alicuius personæ dominatione & impedimento susceptum ministerium suum prosse & scire suis impleat, solique Deo secundum ordinem suum liber seruiat, liberamque omnium rerum sibi commissarum in Christo deponendarum intus & foris potestatem habeat. Qui nisi forte præter necessitatem monasterii & communem fratrum vtilitatem sacrilegus, quod absit, licentiose & scelleriter abuti præsumpserit instituta libertate, familia, bonis, rebusue sanctuarii, & ob id fratrum admonitiones contemnens ad suam suorumue priuatam cupiditatem & libitum temere ea dissipauerit, vel si beneficia quibuslibet personis nisi necessariis monasterii ipsius seruitoribus præstiterit. Aut si regibus, episcopis, seu quibuscunque personis consentaneus annuerit, si forte libertatem monasterii peruertere sibique locum sanctum subiicere attentauerit, siue aliquod seruitii statutum inde fieri sibi exegerint, mox posteri comitis prædicti cum suffragio fratrum, aduocati, cleri, totiusque familiæ, & omnium bonorum hominum rite à fratribus hunc accusatum, iusteque ab eis conuictum, à dignitate sua abiciat, præficiantque alium iuxta prædictam libertatem, & S. Benedicti regulam, quem fratres sibi elegerint & absque omni contradictione pro illo substituant. Concedit etiam comes prædictæ cellæ aduocatum aliquem de posteris suis fieri, si tamen loci ipsius abbas cum consilio fratrum talem inter eos inuenerit, qui sicut ipse comes nunc, non pro terreno commodo, sed pro æterna mercede sollicitus & iudo-

Francia Teutonica.
Wernigau comitatus.
Ingersheim.
Nigra sylua.
Nagaltha.
Erlafridus.
Notingus Episcopus.
Adelbertus comes.
Wiltrudis.
Spolium monasterij, &c.
Consensus filiorum.
Donatio monasterij & prædiorum super altare S. Aurelij facta.
Libertatis omnimodæ priuilegium.
Solus abbas est dominus monasterij.
Exemptio ab omni seruitute.
Obspem vitæ sempiternæ.
Electio abbatis ad monachos pertinet.
Libertas constituendi abbatem penes fratres.
Si abbas monasterij substantiam dissipare cœperit.
Negat episcopis regibusque aut cæteris seruitia.
Libertas constituendi aduocatū monasterij.

& constitutam monasterii libertatem & iustitiã defendere voluerit. Sin autem aptũ & vtilem aduocatũ vndecunq; sibi placuerit, eligant. Hic denig; abbate petente à rege accipiat bannũ legitimũ, & ter in anno si necesse fuerit, aut in ipsam cellã, aut vbicunq; vel quãdo abbati placuerit inuitatus ab illo veniat, & ibi placitũ iussum pro causis & necessitatibus monasterii rite peragat. Nullũ autẽ seruitiũ aliud, tus aut beneficiũ sibi pro hoc concedi recognoscat, nisi tertiũ bannũ & consuetudinariam iustitiã & legẽ, q̃ cæteri aduocati in aliis liberis monasteriis habent super fures, proteruiã, & censuales, & cætera talia. Et in illis trium placitorum diebus in vnoquoq; vnũ maltrum de frumento & vnũ friscingum, & vnum sicli de vino & cætera ad hæc pertinentia. Præterea item constituit, q̃ nisi abbate volente & aduocante bona & loca monasterii suis frequentiis temerariis, & sine causa minime adeat vel cõtingat. Nec præsumptuosus in eis placitum quodlibet vel pernoctandi licentiã habeat. Nec subaduocatum pro se faciat, nec omnino aliquam absq; ratione calumniam, persuasionem aut iniuriam monasterio, abbati vel familiæ faciat. Si autem non vt aduocatus, sed potius vt calumniator & peruasor monasterii fuerit, omnino potestatẽ habeat abbas cum consilio fratrũ hunc reprobare, & alium sibi vtiliorẽ vndecunq; eligere. Constituit etiam & hoc comes præfatus, & nos ipsius petitione firmiter statuimus, q̃ si quispiam posterorum suorum, vel quarumcunq; homo personarum, vnam vineam, vnum mansum, vnum molendinum, vel saltem vnum mancipium siue aliquid tale à supradicta cella temerarius iniuste abstulerit, vt nostri nostrorumq; successorum regia potestate coactus, tria auri talenta ad ærarium regis persoluat, primitus reddito ecclesiæ quod inuaserat. Si vero quislibet illorũ (q̃ absit) cortem vel aliquam villã inde violenter abalienauerit, siue manifestus inuasor bonorũ ipsius cellæ extiterit, vel si hoc testamentũ traditionis & libertatis quocunq; ingenio seu argumento legum secularium peruertere vel infringere tentauerit, centũ auri libras ad regiam item persoluat cameram, & reddat primitus ecclesiæ, & secundũ leges item componat, q̃ ablatũ fuerat, & sic intentio illius omnino irrita fiat. Ministris quoq; & familiæ sanctuarii eandem concedit legem & seruitutem, quã cæteri in regno nostro liberæ abbatiæ habent, vt tanto fideliores prælatis suis per omnia seruiant. Super hæc omnia comes sæpe dictus Apostolicum priuilegium acquisiuit & constituit, vt vnus aureus quem Byzantium dicimus, singulis annis Romam ad altare S. Petri ab abbate prædicti monasterii in pascha persoluatur eo pacto, vt libertatis istius & traditionis statuta tanto perennius inconuulsa amodo permaneant, & vt prædictum cœnobium, sub Romanæ ecclesiæ Mundiburdio & maiestate securum semper stabiliatur & defendatur. Si forte quispiam regum vel posterorum eius, seu quarumcunq; homo personarum (quod absit) testamentũ hoc vllo ingenio infirmare vel infringere præsumpserit, si autem id (quod absit) à quolibet eorũ instigante diabolo fiet, obsecrat comes idem & omnino testificatur Apostolicum pontificem per Christum & per S. Petrum Apostolum & S. Aurelium episcopum, & per omnes sanctos Dei, & per tremendi iudicii diem, vt illum Dei & sanctorum eius contemptorem & testamentariæ huius conscriptionis destructorem, nisi resipuerit, tradat omnino satanæ, & anathematizet eũ, ac prophanet à consortibus & filiis ecclesiæ sanctæ Dei & hæredibus vitæ æternæ, vt & auferat Deus memoriam illius de terra viuentium, & deleat nomen eius de libro vitæ: & vt cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit, & viuos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem. Et vt Herodis, Pilati & Iudæ socius sactus in æternum discrucietur, & cum Sodomitis & Gomorris ignis & sulphuris imbres hic experiatur, & Heliodori plagas & verbera hic perpetiatur, & Antiochi tormentis, vermibus scilicet scaturiens, & cum fœtore computrescens miserrime conteratur. Et nisi resipiscat, Petrum regni cœlorum archiclauigerum cum S. Aurelio & tota cœlesti militia portæ Paradisi obstitorem habeat in æternum. Prædia autẽ seu villæ ad prædictã monasterium antiquitus pertinentia, & ab eode comite nunc reddita, hæc sunt. In primis ipse locus Hirsaugia cum tribus villulis, Lutzenhart, Altburen, Nagalthart, Husteten, Deckenphrum, & quæ sita sunt ad Gilstein, Stamheim, cum villulis item tribus Summenhart, Lutzenhart, ad S. Candidam, ad Mettlingen, ad Meuchingen, ad Gretzingen, ad Muchlingen, ad Mercklingen, Tres hubæ, Gumpertzwiler dimidium. Hæc autem comes prædictus de suis superaddidit prædictis, Ottenbrun, & quæ possidebat ad Wile, cum villulis binis Gretzenbach & Blauda & ad Biberbach, ad Bottenach, ad Thanbach, ad Walaheim, ad Duas hubas, & sex iugera vinearum, ad Güprechtzwiler dimidium, & ecclesiam ad Toffingen & ad Malscha. Hæc scilicet prædia cum mancipiis ad prædicta loca pertinentibus reddidit & contradidit ad prædictum cœnobium, cum ecclesiis, fabricis, vinetis, agris, pratis, syluis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus, & redditibus, cultis & incultis, cum marchis & terminis legitimis. Statuta quoque & iura censoria cum omnimoda integritate legitimorum suorum & vtilitate & seruitiis, quæ vllo modo inde prouenire vel excogitari potuerunt. Vt autem prædictæ traditionis & libertatis status, & omnia prædicta statuta, ea ratione qua Deo & sanctis eius destinata sunt, ab hac die omni æuo in Christo rata & inconuulsa permaneant, hanc chartam testamentariam prædicti comitis rogatu, conscribi manuq; propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus communiri. Data est 7. iduum Octobris, anno Dominicæ incarnationis 1075. indictione 13.

*Officium ipsius aduocati.*

*Restrictio ipsius aduocati.*

*Si aduocatus monasterium grauauerit.*

*Pœna regalis auferentium mansum.*

*Pœna regalis auferentium curtim villam.*

*Lex ministrorum & familiarii monasterij huius.*

*Aureus nummus pro censu dabitur S. Petro.*

*Contestatio Comitis ad summum Pontificem.*

*Imprecatio contra violantes hoc testamentum.*

*Restitutio ablatorum per Comitem facta.*

*Nomina villarum quas monasterio restituit Comes. Et quæ de nouo monasterio dedit.*

*Ius omne quod habuit Comes in his dedit.*

*Rex Henricus se testatur subscripsisse literis.*

Huiusmodi ergo tenoris chartam, restitutionis, traditionis, donationis, libertatis & immunitatis monasterij sui Hirsaugiensis reuerendissimus abbas Wilhelmus, manu & sigillo regiæ maiestatis munitam cum impetrasset, gratias egit Deo, qui non deserit in misericordiam suam sperantes, & vt roborata per regem, etiam per summum pontificem ipsa donatio firmata maiori stabilitate muniretur, consulentibus idipsum amicis personaliter adire Romam statuit, perpetuum libertatis priuilegium ab ipso quoq; Christi vicario, secundum canonicas sanctiones impetrare.

*Abbas Wilhelmus statuit ire Romam.*

Hoc sancti viri propositum comes Adelbertus iam totus ad Deum conuersus, non solum consilio, sed etiam auxilio promouit, conferens omnia quæ tantæ rei perficiendæ & impensis viarum necessarias videbantur. Post dies igitur aliquot, sanctus pater propositum iter arripuit, & protegente Domino ad sedem apostolicam sanus & incolumis peruenit.

*Comes Adelbertus Quaticum S. confert abbati.*

Præfuit eo tempore sacrosanctæ Romanæ vniuersali ecclesiæ reuerendissimus papa Gregorius 7. Hildebrandus antea vocatus, qui ex abbate monasterij S. Pauli extra vrbis mœnia nostri ordinis, in papam fuerat assumptus: cultor & defensor iustitiæ & libertatis ecclesiasticæ omnium acerrimus. Ad quem perueniens abbas Wilhelmus honorifice & charitatiue ab eo susceptus est, cognitisq; aduentus sui causis, libentissime omnia quæ postulauerat pro monasterij libertate concessit.

*Papa Gregorius VII.*

*Wilhelmus abbas honorifice à Papa susceptus.*

In primis ipsum locũ Hirsaugiam, cum omnibus acquisitis, & in futurum legitime acquirendis, personis, mancipijs, possessionibus præsentib⁹ & futuris, sub protectione sanctæ Romanæ ecclesiæ suscepit. Deinde priuilegium regale, cuius copiam præmisimus authoritate apostolica confirmauit, tertio tale super omnibus his priuilegium dedit.

*Papa concedit priuilegium.*

## *PRIVILEGIVM GREGORII PAPÆ VII.*

*GREGORIVS episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Wilhelmo abbati monasterij sancti Aurelii, q dicitur Hirsaugia, in episcopatu Spirensi situm, eiusque successoribus in perpetuum. Cum omnium ecclesiæ filiorum saluti & securitati sanctæ fides Apostolica ex generali pastoralis regiminis prouidentia cauere & consulere debeat, tum vero alacrius & impensius piæ intentionis & religiosæ deuotionis vota susciperæ ac salutifero affectu mancipare necesse est, vt grat anter bonorum iudarum petitionibus occurrat, & quæ ad laudẽ & gloriam diuini nominis sunt instituta, authoritatis sua virtute soliditate firmiter tenenda stabiliat. Vnde & nos dilecti filij nostri Adelberti de Caluæ laudabili desiderio congaudentes precibus eius sanctæ sedi Apostolicæ humiliter directis acquiescere decreuimus, & religiose postulata efficaciter concessimus, qui æternæ retributionis amore succensus in prædio suo quod dicitur Hirsaugia, monasterium à progenitoribus suis antiquitus constructum, nuper amissa restitutos venuste reparauit, & in vsus fratrum inibi Deo seruientium pluribus possessionibus & redditibus adiectis & contraditis largius ampliauit. Quam suæ liberalitatis institutionem, ne in posterum alla peruersorum hominum audacia imminuere aut violare præsumat, Apostolicæ authoritatis priuilegio muniri & sanctæ Romanæ ecclesiæ tuitione roborari, data annua auret Byzantii pensione postulauit, illud profectò considerans, quia dum à sanctæ matris ecclesiæ fidelibus, beatis Apostolis Petro & Paulo, honor & metus & obedientia exhibetur, quod eorum decreto & nomine solidatum & roboratum fuerit, nullius euersoris illicita præsumptione quatiatur.*

*Comitis petitio experimur.*

*Annum; aurei Byzantini census S. Romanæ ecclesiæ dandus.*

*Quamobrem idem præfatum monasterium cum omnibus sibi hoc tempore iuste pertinentibus & legaliter collatis, & deinceps quarumcunque personarum authentica traditione conferendis sub sanctæ apostolicæ sedis tutela & protectione generaliter amplectimur, & sub alis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tibi fili Wilhelmo tuisque successoribus eliminata ac prohibita omnium infestatione inquietudine, libere & absolute possidenda, & regulariter atque vtiliter ordinanda præsentis scripturæ testimonio confirmamus.*

*Confirmatio monasterij & omnium bonorum.*

*Constitutionis quoq; immunitatis & libertatis modos, quos præfatus comes illustris Adelbertus scripto suo traditionis inseruit, & sigillo regio imprimi curauit, ad posteritatis cautelam & arcendas infestantium impetus diligenter obseruandos, statuimus hos dunt axat, qui canonicis sanctionibus non obsistunt, vt nec permissis quilibet negligatur, nec de vetitis quodlibet irrogetur. Hac igitur qua huius præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, in perpetuum seruanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, iudicum & secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio de perpetrata iniquitate agnoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituat, vel dignæ pœnitentia illicite acta defleuerit à sacratissimo corpore & sanguine Domini redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi qua-*

*Libertatis quoque perpetua confirmatio Papæ.*

*Interdicitur omnibus istorum violatio.*

*sti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ retributionis inueniant.*

Hoc libertatis institutæ priuilegium Gregorius papa 7. abbati Vvilhelmo tradidit, cuius copiam manu ipsius rescriptam in testimonium omnium præscriptorum, atque in perpetuam libertatis memoriam in scrinio S. Petri recondidit. *Rescriptum priuilegij Romæ seruatur.*

Denique ex nimia charitatis dilectione, qua vir Apostolicus complectebatur abbatem, & in signum amoris nonnullas ei sanctorũ reliquias contulit, quas ad monasterium cum reuerentia portauit. In eadem vrbe Romana beatus pater aliquandiu moram agens, grauissimam ægritudinem inflatione ventris incidit, quæ in tantum prævaluit, vt à medicis etiam expertissimis desperaretur. *Wilhelmus Romæ grauiter ægrotat.*

Tandem iussit se portari ad ecclesiam B. Mariæ semper virginis, positoq; saucio ad aram ventre suffragium eiusdẽ aduocatæ pauperum intentissima supplicatione flagitauit. Ac subito inter verba orationis conualescere cœpit, breui pristinæ sanitati restitutus, expeditisque negotijs, pro quibus venit in curiã, feliciter ad Hirsaugiã, comitante Domino remeauit. Quẽ fratres sui cum ingenti lætitia susciptẽtes, gratias omnipotenti Deo tam de incolumitate patris quam de priuilegijs ab Apostolico impetratis per ipsum reddiderunt. *Conualescit miraculose.*

His ita peractis reuerendissimus abbas Vvilhelmus cum monasterio, fratribus & possessionibus acquisitis, & legitime in futurũ acquirendis, de sufficienti priuilegio libertatis & immunitatis crederet esse prouisum, iam deinceps ad lucrandas Christi multorũ animas omne studium impendit. Et in breui quidẽ tempore possessiones monasterij, Deo largiente, per oblationes fidelium notabiliter sub eo ampliatæ sunt, ita vt numerum monachorum copiosum ex his sine grauamine multo posset enutrire. *Res monasterij multum augentur sub Vvilhelmo.*

Collegit ergo quoscunque Deo seruire in veritate cupientes, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, doctos & indoctos, sine delectu personarum, & cum monasterium ab Adelberto comite pro 15. monachis à principio esset doratum, ipse centum quinquaginta monachos præter fratres laicos, qui appellabantur Barbati, sub suo magisterio legitur habuisse. Vnde cum locus monasterij S. Aurelij nimis pro tanta capienda multitudine videretur angustus, nouum trans pontem cœnobium lapideo tabulatu construxit, de quo postea dicemus. Nunc autem posteaquam consecrationem, dotationẽ, libertatem, & cætera monasterij priuilegia per abbatem Vvilhelmũ impetrata, vna cum fundatione comitis Adelberti consignauimus: ordinem historiæ diu intermissum resumamus, incipentesque à primo Vvilhelmi anno, seriem temporum & notabiliora in Germania, maxime circa ordinem gesta, breuiori ratione perstringamus: ita videlicet intenti alienis, vt tamen huius abbatis acta & monasterij incrementa sub eo non negligamus. *Numerus monachorum sub eo fuit CL.*

Igitur anno Vvilhelmi primo Petrus Damiani ex ordine nostro sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ episcopus cardinalis, de quo longe superius mentionem fecimus, à papa Alexandro secundo legatus ad regem Henricum in Germaniam mittitur, & apud Francfordiam in præsentia multorum principum sedis apostolicæ mandata regi cum authoritate magna & sapientia exponit. *Petrus Damiani legatus Germaniæ.*

Eodem anno Megimuuardus abbas Hildensheimensis abbatiam suscepit Augiensem, patefacto in eam per multam largitionem pecuniarum aditu. His enim temporibus quibus Henricus quartus regnabat, episcopatus, abbatiæ, præposituræ & cæteræ dignitates ecclesiasticæ, non per electionem dignis conferebantur, & hæresis simoniaca totum pene regnum Teuthonicum sua prauitate maculauit. Ex qua multa in Germania orta sunt mala, quia rex propter hæc & alia multa per Christi vicarium excommunicatus, rebellis & contumax summo pontifici fuit, omnesque illi obedientes vsque ad mortem persecutus est. *Abbatia & episcopatus hoc tempore simoniace dabantur.*

## MLXX.

Anno sequente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1070. annus, archiepiscopus Moguntinus Sifridus, archiepiscopus quoque Colonien sis Hildolphus, & Bambergensis episcopus Hermannus, à papa Alexandro euocati Romam venerunt. Ibi episcopus Bambergẽsis accusatur, quod per simoniacam hæresin data pecunia episcopatum inuasisset, adeo muneribus placuit Romanum pontificẽ, vt non solum impunitus, sed etiam pallio quasi archiepiscopus remuneratus, ab eo in patriam sit reuersus. Adelbero quoq; Vvormaciensis episcopus ex monacho S. Galli factus, quemadmodum supra diximus, hoc ipso anno propria (vt ferunt) crassitudine præfocatus obijt, cui Adelbertus successit. *Nota corruptionem Pontificis.*

MLXXI.

Anno Wilhelmi abbatis secundo rex Henricus Ducatum Bauariæ Ottoni abstulit, quem illi mater eius Imperatrix antea dedit, pro quo constituit Welphonem virum strenuum & bellicosum, natione Sueuum. Vnde dux Otto fugiens ad Saxones, contra regem dux belli factus est. Anno sequente multi principes coniurant contra Henricum regem & Saxones, acerrimo in eum animo multa contra eum prælia gesserunt.

*Dux Bauariæ Otto deponitur.*

*Archiepiscopus Sifridus fit monachus Cluniacensis.*

Hoc tempore Sifridus archiepiscopus Moguntinus, causa orationis in Galitiam ad S. Iacobum perrexit, & in reditu ad Cluniacum diuertens, ibidem manere contemptoculo statuit, & in dominica quæ festum S. Michaelis Archangeli præcessit, denuo professus est obedientiam regularem publice coram omnibus in manu abbatis. Sed dum mercenarij Moguntinum episcopatum precio comparare à rege conarentur, per obedientiam abbatis, quam illi sub regula S. Benedicti promiserat, compulsus, ad sedem suam reuertitur, & 8. iduum Decembrium Moguntiam regressus est, sedemque suam adhuc 12. annis gubernauit. Iste archiepiscopus Sifridus monasterium ordinis nostri fundauit in Thuringia, quod Hassungen dicitur, in quo & sepultus est.

*Monasterium Hassungen construitur.*

*Giselbertus abbas ex nostris ad Hassungam missus est.*

Abbas autem eiusdem cœnobij primus fuit Giselbertus monachus huius monasterij Hirsaugiensis, quem abbas Wilhelmus ad instantiam Sifridi archiepiscopi Moguntini cum toto conuentu necessario, ad eundem locum destinauit. Iste Giselbertus venerabilis abbas fuit, vir literis bonis eruditus & morum integritate conspicuus, maximus regularis disciplinæ amator, qui multos in breui tempore monachos ad cœnobium præfatum seruituros Domino collegit.

Verum cum Henrico regi postea excommunicato à summo pontifice Gregorio 7. consentire minime vellent, omnes cũ abbate sunt de monasterio expulsi, qui plusquam 70. numero ad Hirsaugiam venientes honorifice à S. abbate Wilhelmo suscepti sunt, quos aliquanto tempore secum detinuit, & postea cellam S. Gregorij eis pro mansione assignauit, quemadmodum suo loco plenius dicemus. Constituit etiam idem archiepiscopus claustrum B. Mariæ semper virginis ad gradus, in ciuitate Moguntina, quod multis prædijs & ornamentis dotauit.

MLXXIII.

Anno Wilhelmi abbatis quarto, qui fuit dominicæ natiuitatis 1073. mortuo papa Alexandro successit Hildebrandus abbas S. Pauli ordinis nostri & Romanæ ecclesiæ archidiaconus, & præfuit annis 12. dictusque est Gregorius huius nominis septimus, vir certe multæ doctrinæ, magnæque pietatis, prudentiæ, iustitiæ, constantiæ, & religionis, qui multa pro defensione libertatis ecclesiasticæ & fecit bona, & sustinuit aduersa.

*Hildebrandus ex abbate fit Papa Gregorius.*

Hic primum fuit monachus Cluniacensis, & à Leone papa 9. sanctæ Rom. ecclesiæ archidiaconus ad monasterium S. Pauli ordinatus, hoc anno post Alexandrum, omnium consensu summus pontifex creatus est. Hic Romæ celebrata synodo statuit sub magna excommunicationis pœna, omnibus presbyteris, diaconis, vt concubinas & omnes mulieres, præter eas quas regulæ & sancta synodus admisit, à se quantocius eijciant, & secundum canones caste viuant. Denique laicis interdixit, ne missas sacerdotum cõcubinas habentium audire præsumerent. Omnes etiam vendentes & ementes episcopatus, abbatias, præposituras, decanatus, canonicatus, præbendas, presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, decimationes, cæteraque officia ecclesiastica, in eadem synodo excommunicauit. Henricum quoque regem accusatum apud sedem apostolicam de simonia & alijs multa criminibus & malis perpetratis, crebris nuncijs & epistolis Romam ad synodalia responsa vocatum, & venire contemnentem excommunicauit, vnde in regno & ecclesia multiplicata sunt mala.

*Clerici concubinarij excommunicantur.*

*Simoniaci quique excommunicantur.*

*Papa regem excommunicat.*

Clara & celebris valde his temporibus per Germaniam & Gallias erat memoria S. Sebaldi in Nurenberg, & S. Heimeradi in Hasungen, & magno populorum cõcursu quotidie frequentabantur propter opitulationes quæ diuinitus illic languentibus sæpenumero cõferebantur. Quorum vltimus videlicet Heimeradus presbyter fuit sanctissimæ vitæ, qui obijt anno Domini 1019. indictione 24. cal. Iulij, super cuius tumulum Sifridus archiepiscopus monasterium nostri ordinis (sicut diximus) cõstruxit, cuius patronus est S. Heimeradus, qui multis ibidem miraculis coruscauit.

*S. Sebaldus in Nurẽberga miracula claruit.*

*S. Heimeradus.*

MLXXV.

Anno Wilhelmi abbatis sexto Rex Henricus Saxones bello aggreditur, & multis ab vtraque parte occisis tandem victoria potitur.

*Rex rebellat Saxones.*

Eodem anno obijt Henricus episcopus Spirensis, cui Hutzmannus successit.

MLXXVI.

MLXXVI.

Anno Wilhelmi abbatis 7. qui fuit dominicæ natiuitatis 1076. in mense Martio, rex Henricus consilium 24. episcoporum, multorum quoque abbatum & clericorum apud Wormaciam indixit, cui etiam personaliter interfuit, animo & intentione contra summum Christi vicarium, à quo iuste fuerat excõmunicatus, iniuste penitus conspirandi. Interea superuenit quidam ex Romanis cardinalibus Hugo cognomento Blancus, quem propter mores ineptos papa deposuerat à cardinalatu, plenus minarum, deferens secum de vita & institutione papæ scenicis figmentis consimilem tragœdiam, scilicet vnde oriundus, qualiter ab ineunte ætate conuersatus, quam peruerso ordine sedem apostolicam occupauerit, quæ ante episcopatum, quæ post acceptum pontificatum memoratu quoq; incredibilia flagitia commiserit.

*Synodus apud Wormatiam cõtra Papam habetur iussu Henrici Regis.*

*Hugo Cardinalis depositus Papam mendose accusat.*

Huius viri apostatæ authoritatem qui cum rege consenserant, quasi diuinitus sibi destinatam gratissime prosecuti sententiam promulgarunt, quod papa esse nõ possit, nec vllam potestatem ligandi, vel soluendi habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculauerit.

*Sententia stulta & iniusta contra Papam.*

Cumque cæteri omnes damnationi eius nihil hæsitantes subscriberent, Adelbero Herbipolensis & Hermannus Metensis episcopi aliquandiu restiterunt, allegantes canones, *qui vetant episcopum sine audientia synodali posse deponi*. Sed minis Wilhelmi episcopi Traiectẽsis, qui partes episcopi Romani nimiũ persequut⁹ & regias plus æquo defendens instabat, etiam coacti subscripserunt. Nomine ergo synodi literæ Romam diriguntur ad papam plenissimæ iniuriarum & contumeliarum, quibus eum declarant pontificatu depositum.

*Adelbero. Hermannus.*

Papa collecta synodo literas coram patribus publice legit, sibi à perfidis transmissas, & cõmuni episcoporum consilio regem denuo & cum eo archiepiscopum Moguntinum Sifridum, episcopum Traiectensem Wilhelmum, & episcopum Bambergensem Ruperтum excommunicauit. Porro Ottonem Ratisponensem episcopum, Burchardum luuanensem episcopum, Ottonem Constantiensem episcopum, Euerardum comitem, Vdalricum & alios nonnullos regis consiliarios prauos anteà excommunicauerat. Cæteris vero qui in synodo Wormacensi eius depositioni subscripserant, diem statuit, quam nisi Romam præsentati causam dicerent huius inauditæ rebellionis, eandem excommunicationis victi pœnam subirent. Ad hoc consilium malignantium abbas Vvilhelmus huius cœnobij Hirsaugiensis vocatus ire contempsit, quippe qui vicariũ Christi sanctum & innocentem nouerat, & cum sancta Romana ecclesia optime sentiebat.

*Omnes qui fuerunt in Synodo ista excommunicantur.*

*Abbas Wilhelmus noluit consentire schismaticis.*

MLXXVII.

Anno sequenti qui fuit dominicæ natiuitatis 1077. circa 18. cal. Octob. colloquium maximum apud Oppenheim factum est, vbi pene totius regni principes Regis subiectionem renunciabant, causam præbentes, quod à duobus Apostolicis Romã ad satisfactionem vocatus non venisset, & pro hoc contemptu in Romana synodo absens & contumax, à papa excommunicatus esset.

*Conuocatio principum in Oppenheim.*

Vnde necessitate compulsus Romam venit, & papam discalceatus laneisque ad carnem indutus accessit, prostratusque in terram coram eo veniam humiliter petijt, emendationem promisit, & absolutionem promeruit, sed non permansit in proposito diu, imo crudelius contra ecclesiam sæuire cœpit quam antea sæuijsset. Tandem excommunicatus denuo à papa fuit, & Rudolphus dux Sueuiæ summo mandante pontifice contra eum per principes in regem fuit electus.

*Rex Gadet Romam humiliatus coram Papa.*

*Rudolphus in regem eligitur.*

Claruit his temporibus S. Anselmus ex abbate Beccensis monasterij nostri ordinis archiepiscopus Cantuariensis post Lanfrancum in Anglia, cuius olim auditor & discipulus fuit, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & secularium quoque literarũ non ignarus, qui multa post se ingenij sui reliquit opuscula, quorum in secundo libro illustrium virorum nostri ordinis, dudum iam fecimus mentionem.

*S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis.*

Hic dum pro defensione iurium ecclesiæ, suæ supra nominatæ ad sedem Apostolicam perrexisset, Vvilhelmum abbatem nostrum Hirsaugiensem, quem antea pro confirmatione institutæ libertatis Romam sub Gregorio papa 7. iuisse iam diximus reperit, & in eius notitiam familiarem assumptus, magna deinceps amicitia inter eos confirmata est. Rediens quoque ab vrbe Romana idem sanctissimus præsul Hirsaugiẽse cœnobium præterire noluit, in quo virũ sibi omnino clarissimũ abbatẽ residere cum fratribus in magno religionis feruore cognouit. Ad Hirsaugiã itaq; veniẽs cum maximo honore & reuerẽtia à S. abbate Vvilhelmo susceptꝰ est, & per dies aliquot in eodẽ loco in summa charitate quie-

*Abbas Wilhelmus in amicitiam S. Anselmi venit.*

*S. Anselmus venit ad Hirsaugiã.*

uit. Sanctificauit hunc locum sua præsentia primâs Angliæ, sanctificatus à Deo, vir omni laude dignissimus, tantaque humilitate & charitate se fratribus exhibuit cõmunicabilem, vt non archiepiscopum, sed monachum quemlibet extremum credidisses.

*Conuersatio eius inter fratres quã humilis fuit.*

In medio fratrum quasi vnus ex eis residebat, colloquens de scripturis sanctis, de institutione morum regularium, de amore Dei animarumque salute, & ad omnia interrogata cum maxima beneuolentia, maxime de scripturarum propositis quæstionibus reddens omnibus & singulis conueniens responsum. Maximo desiderio fratrum se orationibus commendauit, vidensque tranquillitatem, pacem & concordiam eorum, suas deplanxit curas & ærumnas, quas patiebatur, Miserũ se clamitans, quod puritatẽ interiæ conuersationis, & contemplationis dulcedinem, propter seculi curas, aut maculare aliquantulum, aut plurimum intermittere cogeretur.

*Magna inter Anselmũ & Wilhelmum amicitia conualuit.*

Eos autem beatos, terq; felices, quibus in silentio monasticæ solitudinis vsque ad finem vitæ salutare Dei expectare conceditur. Postea vero quam apud eos aliquantis diebus quieuisset, data benedictione in sua remeauit: eos quos hic visitauerat fratres, in multa Spiritus sancti consolatione relinquens ædificatos. Multas iam deinceps inter se miserunt epistolas, Anselmus ex Anglia in Hirsaugiam, & ex Hirsaugia Wilhelmus ad Anglia

*Wilhelmus abbas literas mittit S. Anselmo Episcopo.*

Ex omnibus autem Anselmi epistolis, quas scripsit ad abbatem Wilhelmum, velnam huic historiæ nostræ ad posteritatis notitiam & dictorum confirmationem, placuit nobis inserere, vt quanti fecerit merita fratrum huius conuentus Hirsaugiensis vir tantæ sanctitatis & preeminẽtiæ, nullus ignoret posterorũ. Nam post aliquot annos cum comes de Caluue propter adhæsionem regi Henrico, cum cæteris multis à summo pontifice excõmunicatus se diuinis ingereret, fratresque huius cœnobij pro hoc quod cum summo sentiebant pontifice non modicum perturbaret, abbas Wilhelmus casum B. Anselmo cum quibusdam alijs quæstionibus per epistolam innotuit, & eius super his consilium requisiuit. Cui sanctus Anselmus in hunc modum ex Anglia rescripsit: *Domino & patri reuerendo abbati Hirsaugiensium fratrum Wilhelmo, Anselmus Cantuariensis ecclesiæ minister indignus, in hac vita diuturnam prosperitatem, & in futura æternam felicitatem. Ex quo mihi probitas vestra sui dignata est præbere notitiam, tantam eius concepi dilectionem, vt vestri semper dulcis mihi sit memoria: quod sum expertus non immerito fieri, quoniam & vitam vestram more & reuerentia dignam agnoui existere, & vestram paternitatem non sine affectu dulcedinis erga meam paruitatem esse. Sæpe nanque fratres venientes à vobis, me non solum sanctitatis vestræ relatione ædificauerunt, sed & dignationis vestræ salutatione honorauerunt. Qua in re licet quicquid in me toto, minime possit tantis meritis respondere, meum tamen est, quantum amoris & reuerentia possum exhibere. Sed hæc Deo in nobis seruanda & augenda committens, ad ea de quibus meam paruitatem consulere dignata est prudentia vestra, non præsumendo, sed obediendo potius respondebo scire quod non materiæ sufficiat, sed quod mihi videtur. Comes quidem vester, qui excommunicatus vobis diuina celebrantibus se immiscet, mihi videtur humiliter admonendus, ne contemnendo sententiam eorum, à quibus & in quibus Deus se confirmat, audiri cum audiuntur, & sperni cum spernuntur, seque ligare cum ligant, & soluere cum soluunt, aggrauet super se Dei iudicium, a quo tegi nusquam homo potest. Quare illi melius esse, vt per salubrem humilitatem abstineat ab his, à quibus eum sententia Apostolica segregat, quam per præsumptionis contemptum se ingerat in illa, quæ nisi per humilitatem quæsita prosunt, at semper inordinate præsumpta obsunt, nec debere cum nullo suo commodo & grauissimo vestro malo cogere vos, vt cum eum offendere nolitis, Deum & Apostolicam aut horitatem graniter irritetis, ad quos pacandos illum adiutorem habere non possitis, facilius quæque ac benignius Apostolicum eius rationes susceperum, si suam illum sententiam cognouerit recturitum.*

*Epistola S. Anselmi ad Wilhelmũ abbatem Hirsaugiensem.*

*Crebri inter eos nuncij & fratres mittuntur.*

*De Comite nostro excõmunicato consilium Anselmi.*

*Quod si comes idem hanc admonitionem respuerit, scitis quia Deus plus timendus est quam homo. Quapropter aut secundum iam prolatam Apostolicam sententiam erga illum agendum, aut ipsum Apostolicum seu aliquem vices eius gerentem de hoc ipso consulendum æstimo. De presbyteris vero qui se apertæ reprobos libidinis commercio Deo reprobabiles exhibent, omnino tenẽdum est, quod Apostolica prouidentia ecclesiastico, iusto rigore constituit.*

*Plus Deus quam homo timendus.*

*De presbyteris concubinis publicis consilium Anselmi.*

*Nempe nullatenus cõuenit, vt ibi reuerenter astetur, vbi pertinaciter aperta & impudenti libidine, fœtentes, Dei & sanctorũ phibitionem contemnendo sacris altarib. deseruiunt, imo non deseruiunt, sed quantũ ad ipsos ptinet, turpiter commaculant: non quo quis ea q̃ tractant contemnenda, sed ipsos potius tractantes execrandos existimet, vt q Dei & angelorũ psentiam non reuerentur, vel hominum detestatione repulsi sacra cõtaminare desistat. Nec vllatenus oportet, vt illi sint cõsortes de altari participationis,*

qui

qui per immundiciam se faciunt exortes altari deseruientium. De lapsis autem sacros ordines habentibus, vt spontanea humilitate secrete quibus debent confidentibus, nequaquam asserendum est, quod in eisdem ordinibus amplius vti nullatenus possint, si per sacrificium spiritus contribulati cordisque contriti & humiliati Deum placantes, ad virtutem proficere studiose contenderint. Nam nec apud Deum reprobatur officium alicuius propter culpam quam ipse ignoscit: nec apud homines decoloratur sacri ordinis dignitas, propter personam cuius ipsi peccatum non cognoscunt: quibus duabus causis, carnalis lapsus prohibet ad sacros ordines accessum aut reditum.

*Consilium Anselmi de occulte lapsis sacerdotibus.*

Sed quoniam ferme semper occultū est, quorum remissæ sint iniquitates & quorū tecta peccata, quorum vero minime, tutius semper est, conscium sibi criminis atq; placitam personam exponi per laudabilem humilitatē abstinere, quam per culpabilem securitatē præsumere. Illud enim semper potest, Deo non improbante: hoc vero non debet, nisi Deo approbante. Qui autem huic sententiæ, quæ ad sacri ordinis officium, reditum post lapsum concedit, nequaquam aliqua ratione, nisi authoritate fulciatur scripturarum, vult attribuere consensum, legat epistolam B. Calixti papæ directam vniuersis episcopis per Galliam constitutis, & B. Gregorij ad Secundinum inclusum, vbi ipsi hanc sententiam sic firmis & pene eisdem rationibus & authoritatibus confirmant, vt nullatenus aliorum probatione indigeat. Sed quoniam idem B. Gregorius idipsum in aliis suis quibusdam epistolis studiose prohibet, ne sibi ipsi contrarius sit: de apertis quidem prohibuisse, de occultis vero post condignam pœnitentiam concessisse intelligitur. Nam crimen q; nec à Deo imputatur, nec ab hominibus esse putatur, non reprobat, nec decolorat, vt iam dixi: cum tamen in tali re cuiq; tutius sit coram Deo plus timere quam confidere. Præterea autē inutum debere, qui occultum crimen humili confessione sponte & occulte detegit, minime existimo: te multis obruatur virtus salubris confessionis, qui potius eligerent penitus vsquam in mortem occultari, quam hac occasione in certitudinem vel in suspicionem alicuius criminis adduci. Vt enim confiteantur illi peccatum suum statuitur, sed confitentem absq; eius consensu à sui ordinis officio cessare nemo cogit, sed potius magni criminis reus esse videtur qui cogit: quia sic & confitentem pœnitere confessionis & plures nondum confessos, horrere & refugere confessionem compellit.

*Tutius est post lapsum ab ordinis executione abstinere quam non.*

*Calixtus Papa. Gregorius Papa.*

*Occulte confitentibus non debet publica iniunctio.*

Nam satis patet quam minus malū sit, cuilibet peccatori ad altare cum amore cōfessionis peractæ & spe misericordiæ humili mente accedere, quam se cum odio confessionis & desperatione veniæ indurato corde, desiderio veletiam actu sumptuose ingerere. Ille itaque cui confessio sit nequaquam particeps æstimandus est minoris culpæ in qua alium permittit non consentiendo, sed maiorem prudenter præcauendo. Particeps vero maioris criminis autorque esse videtur, ad quod multos impellit: & si non vocando, tamen inordinate plus quod minus quam quod maius erat timendo. Sed manifestum est, quia illiqui humili contritione superbam verecundiam conculcando, semetipsosque iudicantes iudicenti cessionem sponte consentiunt, multo tutius ministrant permissi, seu etiam iussi, quam illi qui cum verecundia humana inter Deum & se iuste iudicare refugiunt, licet is cui confitentur valde periculosus prohibeat istos inuitos, vt supra dictum est, quam illos spontaneos. Et cum vtriusque necessarium sit, vel ad tempus abstinere, puto quia illi qui non libenter cessant ad quod non bene properant, sunt tantum relaxandi, hi vero qui sponte abstinent, ad id quod non præsumunt etiam reuocandi. Nam in istis sic reuocentur, obedientiæ tegmine præsumptio palliatur, in illo vero humilitas obedientiæ robore adiuuatur. Qua reuocatio non indifferenter, sed magna prælati confessionem suscipientis discretione facienda est. Sæpe namque contigit, vt aliquis non per immissum criminis perpetrati horrorem, neque per vim humilitatis humanam verecundiam superet, sed per stultitiæ tenebras & impudentiæ duritiam fœditatem sceleris & pudorem non sentiat, & per negligentiam officium suum non appetat. Qui autem huiusmodi est, nunquam ad sacrum officium aut vocandus aut reuocandus est. Sed cum pro ipso pœnitente supplicat humilitas, suggerit contritio, intercedit vitæ mutatio, tunc nimirum si prælatus non tam de meritis aliquibus, quam de magna misericordia & multitudine miserationum Dei illum confortans, ad sui visum officij remittat aut inuitet, non tam temere quam prudenter egisse videtur.

*Confessorum sit diuinum ministerium in occultis confessionibus peragere.*

*Lapsus tutius à diuinis abstinet quam accedit.*

*Multi officium non curantes intermittunt libenter vitiose.*

Est enim sæpe in huiusmodi præuenienda pusillanimitas, excludenda contemptus suspicio, ostendenda benevolentia, exhibenda compassio. Hoc enim modo qui tales sunt, quanto benignius tanto efficacius ad perfectionē promouentur, & tanto strictius in bono proposito ligantur. Potui plura de scriptis primū his interserere, sed quia epistolaris breuitas, quæ nimis se iam extendi reclamat, nō consentit, simpliciter quid de interrogatis sentirem paternitati vestræ iussus exposui. Omnipotens Deus nos & in his & in omnibus, quæ nobis agenda sunt, sic in rectitudine veritatis dirigat, vt pro eis seipsum mercedem retribuat. Si præsens essem corā vobis, & sancta cōgregatione vestra, de qua multa bona vidi, & à multi concorditer maiora quotidie audio, supplici mente totum corpus prosternerē, & vt me bonorum quæ Deus operatur in vestro sancto monasterio in perpetuum participem, in fraterna charitate denuo per amplius concederetis postularem. Sed quoniam ego nimium distans hoc non possum, præsumo de meis meritis, sed de vestra sanctitate rogare, vt vos hoc ipsum pro me non humiliato corpore, sed benigna mente ab iisdem filiis vestris mihi petatis & cum illo concedatis.

*Quanta sit in confessore necessaria discretio.*

*S. Anselmus petit in orationes fratrum suscipi.*

His beati Anselmi literis & consilijs S. Abbas Vvilhelmus in Domino confortatus ac diuini amoris totus incensus, nec minus zelo animarum prouocatus, toto illo tempore quo miserabile schisma contra Dei ecclesiam durauit impio rege Henrico in vicarium Christi sæuiente, quoscunq; potuit salubri consilio ad vnitatem ecclesiæ semandā tuendamq; totis viribus animabat. Et quoniā puro simpliciq; oculo tā sancto tamque necessario insistebat negotio, quicquid agebat, religiosorum omniū animis complacebat: quicquid dicebat, cunctorū bonorū corda amoris intimo affectu mulcebat. Cum simplicitate columbina semper in eo viguit astutia serpentina: & quia in omnib⁹ nō suā, sed Dei gloriā quæsiuit, dedit illi gratiam suam Deus, vt in cunctis prospere ageret, ita vt ab huius seculi prudentibus omnes prudentia videretur præcedere, & ab his qui diuinam profitebantur sapientiam sine inuidia coleretur.

*Wilhelmus consilio S. Anselmi ecclesiam tuetur.*

*Bonorū semper amorem obtinuit in populo.*

Claruit etiam his temporibus in Anglia Giselbertus abbas monasterij nostri, quod appellatur Vvest, B. Anselmi discipulus, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus egregie doctus, qui inter cætera ingenij sui monumenta scripsit contra ludæos pulchram altercationem non ineleganti sermone.

*Giselbertus abbas doctissimus.*

His quoq; temporibus claruit Diemo nostri ordinis abbas in ciuitate Saltzburgensi, qui propter excommunicationem Regis Henrici quarti de monasterio suo fuit expulsus, quoniam cum sancta Romana ecclesia sentiens, excommunicatis communicare noluit. Venit ergo fama S. Vvilhelmi abbatis prouocatus ad monasterium nostrum huc in Hirsaugiam, & inter fratres conuersatus humiliter, cum vitæ eorum laudabilem institutionem vidisset, decreuit perpetuo cum eis in Domino permanere. Itaque monachus denuo factus sub Vvilhelmo religiose conuersabatur, gratias agens Deo, quod tam sanctæ congregationi meruerit inscribi. Deinde post annos aliquot in archiepiscopū Saltzburgensis ecclesiæ sublimatus est, & de monasterio nostro per obedientiam compulsus recessit inuitus. Præfuit autē ecclesiæ præfatæ strenue verbo & exemplo, multis præbens incitamenta virtutū. Tandē amore diuino succensus cum alijs multis ad terrā sanctam ire, dominicumq; inuisere statuit sepulchrū, & in itinere captus à paganis, cum cæteris suæ peregrinationis plerisq; socijs martyrio coronatus est, cuius gesta habentur.

*Diemo Abbas fit monachus, & postea archiepiscopus.*

*Diemo archiepiscopus martyrizatur.*

Circa hæc tempora Rupertus quondā abbas Augiensis per papā Gregorium 7. deponitur, mandatū perferente S. Hugone abbate Cluniacensi, omnisq; illi ordinis ecclesiastici executio interdicitur, præter psalmodiam, quia tertio Romam citatus, vt se de obiectis purgaret criminibus, ire contempsit. Postea summi pontificis prohibitione contempta, monasteriū in Gegenbach à rege Henrico suscepit, vbi dum pro consuetudine sua lucris temporalibus immoderatius intenderet, occisus est cum alio haud desperatæ indolis monacho adolescente, qui eum de Bambergensi monasterio secutus fuerat à seruitoribus supradicti cœnobij, contra quos possessiones monasterij & ius suum progressus, ipse ad vim arcendam defendere voluit. His temporibus Gregorius papa 7. pro causis ecclesiasticis legatū in Germaniam & Gallias misit, virum venerabilē, eruditione scripturarum ac morum sanctitate integerrimum, Bernardum abbatem Massilienſem ordinis nostri, qui veniens ad hoc monasterium nostrum Hirsaugiense, quasi ad anni spacium propter difficultatem itineris conficiendi, quod volebat, hic cum fratribus remansit. Huius viri consilio S. abbas Vvilhelmus pro pleniori monachorū institutione perdiscēda, duos ex monachis suis ad Cluniacum direxit, ac postea iterum duos, & tertio nihilominus duos, qui diligenti examinatione omnia illius congregationis secreta rimati sunt, & in scriptis constitutiones ad Hirsaugiam retulerunt. Vnde Vvilhelmus reuerendissimus abbas permissione Hugonis Cluniacensis abbatis sanctissimi, statuta & consuetudines sibi transmissas mutatis iuxta considerationē loci, regionis & aeris quibusdam rationabiliter mutandis, in duobus libris ordine pulchro digessit, fratribus que suis & posteris pro conseruatione conuersationis monasticæ obseruandas tradidit.

*Rupertus fit abbas in Gegenbach.*

*Rupertus abbas de Gegenbach occiditur.*

*Bernardus abbas Massilensis legatus Apostolicus fuit in Hirsaugia.*

*Abbas Wilhelmus duos monachos misit Cluniacum.*

M L X X I X.

Anno Vvilhelmi abbatis 10. qui fuit dominicæ natiuitatis 1079. Hidolphus archiepiscopus Colonienſis obijt, cui Sigeuuinus successit. Hocipso anno rex Henricus fortiter debellat Saxones, ex quibus plures interierunt.

M L X X X.

Anno autem Vvilhelmi abbatis 11. iussu Henrici regis apud Brixinā Noricorum ciuitatem iterum Synodus 30. episcoporum & multorum abbatum ac clericorum contra papam Gregorium 7. celebrata est.

*Synodus 30. episcoporum.*

Eodem

Eodem anno rursus bellum inter Rudolphum & regem Henricum geritur, & ipse Rudolphus cum alijs multis cecidit, qui Mersburg delatus à suis mortuus & sepultus est. Fertur autem in extremis positus, & abscissam dextram intuitus, cum graui suspirio dixisse ad Episcopos, qui forte aderant, Ecce hæc est manus qua Domino meo Henrico fidem sacramento firmaui, quam heu vobis vrgentibus non seruaui, & ecce vitā miser cum regno deserere compellor. Videte qui me contra Dominum meū solium ascēdere fecistis, vt recta via me vestra monita sequentem duxeritis. Quibus dictis expirauit. In cuius locum Saxones & Alemaniæ principes Hermannum quendā præpotentē ex Germania nobilem elegerunt, qui breui tam suis quam alienis cœpit despectus haberi, vnde post paucos annos depositio nomine regis, ad gratiam Henrici se contulit.

*Rudolphus rex in bello cecidit.*

*Recognouit errorē suum Rudolphus.*

*Hermannus rex eligitur.*

MLXXXI.

Anno Wilhelmi abbatis 12. dominicæ vero natiuitatis 1081. rex Henricus Italiam cum exercitu petit, Romamque veniens in vigilia Pentecostes, resistente sibi Gregorio papa cum Romanis, ante castellū S. Petri castella posuit, vbi etiam crebris per biennium incursibus vrbanorum infestatus, parua manu multa viriliter peregit. Obsedit ergo vrbem continuo per biennium, quam tandem cepit anno Domini 1083. indict. 6. 4. nonas Iunij, quæ fuit sexta feria hebdomadæ pentecostes. Gregorius autem papa occulte fugiens Salernam secessit, ibique vsque ad diem mortis suæ permansit. In cuius locum Henricus rex petentibus Romanis Wigbertum Rauennatensem episcopum papam constituit, quem Clementem huius nominis tertium appellarunt. Hæc autem institutio Vvigberti antipapæ facta fuit obsidione vrbis durante. In synodo 30 episcoporū (sicut diximus) apud Brixinam contra Gregoriū, Henrici iussu habita. In hac synodo S. Pontificē inauditis criminibus falso accusatū, quod per artem magicam, necromanticam, & dæmonū suffragio sedē apostolicā inuaserit, & alia complura mentientes, absentē deposuerunt. Quod audiens papa Gregorius congregato pontificū & abbatum synodo, Vvigbertum inuasorem sedis apostolicæ cum omnibus qui fuerunt in synodo Brixinensi, Henricum quoque regē cum omnibus fautoribus suis excommunicauit, & satis terribiliter maledixit.

*Rex biennio Romam obsidendo tenuit.*

*Papa fugit.*

*Wigbertus fit Antipapa dictus Clemens III.*

*Rex, Antipapa cum omnibus suis excommunicantur.*

Eodem quoque anno Vvilhelmi abbatis, videlicet 12. Moguntia ciuitas ex maiori parte cum ecclesia principali & tribus monasterijs igne consumpta sunt. Monasterium quoq; Bambergense in vigilia sanctæ paschatis combustum est. Henricus quintus huius nominis rex nascitur.

*Moguntia igne crematur cum ecclesijs.*

MLXXXII.

Anno domini 1082. cum numerus monachorū huius cœnobij sub reuerendissimo abbate Vvilhelmo, Domino benedictionem suam largiente multum creuisset, ita vt loci angustia apud S. Aurelium eos difficulter præ multitudine capere posset. (Erat enim plus quam centum quinquaginta monachi, præter conuersos, quorum non minus quam 40. fuerunt) cœpit vir sanctus habere consilium cum eisdem fratribus suis de monasterio prefato aliquantulum ampliando. Sed cum id propter loci situm angustum & minus cōgruentem, structurarumque dispositionem fieri conuenienter non posset, accepto consilio nouum monasterium trans fluuium in loco eminentiori aliquantulum, & ob id saniori quoque construere decreuit, fiduciam habens de misericordia Dei magnam: quia qui toti obsequium sui fratres in vnum collegerat, sumptus etiam pro construenda eis mansione necessaria prouideret. Cumque necessaria ad hoc opus præparare cœpisset, lignorum enim ibi & lapidum magna copia erat, Domino Deo prouidente cœperunt diuites & nobiles multa pro Dei amore conferre, & sanctum opus propter laudabilem conuersationem monachorum & famam Vvilhelmi abbatis sine intermissione promouere. Fuit eo tempore quidam Marchio potens & diues nomine Hermannus, qui diuino spiritu attractus, mundum pro Dei amore cum omnibus rebus & pompis contemnens, occulteque fugiens, nemine præter vxorem sciēte, ad monasterium Cluniacense incognitus diuertit, assumptoque à sancto Hugone abbate sanctæ cōuersationis habitu, pro summi pastoris amore pastor pecorum monasterij eiusdem factus est. Huius præstantissimi viri vxor post coniugis præfati discessum, Deum bonorū suorum volens instituere hæredem, sumptus & impensas sancto abbate Vvilhelmo ad construendum nouum monasterium inchoatum præstitit. Quæ tandem nescio qua ex causa vsque adeo fuit offensa, vt sanctum opus intermitteret, & retractis manibus relinqueret imperfectum. Ex his tamen quæ antea cōtulerat, tantū superfuit impensarū, vt reliquiū pene totū quod restabat, perficeretur. Cœpit autem reuerendissimus abbas Vvilhelmus monasterium maius construere anno regiminis sui 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1082. indictione 5. & in nouem annis totum æ-

*CL. monachi & XL. conuersi huius monasterij.*

*Monasterium maius cœpit fundari in Hirsaugia.*

*Marchio fit pastor pecorum Dei ob amorem.*

*Marchionissa dat impensas abbati.*

*Annis nouem monasterium perfectum est.*

dificium perfecit, ita vt decimo anno ecclesia fuerit consecrata. Huius autem ædificij non alios artifices habuisse credendus est quam monachos suos, quippe cum ferme ducenti essent numero, erant inter eos latomi, fabri lignarij, ferrariique & architecti in omni arte & scientia architecturæ proculdubio expertissimi, quo totum opus sine adiutorio secularium artificum egregio tabulatu, vt hodie cernitur ecclesia, consummarunt. Cætera namque monasterij ædificia præter ecclesiam, pene omnia successu temporis per diuersos abbates mutata sunt.

*Artifices omnes monachi fuerunt & conuersi.*

MLXXXIII.

*Richenbach fundatur.*

Anno sequente qui fuit dominicæ natiuitatis 1083. abbas Wilhelmus cellam sancti Gregorij in Richenbach fundauit, cuius fundationis seriem ipsius verbis duximus his potius quam alienis inserere. *In nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Ego Wilhelmus omnibus meis meritis, sed sola Dei misericordia cœnobij Hirsaugiensis abbas, notum esse desiderio omnibus tam futuris quam præsentibus, quod quidam ingenuus senior nomine Bern, prædiolum suum in Nigra silua situm, in loco qui à Riuo, qui ibi Murgam influit, Richenbach vocatur, sancto Aurelio Hirsaugiæ in præsentia idoneorum testium in æternam hæreditatem tradidit: id vnice postulans, vt ibidem monasterium construi satagerem. Accepto igitur communi concordique seniorum nostrorum consilio, missimus fratres monachos nostros tres, & laicales quinq; in idem prædiolum, nemore densissimo hispidum, quatenus silua eruta, loco; purgato, construerent monasterium beato Gregorio.*

*Litera fundationis Richenbach.*

*Octo fratres in hoc opus missi sunt.*

Anno itaque incarnationis Dominicæ 1082. indictione 5. circiter idus Maij, cum venissent ijdem fratres in prædictum locum haud paucis diebus pro tugurio fruebantur nuda abiete. Horum autem vnus vocabatur Ernestus, vir probus & curialis, qui iam prius se suaque omnia nostræ dediderat obedientiæ, quem cum suis omnibus eidem loco in adiutorium concessimus. Extitit ergo idem Ernestus loco & fratribus prouisor, & quasi pater secundus, qui ad extirpandam syluam, ad purgandum locum, ad ædificandum monasterium, ad construendas officinas, maxime suas ipse impensas dedit, & vndequaque competenter acquisiuit. Eius ergo parentumque ipsius, sicut & meam meorumque memoriam ibidem celebrem haberi dignum iudicaui, libensque firmaui. Sane postum est fundamentum ecclesiæ, anno Wilhelmi supra dicti abbatis decimoquarto, quierat dominicæ natiuitatis millesimus octuagesimus tertius, indictione sexta, & in triennio consummata est. In præfato siquidem monasterio Richenbach nostri ordinis prioratus est, qui à tempore fundationis suæ vsque in hodiernum diem, abbati huius monasterij immediate, & pleno iure ac dominio est subiectus, ad ipsumque pertinet ius instituendi ac destituendi priorem ipsius loci toties, quoties opus fuerit, consecrandique monachos ibidem, ac cætera faciendi quæ hodie de consuetudine & priuilegio habet in via. Similem quoque iurisdictionem habet super prioratu in Schonrein in finibus Franconiæ siti, qui subest abbati Hirsaugiensi simpliciter in omnibus immediate, habetque ius instituendi destituendique priorem, ac singula ordinandi quæ ad maioritatem prioratuum huiusce modi pertinere dignoscuntur. Præpositura etiam in Rode Augustiensis diœcesis immediate ad ius monasterij Hirsaugiensis pertinet, cuius præpositus abbati Hirsaugiæ si, pleno iure subiectus est. At vero sanctus abbas Wilhelmus adhuc plures prioratus ordinis nostri sua subiurisdictione illo tempore possidebat, qui succedente tempore in abbatias mutati, à iurisdictione monasterij Hirsaugiensis alienati sunt. Eloruit hoc tempore ordo monasticus in hoc cœnobio, nõ solum numero monachorum, sed etiam personarum conditione, & meritorum qualitate vehementer insignis.

*Iurisdictio abbat Hirsaugiensis in Richenbach qualis.*

*De prioratu in Schönrein.*

*Præpositura in Rode.*

Nam sicut in præcedentibus diximus, fama sanctissimi viri Wilhelmi abbatis longe lateque per orbem diuulgata, cœperunt ad eum multi confluere viri, in seculo nobiles & diuites, qui contemptis omnibus rebus pompisq; mundi, suaue iugum Domini subeius obedientia portandum subierunt. Et licet omniũ habere memoriã nostrę non sit facultatis, tamẽ ne veterũ Hirsaugiensiũ gloriã nescientibus, fabulã recitasse videamur, paucorũ è pluribus vel sola nomina dignitatibus quibus prælati sunt coniungentes, exprimamus.

*Multi nobiles in Hirsaugia facti sunt monachi.*

*Gebhardus ex Duce monachus, & episcopus Constantiensis.*

Gebhardus filius ducis Alemaniæ, & frater ducis Bertholdi, vir non solum nobilitate sanguinis clarus, sed etiam sapientia, facundia & eruditione Scripturarum insignis, contempto seculo, pro Dei amore, sub sancto patre Wilhelmo in hoc nostro cœnobio monachus factus est. Hic postea Constantiensis episcopus ordinatus, multa huic monasterio Hirsaugiensi vna cum fratre duce Bertholdo bona fecit. Eiusdẽ nominis alter Gebhard⁹ vir nobilis & doctus, sub eodẽ patre Wilhelmo monach⁹ in hoc nostro monasterio factus, ipsi Wilhelmo in abbatia successit, & demũ episcop⁹ Spirensis ecclesiæ constitu-

*Gebhardus abbas episcopus Spirensis.*

constitutus est, sicut in sequentibus suo loco dicemus. Dietgerus etiam monachus nostri monasterij sub S. patre Wilhelmo factus est, vir moribus & eruditione præclarus, propter vitæ meritum & scientiæ doctrinam, in ecclesia Metensi episcopus ordinatus est. Multi vero de monasterio nostro monachi, tam sub S. patre Wilhelmo quam sub diuersis eius successoribus, diuersis temporibus ad alia cœnobia dati fuerunt abbates. E quibus nonnulli, temporum successu, in diuersis locis episcopi facti sunt. Horum quidem nomina tenemus omnium, licet quorundam tempora ignoremus: propterea, ne quos in suppuratione annorum contingat negligi, statuimus vniuersalem omnium qui ad nos delati sunt catalogum in hoc loco breuiter ordinare.

*Dietgerus episcopus Metensis.*

*Abbates ex cœnobio Hirsaugiensi ad alia monasteria dati.*

Sigefridus monachus nostri cœnobij sub sancto patre Vvilhelmo in monasterio Schaffhusen nostri ordinis, Constantiensis diœcesis, per eundem Vvilhelmum abbas ordinatus est. Quod monasterium vetustate pene collapsum, sanctus pater pulchro tabulatu instaurans, monachis & abbati prædicto donauit. Henricus quoque monachus vir strenuus, & regularis disciplinæ zelator integerrimus, à S. patre Vvilhelmo primus abbas S. Georgij martyris in Nigra sylua, quod à fundamentis ipse construxerat, sicut longe supra diximus, constitutus est. Ad Petershusen eiusdem Constantiensis diœcesis monasterium abbatem dedit, venerabilem virum moribus & scientia insignem Diethericum huius cœnobij monachum, qui regularis disciplinæ feruidus cultor & instaurator fuit, & multos verbo & exemplo ad mundi contemptum perduxit.

*Sigefridus abbas in Schaffhusen.*

*Henricus abbas ad S. Georgiũ in Nigra sylua.*

*Diethericus abbas Petershusen.*

Ad monasterium in Hassungen Moguntinensis diœcesis, in partibus Thuringiæ situm, de quo supra diximus, abbatem misit primum ex suis monachis cum toto conuentu, nomine Giselbertum: quem postea per Henricum regem quartum, propter excommunicationem summi Pontificis expulsum, ad Hirsaugiam cum septuaginta monachis reuersum, ad monasterium in Reinhartzborn, in finibus Thuringiæ, eiusdem Moguntinæ diœcesis abbatem constituit, qui etiam monasterium Erfordense gubernandum suscepit.

*Giselbertus ad Hassungen abbas constituitur.*

Ad monasterium quoque in Zvvifalten Constantiensis diœcesis abbatem dedit Notgerum monachum, virum in disciplinis monasticis optime imbutum, & per omnia idoneum, qui monachos verbis & exemplis ad normam regularis vitæ posset instituere.

*Notgerus abbas ad Zvvifaltem missus est.*

Ad monasterium vero in Camburg Herbipolensis diœcesis, quod nunc ab ordine translatum est, abbatem dedit Guntherum monachum, virum prudentia & religione venerabilem, qui ante conuersionem suam magnam in curialibus caussis opinionem experientiæ consequutus fuerat.

*Guntherus abbas constituitur ad Camberg.*

Ad cellam S. Petri, quam de Vvilheim superius diximus translatam, abbatem constituit Adelberonem, virum tam in monasticis disciplinis quam in secularibus experientiis non mediocriter insignem, qui sub eius magisterio totius institutionis vitæ regularis fundamentum edoctus, plures ad pietatem suo conuertit exemplo.

*Adelberõ abbas ad cellam S. Petri mittitur.*

Ad monasterium quoque in Altdorf Argentinensis diœcesis, dedit abbatem nomine Vvelchionem, venerabilem monachum, ab optimo præceptore in omnibus disciplinis monasticæ conuersationis optime institutum.

*Welchio abbas.*

Ad monasterium quod dicitur Buren, in diœcesi Augustensi Azelmum venerabilem monachum transmisit abbatem, qui claro genere natus, nobilem prosapiam sanctis moribus adornauit, seque pastorem ouibus Christi non inutilem exhibere studuit.

*Azelmus abbas in Buren.*

Ad eundem quoque locum Otto monachus, non inelegans persona missus est, & post Azelmum in abbatem constitutus. Quod an sub Vvilhelmo factum sit, aut eius successore Gebhardo, non satis cognitum habemus. Idem Otto postmodum etiam cœnobium Rinavve Constantiensis diœcesis regendum suscepit.

*Otto abbas ad eundem locum. Rinauue.*

Ad monasterium sancti Ioannis Magdeburgensis in Saxonia, cuius fundationem longe superius descripsimus, monachum transmisit in abbatem Hildeboldum venerabilem valde virum, de quo multa laudum præconia feruntur. Ad idem quoque cœnobium postea missus fuit frater Hugo monachus nostri conuentus Hirsaugiensis, & in abbatem ordinatus, vir magnæ prudentiæ, honestatis & religionis.

*Hildeboldus ad Magdeburg abbas. Hugo.*

Ad monasteriũ vero q̃ in Constantiensi diœcesi situm Isna vocatur, pater sanctus in abbatẽ ordinauit, multæ religionis & deuotionis monachũ sui cõuentus, nomine Erckẽbaldum, in monasticis institutionibus optime institutum. Ad eundem locum postea ordinatus est in abbatem Bruno monachus Hirsaugiensis cœnobij, vir pietate & religione venerabilis & multum insignis, diuinarumque scripturarum non ignarus.

*Erckẽbaldus abbas ad Isnam. Bruno abbas ib. dem.*

Ad monasterium autem Lauense, quod in prouincia Carentinorum pater S. construxit, quemadmodum superius dictum est, abbatem instituit Wetzillonem, virum diuinum & religiosa seueritate reuerendum, tam monasticis institutionibus quam scripturarum scientia satis imbutum.

*Wetzillo abbas in Carentia.*

*Segevvinus abbas Rosati.*

Segevvinus monachus Hirsaugiensis cœnobij, cum prædicto abbate Wetzilone missus in Carentiam sine permissione abbatis Gebhardi & fratrum Hirsaugiensium, abbatiam Rosati iuxta Aquileiam suscepit. Quod cum fratribus suis displicere cognouisset, ad monasterium Hirsaugiense compunctus, redijt, ipsamque abbatiam suam interea dimisit. Quem abbas Gebhardus ad probandam pœnitudinem & compunctionem eius, in vltimo congregationis loco sedere fecit. Quod cum cum humiliter sufferre videret, cum fratrum consilio proprio eum loco restituit. Alius vero quidam ex nostris nomine Gaudentius, qui cum illo iuerat, etiam abbatiam sine fratrum Hirsaugiensium consensu adeptus, ad monasterium pro pœnitentia non redijt, & ideo inter abbates de Hirsaugia missos non computatur. Manegoldum quoque monachum conuentus Hirsaugiensis, qui sine abbatis & fratrum consensu abbatiam Campidonensem in diœcesi Constantiensi ab Henrico rege quinto interuentu amicorum obtinuit, de fratrum & abbatum suorum vnanimi consilio abiecerunt.

*Gaudentius abbas factus.*

*Manegoldus abbas Campedonensis.*

*Esso abbas in Beinvvvler.*

Ad monasterium quod dicitur Beinvvile, monachus quidam Hirsaugiensis cœnobij in abbatem datus est, nomine Esso, vir moribus & vita maturus & regularis disciplinæ feruidus zelator, sub Gebhardo abbate, qui S. Wilhelmo successit.

*Euerardus abbas in Odenheim.*

*Gerungus abbas cellæ Paulinæ.*

Ad monasterium vero in Odenheim Spirensis diœcesis, inde abbatem dedit Euerardum monachum Hirsaugiensis conuentus valde notabilem, de cuius fundatione eo tempore post hæc mentionem faciemus. Gerungus quoque monachus Hirsaugiensis & prior S. Aurelij trans pontem, vir certe religiosissimus, factus est abbas monasterij cellæ Paulinæ in Saxonia Moguntinensis diœcesis, sub Brunone abbate, de cuius laudabili conuersatione cum ad annum Domini 1107. & ipsius Brunonis tempora peruenerimus, latius dicemus. Ad eundem locum cellæ Paulinæ post Gerungum in abbatem assumptus est Vdalricus, monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, vir moribus & vita reuerendus, & non minus eruditione scripturarum quam conuersatione, pastorali cura dignus atque idoneus.

*Vdalricus abbas ibidem.*

*Wolpeto abbas in Getzau.*

*Burcardus abbas ibidem.*

Ad monasterium quoque in Godisatzja Spirensis diœcesis, abbas directus est venerabilis huius monasterij monachus nomine Wolpeto, magnarum virtutum homo, & tam in spiritualibus quam temporalibus optime expertus. Ad idem quoque monasterium alio postea tempore in abbatem constitutus est Burcardus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, regularis disciplinæ amator præcipuus.

*Wolfranus. Euernoldus in Briueningen.*

Ad monasterium autem Montis monachorum prope Bambergam in Francia Orientali, Wolfranus monachus ad instantiam fratrum ibidem Deo famulantium transmissus est, & in abbatem solenniter ordinatus. Euernoldus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ad monasterium Briuernugense in abbatem constitutus est, vir scientia & conuersatione sanctissimus, qui multis in vita & post mortem fertur claruisse miraculis, cuius vita & conuersatio cum miraculis in duobus libellis conscripta latius in prefato cœnobio habetur.

*Drutvvinus abbas in Breitenau.*

*Egebertus abbas in Passauia.*

Drutvvinus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ad monasterium Moguntinæ diœcesis in Hassia nouiter constructum, cum duodecim monachis missus est, & in abbatem ordinatus anno Domini 1119. sub abbate Brunone. Nomen autem monasterij Breitenavv dicitur, de quo postea suo loco & tempore latius dicemus. Egebertus monachus huius cœnobij ad Passauiam missus est circa idem tempus, & in abbatem constitutus, vir non infime doctus, & tam moribus quam eruditione scripturarum venerandæ opinionis. Ad eundem quoque postea locum in abbatem constitutus est venerabilis huius cœnobij monachus nomine Volpoldus, qui & Hugo dicebatur, magnarum virtutum homo, qui regularis disciplinæ præcipuus cultor erat. Reginboldus monachus huius cœnobij, ad quoddam monasterium quod Navv dicitur missus est, & ad instantiam multorum in abbatem ordinatus. Adelbertus quoque huius cœnobij monachus post mortem ipsius Reginboldi, ad eundem locum abbas missus est, vir tanto dignus honore, quippe qui non minus vita quam scientia venerabilis fuit.

*Volpoldus abbas ibidem.*

*Reginboldus abbas ad Nauu.*

*Adelbertus abbas ibidē.*

*Adelbertus abbas in Echlingen.*

Adelbertus alius quoque huius cœnobij monachus, vir moribus & scientia insignis, ad monasterium in Echlingen Augustensis diœcesis, ad instantiam monachorum eiusdem loci missus est, & in abbatem solenniter ordinatus. Qui quum esset vir multum religiosus

ligiosus & prudens, monasterium sibi commissum in vtroque statu non mediocriter ornando ampliauit.

Adelhelmus quoque monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, vir doctus & religiosus, de quo quidam sic cecinit: *Adelhelmus abbas in Ammineberg.*

*Hic homo per mores cunctorum traxit amores,*
*Quique pios mores non mutarit per honores.*

Primum abbas monasterij quod Ammineberg dicitur, constitutus est: ac deinde post annos aliquot, ad monasterium Mediolacense Treuerensis diœcesis translatus, abbatiam eiusdem loci publico assensu, & rogatu omnium monachorum inibi degentium regendam suscepit, quam vsque ad finem vitæ strenue ac laudabiliter gubernauit. Ad monasterium vero S. Petri in Erphordia Moguntinensis diœcesis, post mortem abbatis Ruperti missus fuit ex hoc monasterio Hirsaugiensi, anno Domini 1128. sub Volmaro abbate monachus venerabilis nomine Vernerus, qui in abbatem ibidem constitutus, multa bona eidem cœnobio sua industria acquisiuit. Aquæductum in monasterium mirabili ingenio & impensis non modicis inchoauit, & vtiliter satis perfecit. Post mortem quoque Drutwini primi abbatis in Breutennavv, de quo supra diximus, Henricus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis in abbatem eiusdem loci constitutus est anno Domini 1132. indictione 10. sub Volmaro abbate, de quo latius suo tempore dicendum est. Diethericus vero monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, sub eodem abbate Vvolmaro ad monasteriũ S. Felicitatis prope ciuitatem Herbipolensem, quod Suartzach dicitur, ad instantiam monachorum eiusdem & preces episcopi Herbipolensis missus, in abbatem ordinatus est. Conradus monachus Hirsaugiensis vir multum venerabilis, primo in monasterio Schõreinfactus est prior, ac deinde in abbatem monasterij Amorbach Herbipolensis diœcesis ordinatus, illud structuris & reditibus notabiliter ampliauit, regularisq; disciplinæ seruorẽ iam pene collapsum suo tempore in eodem magnifice renouauit. Eiusdem quoque nominis Conradus alter, monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, abbas datus est ad monasterium Suartzach iuxta Rhenũ in diœcesi Argentinensi, ad petitiones & instantiam fratrum & episcopi eiusdẽ loci. Fuit autem vir valde religiosus, & diuinarum scripturarum nõ ignarus. Burchardus quoque monachus genere nobilis, virtute morum & eruditione scripturarum nobilior, procul ad monasterium quod dicitur Vinea, vulgariter Vvingarten, in diœcesi Constantiensi, abbas datus est tẽpore Manegoldi abbatis. Dithmarus reuerendæ memoriæ vir post mortem Burchardi ad eundẽ locum missus de monasterio isto Hirsaugiense, in abbatẽ ordinatus est, qui vita & moribus dignũ se ouibus Christi pastorem exhibere verbo & exemplo curauit. Rupertus etiam huius cœnobij Hirsaugiẽsis venerabilis monachus, ad monasterium Gotisau Spirensis diœcesis, abbas datus est sub Mangoldo abbate, qui propter improbitatem subditorum suorum tandem abbatia dimissa ad Hirsaugiam reuersus est, & post obitum Manegoldi in abbatem huius loci electus, anno Domini 1165. indictione 13. de quo suo tempore mentionem faciemus congrue latiorem.

*Posten apud Mediolanũ.*

*Wernherus abbas S. Petri.*

*Henricus in Breitenau.*

*Diethericus in Suartzach.*

*Conradus abbas in Amorbach.*

*Conradus alter abbas in Suartzach.*

*Burchardus abbas in Wingart.*

*Dithmarus abbas ibidẽ.*

*Rupertus abbas ad Gotisau.*

Ad monasterium quoque Tharis, quod in Herbipolensi parochia situm est, quinque à Bamberga per descensum Mogoni ferme miliaribus distans, in abbatem ex hoc Hirsaugiensi cœnobio datus est, sub Manegoldo venerabili abbate Rudigerus, monachus moribus & eruditione insignis.

*Rudigerus abbas in Tharissa.*

Ad monasterium vero quod Besselbornen dicitur, in diœcesi Augustensi, missus est abbas ex hoc Hirsaugiensi cœnobio Lupoldus monachus, vir secundum parentelam carnis non ignobilis, sed virtute animi & scientia scripturarum multis nobilissimis longe nobilior. Diepoldus monachus huius cœnobij, vir multum studiosus & librorum amator præcipuus, ad monasterium in Schaffhusen, Constantiensis diœcesis missus est, & in abbatem solenniter ordinatus.

*Lupoldus abbas in Besselborn.*

*Diepoldus in Schaffhusen.*

Ad monasterium vero quod Brigantium dicitur, in diœcesi Constantiensi, vulgariter Bregentz, Godfridus huius cœnobij monachus insignis missus est, & in abbatem omnium fratrum assensu & instantia ordinatus, qui quam vtiliter præfuerit, monimenta ab eo posita in eodem cœnobio vsque in præsentem diem manifestant.

*Gotfridus in Bregentz abbas.*

Ad monasterium vero Zvveifalten Constantiensis diœcesis, in abbatem ordinatus est alter Godfridus, etiam monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, vir dignus honore, qui verbo & exemplo gregem sibi commissum pascere diligentissime semper studuit. Porro ad monasterium Laurissense Wormatiensis diœcesis, quod Præmonstratenses hodie inhabitant, datus est abbas ex hoc monasterio Hirsaugiensi Sigehardus monachus, vita & conuersatione præcipuus, qui locum ipsum in vtroque statu magnifice reparauit.

*Godfridus in Zvvifalten.*

*Sigehardus abbas in Laurissa.*

*Henricus abbas in Bladenstad.*

Ad monasterium quoque sancti Petrucij in Blidenstad Moguntinensis diœcesis, quod ante hoc ferme triennium ab ordine est translatum, Henricus huius cœnobij monachus missus est, & in abbatem legitimum ordinatus.

*Rudolphus ad Gotisau, Megingus in VVingarten.*

Rudolphus quoque monachus Hirsaugiensis, ad monasterium Gotisau Spirensis diœcesis in abbatem ordinatus, prauos monachorum mores ad limitem regularis obseruantiæ, sua prudentia & obseruatione studiosa sollicitudine reduxit. Megingus huius cœnobij monachus, propter industriam suam & laudabilem conuersationem primum prior in Richenbach constitutus est, & postea monasterij Weingarten in diœcesi Constantiensi abbas ordinatus gregi sibi commisso non ociosè præfuit.

*Conradus abbas in Hornbach.*

Ad monasterium in Hornbach Metensis diœcesis, in abbatem missus & ordinatus est Conradus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ad instantiam monachorum ibidem commorantium.

*Conradus.*

Ad monasterium vero Gotisau Spirensis diœcesis, post mortem Rudolphi abbatis missus est ad petitiones fratrum eiusdem loci Conradus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, in abbatem legitime ordinatus.

*Conradus abbas in Alpersbach.*

Alius quoque eiusdem nominis Conradus, monachus huius monasterij monasterium Alpersbach Constantiensis diœcesis in abbatem ordinatus est, vir in agendis negotiis mundialibus valde industrius & expertus, ac diuinarum institutionum non ignarus, qui eidem cœnobio strenue præfuit, & tam verbo quam exemplo pastorem se in omnibus vtilem exhibere curauit.

*Hildebertus ad Swarzach.*

Ad monasterium in Suartzach iuxta Rhenum, in diœcesi Argentinensi, datus est abbas Hildebertus huius cœnobij monachus, qui moribus & scientia non infime decoratus, tali honore dignus habitus est.

*Marquardus ad Deckingen.*

Marquardus vero monachus huius cœnobij, & ipse vir multarum virtutum & diuinarum scripturarum studiosus amator, ad monasterium in Deckingen Augustensis diœcesis, ad instantiam monachorum ibidem commorantium missus est, & in abbatem eisdem rite ordinatus.

*Bertholdus ad Alpersbach.*

Ad monasterium quoque in Alpersbach missus est pro abbate venerandæ memoriæ huius cœnobij Hirsaugiensis nomine Bertholdus, qui aliquanto tempore fuit prior cellæ S. Gregorij in Richenbach, vir omni dignus honore.

*VVilhelmus ad Ottenburen.*

Ad monasterium vero in Ottenburen Augustensis diœcesis abbas directus est Wilhelmus, primo monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ac deinde præpositus in Roth, eiusdem Augustensis diœcesis, inde per episcopos & monachos præfati monasterij ad abbatiam euocatus.

*Iohannes ad Schutteren.*

Ad monasterium in Schuttera Argentinensis diœcesis, de cuius fundatione longe superius mentionem fecimus, abbas datus est huius cœnobij monachus Ioannes cognomento Wedel, qui primo per annos aliquot prior claustralis in hoc loco extitit, deinde prior in Richenbach factus est, ac postremo sub Blasio abbate anno dominicæ natiuitatis millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, indict. 10. mortuo Iohanne Phul abbate in Schuttera, qui reformationem nostram Bursfeldensem vulgariter dictam primus assumpsit, in locum eius ordinatus est abbas, vir ingenio mitis, non tamen remissus, in agendis curis temporalibus satis industrius, zeloque disciplinæ regularis, & vitæ honestate coram omnibus eum cognoscentibus irreprehensibilis, qui cum adhuc præsenti habeatur in vita, honestate admonemur religiosa ab eius laudibus temperare. At vero nominibus eorum qui ex hoc monasterio ad diuersa cœnobia à tempore Wilhelmi abbatis vsque in præsentem dominicæ natiuitatis annum 1501. quo ista scripsimus, Maximiliano Romanis imperante, sunt constituti abbates per ordinem, quantum ad notitiam nostram peruenerunt rite signatis, quanquam per negligentiam veterum, multorum nomina pretermissa sunt, ad ordinem assumptæ historiæ tandem nobis est reuertendum.

*Regressio ad historiam sit.*

MLXXXIIII.

*Henricus rex ab Antipapa Roma benedicitur. Augusta capitur. Synodus Moguntiæ celebratur contra Papã.*

Anno igitur Wilhelmi abbatis 15. qui fuit dominicæ natiuitatis 1084. annus, Henricus rex quartus nominis huius, cum Bertha vxore sua in die sancto paschatis Romæ benedictionem imperialem ab antipapa Clemente susceperit. Postea inde digressus, Italiamque transiens, Augustam ciuitatem Rhetiorum ab Alemannis inuasam obsedit & cepit.

MLXXXV.

Anno sequente, qui fuit abbatis Wilhelmi 16. synodus magna episcoporum & abbatum Moguntiæ in monasterio S. martyris Albani, iussu Henrici regis contra S. papam Gregorium 7, celebratur, cui ipse cum legatis antipapæ Clementis personaliter interfuit, & omnes

& omnes contra Gregorium in obedientiam ipsius Clementis iurare potentialiter compulit. Huic synodo præsedit Wetzilo archiepiscopus Moguntinus, successor Sifridi pontificis, de quo plura iam in superioribus nos dixisse meminimus, qui Gregorium papam depositum pronunciabat. Erat autem iste Wetzilo vir doctus, tam in diuinis scripturis quam in literis secularibus, eloquio dulcis & facundissimus, tantusque verbi Dei prædicator suo tempore habitus est, vt similem habuerit neminem. Ad hanc synodum Wilhelmus abbas sanctissimus per epistolas regias vocatus, venire contempsit, subtili se adinuentione tutatus, malens pro defensione vicarij Christi rerum corporisque periculis audacter subijci, quam prauorum consensu maculari.

*Wetzilo archiepiscopus Moguntinus prædicator fuit egregius.*

*Abbas Wilhelmus ad Synodum venire contempsit.*

Eodem anno Gregorius papa 7. apud Salernam moritur, cui per electionem canonicam primum successit Desiderius abbas monasterij Cassinensis ordinis nostri, qui Victor tertius appellatus est.

*Gregorius Papa moritur.*

*Desiderius abbas Cassinensis fit Papa.*

MLXXXVI.

Anno Wilhelmi abbatis 17. qui fuit dominicæ natiuitatis 1086. Henricus rex Saxoniam cum exercitu magno & patriam vndique omnibus iratus præda & incendio deuastat. Hermannus autem quem Saxones contra Henricum in regem iussu Gregorij papæ constituerant, congregato exercitu quam maximo iuxta Herbipolim ei in loco occurrit, qui dicitur Bleichfeld, vbi conserto prælio innumerabilis multitudo ex vtraq; parte occubuit. Hermannus victoriam obtinuit, & ciuitatem Herbipolensem cepit, quam tamen Henricus rex statim per manum validam suorum recuperauit.

*Bellum inter Henricū & Hermannum.*

*Herbipolis capitur.*

Hoc ipso anno ordo Carthusiensis in diœcesi Gratiapolitano fundari cœpit, quod sic accidit. Sanctus Hugo episcopus, tunc Gratiapolitanus, vidit per somnium in solitudine Carthusiæ Deum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem ducatum sibi præstantes itineris. Et ecce sanctitatis eius odore attracti, ad ipsum veniunt septem viri, qui omnes vno desiderio succensi, locum vitæ eremiticæ congruum quærebant, nec dum repererant. Horum primus fuit Bruno, ex Colonia Agrippina oriundus, magister in Theologia Parisiensis, vir autem religione scientiaque literarum famosissimus, alij quatuor literati & duo laici, quos S. Hugo gratanter susceptt, & voti compotes fecit. Ipso nanque consulente, adiuuante, & comitante, Carthusiæ solitudinem intrantes, mansiones suo proposito necessarias extruxerunt. Circa idem tempus floruit Srephanus Leuita, vir miraculis, abstinentia, & sanctitate clarissimus, qui ex Auernia oriundus, ad territorium Lemnicense demigrans, vitam eremiticam per annos fere quinquaginta, cum paucis qui ad ipsum confluxerant, exercuit, à quo cœpit ordo Grandimontensis.

*Ordo Carthusiensium cœpit.*

*Bruno Colonensis prior Carthusiensis.*

*Ordinis Grandimontensis institutum.*

Hoc ipso anno Marianus Scotus, monachus Fuldensis. Chronographus insignis, de quo longe superius mentionem fecimus, apud Moguntiacum pro Christi amore inclusus moritur, & in maiori ecclesia S. Martini cum honore debito sepelitur.

*Marianus Scotus moritur.*

MLXXXVII.

Anno autem Wilhelmi abbatis 18. qui fuit Domini millesimus octuagesimus septimus, Victor papa hausto veneno in sacro calice moritur: quod multi insidijs Henrici regis, & Wigberti antipapæ factum tradunt.

*Victor Papa ordinis nostri obiit.*

Post quem in verum Christi vicarium electus fuit Otto episcopus Hostiensis, dictusque est Vrbanus secundus, & sedit annis 12. mensibus quatuor. Hic primo fuit clericus Remensis ecclesiæ, postea factus est monachus Cluniacensis nostri ordinis, deinde prior eiusdem cœnobij, ex priore episcopus Hostiensis, & postremo ex episcopo factus est papa.

*Vrbanus Papa II. ordinis nostri fuit.*

Hermannus falso regis nomine depositio, permissione Imperatoris ad propria reuersus, post paucos dies in obsidione cuiusdam oppidi occisus interijt.

*Hermannus obiit.*

Bertha imperatrix obijt, & apud Moguntiam sepulta est, sed postea ab Imperatore Spiram transfertur.

*Imperatrix obiit.*

MLXXXVIII.

Anno sequenti, qui erat Wilhelmi abbatis 19. Domini autem 1088. obijt Wezilo Moguntinus archiepiscopus, cui successit Ruthardus. Hoc ipso anno Augusta ciuitas insidijs Sueuorum in cœna Domini capitur, & secunda feria post festum paschatis ab eisdem destruitur.

*Ruthardus Archiepiscopus Moguntinus.*

*Augusta capitur.*

Claruit his temporibus in hoc monasterio Hirsaugiensi Adelbertus monachus, qui sub patre S. Wilhelmo prioris officium annis non paucis strenue gessit. Erat enim vir omni decore virtutum ornatus, cōuersationis sanctitate à bono magistro nequaquā dege-

*Adelbertus Prior huius loci.*

nerans, qui licet debilis esset in corpore, mente tamen sursum erectus ad Deum semper in contemplatione diuinorum sanus & firmus perstabat. Eius conuersatio cunctis erat in exemplum, in cuius moribus religio summa, sapientia vera, & charitas perfecta reluce-

*Diethericus Prior huius loci.*

bant. Huic sancto viro in prioratu huius monasterij per ordinationem abbatis Wilhelmi successit Diethericus monachus, vir omni honore dignus, qui postea factus est abbas monasterij Petershusen in Constantia, quemadmodum supra diximus, vbi gregem sibi à Deo commissum verbo & exemplo ad semitas iustitiæ reuocauit. Post hunc S. pater

*Otto, prior cellarius huius loci.*

Wilhelmus in priorem ordinauit Ottonem monachum venerabilem senem, moribus & conuersatione maturum, omnibusque reuerendum, qui per paucos quidem menses prior, per plures vero annos cellarius monasterij fuit. In disponendis enim negotiis temporalibus, rebusque domesticis, summa prouidentia vigebat: quo factum est, vt ipso exteriora cuncta sapienter disponente, sanctus pater interius liberius vacando esset intentus. Et quamuis ratione curæ domesticæ cum Martha cogeretur esse sollicitus erga plurima, spirituale tamen Mariæ ocium non neglexit, sed ita semper curabat temporalia, vt spiritualis conuersationis sancta exercitia non obmitteret. Post hunc S. pater priorem constituit

*Gebhardus Prior huius loci, postea abbas.*

Gebhardum virum nobilem, & in omnibus agendis singulari prudentia mirandum, qui & in abbatia huius monasterij (vt dicemus postea) successit, de cuius moribus & vita suo loco dicemus.

MLXXXIX.

*Hermannus.*

Anno Vvilhelmi abbatis 20. qui fuit natiuitatis dominicæ 1089. Sigewinus archiepiscopus Colonien-

*Eppo.*

sis obiit, cui Hermannus tertius, cognomento Dives in ordine successit.

Post mortem Dietmari Vvormatiensis episcopi, quæ accidit anno Domini 1088. indictione 8. Eppo in episcopum ordinatus his temporibus claruit, de quo multa miranda narrantur, & annis non paucis in episcopatu suo præfuit. Imperator nuptias Coloniæ celebrauit, quandam Vdonis marchionis viduam nomine Praxedem, Ruscorum regis filiã,

*Imperator secundam duxit vxorem.*

ducens vxorem, de qua suscepit filium nomine Henricum, qui post patrem repudiato Conrado regnauit, & filiam nomine Agneten. Inde Aquisgrani digressus Conradum filium suum seniorem vngi in regem fecit, quem tamen postea nato Henrico quinto repudiauit.

*Plaga horrenda fuit in populo.*

Hoc anno pestilentia maxima fuit in occidentali parte Lotharingiæ, vbi multi sacro igne interiora consummente putrescentes membris exesis, instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriebantur, aut manibus aut pedibus putrefactis truncati, miserabiliori vitæ reseruabantur. Multi vero neruorum contractione distorti miserabili tormentorum genere cruciabantur. Terræmotus magni in diuersis Europæ locis fuerũt.

MXC.

*Imperator Italiam ingreditur.*

Anno abbatis Vvilhelmi 21. qui fuit domini 1090. Imperator Italiam rursus ingreditur, ibique fere per 7. annos moratur, Florentiam obsidione cingit, & multa prælia committit.

MXCI.

*Monasterij noui consummatio.*

Anno Vvilhelmi abbatis 22. nondum completo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1091. maius cœnobium Hirsaugiense, quod pater ipse sanctus ante octennium incepit, impensis marchionissæ, per manus fratrum sub eius obedientia militantium, hoc in loco quo

*Nota pij patris Wilhelmi factum.*

hodie cernitur nouo, à fundationis initio consummatum est anno. Completis autem omnibus quæ ad structuræ huius rationem pertinebant, sanctus pater Wilhelmus ipsum templum monasterij per gyrum pauperibus repleuit, à superiori videlicet parte altaris vsq; ad valuas versus occidentalem plagam extremas, & clausis ianuis per seipsum omnibus cum maxima humilitate ad mensam ministrauit. Iamque deinceps vsque ad diem obitus sui plus solito pauperibus stipendia erogauit. Eodem igitur anno domini nostri Iesu Christi 1091. huius monasterij Hirsaugiensis ecclesia per S. Wilhelmum abbatem à funda-

*Ecclesia nouo dedicata est.*

mentis egregio tabulatu nouiter constructa, ad ipsius instantiam est dedicata in præsentia episcoporum, nobilium, abbatum, & multorum notabilium hominum, in honore sanctorum Apostolorum Christi Petri & Pauli, Dedicatione huiusmodi facta sanctus pater miro æstuabat desiderio, vt aliquas de sancto apostolorum principe posset habere reliquias, in cuius honore tam sumptuosum templum constructerat. Communicato igitur consilio seniorum, misit ad Cluniacum priorem suum Gebhardum virum doctum & valde

*Gebhardus Prior Cluniacum mittitur.*

prudentem, ad Hugonem venerabilem sanctissimumque abbatem, rogans vt sibi aliquas de S. Petro apostolo reliquias transmittere dignaretur S. autem pater Hugo abbas Cluniacensis,

niacensis, susceptis literis amantissimi sui Wilhelmi, cognitoque sancto eius desiderio, misit illi cum epistolis per manus ipsius Gebhardi prioris de capillis S. Petri Apostoli pretiosissimas & veras reliquias. Sed priusquam ad Hirsaugiam rediret Gebhardus, famulus Christi Vvilhelmus ad Dominum migrauit, quemadmodum suo ordine dicemus. Nam post dedicationem noui monasterij, nouem duntaxat hebdomadibus superuixit, vnde & propter breuitatem temporis congregatio viuente S. abbate, de cœnobio S. Aurelij non exiuit.

*S. Hugo mittit reliquias S. Wilhelmo abbati.*

Igitur instante natali beatissimorum apostolorum Christi Petri & Pauli, reuerendissimum abbatem Vvilhelmum languor inuasit, qui licet debilis esset corpore, nocturnis tamen vigilijs & diuinis officijs deuotissima præsentia interfuit. In die festo ipsorum Apostolorū missam in priuato ad principale monasterij noui altare celebrauit, quæ & ei vltima fuit, sustentatus manibus fratrum ab vtroque latere, cum stare per se penitus non posset. Cum maxima igitur deuotione mentis in Deum, quasi profecturus ad eum, cui in hac vita fideliter seruiuit, mercedemque operis sui recepturus, qua potuit altitudine vocis missam inchoauit, dicens verbis beatissimi Pauli Apostoli: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Quarto dehinc die in capitulum se portari fecit, conuocatisque omnibus exhortabatur eos, vt in melius semper proficerent, in primis monens eos de continuo Dei amore habendo, de feruore monasticæ religionis, de obseruantia mutuæ dilectionis, deque hospitalitate sollicite custodienda. Et quasi alter Moses in Deuteron. replicauit omnia quæcunque illos à principio docuisset. Tertio demum die in oratorium B. Mariæ semper virginis, quod ipse ad meridionalem construxerat plagam, se denuo portari fecit, celebrataque missa coram eo, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi de manu sacerdotis cum ingenti deuotione accepit. Deinde sacro inunctus oleo ad cellam suam reportatus est, vbi valedicēs fratribus die postera feliciter in Domino quieuit 4. nonas Iulij, anno dominicæ natiuitatis 1091 indictione 14. Sub Henrico Imperatore quarto & Vrbano papa II. Anno suscepti regiminis 22. ætatis vero suæ anno 65. Ad eius funeralia conuenerunt duo episcopi, abbates quinque, & clerici cum populo multi, qui per dies quinque continuos eius celebrarunt exequias: quibus completis, in medio ecclesiæ nouæ quam construxerat, sanctum eius corpus cum honore & reuerentia sepelierunt, cuius sepulchrum competenti structura fabricatum vsque in hodiernum diem inuiolatum perseuerat. Eius vitam Haymo prior huius cœnobij post Gebhardum, latiori sermone descripsit, sicut in suo loco inferius dicemus. Mortuo autem S. abbate Vvilhelmo, & absente priore Gebhardo, magna fratres tristitia inuasit: quia manere diu sine pastore, videbatur eis plenum periculo: & instituere nouum abbatem, priore absente, penitus non audebant. Expectantibus autem illis cum mœrore prioris sui aduentum, ecce post dies paucos desideratus aduenit, afferens secum pretiosas principis Apostolorum reliquias, capillos videlicet de eius capite veros, quos S. Hugo Cluniacensis abbas reuerendissimo patri Vvilhelmo, in signum mutuæ dilectionis pro magno munere misit. Verum Gebhardus prudenti vsus consilio, ipsas beati Apostoli reliquias non statim ad monasterium intulit, sed eas cuidam fideli presbytero in vicino commoranti, donec oportuno tempore cum honore congruo ad monasterium introducerentur, seruandas commendauit. Ad diem igitur festum eiusdem apostoli proximum, quem ad vincula Petri appellant, conuocatis abbatibus vicinioribus & alijs religiosis viris non paucis, ipsæ sacræ Apostoli reliquiæ ad monasterium Hirsaugiense cum ingenti lætitia fratrum susceptæ sunt. Et primo quidem super sepulchrum sanctissimi abbatis Vvilhelmi repositæ fuerunt, cui specialiter erant transmissæ, vt qui viuus Apostoli petiuit reliquias, eisdem primus potiretur vel mortuus. Deinde singuli per ordinem sacris imprimentes osculum reliquijs, Dominum in donis suis collaudabant. Postremo cum reuerentia maxima, in scriniolo adhoc decenter aptato, repositæ sunt ad deuotionem posteritatis conseruandæ. Et iste quidem finis viuendi in hoc mundo reuerendissimo patri Vvilhelmo fuit, qui non solum post mortem, sed etiam in vita multis legitur claruisse miraculis: de cuius moribus, gestis, & institutis, si quis omnem historiam scire perfecte desiderat, volumen quod omnem vitam eius continet, percurrat. Huius autem viri sanctissimi fama longe lateque dispersa per orbem, multos etiam quoscunque viderat, in eius amorem pertraxit. Multi quoque rectores vna cum subditis suis commissis, confraternitatem cum ipso & monachis Hirsaugiensibus perpetuam, pactis suffragiorum interpositis laudabilem contraxerunt, diuersis diuersa post mortem subsidia orationum dantes & recipientes. Ex his nos eorum monasteriorum nomina ad poste-

*Wilhelmus abbas infirmatur.*

*Missam celebrat vltimam.*

*Communicatus oleo sancto perungitur.*

*Wilhelmus abbas moritur.*

*Eius exequiæ per dies quinque aguntur.*

*Adsunt episcopi duo, abbates quinque. Vitam S. abbatis Wilhelmi quis conscripserit.*

*Prior Gebhardus Cluniaco cum aliis reuertitur.*

*Capilli S. Petri Hirsaugiam portantur.*

*Wilhelmus abbas claret miraculis.*

*Multi cum Hirsaugiensibus confraternitatem habuerunt.*

ritatis notitiam peruenire, præsentium tenore cupimus, cum quibus amicitiam iniisse confraternitatis abbatem sanctissimum Wilhelmum, dum adhuc in præsenti viueret vita, scimus.

*Cluniacum.* Inter omnia vero primum fuit monasterium illud famosissimum Cluniacense, à quo reformationis suæ initium Hirsaugia sumpsit, & ob id confœderationem à Wilhelmo cum ipso factam, multis postea annis inuiolatam custodiuit. Aliorum ista sunt nomina:

*Nomina monasteriorum confraternitatem habentium.*

Monasterium in Schaffhusen Constantiensis diœcesis.
Monasterium Diuionense.
Monasterium maius Turonense.
Monasterium Augiense in diœcesi Constantiensi.
Monasterium Corbeiense in Westphalia Padebornensis diœcesis.
Monasterium S. Mariæ ad eremitas Constantiensis diœcesis.
Monasterium in Rinaugia eiusdem Constantiensis diœcesis.
Monasterium Cremmesmunster.
Monasterium Petershusen in Constantia.
Monasterium Altdorff Argentinensis diœcesis.
Monasterium in Comburg Herbipolensis diœcesis.
Monasterium Ottenburen Augustensis diœcesis.
Monasterium Zweiffalten Constantiensis diœcesis.
Monasterium S. Georgij Constantiensis diœcesis.
Monasterium Reinhardis bronna in Thuringia Moguntinensis diœcesis.
Monasterium S. Petri in Erfordia eiusdem diœcesis Moguntinæ.
Monasterium in Besselbronna Augustensis diœcesis.
Monasterium cellæ S. Petri in Brisgauv.
Monasterium cellæ S. Pauli apud Carentinos.
Monasterium S. Ioannis Baptistæ apud Parthenopolim Magdeburgensis diœcesis.
Monasterium fratrum de Ritenbuch.
Monasterium in Neresheim Augustensis diœcesis.
Monasterium fratrum de Mortbach.
Monasterium fratrum de Franckenthal Wormatiensis diœcesis.
Monasterium in Isna Constantiensis diœcesis.
Monasterium in Suartzach Argentinensis diœcesis.

Canonici quoque maioris ecclesiæ Spirensis confraternitatem cum domino Wilhelmo & fratribus huius cœnobij contraxerunt.

Monasterium in Schluchtera Herbipolensis diœcesis.
Monasterium Castellense in diœcesi Eistetensi.
Monasterium in Hasungen Moguntinensis diœcesis.
Monasterium S. Eucharij Treuerensis, quod hodie S. Matthiæ dicitur.

*Nomina monasteriorum confraternitatem habentium.*

Monasterium S. Pantaleonis in Colonia.
Monasterium in Breitenauv Moguntinensis diœcesis.
Monasterium in Gegenbach Argentinensis diœcesis.
Monasterium in Echlingen Augustensis diœcesis.
Monasterium Ameneberg.
Monasterium cellæ S. Mariæ.
Monasterium Etenheim munster Argentinensis diœcesis.
Monasterium Godisau Spirensis diœcesis.
Monasterium Osenhusen Constantiensis diœcesis.
Monasterium Mediolacense Treuerensis diœcesis.

*Cum S. Patre Wilhelmo & fratribus.*

Monasterium Bagenack.
Monasterium Anhusen.
Monasterium S. Vdalrici in Augusta.
Monasterium Brininga in Bohemia.
Monasterium quod dicitur Nuuemunster.
Monasterium in Cladorub.
Monasterium S. Blasij Constantiensis diœcesis.
Monasterium Murense in eadem diœcesi Constant.

Monaste-

Monasterium quod appellatur Kodevvicum.
Monasterium Nevvstadt Herbipolensis dioecesis.
Monasterium Clingenmunster Spirensis dioecesis.
Monasterium in Blindenstad Moguntinensis dioecesis.
Monasterium in Wiblingen Constantiensis dioecesis.
Monasterium Massiliense.
Monasterium S. Leonhardi.
Monasterium Sigenbergense, Colonien sis dioecesis.
Monasterium de Sunsheim Spirensis dioecesis.
Monasterium in Bruvviller Colonien sis dioecesis.
Abbatissa quoque de Homburg similem confraternitatem à S. patre Wilhelmo & fratribus Hirsaugien sibus cum cæteris obtinuit.
Monasterium S. Heimerani Ratisponen sis.
Monasterium S. Maximini prope Treuerim.
Monasterium S. Albani Mogunt.
Monasterium Lympurg Spirensis dioecesis.
Monasterium in Amorbach Herbipolensis dioecesis.
Monasterium S. Vdalrici prope Constantiam.
Monasterium in Eidenheim Eistetensis dioecesis.
Monasterium Montis monachorum Bambergensis dioecesis.
Monasterium Suartzach Herbipolensis dioecesis.
Monasterium S. Burchardi iuxta Herbipolim.
Monasterium in Deckingen Augusten sis dioecesis.
Monasterium sanctæ crucis in Werdea Augusten sis dioecesis.
Monasterium S. Nazarij in Laurissa Vvormatien sis dioecesis.

*Hirsaugien sibus hoc tempore.*

Sed & alia plæraque monasteria sub confœderationis mutuæ titulo, in eandem cõfraternitatem Hirsaugien sium à sancto abbate Vvilhelmo susceptafuerunt, quorum nomina ad memoriam nostri venire non permisit temporis nimia vetustas. Canonici quoque secularium ecclesiarum simul & cathedralium in diuersis prouincijs constituti, principes quoque nobiles, pontificesque & potentes multi in seculo, audita conuersatione sanctissima Vvilhelmi abbatis, & monachorum Hirsaugien sium, eorum se orationibus deuotissime commendantes orabant instantius in eorum susci pi confraternitatem. Tantaenim de illa sanctissima congregatione bona, in omni terra tempore Vvilhelmi dicebantur ab omnibus qui Deum amabant, vt beatos se crederent quicunque ad eorum cõfraternitatem fuissent admissi. Nec erat inter multos tunc celebris ociosa ista memorãda fraternitas, quæ missis & orationibus sanctorum cumulata, defunctorum animabus grata, subsidia ministrabat. Hoc enim compacta sonabant, vt quoties defunctus aliquis de monasterio sub confraternitate præfata susceptus, in cœnobio Hirsaugien si denunciatus fuisset, constitutæ pro eo mox fierent orationes, vigiliæ, missæ, disciplinæ & eleemosynæ, quas pariformiter & ab alijs pro se fieri post mortem singuli expectabant. Denique si quãdo contigisset aliquem monachorum de cœnobio hanc confraternitatem cum Hirsaugien sibus habente, ad Hirsaugiam venire, cum tanta susci piebatur charitate, vt non alienus & aduena, sed domesticus & incola cœnobij huius esse putaretur. Similis exhibitio charitatis impendebatur fratribus huius monasterij Hirsaugien sis ad ea loca venientibus, cum quibus fraternitatis confœderationem habebant. Sed nunc ad ordinem historiæ reuertamur.

*Alia cœnobia negligẽtia sunt nostris quoque temporibus.*

*Hirsaugien sium fratrum fama sanctissima.*

*Vtilitas huius confraternitatis.*

Igitur Vvilhelmo abbate sanctissimo feliciter mortuo, septem & viginti diebus abbatia vacauit propter absentiam Gebhardi abbatis futuri, tum quidem prioris, quem missum pro reliquijs S. Petri Apostoli ad Cluniacum diximus.

*Vacauit abbatia dies XXVII.*

## DE GEBHARDO HVIVS MONASTERII ABBATE XIII. QVI præfuit annis XIIII. mensibus III. & de gestis eius & illius temporis.

REVERENDISSIMO atq; sanctissimo abbate Vvilhelmo viam vniuersæ carnis feliciter ingresso, posteaquam abbatia huius monasterij vacasset diebus 27. ad electionẽ noui pastoris fratres conuenerunt in vnum, ipso die quæ dicitur ad vincula Petri, quando (sicut prædiximus) capilli eiusdẽ Apostoli in præsentia multorũ abbatum, monachorum atq; fidelium ad monasterium fuerunt introducti. factaque inter se collatione necessaria,

ipsum Gebhardum priorem suum in abbatem vnanimiter elegerunt, virum ad regimē animarum satis idoneum, natione Sueuum, literis & eloquentia singulariter imbutū, qui

*Gebhardus in abbatem eligitur.*

electus, vt perfertur, prima die mensis Augusti, anno Domini 1091. indict. 14. sub Imperatore Henrico 4. & Vrbano papa 2. præfuit monasterio annis 14. & mensibus 3. quibus euolutis, in episcopum Spirensis ecclesiæ (quemadmodum suo loco dicemus) electus est. Fuit aūt (sicut diximus) ex Sueuia oriundus, nobili prosapia genitus, statura corporis nec brevis nimium nec longa proceritate deformis, sed debita mediocritate proportionatus, nigro

*Vita ipsius Gebhardi abbatis.*

capillo in circuitu capitis ornatus, corpore crassus, & pulchra moderatione dispositus. Cū adhuc puer esset, magistris ad discendum literas à parentib. traditus fuit, in quibus cum ætate

*Commendatur ex scientia literarum.*

enim vir vndecunq; doctissimus & singulari eloquentia, tā in Romana q̄ in lingua Teuthonica præditus. Annis tandē puerilibus cum studio literarum emensis, in ecclesia Argē-

*Fit canonicus Argentinensis.*

tinensi Canonicus factus est, vbi cū diuitijs & honorib⁹ auctus quotidie in tumescēret, nihil minus q̄ cōuersionem cogitabat. *Raro enim diuitibus, maxime clericis, solet adesse cōpunctio, quia quāto plus intendunt secularibus curis, tāto minus de sua sunt salute solliciti.* Ita & Gebhardus iste Canonicus de quo loquimur, cū nobilitate generis & affluentia diuitiarum inaniter supra se eleuaretur in altum, pauperibus Christi, & monachis maxime, nō solum nihil boni exhibuit, sed etiam spernens & contemnens, multas iniurias eis inferre consueuit. Vnū

*Asfert vinū Hirsaugiensibus monachis violenter.*

namque quod ex donatione fidelium fratribus Hirsaugiensis cœnobij in Alsatia creuit, per violentiam rapuit, & inuitis omnibus, in proprios vsus conuertit. Quod eo facilius facere potuit, quo sanctum virum Wilhelmum cum Romana ecclesia sentientem, nullum

*Ad Hirsaugiam venit Gebhardus.*

ab Henrico rege defensionis auxilium speraturum sciuit. Admonitus tamen per viros bonos super hoc temerario facto, cum abbate Wilhelmo compositurus venit ad Hirsaugiā tumidus, superbus, & elatus, nihil minus habitu & gestibus quam religionis amorem demonstrans. Sed Deus omnipotens, in cuius potestate sunt omnium corda hominum, qui

*Gebhardus fit monachus.*

Saulem persecutorem fidei Christianæ Paulum defensorem effecit, et huius viri mentem in aliud propositum subito cōmutauit. Sagaci namque consideratione, fratrum mores & conuersationes explorare cœpit, disputantemque de contemptu mundi sanctum patrem audiuit, & captus in eius sermone, sancto intus agente spiritu, propositum subito mutauit: & valedicēs pompis & curis seculi, factus est in hoc cœnobio sub monastico habitu famulus Dei. Qui cum sanus & incolumis aliquandiu inter fratres laudabiliter conuersatus fuisset, vt patientia eius coram omnibus probaretur, grauissimum languorem incidit, ita vt

*Paralysi totus dissoluitur.*

membris omnibus pene resolutis manum ad os non valeret porrigere, nec de vno latere in aliud sine aliorum adminiculo se mouere. Hac infirmitate plus integro anno miserabiliter, sed cum multa patientia ægrotauit, quousque misericors Deus vires ei restituit manducandi, sedendi, legendi, & in scamniolis super terram instar puerorum reptandi. Preter enim linguam hactenus nullum membrorum suorum mouere potuit. Quadam vero

*Miraculum Wilhelmi abbatis super Gebhardum.*

die, vir domini Wilhelmus cellam ægrotantis ingreditur, & vt vsum vel dextræ manus à Domino precibus deuotis peteret, Gebhardum iacentem exhortatur. Renuit ille cum summa detestatione, confirmans se corporis salutem omnino paruipendere, vt bene decocta scorea purgatus posset ad Deum peruenire. Pius autem pater misericordia motus

*Brachium eius ad tactum fœminæ rigescit iterum.*

dexteram illius apprehendens benedixit, orat, deosculaturque eum, & pristinæ sanitati cernentibus cunctis subito restituit. Post paucos vero dies vxor fratris ipsius Gebhardi, ad eum gratia visitationis cum familia multa aduenit, ad quam in sella portatus gestatoria, cum inter loquendum brachij sui miraculosam sanitatem proferret in medium, apprehendens illa dexteram ipsam sanatam, muliebri eam quasi sanctificatum quippiam deosculatur affectu. Et ecce brachium ipsum miraculose sanatum, mox ad tactum fœminæ, quamuis deuotæ, miraculosius ad pristinam rigiditatem reuertitur. At ille dissimulato

*Increpatio S. abbatis Wilhelmi.*

quod acciderat, Germani salutata vxore, ad cellam suam reportari se fecit. Wilhelmus autem sanctissimus pater, discens in spiritu sancto quod accidit, mox ad cellam ægrotantis venit dicens: Hæc est pœna temeritatis tuæ frater, qui manum Deo consecratam ipsius; miseratione sanatam, fœminæ gloria tactus inani præbuisti osculandam. Admonitus deinceps, ne simile feceris esto: iterumque apprehendens ipsum brachium sancta sua benedictione sanauit, quem totum non multo post orationibus suis ad pristini status valetudinem reduxit. Veruntamen ex eadem infirmitate quoad vixit, semper vno pede claudicauit, quatenus memor eorum quæ sustinuerat amplius, non peccaret. Namcum esset

*Vno pede claudicabat Gebhardus.*

vir tam generis nobilitate clarus, quam acrimonia ingenij sublimis, animiq; constantia, sapientia, scientia & eloquentia singulari, prærogatiua insignis & magnæ quoq; in seculo

reputa-

reputationis, pia Domini castigatione flagellatus est, ne forte omnibus succedētibus prospere, mens in elationis orcum laberetur. Restitutus autem sanitati cum in omnibus religiose conuersaretur, in priorem huius monasterij, consilio fratrum à S. patre Wilhelmo constitutus est: in quo quidem officio magnam diligentiam fecit, & fratres in omni humilitate, patientia, charitate & obseruantia regulari semper studiose præcessit. Postea cum sanctus pater Wilhelmus in constructione noui monasterij Hirsaugiensis multum esset occupatus, ipsiusq; laboris assumpti cerneret appropinquare consummationem, volensque S. Apostolorum principem Petrum ecclesiæ suæ ordinare patronum, ingenti concupiuit desiderio aliquas de eius sacratissimo corpore habere reliquias, quas in nouam à se fundatam reponeret ecclesiam. Misit ergo venerabilem virum Gebhardum priorem suū cum literis & epistolis commendatitijs, Romam ad summum Pontificem Vrbanum 2. qui aliquando in Cluniaco monachus fuerat, petens sibi aliquid de beatissimi principis Apostolorum reliquijs trāsmitti. Veniens ad papā prior Gebhardus, benigne quidem ab eo susceptus est, petitas tamen reliquias obtinere non potuit. Audiuit autem à summo ipso pontifice Gebhardus de capillis S. Petri veras in monasterio Cluniacensi reliquias haberi, deditq; consilium papa vt Wilhelmus abbas, tanquam amicus S. Hugonis ex illis aliquid postularet, quod & postea factum est. Verum papa ne vacuum remitteret missum, quorundam aliorum sanctorum reliquias Beato Wilhelmo abbati per manus eiusdem Gebhardi, pro charitatis munere destinauit. Reuersus autem ad Hirsaugiam prior Gebhardus, verba summi pontificis S. patri retulit, & particulas reliquiarum sibi ad eodem traditas, abbati cum lætitia præsentauit. Audiens vero S. abbas Wilhelmus de capillis B. principis apostolorum Petri, apud sibi amantissimum abbatem Hugonem in Cluniaco continēri aliquid, valde gauisus est: confidens sibi nihil penitus ab eo posse denegari, cui se fore amantissimum iam multis beneficijs fuisset expertus. Igitur post paucos menses, iterum ad se suum vocauit priorem, quem idoneum ad quæque ardua peragenda, præ cæteris omnibus esse sciebat, traditisque literis ad reuerendissimum abbatem Cluniacensem S. Hugonem, cum precibus destinauit ad Cluniacum pro impetrandis capillis præfati Apostoli Petri vel paucissimis. Venerabilis autem Gebhardus legatione susceptā, virtute sanctæ obedientiæ armatus, se quam humilime ad iter indictum accinxit: cui abeunti benedictione regulari præmissa, sanctus pater sub ænigmate dixit, Vade quam celerrime fili, *quoniam nisi Petrum præuenias, & Paulum*, non mihi, sed tibi laboriosum iter assumpsisti. His dictis Gebhardus abibat, non intelligens verba S. abbatis, quibus mortem suam imminere ad festum apostolorum prophetico spiritu prædixit. Veniens autem Cluniacum ad S. Hugonem literas abbatis sui Gebhardus prior & sanctum desiderium exposuit, à quo post dies paucos, quibus ab itinere fessus quieuit, tres crines de capillis B. Petri Apostolorum principis in scriniolo argenteo B. Wilhelmo & fratribus Hirsaugiensibus deferendos, cum ingenti lætitia suscepit. Qui reuertens cum festinatione priusquam Hirsaugiam ingrederetur Wilhelmum reuerendissimum abbatem ad dominum migrasse cognouit, reliquias in domo cuiusdam sacerdotis vsque ad meliorem deliberationem (sicut dixi-mus) non longe à monasterio reposuit, & in locum defuncti patris sanctissimi, vnanimi fratrum consensu abbas electus fuit. Electus autem in die prima mensis Augusti (sicut dictum est) consecrationem suam vsque ad diem 13. calend. Aprilium distulit, super quo mirantibus fratribus & ægreferentibus respondit: Sine bened ctione consuera hucusque manere fratres idcirco volui, vt & ego vobis mores ostenderem meos, & vestrum erga me cognoscerem affectum. In vestra igitur nunc voluntate relinquo de me statuendi quicquid volueritis, vestrique adhuc sit arbitrij me pro abbate super vos vel recipere vel repudiare: cui cum omnes quasi vno ore respondissent, se de ipso bene esse contentos, & alium præter ipsum non optare pastorem, gratias eorum de se beneuolentiæ agens ordinari ex more consensit. Pergens igitur ad ciuitatē Constantiensem à Gebhardo eiusdem vrbis episcopo cū Romano Pontifice bene sentiente, in præsentia multorū abbatum, prælatorū ac nobilium, in pastorē Hirsaugiensis monasterij rite consecratus est, duodecimo calend. Aprilis, in natali videl. Beati patris nostri Benedicti, institutionis suæ mense octauo, anno Domini millesimo nonagesimo secundo, indictione decima quinta. Porro in locum suū, consilio fratrum, priorem ordinauit venerabilem monachum nomine Heymonem, virum moribus & scientia probatum, qui in colligendis rescribendisque libris pro fratrum vtilitate magnam diligentiam fecit. Erat sane vir studiosissimus, & tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregie doctus, ingenio subtilis, & satis admodum comptus eloquio, qui eruditionis suæ præclara monumenta reliquit. Scripsit inter cætera ingenij

*Gebhardus in priorem ordinatur.*

*Prior Gebhardus mittitur Romā ad Papam.*

*Papa mittit Wilhelmo diuersas reliquias.*

*Gebhardus Prior ad Cluniacum mittitur.*

*S. Hugo tres crines S. Petri mittit Wilhelmo, abbati.*

*Gebhardus fit abbas.*

*Benedictionem cur distulit.*

*Abbas Gebhardus ab episcopo Cōstantiensi benedicitur.*

*Heymo Prior ordinatur.*

sui opuscula vitam & miracula Beati Wilhelmi supradicti abbatis: quam tamen quidam alius frater postea volens ampliare, breuiorem reddidit. Scripsit etiam nonnullos sermones & homilias, quæ vt plurimum ex errore alteri cuidam eiusdem nominis Heymoni, ex monacho Halberstadiensi episcopo, viro æque doctissimo, de quo longe superius mentionem fecimus, adscribuntur. Itaque commixtæ simul amborum Haymonum homiliæ habentur, vt nō nisi sagacissimo lectori, ex ipsa phrasi, licet cum difficultate, possibile sit alterius ab alterius dicta secernere. Ordinato autē Gebhardo in abbatem, congregatio fratrum de sancto Aurelio, ad maius monasterium eodem anno cum lætitia transmigrauit, cunctis benedicentibus Dominum, quod hunc diu optatum superuiuere diem meruissent. Iste Gebhardus venerabilis abbas claustrum monasterij & cæteras officinas omnes, quas sanctus pater Wilhelmus morte præuentus vel non incepit vel inceptas non finiuit, impensas sibi copiose præbente quodam Wigando, ciue Moguntino, profratrum necessaria mansione construenda perfecit. Fuit autem in gubernanda re familiari multum idoneus, & in omnibus plusquam crederetur astutus, quippe qui ratione vtilitatis sæpe aliud simulabat, atque mente repositum gerebat. Auditus perspicacissimi fuit, ita vt ea quæ in loco dicerentur semoto, facilimo auditu perciperet. Nominatissimus fuit propter sapientiam & eloquentiam suam in tota Germania, non solum apud religiosos & spirituales, sed etiam apud seculares, nobiles & principes: quoniam quicunque eum vel consulentem, vel perorantem semel audisset, statim in admirationem ductus, Hirsaugiam prædicabat fœlicem, quæ talem habere pastorem meruisset. Ad publica consilia principum frequenter vocabatur, in quibus cunctis admirabilis semper apparebat, cum & nectarea vis eloquentiæ, qua cunctos vicebat, mirandam in eo commendaret sapientiam: & ipsam facundiam admirabilem, sapientia incredibilis redderet fructuosam. Sub eius regimine res monasterij temporales mirum in modum ampliatæ fuerunt, aucta prædia, possessiones dilatatæ, censusque & redditus annui numero & precio sumpserunt incrementa.

*Opuscula prioris Heymonis.*

*Congregatio de S. Aurelio ad maius monasterium transit.*

*Officinas & claustrum construxit.*

*In omni terra nomen eius erat gloriosum.*

*Sub eo res monasterij fuerunt ampliatæ.*

Multi enim viri nobiles atque ditissimi, & se & sua pro regni cœlestis amore fratribus Hirsaugiensis cœnobij, sub abbatis Gebhardi magisterio tradiderunt.

Eodem anno quo in abbatem fuerat electus Gebhardus iste, tribus videlicet & septuaginta diebus ante obitum S. patris Wilhelmi, anno Christianæ salutis 1091. 10. cal. Maij mortuus est venerabilis atq; sanctissimus ille Bruvvilerensis cœnobij abbas Vvolfhelmus nomine, vir tā in diuinis scripturis, q̄ secularibus literis egregie doctus, cuius sanctissima conuersatio multis profuit ad salutem. Magna inter duos istos reuerendissimos viros Vvilhelmum Hirsaugiensem & Vvolfhelmū Bruvvilerensem familiaritas, pariſuit sanctitate comparata, quæ vsque ad mortem vtriusque inuiolata permansit. Scripsit autē idem B. Vvolfhelmus abbas non spernendæ lectionis opuscula, sed pauca eorum ad notitiam meā peruenerunt. Legi sub nomine eius de Sacramento altaris, plenū eruditione libellum, quē scripsit cōtra errores M. Berengarij Turonensis. Carmina quoque de sancto Benedicto, aliisque diuersis sanctis & rebus, cum sermonibus multis cōposuit. Hic primo fuit monachus in cœnobio sancti Maximini Treuerēsis, deinde apud sanctum Pantaleonem in Colonia postea factus est abbas in Gladebach Colōniensis diœcesis. Indeq; translatus ad Bruvviler eiusdem diœcesis, abbas in ordine tertius ibidem constitutus est. Eius vitam plenam virtutibus & signis, Conradus monachus atque discipulus eiusdem veraci narratione descripsit ad Euerardum Bruvvilerensem & Hermannum sancti Pantaleonis abbates. Qui Conradus cum esset in sacris secularibusque literis non infime doctus, & à bono doctissimoque præceptore optime in omni scientia imbutus, composuit & alia quædam opuscula, quibus ingenij sui acrimoniam ad posteritatis notitiam transmisit.

*Wolfhelmus abbas Bruvvilerensis obiit.*

*Wolfhelmi opuscula quæ scripsisse dicitur.*

*Conradus monachus in Bruvviler doctissimus.*

Claruit iisdem quoq; temporibus in hoc monasterio Hirsaugiensi, sub abbate Gebhardo & quibusdam successoribus eius, monachus quidam doctissimus nomine Conradus, qui scientia & eruditione sua admirabili, famam consecutus est immortalem. Fuit enim nō solum in diuinis scripturis studiosus & doctus, verum in secularibus quoq; literis eruditissimus, Philosophus, Rhetor, Musicus & poeta omnium sui temporis in Alemania celeberrimus. Multa ingenij sui præclara volumina posteris legenda ornatissimo sermone composuit, in quibus nomen suum ex humilitate, sub Peregrini vocabulo abscondit. In his præcellit opus illud clarissimum, quod de sancta virginitate, sub nominibus Peregrini presbyteri, & Theodoræ sanctimonialis, in dialogi modum per libros octo distinguēs, Speculum virginum appellauit: opus sane tam vtile & necessariū Christi virginibus, vt satis laudari ab homine mortali nō valeat. In Euangelia quoque, quæ per anni circulum ad

*Conradus qui & Peregrinus monachus Hirsaugiensis doctissimus.*

*Conradi istius opuscula.*

missam

missam leguntur, magnum volumē pulchra varietate composuit. De vita, spiritu, & fructu mortis edidit librum vnum: & alium quem Matricularium prænotauit: item alium quem prætitulauit Didascalon: de Musica & differentia tonorum librum vnum: metricum quoque opusculum de laudibus S. patris nostri Benedicti. Sermones etiam plures & homilias multas elegantissimasque composuit.

*Peregrinus iste non fuit garrulator indoctus.*

Sed & carmina plura & epigrammata diuersa, varij generis ornatu scripsit, quæ veterum negligentia partim in obliuionem deducta sunt. Nemo cum ista legerit, arbitretur declamatorem illum, qui ex eorum ordine quos Mendicantes vocant emergens, sub Peregrini nomine sermones ad populum cicatricosos instar modernorum humili compositione dictione, aut nostrum fuisse Peregrinum, aut ei comparare aliquatenus posse. Ille enim more declamatorum huius temporis, scholastico sermone depressus incedens, creberrimas introducit quotationes scripturarum. Iste autem noster Peregrinus Tullianam sequutus eloquentiam, veterum more sine allegationibus superfluis lucidam, sanam & integram orationem continuat.

*Theodoricus abbas S. Trudonis.*

Floruit hisdem quoq; temporibus Theodoricus abbas monasterij S. Trudonis nostri ordinis, vir vndecunque doctissimus, qui scripsit inter multa ingenij sui monumenta, vitam eiusdem S. Trudonis, vitam quoque S. Bauonis, vitam etiam S. Reinoldi, & varios sermones ad fratres.

*Stephanus ex abbate episcopus Halberstadensis.*

Claruit quoque hoc tempore Stephanus, qui & Herrandus, ex abbate monasterij Elsenburgensis nostri ordinis episcopus Halberstatensis, vir doctus & sanctus, qui semper Henrici quarti scelera detestatus cum Romana ecclesia optime sensit. Scripsit ex persona comitis Ludouici fidelis ecclesiæ Romanæ ad Walramum episcopum Naumburgensem, qui partes Henrici Imperatoris 4. contra obedientiam summi pontificis pertinaciter defendebat, epistolam non minus elegantem quam prolixam: in qua cunctos errores, crimina & scelera ipsius Henrici regis tam aperte describit, vt nulla deinceps potuerint excusatione negari. Inter cætera vero eiusdem epistolæ sic dicit ad Walramum defensorem regis schismatici & excommunicati: Audi igitur vera, non fucata: audi fortia, non faceta.

*Epistolam scripsit contra Henricum pro ecclesia Romana.*

*Scelera Imperatoris.*

Omnis qui dignitates spirituales diuendit, hæreticus est. Dominus autem Henricus, quem regē dicunt, episcopatus & abbatias vendit: etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem & plures alias pecunia, Ratisponensem, Augustensem & Strasburgensem pro gladio, abbatiam Fuldensem pro adulterio, Monasteriensem vero episcopatum, quod dicere & audire nefas est pro Sodomitica immundicia vendidit. Quæ si impudenter negare volueris, teste cœlo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes scioli, concludent hoc: Dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab apostolica sede excommunicatus, nec regnum nec potestatem aliquam super nos, quia catholici sumus, poterit exercere.

*Imperator mādat Hirsaugiam destrui.*

Hæc viri constantissimi scripta & authorem suum in Dei fundatum timore confirmant, & quanta fuerit in Romanam ecclesiam regis Henrici temeritas manifestant, qui persequebatur vsque ad mortē omnes, qui obedi:ētiam Christi vicario exhibebant. Vnde cum S. Wilhelmū abbatem & fratres Hirsaugienses cœnobij constantes in Romani pontificis obedientia, sibiq; tanquam excommunicato contrarios esse cognouisset, in publico suorum principum consessu præcepit, Hirsaugiam funditus destrui, & fugatis monachis, bona monasterij in stipendium militibus erogari.

*Episcopus Argentinensis in hoc opus accusatur.*

Ad hoc facinus perpetrandum Wernerus episcopus constitutus per simoniam ad ecclesiam Argentinensem, homo peruersus, & S. Romanæ ecclesiæ atrocissimus inimicus, tanquam obsequium præstiturus Imperatori milites cohortatur suos, promittit prædā ingentem de spolijs monachorum. Cumq; milites detestari nefas tam immane in famulos Dei cœpissent, insanus pontifex dixit: Ego vos, ô milites fortissimi, in hoc obsequium regis nostri iustissimi præcedam, & quicunque vestrum me secutus non fuerit, reus læsæ maiestatis erit. His dictis loricam induit, quaindutus, equū plenus minarū in monachos Hirsaugienses, ascendit, subitoque clamans & vlulans, horribiliter cecidit, & morte subitanea præoccupatus cunctis videntibus expirauit. Cæteri vero tam miserabilem pontificis intuentes exitum, valde timuerūt, nullusque eorū deinceps ausus est contra monasterium Hirsaugiense sinistrum aliquid pertentare.

*Episcopus iniquus morte subitanea cecidit.*

*Furor Henrici contra catholicos.*

Furor tamen Henrici regis quem contra Hirsaugienses semel conceperat, quā diu vixit, non quieuit: nec Hirsaugiam solam persequebatur odio, verum omnes qui cum ecclesia Romana bene sentientes, eius communionem vitabāt, perdere laborabat, Archie-

piscopum Moguntinum Wezilonem nomine, virum doctissimum, primum sibi consentientem, postea vero contrarium, multis iniurijs afflixit.

*Abbas de Hassungen expellitur.*

Eius quoque successorem Ruthardum venerabilem virum, de sede Moguntina expulit, ipsumque exulare per nouem annos in miseria maxima apud Thuringiam coegit. Abbatem Giselbertum filium huius conuentus, cum sexaginta monachis, propter obedientiã quam summo præstabant pontifici, de monasterio Hasungen expulit, & possessiones ipsius monasterij miserabiliter distraxit.

*Imperator mandat iterum destrui Hirsaugiam.*

Multos quoque pontifices de suis ecclesijs furiose fugauit, abbates & eorum monachos de cœnobijs expulit, & multa monasteria cum ecclesijs funditus destruxit. Multis vicibus amicis & fautoribus suis præcepit, vt monasterium Hirsaugiense destruerent, sed orationibus sanctorũ, eius conatus semper impediti fuerunt, quemadmodũ ex visione sancta quædam abbatissa in Bauariæ partibus edocta, referre solebat. Quamdiu autẽ Henricus Imperator quartus, vixit & imperauit, frequentibus minis & terroribus fratres super destructione monasterij huius, per eum cõminata, inter se angustiati fuerunt. Confisi tamen in adiutorio altissimi, pro cuius amore terrenũ regem infensum habebant, non armis, sed orationibus causam suam sine intermissione defendere satagebant.

MXCII.

*Conradus filius Imperatoris Patri rebellat.*

Anno Gebhardi abbatis secundo, Conradus filius Henrici Imperatoris ex prima vxore Berta natus, patri rebellare incipit, & Romani pontificis persuasus literis imperium ad se trahere. Sed operæ precium fuerit causæ huius rebellionis contexisse principia. Henricus rex pater Conradi Praxedem vxorem suam ante annos 7. Coloniæ duxerat, quam

*Causa rebellionis filij contra patrem.*

nimio cœpit odio habere, ita vt maius esset odium, quam dilectio qua prius eam amauerat. Vnde nimio in eam odio succensus, posuit in custodiam: & concessit plerisque ex seruitoribus suis, vt vim ei inferrent, ipso vidente. Ad tantam vero dementiam peruenit, vt etiam filium suum Conradum ad concubitum illius inuitaret: qui cum thorum patris maculare recusaret, exhortando eum rex ad vitricæ illicitos amplexus inter cætera dixit:

*Inauditum nefas Henrici in vxorem.*

Quid timide coire cum fœmina tardas, quæ tibi vitrica non est? Non enim es filius meus quemadmodum putas, sed cuiusdam peregrini de Sueuia principis, cuius & faciem manifeste habes impressam. His verbis vltra modum indignatus filius, iram quidem tunc prudenter simulauit, & post dies paucos cum quibusdam sibi consentientibus summum Pontificem Vrbanum secũdum adijt, à quo honorifice susceptus, & in regem solenniter consecratus, in Italia & Longobardia contra patrem regnauit.

*Conradus rex ordinatur à Papa.*

Erat autem vir optimus, omni bonitate & probitate conspicuus, humilis, modestus, & plenus charitate, ac summa in clerum monachosque reuerentia ac pietate. Sed paucos annos post suam coronationem superuiuens, immatura morte sublatus est. Regina vero post multas iniurias & mala inaudita sibi innocenter illata, Deo miserante, declinodia euasit, & ad Mechtildam Longobardorum reginam potentissimam fugiendo peruenit.

*Regina euadens de custodia ad Papam Vrbanum venit.*

Quæ susceptam cum honore ad Vrbanum summum Pontificem eam perduxit. Prouoluta igitur ad pedes Antistitis Imperatrix, misera profusis lachrymis ac intimis singultibus, omnem suæ quam pertulerat calamitatis miseriam intimauit. Papa reginę compatiens, post verba necessariæ consolationis synodum in vrbe Roma congregat, in quo

*Henricus rex denuo excommunicatur à Papa in synodo.*

Henricum regem hæreticum, simoniacum, Nicolaitarum hæreseos principem, sanctæ matri ecclesiæ inobedientem atq; rebellẽ publice denuncians, pro inauditis sceleribus in vxorem propriam cõmissis iterum excommunicat, ipsumq; schismaticum & hostem Dei & sanctæ catholicæ ecclesiæ esse proclamat.

*Imperatrix fit sanctimonialis in ordine nostro.*

Regina autem post hæc ad patriam suam, regnum videlicet Ruscorum reuersa, monasterium virginum Christi ingreditur, in quo religiosissime conuersata, tandem in abbatissam ordinis nostri ibidem ordinata perhibetur, & vsq; ad mortem in sancta conuersatione permansit. Eodem anno eclipsis solis facta est 9. calend. Octob. hora diei tertia. Et draco in cœlo visus est, & magna pestilentia & mortalitas hominum & iumentorum subsecuta.

*Eclipsis Solis.*

MXCVI.

*Passagium ad terram sanctam sub Godfrido.*

Anno Gebhardi abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1096. prima expeditio Hierosolymitana sub Petro monacho & Gotfrido de Bulion, duce Lotharingiæ, ad recuperandum sanctum Domini sepulchrum facta est, cũ infinita multitudine ex omnibus Europæ nationibus. Huius peregrinationis acta per multos copiosissime descripta sunt, quæ huic inserere chronicæ nimis esset prolixum & tædiosum.

Fuit

Fuit autē Godfridus iſte comes in Buliō & Lotharingiæ dux, vir fortis & ſtrenuus, qui amore cœleſtis regni arduā hanc peregrinationē ſubiturus, comitatum ſuū de Bulion cū omnibus prouentibus attinentijsq; vendidit epiſcopo Leodicenſi pro trecentis & mille marcis argenti puriſſimi, quas in eandem expeditionem hilariter expendit. *Godfridus comitatum ſuum de Bulion epiſcopo Leodicenſi vendidit.*

Vnde vſq; in hodiernum diem epiſcopus Leodicenſis ſe ducem de Bulion, non comitem, ob honorem Godfrido poſtea regi Hieroſolymitanorum facto, ſcribere conſueuit. Prius vero quam hæc peregrinatio inciperetur, anno videlicet Gebhardi abbatis 4. multa ſigna & prodigia in aere viſa ſunt. *Prodigia multa apparuerunt in cœlo hoc anno.*

Nam circa nonas octobris apparuit cometes ad plagam meridionalem ſtans, ſuum que ſplendorem in obliquum gladij more protendens. Stella etiam alia in oriente, ſexto cal. Martij viſa eſt, quæ locum ſuum longo interſtitio crebris ſaltibus mutauit.

Nubes quoq; ſanguineas tam ab occidente quam ab oriente ſurgentes, ſibique inuicem in cœli medio concurrentes, rurſumque medijs fere noctibus à ſeptentrione igneos exurgere ſplendores, plerunque etiam faculæ per aera volitantes, multi ſcriptorum illius temporis ſe vidiſſe teſtantur. *Nubes ſanguineæ.* *Faculæ ardentes.*

Non multo ante hos annos quidam venerabilis vitæ presbyter, nomine Suiggerus, in diœceſi Colonienſi, cuiuſdam diei hora fere nona, duos equites conſpexit in aere concurrentes, diuq; inter ſe concertantes, alterum qui & crucem non modicam qua percuteret alterum in manu tenere videbatur, victorem tandem exiſtere. *Equites in aere duo dimicant.*

Quidam etiam presbyter Gerlacus nomine, hora quadam meridiana cum duobus comitibus in ſylua deambulans, gladium miræ longitudinis venti vertigine, ignotum vnde leuaretur in ſublime deferri vidit, & quouſq; viſum altitudo leuaret tam fragorem auribus quam metallum oculis diſcreuit. *Gladius in aere volitat.*

Referebant nonnulli nocturnis horis ciuitatem ſe in aere pendentem vidiſſe, diuerſasque hominum quaſi turmas diuerſis ad eam partibus tam equeſtri quam pedeſtri intendere ordine pedes. Multi etiam crucis ſignaculum ſibimet in frontibus, veſtibus, vel in quolibet corporis loco diuinitus impreſſum oſtendebant, ipſoque ſe ſtigmate ad eandem Domini militiam præſcriptos credebant. *Ciuitas in aere viſa.*

Mulier quædam duobus annis continuis imprægnata, dirupto tandem vtero filium loquentem effudit. Item infantulus per omnia bimembris natus eſt. Alter etiam capite bino, & agnelli plures binis capitibus exorti ſunt. Species quoque ignis in modum fulguris ad longitudinem haſtæ formatus, ſed latior clariſſimo die, & in ipſo ſolis fulgure diſcurrens oculos intuentium improuiſo terrore concuſſit, neminem tamen læſit. Quadam etiam die, ſole declinante in occaſum, nullaque in aere nubecula penitus apparente, eccè globi ignei in diuerſis aeris partibus multi, quaſi diſcurrentes apparuerunt, rurſusq; altius eleuati in cœlum ſeſe recipere videbantur. Multi vero non ignem, ſed angelicas fuiſſe poteſtates opinati ſunt. In Saxonia bos humana protuliſſe verba dictus eſt trinaque ad paſtorem dixiſſe vice, Vade, Hieruſalem capietur à Chriſtianis. *Puer biennis naſcitur & loquitur.* *Bos loquitur.*

Dum ergo iſta & alia multa portentoſa miracula, quæ cauſa breuitatis omitto, adhuc haberentur præ oculis, eccè quidam incluſus nomine Petrus, in finibus Hiſpaniæ conſtitutus, clauſtris egreſſus, orbem pene totum commouit, quandam circumferens chartulam, quam cœlo lapſam dicebat, in qua cōtinebatur vniuerſam Chriſtianitatem armis inſtructam de cunctis mundi partibus, Hieroſolymā ire debere, & eam paganis inde pulſis poſſidere perpetuo cum omnibus finibus ſuis. *Petrus eremita orbem commouet.*

His verbis prouocati non ſolū ruſtici & ignobiles, ſed etiam reges, duces & principes, epiſcopi, abbates, monachi, presbyteri & laici nobiles, diuites, pauperes, viri & mulieres, virgines & moniales, pueri & ſenes, multitudine pene innumerabiles: venditis partim poſſeſſionib⁹ ſuis, aut etiā petitis neglectis, quaſi diuino quodā furore agitati, omnes vno ore vnaq; ſententia Hieroſolymā pergere ſtatuunt, ſanctumq; Domini ſepulchrū cum omni circa regione de manibus infidelium eripere, & ad Chriſtianum orbem reuocare. Mirabilis ille ſpiritus, qui tot hominum millia impulit ad iter tam inſolitum, cunctis maxime mulieribus. Exeuntes autem in hanc expeditionem mulieres, virgines & moniales ſine numero, virili vtebantur habitu, & inter viros armatæ incedebant. *Mirabilis eorum concurſus ad hanc peregrinationem.*

Conuenientes autem in vnum, propoſitum iter aſſumunt: venientesq; vſque in Pānoniam, magna pars eorum interfecta eſt, nec immerito. Cum mulierib. enim & monialibus incedentes viri, ſacerdotes & monachi luxuriabantur in exercitu, & ſeſe immunda fornicatione mutuo fœdantes, iram contra ſe iuſti iudicis Ieſu Chriſti provocarunt. *Multi propter luxuriā in Pannonia perierunt.*

Godfridus autem dux cū fratre ſuo Baldeuino & reliquo exercitu, inceptū iter pro-

*Hierosolyma capitur à Christianis.* secuti, primo Antiochiam, ac deinde Hierosolymam cum reliquis vrbibus, domino nostro Iesu Christo eis auxiliante ceperunt.

*Godfridus rex.* Ibi per Dei populum Godfridus ipse in regem electus est, quo post aliquot annos mortuo, ac iuxta sepulchrum Domini tumulato, in regno frater Balduinus successit, & fines Christianorum in circuitu valde dilatauit.

*Balduinus rex.*

*Monasterij Reinhausen fundatur.* Eodem anno Domini, videlicet 1096. fundatum est monasterium abbatiale ordinis nostri Reinhausen, in Saxonia, Moguntinensis diœcesis non longe à Gottingen, & pro sustentatione monachorum competenter dotatum.

*Reinhardus abbas.* Primus huius cœnobij abbas Reinhardus dictus, vir doctus atque sanctissimus fuit, qui multis in vita & post mortem miraculis claruit: per cuius meritum vsque in præsentem diem omnipotens Deus morbum, quem caducum appellant, in eodem loco ipsum deuote inuocantibus curare perhibetur.

*Reinhardi abbatis opuscula.* Scripsit autem idem abbas Reinhardus sanctissimus, quædam præclara opuscula, quibus ingenij sui præstantiam & præsentibus & posteris ostendit. E quibus præcipua ferũtur commentaria in Ezechielem prophetam, in Esaiam prophetam, in Psalmos, in epistolas Pauli Apostoli, opus quoque metricum in Iob, & quædam alia quæ modo mihi ad memoriam non veniunt.

*Abbas Gebhardus aquæductum ad montem facit.* His temporibus venerabilis abbas Gebhardus compatiens laboribus fratrum, in hauriendo aquam de flumine, habito cum expertissimis architectis consilio, per occultos meatus subterraneos aquæductum impensis non modicis construendo fecit, & in omnes cœnobij officinas aquæ copiam introduxit.

M XCVII.

*Henricus rex constituitur.* Anno Gebhardi abbatis 6. qui fuit dominicæ natiuitatis 1097. Henricus Imperator 4. in die sancto epiphaniæ Domini filium suum iuniorem Henricum Aquisgrani regem fecit, Conrado maiore filio quem ptius coronari fecerat reprobato. Et nisi ipse Conradus immatura morte præuentus ante patrem obijsset, ad imperium Henricus 5. peruenire non potuisset.

M XCVIII.

*Ruthardus episcopus.* Anno sequenti Ruthardus archiepiscopus Moguntinus, qui regi Henrico excommunicato fauere noluit, eius gratiam amisit, & in Thuringiam secedẽs per annos aliquot ibidem quasi in exilio positus duraut. Circa hæc tempora ordo Cistercien sis coepit, & primũ eiusdem cœnobium in Cistercio hoc ipso anno fundatum est, qui successu temporis valde creuit. & tam numero quam diuitijs mirabiliter auctus fuit, de cuius exordio & profectu multa hinc inde scripta inueniuntur.

*Ordinis Cistertiensis initium.*

*Mortuorum exercitus circa Wormat. noctu visus est.* Circa hæc etiam tempora non longe à Wormacia multis diebus & noctibus maxima multitudo armatorum equitum & peditum apparuit tanquam ad placiti colloquium seu bellum præcessura, & nunc huc, nunc illuc, quasi per turmas discurrentes circa nonam horam noctis ad vicinum montem, ex quo prodire consueuerant, reuertebantur.

*Limpurg.* Tandem nocte quadam monachus quidam Limpurgensis cœnobij non procul monte distantis, de quo exire solebant, assumptis secum quibusdam alijs, ad locum montis accessit: munienseque se signaculo sanctæ crucis, exeuntes de monte qui essent, per virtutem sanctæ & individuæ trinitatis, vt dicerent, fortiter adiurauit. Cui vnus ex turma respondit: *Nos sumus fantasma, nec militum viuentia turba, sed animæ hominum quondam in hoc mundo principi terrenorum militantium, non ante multos annos in hoc loco interfectorum. Arma, habitus & equi, quæ nobis dum viueremus instrumenta erant peccati, etiam nunc post mortem in nobis sunt quædam indicia tormenti. Omne quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quamuis vos ignem nostrũ minime videatis.* Cumq; monach⁹ vtrũ iuuari ab hominibus possent inquireret, spiritus respondit; *Ieiunijs & orationibus & maxime oblatione corporis & sanguinis Christi adiuuari possumus & rogamus.* His dictis, omnis illa multitudo spirituum quasi vna voce clamabat trina vice: *Orate pro nobis, Orate pro nobis, Orate pro nobis.* Mox omnes in ignem relapsi videbantur, sed & mons ipse quasi arderet, ignem & maximum fragorem arborum & strepitum emisit.

*Turma conjurat à Deus pro omnibus respondet.*

*Vox animarum.*

M XCIX.

*Burefeldia fundatur.* His etiam temporibus monasterium Burfueldense in Saxonia Moguntinensis diœcesis in honorem sanctorum Thomæ apostoli & Nicolai episcopi fundatum & constructum est per Henricum comitem de Northeim & Gertrudem eius legitimam vxorem, anno Gebhardi abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1099. Mortalitas in Germania magna fuit.

Eodem

Eodem anno Conradus Traiectensis episcopus 8.cal.Maij, post missarum celebrationem,in sua domo procumbens in orationibus,à quodam Frisio crudeliter interfectus est. *Conradus episcopus Traiectensis occiditur causa occisionis.*

Cuius interfectionis ista fuit occasio. Cum idem episcopus in quadam parte ciuitatis paludinosa,monasterium canonicorum ędificare decreuisset, & propter lutosum situ ponere fundamentū nequiuisset,adfuit inter alios Frisius quidā latomus peritissimus,nomine Ploberus, qui sub interpositione capitis ecclesiam se quadam arte occulta,ad voluntatem episcopi construere posse in eodem loco,promisit.

Sed cum immoderaram super his postularet pecuniam, Episcopus dissimulato proposito,largis muneribus filium ipsius Ploberi circumuenit, & arcanum huius artis discens ab eo,mox inchoatā ecclesiam sine vlteriori magisterio perfecit. Quamobrem idem Frisius magnam aduersus episcopum inuidiam concipiens, quod suo videretur per eum defraudatus lucro,deinceps occidere eum cogitauit,quod & crudelissime perfecit. Conrado igitur episcopo interfecto & sepulto,Burchardus in episcopatu Traiectensis vir pius atque deuotus successit.

Eodem quoq; anno obijt Hermannus archiepiscopus Coloniēsis,cui Fridericus successit. Iste archiepiscopus Fridericus monasteriū sanctimonialiū in insulà Rheni,quæ dicitur Rolādi, non longe ab oppido Bonnensi de nouo cōstruxit,in quo moniales nostri ordinis posuit. Castrum quoque vicinum Rolandiseck,& aliud quod in altissimo situm non procul à Bonna Wolkenberg dictum est,vna cum ciuitate Andernacensi, & præpositurā quadam ordinis nostri S. Apollinaris iuxta Reinmagen abbati Segenbergensi immediatè subiecta proprijs ędificauit impensis. Conradus etiam episcopus Eistetensis hocipso anno moritur,pro quo alter eiusdem nominis Conradus ordinatur. *Fridericus. Andernac;*

Vrbanus quoque papa secundus,monachus quondam ordinis nostri,hocipso anno mortuus est. Iste papa Vrbanus 2.anno pontificatus sui 7. ad instantiam venerabilis abbatis Gebhardi priuilegium Gregorij papæ 7. B. Wilhelmo abbati & monasterio suo Hirsaugiensi gratiosè collatum,cum pleniori gratia roborando confirmauit. Cuius bullæ tenor sequitur,& est talis: *Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei,dilecto filio Gebhardo monasterij Hirsaugiensis abbati,eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cum vniuersis sanctæ ecclesiæ filiis pro Apostolicæ sedis authoritate ac benevolentia debitores existamus, illis tamen locis atque personis quæ specialius & familiarius Romanæ adhærent ecclesiæ, quæque ampliori religionis gratia eminent,propensiori nos conuenit charitatis studio imminere. Vnde nos beatæ memoriæ prædecessoris nostri Gregorij formam sequentes,eadē tibi tuisque legitimis concedimus successoribus, quæ ipse prædecessori suo Wilhelmo & eide monasterio precibus Adelberti comitis concessit & cōfirmauit. Qui æternæ retributionis amore succensus,in prædio suo quod dicitur Hirsaugia monasteriū à progenitoribus suis antiquitus constructum,nuper amissa restituens venuste reparauit,& in vsus fratrū imibi Deo seruientium pluribus possessionibus & redditibus ampliauit. Quam suæ libertatis institutionem,ne in posterum vlla peruersorum hominum audacia minuere aut violare præsumat, Apostolicæ authoritatis priuilegio muniri & sanctæ Romanæ ecclesiæ tuitione roborari postulauit. Quamobrem præfatum monasterium sub Apostolicæ sedis tutela ac protectione specialiter amplectentes,per præsentis priuilegij paginā statuimus, vt quæcunq; hodie idem cœnobium iuste possidet,siue in futurum concessione pontificum,libertate principum,vel oblatione fidelium,iuste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisq; successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc nominatim designanda duximus:cellulas S.Gregorij,quæ dicitur Richenbach:& S. Martini,quæ dicitur Vischbachona: & prædiū quod dicitur Gilstein, quod datū est pro cella S.Petri quæ dicitur Wilheim:constituentes, ne vel tu fili charissime Gebharde, vel quilibet tuorum præfatas cellulas destruere,vel ea quæ illis iam concessa sunt,seu cocedentur,temere & violenter præsumatis imminuere. Præterea decernimus,vt nulli omnino hominū liceat idem cœnobiū temere perturbare,vel eius possessiones conferre, minuere,vel temeris vexationibus fatigare. sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt vsibus omnino profutura.* *Vrbanus. Bulla Vrbani. Richēbach. Vischbachonna. Gilsteim.*

*Constitutionis quoque immunitatis & libertatis modos,quos præfatus comes illustris Adelbert. scripto suæ traditionis inseruit,& regio sigillo imprimi curauit,ad posteritatis cautelā & arcendos insistantiū impetus,diligenter statuimus,vt nec de permissis quidlibet negligatur, nec de vetitis quidlibet præsumatur,Obeunte vero te nūc eius loci abbate,vel tuorū quolibet successorū, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur,nisi quē fratres comuni consensu,vel fratrū pars consilii sanioris,secundam Deum & B.Benedicti regulam elegerint. Consecrationes altarium siue basilicarum; ordinationes quoque clericorum,oleum sanctum,& cætera ad episcopale officiū pertinentia, ab episcopo Spirensi,in cuius estis diœcesi, accipietis: si tamen catholicus fuerit, & communionem Apostoli-* *Priuilegium Regale allegatur.*

cæ sedis habuerit, & si ea gratis & sine simoniaca pravitate impendere voluerit. Alias vero liceat vobis catholicum quem volueritis adire episcopum, & ab eo consecrationum sacramenta accipere, qui apostolica fultus authoritate, quæ postulatur indulgeat. Aduocatum vero siue protectorem vobis Godfridum præfati comitis Adelberti filium instituimus, si huiusmodi Deo præstante fuerit, vt ecclesiæ & seruis Dei honorem debitum exhibeat, & prædicti monasterii vtilis & studiosus defensor fuerit. Sin autem, in vestra sit potestate eligere vestræ ecclesiæ idoneum protectorem, qui sine lucri secularis exactione, sà diuina seruitutis obsequium strenue, ac reuerenter exhibeat. Vos igitur fily, in Christo charissimi, oportet regularis disciplinæ institutionibus sollicitius ac deuotius insudare, vt quanto estis à tumultibus secularibus liberi, tanto studiosius placere Deo, totius mentis & animæ virtutibus anheletis. Præcipue studentes Romanæ ecclesiæ decreta veneranda seruare; cuius patrocinio ab omni iugo viuentium annuente Domino præmuniti.

*Aureus nummus ad cameram Papæ.*

Ad iudicium autem præceptæ huius à Romana ecclesia libertatis, per annos singulos Bizantium aureũ Lateranẽsi palatio persoluetis. Sane si quis in crastinũ archiepiscopus, aut episcopus, Imperator aut rex, comes aut vice comes, iudex aut persona quælibet magna vel parua, huius nostri priuilegij paginam sciens contra eã temere venire tentauerit, & eorũ quæ cõcessa sunt vel statuta quicquã irritum fecerit, secundo tertiove cõmonitus, si non satisfactione congrua emendauerit, æterno se innodatum anathemate, & à corpore Christi & ecclesia authoritate potestatis apostolicæ segregatum cognoscat. Conseruantibus autem hæc pax à Deo & misericordia præsentibus & futuris seculis cõseruetur Amen. Datum Placentiæ, per manum Ioannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, 8. idus Marty, indictione 3. Anno dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo quinto, pontificatus autem domini Vrbani papæ secundi, anno septimo.

Acta sunt hæc sub abbate venerabili Gebhardo, anno eius 4. qui facile quod voluit à summo Pontifice obtinere potuit, cui antea & notus & singulariter dilectus fuit. Nec enim latere papam potuit, quam bene cum Romana sentirent ecclesia fratres Hirsaugienses, qui vsque ad periculũ mortis & destructionis ipsius loci, excõmunicato regi contradicentes. pro Romanæ libertate ecclesiæ constantissime semper steterunt.

*Abbas Gebhardus natus erat Papæ.*

Abbas autem Gebhardus cum adhuc prior esset claustralis, ad papam à sancto Wilhelmo missus, sicut supra diximus, eius & notitiam & familiaritatem fuerat consequutus.

*Bulla Papæ.*

Dedit autem & aliud priuilegium monasterio Hirsaugiensi venerabilis ille papa Vrbanus, maioris exemptionis libertatis & quietis, quod cum sit satis notabile, de verbo ad verbum illud huic operi duximus inserendum.

*Copia alterius & magni priuilegij.*

Vrbanus episcopus, seruus seruorum Dei, omnibus Teuthonicæ regionis fidelibus. Hanc chartam & hoc priuilegium in Christi nomine donaturi, non est absre, si primo innotescimus, quæ sit causa, vel quæ necessitas eiusdem priuilegij. Monasteria, & seruorum Christi habitacula, quæ pia voluntate & optimo studio ædificantur, si non minus à posteris quam à maioribus & eorum fundatoribus æstimentur, profecto eorum status non adeo esset infirmus. Item qui appellantur episcopi, si omnes officio digne curarent, & tam prodesse quam præesse operam darent, hoc quoque non parum faceret ad stabilitatem monasteriorum. Nunc autem secundum quod sæpius sumus experti, quod maiores construunt, hoc si eorum posteri non destruunt, magis omittunt pro humana verecundia, quam pro Deo. De ipsa tamen parentum elecmosyna tantum seruitij secularis exigunt, vt nulla digna sit sollicitudo de illo seruitio quod Deo debetur.

*Negligentia notatur episcoporum.*

*Monasteria seruitijs grauantur valde.*

*Quomodo episcopi sua tribuus electionẽ prætiziunt. Simoniacæ pestis valida.*

Hoc quoque visum est non semel euenisse, quod qui Christi videbatur antistes, per hanc solam occasionem, qua abbas benedicendus erat ab eo, congregationi fratrum abbatis electionem extorqueret: nec alium ordinaret, quam quem ipse præcipue voluit, voluntate fratrum omnino postposita. Ordinato autem de cætero & ipse imperauit quasi tributario suo, & quasi ad hoc solum constituto, vt seculariter seruiret. Nam & illa pestis maligni ssima, scilicet hæresis simoniaca, cum authore suo diabolo ita circuit terram & perambulat eam, vt nulla sit ecclesia quæ secura esse queat de eius violentia & insasione. Propter quæ, singula quum dominica dispensatio de mediocritate nostra ita ordinauerit, vt serui seruorum Dei esse debeamus: non est dignum, nos omittere vel negligere, si quid solatii & suffragii contra tot hostiles incursiones misericordia Christi dederit, vt eisdem dominis nostris conferre valeamus.

*Hirsaugia.*

*Quid comes Adelbertus monasterio hoc liberta-*

Est quoddam monasterium in pago Spirensi, & in sylua quæ vocatur Nigra, ipsius que nomine, Hirsaugia vocabulum est in lingua Teuthonica Hirsauue, quod cum deuenisset iure hæreditario in potestatem & possessionem nobilissimi comitis Adelberti & coniugis Wilirudis: non eis videbatur conuenire satis ad salutem animarum eorum, si ita in ipsorum manu retinerent, vt eis reliquum erat à parentibus suis. Fuit ergo primitiuus bonæ voluntatis eorum labor & fructus, quod pro canonicis ibidem prius degentibus, introducta est & ordinata vita monachorum. Quo præmisso, noluerunt quoque, vt de reliquo alius esset hæres eiusdem monasterii, quam beatus Petrus & ecclesia Romana. Beato Petro delegatum est, & in proprium confirmatum, eorum deuotione & oblatione, filiis quoque suis annuentibus & laudantibus.

tibus. Et ita vt annuatim vnum aureum ad sedem Apostolicam tribuat pro censu, nullique alij mortalium cuiuscunque rei terrenæ sit obnoxium. Et nunc quid supereſt, vt à nobis addatur & finiatur? Maxime de constituendo abbate, & de aduocato vel defensore loci. *Hirsaugia Romanæ ecclesiæ est subiecta.*

Quotiescunque igitur contigerit, vt abbas sit ordinandus: ad eius electionem nolumus, & omnino interdicimus, vllam personam interesse, præter monachos, & eos solum, qui ad titulum monasterij obedientiam sunt professi. Quem ipsi elegerint, accipiat virgam pastoralem ab aliquo de prioribus fratrũ, nec vlla potestas ad hoc ecclesiastica vel secularis expetatur. Postquã habuerit inuestituram officii, mittatur ex parte congregationis ad quemcunq; potiſſimum videatur episcoporũ, vt pro charitate veniat, & vt moris est abbatem benedicat. De cæteris fratribus ordinandis ad quemlibet ordinem huius generis, vt est presbyterium, vel diaconatus, fiat quod magis fuerit oportunum, vt vel in ipso monasterio ordinentur, vel ad episcopum absentem & ordines alibi facientem dirigantur. Propter quod confratres nostros & coepiscopos, maxime quotquot sunt in Germania, omnes pariter appellamus, & enixius omnes obsecramus, vt huic nostro decreto fauere & annuere non dedignentur. *Negatur confirmatio episcopi.* *Exemptio cœnobij minuitur.*

Et si eis non erat indignum in ipso textu ordinationis suæ Apostolicæ sedi & ecclesiæ Romanæ obedientiam profiteri, monemus, rogamus, aut (si hoc magis volent) ex authoritate sedis Apostolicæ præcipimus, vt quidquid statuimus ad hoc, quantum in ipsis est, aliquo modo inobedientes esse non præsumant. Si quis eorum rogatus fuerit, vt ad benedictionem abbatis veniat, venire nõ obmittat, si præ valetudine possit, vel qualibet alia huiusmodi necessitate non impediente. Item si rogatus fuerit pro alijs ordinibus ecclesiasticis faciendis, in hoc quoq; pro voto fratrũ morem gerere non omittat. Non curet, si quis ausus fuerit, præceptum nostrũ calumniari & cõtradicere quasi vanum sit, & illicitũ quenquam locorũ, ita esse absolutum ab episcopali subiectione. Nam idipsum de quantis locis facũ est ab antecessoribus nostris, & in promptu est. Si expediret, & non longum esset pleraq; huiusmodi nominare. Recolat quid responderit ille pater inclytus sanctus Epiphanius Cyprorum episcopus Constantinopolitano episcopo Ioanni, qui quum calumniatus esset, quod in parœchia, absq; sua licentia ordines fecisset, fatebatur se non in parœchia, sed in monasterio fecisse. Quo verbo innuerat, aliud ius esse parœchiarũ, aliud monasteriorum, aliud ius eorum qui nubent & nubentur, aliud qui seipsos propter regnũ Dei castrauerũt. De quibus adhuc manifestius testatur Apostolus, nequaquã esse sub lege eos, qui spiritu ducuntur. Quæ sententia, si de omnibus est vniuersalis, quanto magis de illis, quibus quadam speciali deuotionis prærogatiua Deo seruire conuenit. *Papa mandat episcopis rogandæ ordinationis facere abbatum.* *Epiphanij verbum.* *Apostoli sententia.*

Nam quos in præfato loco specialis gratia contraxit, vt mereantur veri filij esse promissionis, & ad promissionis terrã vere pertingere: decreuerunt etiam modo, pro antiqua patrum disciplina Christo militare, ita vt nullum patiantur habere commilitonem ætatis infirmioris, quam vt olim & ipse quidem, qui est verbũ, cum patribus loquebatur à vicesimo anno & supra. Si qui sunt iuniores, hi nimirũ vt in collegio suo videantur admixti pro nulla personarũ acceptione, pro nulla æris æstimatione acquiescunt. Et hoc quantũ faciat, quantumq; valeat ad integritatem & stabilitatem religionis animaduertere possumus, & ex contrario maximo colligere cum manifeste sit habitudo huiusmodi illorũ monasteriorum, in quibus non alij Deo seruiunt, quã soli à pueris nutriti. Est adhuc & alia gratia, quæ locũ tam sæpe dictum cõmendat, quod illuc nonnulli pro amore Christi conuenerunt, huius seruoris, huiusq; humilitatis, vt eis non tam libeat haberi pro monachis, quã pro seruis monachorum, & vltro se obtulerint, & ad monasteriũ coquinæ, pistrini, & aliarũ humanarum necessitatum. Quod plane tanto maioris est meriti, quanto expressius illum imitantur, qui quum sit cælestiũ virtutum imperator, tamen homo factus, in hunc mundum venit non tam ministrari, quã ministrare. Hæc singula considerantes, non dignum duximus, vt qui quandam vitæ nouitatem pro Christi dilectione sunt adorsi, eis etiam pro ipsius honore plus aliquantulum quam aliis Ecclesiis deferatur. *Nullus infra annum vicesimum olim Hirsaugienses monachus fiebat.* *Hæc statuta Papa commendat.*

Ergo primũ constituimus, vt per omnia tempora succedentia, nullus sit mortaliũ, qui mutare audeat illud bonũ studium, & exemplũ bonum militaris disciplinæ: vt sicut in præsentiarũ, de cætero quoque virorũ Christi cuneus, tam ætate infirmiore, q infirmiore sexu nũquam interrumpatur, nec in militiam spiritualẽ ante præscriptũ terminũ, id est, ante viginti annos, quisquã recenseatur. Eoq; modo æterno Regi militantes, vt nullus Episcoporũ vlla huius generis quæstione aliquo modo inquietet, ex parte Dei omnipotentis, ex parte Dei genetricis & intemeratæ Virginis Mariæ, ex parte Apostolorum Principis sancti Petri, & ex nostra, interdicimus, contradicimus, & anathematizamus. Quibus etiã si tale quid contigerit, quia pro tanta viarum intercapedine non est facile vt ad præsentiam nostram & audientiam recurrant, Moguntino Archiepiscopo Ecclesiæ, cui decessores nostri vicem suam in partibus Germaniæ commendauerunt: nos etiam super istum locum & habitatores eius commendamus, vt de omni querela quæ eis acciderit, ad eum se reclamare possint. *Interdictio Papæ, ne quis ante vigesimum annum hic suscipiatur.* *Nullus episcopus tenet contrarium.* *Archiepisc. Moguntinus vicem gerit apostolici super Hirsaugiã.*

Et quia vt beatus Apostolus ait, plures fiunt sacerdotes, eo q morte prohibentur permanere: quoties Archiepiscopus post decessum prioris est ordinandus, ad ordinationẽ suademus monasterij, vt non supersedeat interesse. Ostendat ei exemplar decreti nostri & commendationis, vt probet qualẽ fiduciã de eius

*suffragio in futurum possit habere. Et quia Archiepiscopus ad sedem Apostolicam maxime pro pallio est missurus, si rogauerit Abbatem, vt sit pro huiusmodi legatarius eius, & dederit omnia quæ ad viam sunt necessaria, laudamus vt ire non recuset. Ad rem nanque facit, si hoc officio in eius amicitiam familiarius fœdaretur : quum & à nobis, non iniuria, magis obtineat filius & domesticus, quam qui non fuerit ita priuilegiatus. Item quoties ordinandus est Spirensis Episcopus, expedit, si & ibi non neglexerit adesse, & prius quam ordinetur, commoneat Archiepiscopum, vt eius quoque huic decreto nostro quærat assensum. Aut si aliud quid voluerit, videat Archiepiscopus quid faciat pro commendatis suis : & si opus erit, ad notitiam nostram, vel successoris nostri, res vsque perueniat. At si Deus eidem Episcopo hunc spiritum donauerit, vt non inuitus faueat humilibus Christi: tunc & illum, ne hic sine honore dissimulasse videamur : præcipimus, vt in conuentu fratrum, in quolibet die priuato, dicatur pro eo Psalmus nonagesimus nonus, in omni vita sua. Post vitam vero, & pro ipso & pro suis, ab hac die & deinceps antecessoribus, quotquot præsenti præcepto non sunt aduersati, agatur in omni feria secunda, priuata Missa defunctorum. Quod scire potest, ad compendium animæ suæ magis expedire, quam si posset in monasterio per omnia pro voto suo dominari. Aduocatum autem Imperatorem Romanorum, qui & noster aduocatus est, præficimus. Propter multiplices tamen eius curas & dispositiones regni, liceat Abbati & fratribus de familia de Caluue eligere, si idoneum inuentus fuerit: qui non lucri causa, vel pro necessitate sua, sed pro remedio animæ suæ & parentum suorum, locum sæpe dictum velit defendere. Sin autem alias, vndecunque libet, liceat alium eligere, qui etiam vocatus in præsentiam Abbatis & fratrum, iuret in sacramento cum familiaribus suis, quod contra priuilegia Ecclesiæ non veniat. Sic adductus in præsentiam domini Imperatoris, simili modo confirmet. Non solum autem super cellam maiorem licet Abbati subaduocatum constituere, sed per singula prædia & cellulas suas : vbi nihil etiam sibi iuris à Prioribus illic constitutis, in beneficiis prouidendis, vel etiam ecclesiis inuestiendis subtrahitur. Aduocato autem sic constituto, non liceat contra voluntatem Abbatis subaduocatum vel causidicum per prædia monasterij disponere, sed omnia illibata secundum priuilegia custodire. Si autem non vt defensor, sed potius vt calumniator & peruasor rerum sibi commissarum extiterit, nostro banno excommunicatum omnino, habeat Abbas potestatem hunc reprobare, & alium sibi vtiliorem vndecunq; placuerit, auxilio etiam Imperatoris si necesse fuerit, eidem monasterio prouidere.*

*Abbas Hirsaugiensis sit legatus archiepiscopi Moguntini*

*Psalmus 19. pro episcopo legatur in conuentu.*

*Missa omni agatur feria 2. pro episcopis Spirensib.*

*Imperator aduocatus est monasterij Hirsaugiensis.*

*De subaduocato, eiusque officio.*

*Iurabit abbas & imperatori.*

*Non posset alium substituere.*

*Si calumniator fuerit cœnobij.*

Hoc priuilegium venerabilis Abbas Gebhardus, consilio fratrum inductus, ab ipso summo Pontifice Vrbano secundo, propria eum in persona accedens, fauorabiliter acquisiuit: & Ruthardo Archiepiscopo Moguntino, in suam personam, quantum ad ipsum pertinebat consentiente, ad vsum & practicam perduxit.

*Statutũ de ætate suscipiendorum ad ordinem.*

Porro hoc statutum cuius in bulla fit mentio, vt in monasterij membrum nullus ante vigesimum annum completum susciperetur, Sanctus pater Wilhelmus inceperat cum consilio fratrum : sciens profecto regularis disciplinæ obseruantiam, non pueris, sed viris fortibus esse tolerabilem. Nam sicuti hodie videmus in omnibus locis, vbi pueri ad religionem admittuntur, aut parua, aut nulla viget monasticæ integritatis obseruantia. Metuentes ergo viri huius cœnobij præstantissimi fratres, ne successu temporis hæc sancta institutio qualibet occasione periret, prudenti consilio vsi, sedis Apostolicæ approbatione confirmandam obtulerunt.

*Laudabilis vita monachorũ Hirsaugiensium.*

Fuerunt enim temporibus istis, in monasterio isto, sub Gebhardo venerabili Abbate, & numero & sapientia magni viri, qui ordinem nostrum, sicut astra cœli clarissima illustrabant : quorum plerique ante ingressum religionis, magni & nominis & honoris in sæculo extiterunt. Summa inter eos charitas eo tempore vigebat, tantaque obseruantia regularis disciplinæ in Hirsaugia cumulata cernebatur, vt omnium sententia hominum confirmaret, maiorem puritatem monasticæ institutionis nunquam in Germania vel visam eatenus vel auditam. Magni siquidem nominis, laudis & honoris Hirsaugia in ore omnium fuit, & monachi huius cœnobij vere Dei serui in vniuersa terra laudabantur.

*Doctissimi & nobilissimi facti sunt humillimi.*

Multi inter eos in omni scientia scripturarum fuere doctissimi, multi quoque nobilitate generis præcipui, complures extiterant ante conuersationem in Cathedralibus alijsque diuersis ecclesijs, magni nominis prælati: qui tamen postquam ad ordinem sunt conuersi, tanta se in medio pauperum humilitate pro Christi amore deiecerunt, ac si cunctis vitæ suæ diebus idiotæ, rusticorum famuli, seu mendici, in mundo miserabiles extitissent.

*Plures vitã solitariã assumpserunt,*

Ex his nonnulli post ordinis disciplinam, ad vnguem (vt vulgo dicitur) imbibitam, ob mentis tranquillitatem, in summa diuinorum contemplatione conseruandam, cum

cũ licentiã & benedictione venerandi pastoris ad vicinæ solitudinis eremũ secedentes, veterũ anachoritarũ propositum imitantes, omnia istius mundi solatia pro regni cœlestis amore contempserunt. Hoc arduæ conuersationis institutũ, non passim quibuslibet subire licebat, sed illis duntaxat quos vitę transactę sanctimonia sub omniũ testimonio fratrũ, cum profectiore ætate simul & bellandi contra diabolum experientia cõmendasset. Legimus, horũ nonnullos post mortẽ quoq; non caruisse miraculis, quibus visio etiam angelica contulit authoritatẽ. Enimuero tam sancta fuit his temporibus vita monachorũ Hirsaugiensiũ, vt nullos in sui consortium nisi sanctos admitterent: vel certe susceptos, durius probantes ad regulã sanctificarent. Nullus inter eos, nisi bonus, & Deum in veritate quærens, subsistere potuit: vbi tot improbitatis suæ durissimos necessario sustinuisset censores, quot in cœnobio monachos inuenisset. Omniũ nanq; hoc summũ desiderium & maximum fuit, Deũ in veritate quærere, & eum contemptis trãsitorijs super omnia amare. Ergo quum omnes vnius atque eiusdem essent propositi, alterius inter se voluntatis hominem nulla poterant ratione sustinere. Sed nunc tandem oportune ad aliquantulum intermissam historiam calamum reuocemus.

*Nonnulli miraculis claruerunt.*

*Sanctissima fuit conuersatio monachorum in Hirsaug.*

Vrbano igitur Pontifice mortuo (sicut prædiximus) anno Gebhardi octauo, Domini autem millesimo nonagesimo nono, in pontificatu electione primum successit Reinherus abbas ordinis nostri, qui dictus est Paschalis secundus, Italus natus, vir deuotus & cõstans, quique ecclesiam Romanam sapientia & industria constanter de prauorum tyrannide liberauit. Sedit annis octodecim, mensibus quinque, & diebus septem. Erat autem ex nobilibus Romanis oriundus, sanctæ conuersationis & boni testimonij, qui ex Abbate & Cardinale sancti Clementis tam designatione Vrbani papæ iam in extremis constituti, quam sanctorum reuelationibus vnanimi consensu omnium electus fuit.

*Paschalis Papa noster ordinis fuit.*

M C.

Anno autem Gebhardi abbatis nono, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus cẽtesimus, Wigbertus Rauennatis Apostolicæ sedis inuasor, mortuus est, vir vtique ingenio, facundia, nobilitate, personæque reuerentia clarus, nec Roma tunc, nec Rauenna bene vsus: & qui super vnum papam viuentem (quamuis coactus est, vt aiunt) ascendit, ipse sibimet tres alternatim succedentes superuixit, extorris vtraque sede, Romanæ videlicet, & Rauennæ.

*Wigbertus antepapa obiit.*

Quidam ex fautoribus eius ad sepulchrum diuina micuisse luminaria in populo testabantur. Quapropter summus Pontifex Paschalis iam dictus, zelo Dei inflammatus, iussit vt effoderetur, & in Tyberim iactaretur: quod & factum est.

Eodem anno obijt Godfridus rex Hierusalem, cui frater suus Baldeuinus, electione populi in regno succedere coactus est.

*Godfridus rex obiit, Baldeuinus successit.*

Obijt etiam episcopus Otto Argentinensis.

M C I.

Anno sequente obijt Hartvvicus archiepiscopus Magdeburgensis, qui alio nomine Vdo dictus est, morte subitanea: de quo circumfertur illa terribilis sententia districti iudicis Iesu Christi, qui in ecclesia præfata Magdeburgensi Græce Parthenopolis dicta, id est ciuitas virginis, ante summum altare cum multitudine Sanctorum adsedisse, per quendã deuotum canonicum visus est nocte illa, in qua & mortuus mane inueniebatur episcopus, sententiamque in eum decollationis protulisse. Hæc historia, quia satis nota est, latioribus verbis à nobis non venit inserenda.

*Vdonis episcopi Magdeburgensis mors horrenda.*

Eodem anno moritur in Italia Conradus rex, filius Henrici Imperatoris, de quo superius mentionem fecimus, & in Florentia sepelitur.

Obijt etiam Rupertus episcopus Bambergensis, pro quo constitutus est Otto monachus cœnobij Montis monachorum, extra muros eiusdem vrbis, ordinis nostri vir sanctissimæ conuersationis, qui multis in vita & post mortem signis & miraculis claruit. Fuit autem in ordine episcoporum eiusdem parochiæ octauus, & ecclesiam sibi diuinitus cõmissam verbo & exemplo strenue gubernauit. Eius vita sanctissima, luculento sermone conscripta habetur, cuius festum pridie calendas Octobris peragitur. Sepultus ante summum altare præfati monasterij sancti Michaelis, in quo monachus extitit.

*Otto ex monacho episcopus Bambergensis.*

Iste beatissimus præsul, inter cætera pietatis suæ studia construxit de patrimonio suo, quia filius comitis erat potentissimi, monasteriũ quoddã ordinis nostri in diœcesi Herbipolensi, quod Vraugia dicitur, in honorem Sancti Laurentij martyris, quod prædijs & possessionibus ad sustentationem monachorum magnifice dotauit. Primus abbas huius cœnobij Vraugiensis, à sancto Ottone constituti, fuit Eckhardus, venerabilis mona-

*Monasterium Vraugiense constructum. Eckhardus primus abbas Vraugiensis, vir deuotissimus.*

chus sæpe dicti monasterij Montis monachorum, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis doctissimus, Rhetor & Poeta insignis, nec minus conuersatione quam scientia clarus. Qui inter cætera ingenij sui opuscula, scripsit ad imitationem Boëthij & prędecessoris illius Martiani Capellæ, pro monachorũ cõsolatione gemino stylo pulcherrimum volumen, quinq; distinctum libellis, quod Laternam monachorum prænotauit. Breuem quoque historiam rerum gestarum sui temporis comportauit, quam in præfato monasterio aliquando vidimus. Sepultus est in eiusdem monasterij ecclesiæ medio, non sine opinione sanctitatis.

Eodem anno moritur Egilbertus, archiepiscopus Treuirorũ septuagesimus nonus, ecclesiæ suæ reparator magnificus, & in pauperes largissimus. Cui in archiepiscopatu successit Bruno, natus ex Franconia, quæ antiquitus dicebatur Francia Orientalis, Arnoldi comitis & Adelheidis comitissæ filius: & in Moguntia, idibus Ianuarij consecratus est. Hic Bruno archiepiscopus monasteriũ sancti Eucharij iuxta Treuerim nostri ordinis, q̃ modo sancti Mathiæ dicitur, nimia vetustate pene collapsum, mirifico tabulatu lapideo reparauit ex fundamentis nouum. In qua reparatione corpus sancti Mathiæ Apostoli repertum fuit, & extunc eiusdẽ Apostoli nomen, eidẽ cœnobio vsq; in præsentẽ diem remãsit. Nam antea ad sanctũ Eucharium vocatum fuit. Idem quoq; Archiepiscopus aliud monasteriũ ordinis nostri de nouo construxit, in diœcesi Spirensi, in pago qui dicitur Creichgaun, in comitatu Bredheim, iuxta villã Odenheim in loco Wigoldesberg. q̃ communi vocabulo Odenheim appellatur, anno pontificatus sui 21. Sicut ex litera fundationis eiusdẽ cœnobij per Henricũ Imperatorem quartũ huius nominis, anno Domini millesimo cẽtesimo vigesimo secundo, indictione 15. tertio nonas Martij, apud Nuhusen data plenius continetur. Quam fundationẽ Paschalis papa secundus confirmauit sub priuilegio annui census aurei Bizantij. Constructit autem hoc monasterium in hæreditate paterna, fratre suo Poppone comite consentiente & adiuuante, & sancto Petro Apostolorũ principi & sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ, in perpetuum tradidit possidendum. Multas etiam alias ecclesias & monasteria reparauit.

*Bruno fit archiepiscopus Treuer.*

*Monasterium S. Mathiæ reparatur.*

*Odenheim Monasterium construitur.*

MCII.

Anno Gebhardi abbatis 11. qui fuit dominicæ natiuitatis 1102. papa Paschalis multorum episcoporum & abbatum concilium Romæ congregat, circa medium quadragesimæ, vbi præter antiqua patrum statuta reuerenter solito more confirmata, etiam illius temporis schisma inter præcipuas hæreses computatur, perpetuo cum suis authoribus & sequacibus anathemate condemnatur.

*Synodus celebratur Romæ.*

His temporibus abbas Gebhardus cœpit paulatim modice remissius agere, maxime in exhibenda pauperibus eleemosyna constituta. Fuit enim à sancto patre Wilhelmo cõmuni fratrũ consilio statutũ, vt aliqui ex fratribus laicis ad conuersionẽ venientes, in domo pauperũ sub habitu seculari pauperibus deseruirent, victũ suum & amictũ, non de annona pauperũ, sed de cõmuni fratrũ cellario vestiario q; recipientes. Hoc statutũ Gebhardus abbas immutauit, iubens vt seruitores pauperũ, vitæ suæ necessaria non aliundẽ q̃ de eleemosyna ipsa reciperent. Ex qua occasione, prouisione pauperũ diminuta res dolenda contigit, vt peregrinis egenisq; solita detraheretur misericordia, in tantum q̃ per gelidas noctes hyemis hospitio excluſi præ fame & frigore miserabili clamore in platea perstreperent & fratres in dormitorio iacentes sæpius inquietarẽt. Super hæc & his similia cum abbas sæpius à senioribus admonitus nihil penitus emendaret, senior quidã sanctæ conuersationis monachus, vidit se quadam nocte dominicæ ascensionis per visum gloriæ interesse sanctorũ, vbi inter cæteros sanctũ abbatem Wilhelmum quondam sibi familiarissimum, nitueo aspectu habituq; fulgentem recognouit, stantem inter duos splendidissimos pontifices, quorum alter erat sanctus Conradus episcopus Constantiensis, & sanctus Vdalricus Augustensis alter.

*Negligentia Gebhardi abbatis.*

Et post multos sermones inuicẽ habitos, sanctus Wilhelmus ad monachũ ista vicẽtem dixit: Ex parte summæ maiestatis Dei præcipio tibi, vt dicas abbati, priori, cæterisq; fratribus Hirsaugiæ, quatenus secundũ q̃ à nobis acceperunt, egenis & hospitibus cum omni charitatis affectu seruiant, mores & vitã suam secundũ regulã sancti Benedicti corrigant. Ante omnia, irã, odium, indignationẽ & detrectationẽ, quibus assidue Deũ offendũt cum omni malitia abijcientes synceram & continuam dilectionem ad inuicem custodiant: quod nisi obseruent diuinam proculdubio vltionem se experturos sciant.

*S. Wilhelmus mandat Gebhardo.*

His dictis relicto eo cũ quo loquebatur abbas Wilhelmus cum cæteris, altiora quædam cœli secreta petiuit. Ille vero senior, cui hæc reuelata fuerant, cum per se non aude-

auderet, per alium quendam seniorem abbati cuncta intimauit. Qui pristinam quidē abbatis Wilhelmi constitutionem de eleemosyna pauperum seruari iussit. *Vindicta Dei contra abbatem Gebhardum.*

Cætera cum quibus monasterium perturbauerat, incorrecta dimisit. Quapropter secundum prædictam comminationem sancti patris Wilhelmi, fere ei nihil deinceps prosperum successit. Nā post annos paucos monasterij regimine exutus & pontificali insula apud Spirā indutus, omniū aduersum se odia ineptis moribus cōcitauit, & nō longe postea miserabili infirmitate cōsumptꝰ est mortuus, sicuti postea dicemus. His temporibus iuuenis quidam nobilis, possessiones monasterij in Villa Almendingen è quodā Winthero cōuerso, quondā sub abbate Wilhelmo in hoc cœnobio legitima donatione traditas, post mortem vtriusque tanquam proximior hæres inuadens, cum die quadam duas inde carratas vini & alia quædam abduceret, sub ciusdem hæreditatis prætextu temerario ausu, subito vnius boum qui prædam trahebant, confractus est pes. Ipse quoque raptor, de equo cui insidebat, repente cecidit, & amissa loquela & viribus totis amentiam incurrit. Indē manib. sublatus alienis, cum post aliquot dies ad mentē reuersus, flagellū Dei metuerer, ad monasterium Hirsaugiense deferri se fecit, ibiq; mutato cum mente habitu seculari, Deo fideliter se mancipauit, & post paucos annos in sancta requie fideliter obdormiuit. *Inuasor possessionum cœnobij amens efficitur.*

Eodem anno obijt Henricus comes de Northeim, fundator monasterij Burfeldensis ordinis nostri, de quo supra dictum est, & in eodem cœnobio sepelitur. Eodem anno, Burcardus monachus Hirsaugiensis, factus est abbas in Erfordia 6. Idus Februarij, qui starim in ipso anno fundare cœpit nouam ecclesiam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in eodem monte. *Burfeld. Burcardus abbas in Erfordia.*

MCIII.

Anno Gebhardi abbatis duodecimo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1103. Henricus Imperator quartus, natiuitatem Domini Moguntiæ celebrauit, & filio suo Henrico 5. rerum suarum summam cōmittens, se Hierosolymam iturum promisit, sed non fecit. Henricus autem iunior à papa Paschali Romæ Imperator consecratus est. *Henricus Imperator Quartus.*

Anno autem Gebhardi abbatis 13. qui erat dominicæ natiuitatis 1104. Henricus Imperator natale Domini Ratisponæ celebrauit.

MCIIII.

Hoc eodem anno, in episcopio Spirensi sanguis è panibus fluxisse visus est, necnon in lenticularum edulio prodigiose repertus. Ciuile imo intestinum bellum portendere, secundum antiquam Romanæ historiæ similitudinem conijciebatur. *Sanguis fluxit è panibus.*

Hoc anno circa solstitium æstiuale, cōmutato in tempestatem aere, in pago Herbipolensi decidisse fertur inter grandinum lapides tātæ magnitudinis glacies, vt in quatuor diuisa partes, totidem hominibus importabilis videretur.

MCV.

Anno Gebhardi decimoquarto, dominicæ vero natiuitatis 1105. Henricus filius Henrici Imperatoris quarti, inuaso regno cœpit regnare adhuc patre viuente. Voluit autem Henricus senior Saxoniam hostili manu inuadere, propterea quod omnes Saxones vt veri catholici cum ecclesiæ Romanæ pontificibus bene sentirent: sed non potuit, quia filius eum detestabatur, quemadmodū & cuncti fideles: quoniā excōmunicatus denunciabatur à tribus Apostolicæ sedis præsulibus, Gregorio scilicet 7. Vrbano secundo, & Paschali æque secundo. In ipsa vero expeditione qua Saxoniā moliebatur intrare, filius quadam nocte de exercitu patris cum paucis aufugit, quod cum pater intellexisset, contristatus est, expeditionem intermisit. Filius autem Sueuiam petens, à Gebhardo Constantiense episcopo, sedis apostolicæ legato, à sententia excommunicationis absolutus est. *Henricus Rex Quintus patre suo Imperatore rebellat.*

Qui deinde consilio & auxilio Diepoldi marchionis Berengeri, comitis Ottonis potentissimi ducis omniumq; principum, episcoporum & abbatum Saxoniæ, Sueuiæ, Bauariæ, Franconiæ, ac cæterorum vicinorum adiutus, regnum prudentissime ordinare cepit, & omnibus populis mirum in modum complacuit. *Henricus Quintus præualuit contra patrem.*

In primis Ruthardū archiepiscopū Mogūtinum nono anno postquā à patre in Thuringiā fugatus est, propriæ sedi restituit. Alios etiā plures ecclesiarū pontifices à patre propter obedientiā sedis apostolicæ fugatos restituit, & eos qui per violentiā patris subinducti fuerant, deposuit. Concilīū quoq; episcoporū & abbatum generale in villa regia Northusen, 4. cal. Iunij, vbi super ecclesiasticæ iam nimiū deprauatæ institutionis disciplina tractaretur, indixit. In quo cōcilio super sententijs instantiū patrū decretis primo relectis quæq; poterant, laudabiliter corrigebantur ad præsens, quædam quæ grauiora videbantur ad apostolicam obedientiam reseruata sunt. *Ruthardus Archiepiscopus Moguntinus restituitur.* *Concilium agitur Northusen.*

*Mersburg.* Tandem peracta synodo Henricus 5. pentecosten celebraturus, Mersburg accessit, ibique Henricum Magdeburgensem archiepiscopum dudum designatum, sed ab imperatoribus fidelibus impie repulsum consecrari fecit. Deinde Moguntiam obsidione conclusit patre intus existente, ac postea veniens ad Herbipolim Erolongum quendam, quem Einhardo defuncto præsulē Imperator designauerat, expulit, & Rupertum eiusdē ecclesiæ præpositum, tam prius, quam tunc à clero & populo electum, per Ruthardum archiepiscopum Moguntinum inthronisauit. *Wirtzburg.* Post hæc Bauariam ingressus, castrum Nurenberg partibus Imperatoris contra ecclesiam fauentium obsedit, & post menses ferme tres prospere cepit. Inde soluens exercitum Ratisponam se contulit, vbi & conuentum principum celebrauit.

*Regensburg. concilio interfuit Gebhardus.* Huic regali colloquio vocatus Gebhardus abbas Hirsaugiensium interfuit, qui sapientia & eloquentia sua cunctos in admirationem sui pariter & amorem traxit. Contigit vero vt Ioannes episcopus Spirensis ijsdem temporibus moreretur, quod Henricus rex iunior cognoscens, de cōsilio Ruthardi archiepiscopi Moguntinensis, Henrici Madeburgēsis, Ruperti Herbipolensis, Vdonis Hildeshemensis, Henrici Padelbornēsis, Friderici Helberstadensis, Gebhardi Constantiensis, Epponis Wormacensis, aliorumque episcoporū & principū tunc præsentium, Gebhardū venerabilem huius cœnobij abbatem tunc præsentem viduatæ Spirensi ecclesiæ designauit episcopum, conferens ei quoque Lauriscensem nostri ordinis abbatiam in Wormacensi parœchia sitam.

*Gebhardus abbas fit episcopus Spirensis.*

MCV.

*Rex venit ad Spiram.* Deinde per insidias Ratisponensium, fugatus à patre, rex venit ad Spiram, quam cum thesauris patris ibidem repositis consecutus, ipsum Gebhardum cum magna solennitate in episcopum consecratum per archiepiscopum Moguntinū Ruthardum sæpe dictum inthronizauit in die omnium sanctorum, videlicet in die calendarum Nouembrium, anno domini 1105. indict. 13. Romanam ecclesiam Paschali 2. regente, anno eius 6. Henrici 4. Imperatoris anno 48. Ipsius Gebhardi in abbatia Hirsaugiēsi anno 14. & mēsibus 4. hebdomade vna, post electionem in Ratispona factam, de sua persona hebdomadibus quinque.

*Quanta opinionis fuerit abbas.* Ordinatus autem episcopus præfuit ecclesiæ Spirensi anno vno & mensibus 4. maiori semper tempore infirmus. Ante vero episcopatum quamdiu fuit abbas huius monasterij Hirsaugiensis, magni semper nominis & famę apud omnes pontifices Romanos, Cardinales, episcopos, abbates, reges, duces, comites, principes, nobiles, cives, & rusticos celeberrimæ fuit, atque apud vniuersos homines abbas Hirsaugiensis vir bonus, religiosus, eruditus, sapiens & eloquentissimus habebatur, prædicebatur & laudabatur cum magni gloria honoris. Vbicunque enim nomen eius inter colloquentes producebatur in medium, semper admiratio virtutum eius sapientiæ, prudentiæ & integritatis vitæ, auditorum amorem & laudes tanti viri prouocabat.

*Minoris veneration fuit episcopus quam abbas.* Sed posteaquam relicto monasterio Hirsaugiensi, quod eo tempore Spirensi ecclesia, diuitijs, redditibus, fama, & honore non multum videbatur infirmius, episcopatum assumpsit, mox celebritatem nominis famæque præsantiam cum abbatia pariter amisit. Omnes eum nobiles & ignobiles, amici & inimici, domestici & extranei, contemnere, despicere & irridere cœperunt, tanquam superbum, vane glorioſum & avarum insipientemque, quippe qui monasterium insigne locumque fama celeberrima glorioſum, & filios obedientes ad omnia devotos & sanctos pro episcopatu reliquisset. *Mente, moribus & vita mutatus in deterius, à cunctis irridetur.* In maiori enim reverentia & veneratione habitus fuit abbas quam episcopus. Nam etsi genere nobilis, morib. compositus, eloquio circunspectus, dulcis, sapiens & facundus fuit abbas, tamen mox vt episcopatum assumpsit, vniuersa hæc simul nescio qua ratione diuinę permissionis ita penitus amisit, vt in moribus rusticus, sermone imperitus & in conuersatione omnib. inceperit esse onerosus. *Causa huius in eum despectus.* Timendum vero quod hęc omnia cum cæteris adversis non paucis, illi propterea contigerint ordinatione divina, quod à S. patre Wilhelmo per visionem senioris, de qua diximus mandata, sibi emendare neglexit, quemadmodū & comminatum illi fuit per eundem. *Cantilenas in eum faciebant.* Nam in canticū vulgo iam factus episcopus mirabili mutatione versus est, & qui reverebantur abbatem, pontificem irriserunt. Præterea die quadam cives cū mulieribus & pueris eo præsente & per fenestras vidente & audiente in quodam loco vbi manebat choros ducebant, & cantilenas de ipso irrisorie compositas in eius cōtumeliam cantarunt. Sed non cessit illis in bonum. Milites enim & amici his contumeliis auditis in episcopum suum concurrentes, fatigatos illos subito disperserunt.

Cum primum in monasterio fratribus innotuisset, quod pater eorū spiritualis, alioquin

quin satis dilectus, omnibus in episcopum esset electus, quædam inter eos contentio suboriri cœpit. Quibusdam enim videbatur vtilitati & paci monasterij multum posse conducere, si eundem abbatem essent habituri, quem & episcopum qui eis non solum nullas præcedentium more pontificum inferret molestias, sed etiam auctoritate sua inferre volentibus resisteret. Cæteri autem saniori consideratione affirmabant contrarium, dicentes episcopum habere abbatem, non esse defensionis remedium, sed potius destructionis monasterij, rerumque & possessionis eiusdem principium, præsertim quod episcopus multitudine circumseptus militum, ad monasterium gratia visitationis multoties necessario venturus, vel certe in prædijs & possessionibus ipsius cœnobij mansiones aliquoties habiturus, breui tempore penitus consumeret quæcunque magna sollicitudine & labore fratrum reposita inueniret. Hoc quoque non mediocriter esse timendum, ne prædia monasterij suis amicis & stipendiarijs per potentiam ablata conferret in beneficium, quemadmodum plerisque in circuitu cœnobijs iam pene desolatis cernerent accidisse. Interea Gebhardus animos fratrum per aduocatum Gotfridum, & alios quos idoneos æstimabat ad hoc, occulte fecit solicitari & rogari, imo & contestari, vt memores beneficiorum essent quæ ab ipso recepissent, quorum intuitu obnixe precabatur, ne alium in locum suum ordinari abbatem consentirent, sed ipsum simul episcopum super se paterentur & abbatem, se multa bona monasterio singulisque eorum facturum promittens Hæc & his similia, non quidem omnibus, sed his duntaxat, quos sibi consensuros sperabat per literas, per nuncios & per interpositas personas fecit intimari. Sed quia prudentissimi tũc inter monachos huius cœnobij viri complures erant, qui vbi occultas Gebhardi machinationes deprehenderunt communicato consilio, vt eius astutiam astutia præuenirent, iuxta tenorem indulti Apostolici, electionem abbatis accelerarunt.

*Alteratio inter fratres propter episcopum facta.*

*Saniorũ pars consilium vt abbatem eligerent.*

*Episcopus sollicitatus vt eum pro abbate retineant.*

*Conatus Gebhardi episcopi super abbatia irriti facti sunt.*

## *DE BRVNONE HVIVS MONASTERII ABBATE DECIMOquarto, qui præfuit annis quatuordecim, mensibus tribus, diebus vigintiduobus, & gestis eius.*

IGITVR abbate Gebhardo ad Pontificatum Spirensis ecclesiæ (sicut dixi) mus) assumpto, atque vt huius monasterij abbatiam vna cum episcopatu retinere posset multum laborante, seniores conuentus sapientes & deuotissimi viri, qui eius norant astutiam, ne ab illo qualibet præuenirentur machinatione, diem electionis inter se iuxta priuilegium Vrbani papæ 2. eis indultum statuerunt, vltimum videlicet diem mensis Nouembris, qui fuit dies sancti Andreæ Apostoli. Conuenientes itaque in vnum fratres & scrutinio inter se iuxta consuetudinem facto, de singulorum votis maior pars eorum Brunonem monachum venerabilem senem, eodem die in abbatem elegit. Erant autem nonnulli inter eos vota sua aliorsum dirigentes, quibus electio Brunonis propterea quod senio grauatus, minus ad tantos labores perferendos idoneus esset, non placere videbantur, qui tamen sine pertinacia multitudinem sequentes, numero pauciores in eum sine mora consenserunt. Vnanimi ergo consensu omnium, Bruno senior in abbatem huius monasterij electus, pridie calendas Decembris, hoc est in die sancti Andreæ Apostoli.

*Dies electionis abbatis statuitur.*

*Bruno monachus in abbatem eligitur.*

Anno Domini millesimo centesimo quinto, indictione decimatertia, & à Richardo episcopo Hostiensi apostolicæ sedis legato, hic in monasterio, 7. calendas Ianuarij, hoc est in die sancti Stephani protomartyris, ordinatus in præsentia complurium abbatum, monachorum & aliorum fidelium, præfuit annis quatuordecim, mensibus tribus, diebus vigintiduobus. Hic Bruno fuit natione Sueuus, nobilibus & potentissimis ortus natalibus; qui post prima rudimenta literarum cum ætatem attigisset virilem, canonicus & matricularius maioris ecclesiæ Spirensis factus est. Vbi cum per abrupta vitiorum ire multos in perditionem cerneret, quibus diuitiæ, honores & deliciæ carnis occasionem præbuerunt, exactis annis in eo statu aliquibus, & tandem Dei miseratione compunctionem assecutus, mundum cum omnibus vanitatibus suis contemnens, ad monasterium Hirsaugiense se contulit, & sub Wilhelmo abbate sanctissimo conuersus ad Deum in tota mente, habitum cum proposito monastico assumpsit, in quo pluribus annis religiosissime conuersatus, tandem hoc anno abbas ordinatus fuit. Erat autem quantum ad corporis compositionem pertinebat, statura magnus & virili forma decenter proportionatus, recalualster, & caput veneranda quadam canicie respersus. Et quamuis corpore magnus decenter appareret, non tamen fortis & laboriosus, sed imbecillitate quadam nimis gracilis erat & laborum omnino impatiens. Propterea quæcunque in monasterij rebus ordinanda vel disponenda videbantur, non per suam, sed per subditorum industriam

*Abbas Bruno electus est.*

*Brunonis vita & patria.*

*Fit canonicus Spirensis.*

*Fit monachus Hirsaugiensis.*

*Corporis dispositio.*

*Animi dispositio.*

agebantur. Ipse autem homo quietus, pusillanimis, mitis & mansuetus, onera secularium negotiorum ferre non sufficiens, se ad interiora contulit, orationi, lectioni, meditationique & contemplationi spiritualium exercitiorum suum studium impendit. Electus vero propter metum Gebhardi episcopi præfati Spirensis, qui abbatiam istam sibi retinere moliebatur, fuit: vt si quippiam iniuriarum aut violentiæ contra monasterium & monachos

*Frater abbatis Brunonis vir potentissimus.*

eius inchoare tentasset, per auctoritatem fratris germani ipsius abbatis Brunonis, qui erat inter omnes Sueuos potentissimus, comprimeretur. Erant ei & alij complures viri diuitijs, potentia, & nobilitate insignes, sanguine & amicitia coniuncti, qui conatus episcopi omnes sua potentia facile impedissent. Sed cum vidisset episcopus quod fratres alium sibi ordinassent abbatem, ægre quidem tulit, non tamen contra eos quicquam mali tentauit. Ecclesiæ enim Spirensis curis & negotijs vsque adeo inuolutus & occupatus fuit, vt parum de rebus alienis permitteretur cogitare. Bruno itaque in abbatiam confirmatus,

*Abbas Bruno interiora curat.*

negotia secularia fratribus idoneis disponenda, commisit: & ipse cum cæteris interiora curans, vitam suam bonorum operum exemplar subditis ostendit. Qui licet nobilis fuerit & naturæ imbecillis, nunquam tamen vel in habitu vel in victu preciosius aut singularis fuit.

MCVI.

*Colloquium principum in Moguntia.*

Anno eius adhuc primo currente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1106. Henricus rex iunior filius Henrici Imperatoris 4. colloquium principum apud Moguntiam ad natale Domini indixit: vbi tantus episcoporum, abbatum & principum conuentus fuit, quantus per multa curricula annorum nunquam visus fuit. Ibi superuenerunt apostolicæ sedis legati, Albanensis & Constantiensis episcopi, sententiam anathematis in Henricum seniorem Imperatorem à tot summis pontificibus & alijs episcopis fulminatam testificantes, ipsumque à communione omnium fidelium abscissum à multis annis fuisse & esse protestati sunt. Qua de caussa Imperator consilio principum apud villam regiam quæ Ingelheim dicitur, legatis papæ occurrens & cæteris episcopis, tandem reatum suum compulsus

*Legati Apostolici.*

*Ingelheim.*

*Imperator veniam petit reatus à legatis.*

necessitate recognouit, veniamque postulans à legatis ad examen sedis apostolicæ remissus est. Vnde ad horam compunctus filio imperium cum insignijs, cruce videlicet & lancea, sceptro, pomo, & corona coram principibus & legatis resignauit, suæque consulturum animæ in antea promisit. Hoc ordine Henricus huius nominis 5. primum apparet, deinde ab vniuersis Germaniæ principibus, in regem iam secundo electus est: ab Apostolicis quoque legatis, per manus impositionem catholice confirmatus, acceptis tam ab episcopis quam à laicis iuxta morem temporis sacramentis regnare cœpit, anno sicut dictum est natiuitatis dominicæ 1106. imperauitque ab hinc annis 20.

*Henricus Quintus regnare cœpit.*

*Henricus Quartus moritur.*

Eodem anno Henricus senior Imperator 4. Henrici 5. pater apud Leodium moritur, anno regni sui quinquagesimo, imperij vero 23. & primo in quadam ecclesia deserta sepelitur, quousque interuentu filij à sedis apostolicæ pontifice impetrata absolutione, ad Spiram delatus tumulatur. Verum vt breui compendio malam istius viri complectamur historiam, ea quæ veteres de illo scripserunt, inseramus. Henricum istum hominem peruersum, & iusto iudicio ab ecclesia electum, omnibus reuera suo tempore constabat manifestum. Vendidit enim spiritualia omnia, inobediens fuit Apostolicæ sedi, in ipsamque sedem fugato Christi vicario Gregorio papa 7. idolum posuit Wigbertum Rauennatensem. In vxorem legitimam honestissimam matronam inaudita scelera commisit, ipsamque inuitam Nicolaitarum hæresin renouans, multis vi opprimendam prostituit. Pro his & alijs multis criminibus, à multis Romanis & alijs Pontificibus excommunicatus, Apostolicæ sedis maledictionem paruipendit, spreuit & contempsit. Hinc maxima in ecclesia Dei persecutio subsecuta est, per inuidiam & discordiam, dum alter alterum persequeretur vsque ad mortem: eratque schisma pernicioſum in ecclesia Dei, quibusdam papæ Imperatori alijs adhærentibus: Apostolica censura pro nihilo habebatur, ipsamque sententiam excommunicationis nemo curabat. Et quamuis in omnibus his Imperator esset pertinacissimus, ita vt sedis Apostolicæ auctoritatem nulla ratione vellet recognoscere, multum tamen in offensores suos alioquin clemens & misericors erat. Dum enim aliquando sederet ad requisita naturæ, quidam volentes eum perforare, sicarij capti sunt, & in eius conspectum adducti, quos tamen conuictos & confessos, illæsos abire permisit. Multi etiam principes, qui multa in eum mala commiserunt, magnumque ingessere contemptum, mox vt se coram eo prosternentes veniam postulassent, omnia clementer indulsit. In pauperes valde misericors fuit & multam eis eleemosynam impendit, omnibusque afflictis plusquã dici potest compatiens. Sed omnia hæc bona obfuscauit pertinacia,

*Errores Hæretici Imperatoris quarti.*

*Simoniacus.*

*Schismaticus.*

*Nicolaita.*

*Hæreticus.*

*Censura Apostolicæ olim tempus.*

*Clementia Henrici Imperatoris.*

propter

propter quam à Gregorio papa 7. excommunicatus, & ab imperio synodali episcoporum decreto fuit depositus, quamuis non curaret. Ipse autem primus est inter omnes Imperatores per papam depositus. Scholastici certant, & adhuc sub iudice lis est, vtrum papa Imperatorem possit deponere: quam quæstionem cum ad nos non pertineat, indiscussam relinquamus. Hoc ipso quoque anno Magnus dux Saxoniæ moritur, & ducatus comiti Lothario de Supelingenburg, qui postea Imperator factus est, simul cum marchia commendatur.

*Primus Imperator à Papa depositus.*

*Lotharius dux.*

Anno Domini 1107. qui fuit adhuc primus annus Brunonis abbatis, obijt venerabilis & sancta fœmina Paulina, pridie idus Martij, quæ multis annis vitã duxit quasi eremiticam, pro Christi amore inclusa apud Thuringorum fines, in diœcesi Moguntina, vbi & in vita & post mortem infinitis coruscauit miraculis. Aderant huic matronæ ægrotanti Wernerus filius eius, monachus huius cœnobij, Gerungus abbas primus cellæ S. Paulinæ, etiam monachus quondam huius cœnobij, cum cæteris fratribus multis, qui celebratis missarum solennijs in loco vbi ægrotabat, eius transitum Domino commendarunt. Qua tandem feliciter mortua, sanctum corpus vasculo inclusum ad cellam ab ipsa prius fundatam reportarunt, celebratisque cum debito honore exequijs, ante altare S. crucis reuerenter sepelierunt. Et quia Gerungi abbatis mentio incidit, qui cum monachus monasterij nostri Hirsaug. fuerit, dignum videtur vt eius merita altius aliquantulum reperamus. Fuit autem Gerungus natione Sueuus, ex familia Buchaugiensium progenitus, qui posteaquam in Augustensi ciuitate mores & literas aliquandiu didicisset, iuuenis bonæ indolis euadens, sub abbate Wilhelmo in cœnobio Hirsaugiensi monachus factus est. Qui vsque adeo in discenda & custodienda disciplina monastica studiosus fuit, vt vel primus vel cum primis in obseruantia regulari semper promptissimus inueniretur. Cantoris dehinc officium aliquanto tempore gloriose satis impleuit, in quo & artem vox & ars vocem conuenientia singulari commendabat. Regularis quoque disciplinæ tenacissimus æmulator extitit, & ob id à S. patre Wilhelmo bis Cluniacum missus est, ad discendum ordinem monasticæ conuersationis. Fuit enim maturæ grauitatis, in censura monastici rigoris admodum seuerus, his maxime qui sæpius proclamati super transgressione aliqua emendare neglexissent. Virtute tamen discretionis non caruit, quippe qui morbos animorum curaturus, austeritatem rigoris quadam lenitate commiscuit: & prudenter perpendens singula, nequaquam in delinquentes remissus fuit. Statura quidem corporis pulchra extitit, proportione dispositus, vt nec breuis nimium fuerit, nec immaniter procerus. In moribus se cunctis præbere nouit exemplarem, ita vt singulis conuersantibus tam secularibus quam religiosis, sine reatu se nouerit coaptare. Propterea fratribus suis charus erat, mitis, dulcis, affabilis, & mansuetus, quos verbo & exemplo in conuersatione sancta sine inuidia præcessit. In scientia vero scripturarum nec doctus multum extitit, nec penitus ignarus, sed pro suo statu sufficienter eruditus. In scribendis tamen & comportandis ad bibliothecam libris studiosissimus fuit, & multos manu propria rescripsit. Erat enim scriptor optimus. Nouo autem monasterio per S. Wilhelmũ consummato cum illo mortuo congregatio de sancto Aurelio ad ipsum cœnobium maius sub Gebhardo abbate transisset, Gerungus prior fratrum, qui apud S. Aurelium remãserant, ab eo constitutus est. Tandem electione & consilio fratrum suorum ad præfatum monasterium, quod cella Paulinæ vsque in hodiernum diem appellatur, primus abbas ordinatus, & cum alijs monachis huius cœnobij nostri decem ad institutionem ordinis secundum desiderium S. Paulinæ missus est. Ipsa enim S. Paulina, in eo loco hæreditatis suæ paternæ, vbi Christi militiam assumpsit, & annis multis in conuersatione sanctissima vsque ad mortem continuauit, suis impensis monasterium fundauit ordinis nostri, temporibus Henrici quarti. Imperatoris, quod monachis Hirsaugiensibus tradidit, & Gerungum prædictum reuerendissimum virum in primum abbatem cum fratribus accepit. Fuit autem Gerungus, sicut diximus, homo sanctę conuersationis, & cum ecclesia Romana & Christi vicario bene sensit, multas persecutiones & iniurias à seruis & amicis Hẽrici Imperatoris 5. patrem suum imitantis & excommunicati tolerauit. Quicunque autẽ huius viri merita plenius scire desiderat, vitam & gesta S. Paulinæ sæpius dictæ legat.

*In monasterio quod ipsa fundauit, sepelitur.*

*Gerungi vita.*

*Fit cantor.*

*Bis Cluniacum missus.*

*Statura corporis.*

*Morũ qualitas.*

*Scriptor fuit & amator librorum.*

*Prior ad S. Aurelium factus est.*

*Gerungus fit abbas. Monasterij Cellæ Paulinæ fundatio.*

Anno prædicto magna inter Henricum regem & Apostolicum Paschalem controuersia de inuestitura prælatorum exoritur, quæ multorum in ecclesia malorum seminarium fuit. Vnde papa in concilio Trecensi banno suo confirmauit, vt nemo inuestituram aut dignitatem ecclesiasticam de manu laicali susciperet, donec quæstio hæc inter eum & regem synodali discussione fuerit terminata.

*Inter Papam Regem oritur dissensio.*

Circa festum natiuitatis sanctæ Mariæ, summo mane, in Goslarienſi aulâ dormiente, repente tonitruus veniens parietem qui erat ad caput lecti eius concussit, inde vi fulminis aliquot clauos de clypeo regis excussit, gladiumque quem ad latus suum rex collocauerat, in acumine ambussit, vnde nimio terrore stupefactus, rex foras exiluit.

*Fulminis ictus regem terruit.*

MCVIII.

Anno Brunonis abbatis 11. qui fuit natiuitatis dominicæ 1108. fundatum de nouo fuit monasterium nostri ordinis in diœcesi Augustensi, quod Lorch appellatur. & pro sustentatione monachorum, magnifice dotatum per Fridericum ducẽ Sueuorum patrem Friderici Imperatoris primi.

*Monasterij Lorch fundatio.*

Eodem anno Brunonis abbatis 11. ac domini 1108. cum episcopus Spirensis olim huius cœnobij abbas Gebhardus continuis infirmitatum vexaretur doloribus, ita vt ad disponenda negotia ecclesiæ suæ penitus videretur inutilis, consilio amicorum familiarium vsus, statuit episcopatum cum curis omnino deserere, & ad monasterium Hirsaugiense vnde abierat redire, vt cum quibus abbas manere viuus noluit, mortuus saltem perpetuo manere posset. Cumque iam ordinatis omnibus ad iter necessarijs, viam de monte S. Michaelis Ebernsberg dicto, vbi manebat, sedens in vehiculo conficere incipere, rumor inter Spirenses spargitur, quod eorum pontifex fugam inire eosque deserere maturasset. Concurrentes ergo in multitudine copiosa, priusquam iter medium perficisset Episcopus, eum comprehenderunt, orantes, ne se omnino elongaret ab eis, vlteriusque procederet fortiter restiterunt. Econtra rogare multum episcopus, ne propositum eius impedirent cœpit, neque seipsos cum diutina infirmitate eius grauare velint. Quumque post multos ad inuicem collatos sermones eum abire nullatenus vellent permittere, surgens vnus è medio coram omnibus dixit: Nec iustum mihi videtur nec honestum viri Spirenses, episcopum nostrum, quem legitime suscepimus, propter infirmitatem à nobis dimittere, & Hirsaugiensis cœnobij monachos cum eius ægritudine contra fraternæ charitatis ordinem grauare. Eligamus ergo potius in nostra parœchia locum, eius infirmitati congruum, adhibitisque ministris paucis & idoneis, vitæ illius necessaria quam diu vixerit ministremus. Vnius viri consilium placuit omnibus, & data episcopo fide iuramenti, quod mortuum cum Deo placuerit, ad Hirsaugiam ducerent, quem viuum ire prohibuissent, eorum voluntati dedit & ipse consensum. Mansio itaque infirmitati eius conueniens & satis amœna iter Rheni paludes eligitur, quæ vsque in præsentem diem Bruchsal nuncupatur. Ibi ministris idoneis & fidelibus adhibitis episcopum fecerunt cõsistere, cui omnia quæ necessaria fuerant per eosdem ministrabant. Dehinc eodem in loco persistens tribus duntaxat mensibus, infirmitate nimium ingraueſcente mortuus est cal. Martij, anno Domini 1108. indictione 1. cuius corpus ad Hirsaugiense hoc monasterium à Spirensibus, iuxta promissionem viuenti ab eis factam reducitur, & in maiori monasterio ante sanctorum Petri & Pauli principale altare cum ingenti honore sepelitur. Ethic finis Gebhardi pontificis fuit, qui post S. Wilhelmum abbatem huic monasterio annis 14. & tribus mensibus præfuit, ac deinde Spirensis ecclesiæ præsul ordinatus vno duntaxat anno & quatuor mensibus præsedit, cui Bruno qui & Einhardus successit.

*Gebhardus episcop. Spirensis infirmatur grauiter.*

*Redire Hirsaugiam volunt.*

*Prohibitus à Spirensibus fuit.*

*In Bruchsal mansionem suam accepit.*

*Gebhardus episcopus moritur.*

Hoc ipso anno Ruthardus archiepiscopus Moguntinus desolationem monasterij S. Disibodi præsulis, in comitatu Spanheimensi, per antecessores suos ante presentis temporis plures annos miserabiliter spoliati & destructi ægre ferens, clericos sanctæ mansionis iniustos possessores expulit, & nimia vetustate collapsum monasterium in montem transferens denuo fundauit. Erat eo tempore apud Moguntinos in precio Burchardus abbas monasterij S. Iacobi extra muros, vir prudentissimus & regularis disciplinæ præcipuus amator. Huic Ruthardus præfatus archiepiscopus monasterium S. Disibodi cum omnibus attinentijs suis commisit, & abbatem illius primum simul & S. Iacobi ipsum constituit. Qui Burcardus iussu præfati archiepiscopi & impensis pridie calend. Iulij, hoc anno, primum fundamenti lapidem in præscripto monte pro nouo monasterio posuit, acceptisque de monte S. Iacobi monachis conuentum iuxta regulam sanctissimi patris nostri Benedicti instituit. Iste quoque Ruthardus archiepiscopus præposituram vnam in Rinckaugia ordinis nostri construxit, non longe à Vinicella, in monte qui Bischoffsbergk antiquitus dicebatur, in honorem S. Baptistæ Ioannis, quam abbati monasterij S. Albani martyris Moguntinensis voluit esse subiectam. Ad hanc præposituræ Rudolphus comes Rinckaugiensis & Dancinodis vxor, Ludouico filio eorum consentiente, prædia & redditus nõ paucos pro animarum suarum remedio tradiderunt. Filius quoque ipsorum prænominatus Ludouicus contemptis rebus sæculi, propter amorem regni cælorum in eodem loco mo-

*Monasterij S. Disibodi fundatio.*

*Burcardus abbas monasteriorum duorum.*

*Præpositura S. Ioannis in Rinckaun fundatio.*

*Comes Rhenii.*

*Ludouicus Comes fit monachus.*

cō monachus factus est: & secundum regulam diui patris nostri Benedicti religiosissime viuens, vsque ad vitæ præsentis terminum, in sancta conuersatione perdurauit. In eiusdem monasterij ambitu, iuxta ecclesiam videlicet, cœnobiolum pro sanctimonialibus præfatus pontifex construxit, in quo Virgines Christo in sancta virginitate deuotissime seruientes collocauit: quæ vna cum monachis sub vnius præpositi cura constitutę, semper manebant inclusæ, mundum cum omnibus pompis suis supernorum intuitu contemnētes. In hoc ipso cœnobio, supradicti comes & comitissa Rinckauiæ Richolfus & Danckmodis, etiam filiam suam Werdtrudem omnipotenti Deo seruiturā in perpetuum cum parte hæreditatis suæ obtulerunt. Tandem successor huius Ruthardi archiepiscopi dictam præposituram, sicut dicemus suo loco, in abbatiam sublimauit, anno Domini 1130. indictione decimatertia.

*Monialet cum monachis erant.*

*Werdtrudis monialis.*

MCIX.

Anno Brunonis abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1109. indictione secunda, vndecimo calend. Maij obijt S. Anselmus archiepiscopus Cantuarien sis, Hirsaugiensium fratrum maximus fautor & amator, de quo longe superius cum B. Wilhelmo fecimus mentionem.

*S. Anselmus obiit.*

Eodem anno S. etiam Hugo abbas Cluniacensis obijt, 3. calendas Maij, pater & ipse amatorque Hirsaugiensium integerrimus, cuius vita multis virtutibus & signis claruit. Eodem quoque anno Ruthardus archiepiscopus Moguntinus obijt, cui Adelbertus cancellarius regis in ordine successit.

*S. Hugo obiit.*

*Adelbertus fit episcopus Moguntinus.*

MCX.

Anno Brunonis abbatis quarto, magna synodus episcoporum & abbatum Romæ celebratur, domino papa præsidente, vbi multa vtiliter constituta sunt. Rex vero Henricus apud Leodium desponsatam sibi Henrici regis Anglorum filiam, nomine Machildem, duxit vxorem, de qua liberos non suscepit.

MCXI.

Anno sequenti Romam veniens, ab Apostolico honorifice quidem susceptus est: sed vbi consedissent, de negociis ecclesiasticis regalibusque tractaturi, subito Romanorum factione tumultus excitatur: & in tantum rex, eorum improbitate angustiatus est, vt peneiam fugam iniret, nisi Colonien sis archiepiscopus Fridericus cum valida manu secutus esset, & Romanos magna cæde confectos fugere compulisset. Potitus igitur victoria papam abduxit. Postremo tamen in concordiam reuersi Romam iterum redeunt: pacatisque Romanis papa regem in Imperatorem consecrauit: cui inter communicandum, cum oculo pacis confirmandæ tradidit priuilegium, quod ipse post discessum Imperatoris detestando Prauilegium appellauit, & omnes cum Imperatore sentientes Romæ in synodo centum vigintiquinque episcoporum habita, contra eum excommunicauit: & innouata sunt mala in ecclesia. Habebat autem in exercitu suo, quum Italiam intraret Henricus Imperator, triginta millia armatorum hominum, præter seruos & alios multos exercitum sine ordine sequentes.

*Rex venit Romam.*

*Rex capit Papam.*

*Rex in imperatorem benedicetur.*

*Exercitus.*

MCXII.

Anno Brunonis abbatis sexto, qui fuit Dominicæ natiuitatis millesimo centesimus duodecimus, contentio inter principes Saxoniæ & Imperatorem fuit exorta, in qua dux Wibertus & Siphridus Palatinus comes, gratiam Imperatoris perdiderunt. Et Wibertus quidem capitur, & Regi offertur. Siphridus autem vulneratus non longe post moritur.

Hoc anno comeres apparuit. In eadem coniuratione cum Saxonibus contra Imperatorem fuerunt isti principes, Lotharius dux Saxoniæ, Rudolphus marchio, Wibertus dux, prædictus Siphridus, comes Palatinus, quem diximus, & Adelbertus archiepiscopus Moguntinus, qui captus propterea ab Imperatore, hoc ipso anno per triennium ferme custodiæ mancipatus fuit.

*Coniuratio Saxonii contra Imperatorem.*

*Adelbertus archiepiscopus Moguntinus capitur.*

Eodem anno coniuratio pro libertate, in Colonia facta est.

MCXIII.

Anno Brunonis abbatis 7. dominicæ natiuitatis 1113. Gertrudis marchionissa, relicta Henrici comitis de Northeim, cognomento Crassi corporis, S. Auctoris ab archiepiscopo Treuirorum Brunone sacras impetrauit reliquias, & cum magno honore in Saxoniam illas transferens, extra muros Brunsuicenses in eo loco reposuit, in quo hodie monasterium S. Ægidij confessoris intra muros vrbis situm est. Nā quum præfata marchionissa corpus sancti Auctoris in eum locum ferendo portasset, repente stetit immobiliter. Vnde consilio prudentium virorum accepto nostri ordinis, in eodem loco magnificum

*S. Author à Treueris in Saxoniam transfertur.*

*Monasterium S. Ægidij in Brunsuik fundatur.*

construxit, in quo corpus eiusdem sancti repositum fuit. Hoc monasterium ad instantiam Lotharij ducis Saxoniæ postea Imperatoris, qui filiam præfatæ marchionissæ habuit vxorem, anno Domini 1115. post gloriosam contra Imperatorem habitam victoriam, per Theodoricum sedis apostolicæ legatum, & Reinhardum episcopum Halberstadensem, in honorem S. Ægidij confessoris consecratum est, & ab eo magnifice dotatum.

*Burcardus abbas S. Iacobi obiit.*

Hoc ipso anno Brunonis 7. obijt Burchardus abbas S. Iacobi Moguntinensis, anno 6. posteaquam abbatiam montis S. Disiboldi confessoris ex imperio Ruthardi archiepiscopi Moguntini regendam suscepit, 3. nonas Martij, cui in monasterio S. Disiboldi successit Adelhunus, vir in omni opere strenuus, & morum honestate præclarus, & præfuit annis 15.

*S. Bernhardus Cisterciensium ingreditur.*

Hoc eodem anno S. Bernardus annos natus circiter 22. Cistercium ingressus est cum socijs amplius quam 30. sub Stephano abbate, qui successerat Alberico.

*S. Bernhardus 40. monasteria fundauit.*

Huius viri sanctissimi Bernardi præconia laudum, vniuersa fidelium solennisat ecclesia: cuius vita, miracula & gesta celeberrima, in quinque libellis per Wilhelmum abbatem S. Theodorici satis luculento sermone conscripta habentur: qui postea Clarevallis primus ordinatus abbas, totum mundum sanctitate & doctrina illuminauit: qui præter 140. monasteria sui ordinis à se constructa, impensis quidem alienis, maiori tamen ex parte sua industria, directione & sollicitudine, etiam prædicatione sua, innumerabiles ad Christum animas conuertit. Scripsit præterea multa & præclara ingenij sui præstantissimi opuscula, quorum titulos in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, magna ex parte signauimus.

MCXIIII.

*Monasterij Lacensis fundatio.*

Anno Brunonis abbatis 8. qui fuit natiuitatis dominicæ 1114. Henricus Imperator exercitum grandem mouit contra Colonienses. His ferme temporibus monasterium Lacense nostri ordinis, in finibus Treuerensis diœcesis, in honorem B. Mariæ semper Virginis & Dei genitricis, ac S. Nicolai episcopi fundatum est, non longe ab Andernach. Henricus enim comes Palatinus Rheni & dominus de Lacu, Adelheide vxore sua consentiente, fundationem ipsius monasterij in præfato loco paternæ hæreditatis suæ incepit anno domini 1093. indictione prima. Quam morte præuentus, priuigno suo Sighrido eiusdem comitatus Palatini omniumque bonorum suorum hæredi perficiendam commisit. Quod cum aliquandiu neglexisset, vtpote iuuenis, tandem pœnitentia ductus perfecit, anno videlicet Domini 1112. indict. 5. prædijsque & redditibus pro sustentatione abbatis & monachorum magnifice dotauit.

MCXV.

*Imperator a Saxonis superatur in bello.*

Anno Brunonis abbatis 9. Imperator ad iniuriam Lotharij ducis Saxonum Brunsuich occupat & Halberstad deuastat. Contra quem idem dux cum Saxonibus, adiuncto sibi Friderico archiepiscopo & Colonienfibus, Friderico quoque Westphaliæ comite, cū Henrico fratre eius, Hermanno quoque de Caluelage, & Henrico duce de Lympurg, cum Reinhardo episcopo Halberstadensi ad certamen properat, in loco qui dicitur Wulpheholtz, altera die Scholasticæ virginis: quo die bis certamine commisso, Imperator cum suis terga vertit, & Saxones glorioſe triumpharunt, in quo prælio, ex parte Imperatoris comes de Mansfeld cum multitudine hominum maxima cecidit, & ipse Imperator vix euasit. Inde Moguntiam digressus ibidem pascha celebrauit, & Adelbertum eiusdem loci archiepiscopum iam triennio captum, coactus per principes ciuibus liberum reddidit.

MCXVI.

*Adelbertus episcopus de captiuitate liberatur. Conuentus principum Coloniæ.*

Anno Brunonis abbatis decimo, dominicæ natiuitatis millesimo centesimo decimosexto, in natiuitate Domini, multi pontifices, abbates, & principes, Coloniæ conueniunt, consilio & auctoritate Theodorici cardinalis & apostolicæ sedis legati, cuius fama iam per regnum celebris habebatur, de rebus Ecclesiæ tractaturi. Sed idem cardinalis in itinere moritur, cuius corpus ad Coloniam sepeliendam transfertur.

Hoc anno magna inæqualitas aeris fuit.

MCXVII.

*Monasterij Breidenauu fundatio.*

Anno Brunonis abbatis vndecimo, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus decimusseptimus, monasterium in Breidenavv ordinis nostri Moguntinensis diœcesis, in Hassia fundari cœpit à Wernero comite, viro præstantissimo: quod postea quam perfecit, anno dehinc tertio magnifice dotauit: abbatemque & fratres, sicut dicemus, ex hoc Hirsaugiensi monasterio impetrauit.

Eodem anno, in octaua sancti Ioannis Euangelistæ, terræmotus bis inter diem & noctem,

noctem, per totum pene orbem terrarum, tam horrendus & terribilis fuit, vt multa ædificia corruerent, & homines sine numero perirent, maxime in Italia: vbi tam periculosus & horribilis fuit, vt diuersas ciuitates, castella & villas cum hominibus ibi commorantibus subito terræ hiatu interirent. Nam & montes scissi sunt, & flumina deglutiente terra penitus exiccata, ita vt qui vellent, pedibus siccis transire potuissent. Padus etiam, vnus de quatuor Europæ maioribus fluuijs, de suo loco in altum se erigens, ita in modum fornicis à terra stabat eleuatus, vt inter terram & aquam via patesceret transeuntibus. Quumque sic diutius aqua penderet in aere, tandem in semetipsam collisa cum tanto strepitu ab alto dimittitur, vt sonitus illius per multa miliaria audiretur. His horrendis signis per vniuersam Europam diuulgatis, nihil aliud ab omnibus, quam extremus instare dies credebatur. Ieiunijs autem & orationibus triduanis, per totam Italiam ab omni populo peractis, sententiam Domini mitigare studuerunt.

*Terræmotus ædificia subuertit & homines.*

*Montes scissi sunt.*

*Mirabilis aquarum eleuatio.*

Interea dum hæc indicta ieiunia cum magno timore agerentur, apud Cremonã infantulus in cunis iacens, pannis obsitus, in primam loquendi vocem contra naturam os suum aperuit, & maiori fratri panem postulanti fletibus, matrique suæ escam illi parenti compescendo ambos dixit: Cessate mortales escas parare, ó mox perituri: ecce sancta Dei genitrix virgo Maria, ante Christi tribunal, precibusque instantissimis supplicat pro iudicio tremendæ sententiæ, quod mundo propter peccata hominum iudex ipse iustissimus intenderat. Et licet hæc signa terruerint omnes qui viderunt & audierunt, paucos tamen emendarunt. Multa enim eodem anno mala perpetrata ab hominibus, maxime in Gallia & Germania fuerunt, iniustæ coniurationes, incendia, homicidia, concremationes ecclesiarum, & abstractiones bonorum inibi Deo seruientium. Consurgunt ciues contra ciues, se mutuo spoliant, bona diripiunt, ciuitates, castella, villas & domos destruunt & incendunt: homines non humano, sed pecudum more dilaniant & interimunt. Eclipsis lunæ bis fuit eodem anno, scilicet decimosexto calendas Iulij, & quarto iduum Decembris. Mirabile quoque signum decimoseptimo calendas Ianuarij, varijs permixtum coloribus, apparuit in cælo.

*Infans contra naturã loquitur.*

*Verba infantis.*

*Homines terreri non emendari, peccatis peccata accumulant.*

*Signum in cælo apparuit.*

MCXVIII.

Anno Brunonis abbatis duodecimo, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus decimusoctauus, Buggo Wormatiensis ecclesiæ reuerendissimus antistes, qui Epponi successerat, ipsam ecclesiam suam Wormatiensem pulchro tabulatu lapideo renouatam consecrauit, idibus Iunij, præsentibus ibidem multis episcopis, Brunone Treuerẽsi, Euerhardo Eistetensi, Albuino Mersburgensi, Hartvvicho Misnensi. Eodem anno 15. calend. Februa. obijt Paschalis papa 2. qui fuerat antea ordinis nostri. Cui successit Ioannes, ex monacho Cassinensis cœnobij ordinis nostri, diaconus cardinalis & archicancellarius, vir eruditione literarum morumque integritate clarissimus, & Gelasius papa 2. appellatus, præfuit ecclesiæ vno duntaxat anno. Hic primo sub abbate Odrisio monachus fuit cœnobij Cassinensis, deinde ab Vrbano 2. propter admirabilem scientiam eius & vitæ probitatem, in ecclesia Romana secretarij officium accepit. Postea per Paschalem diaconus cardinalis & cancellarius factus, ad extremum (sicut diximus) papa ordinatus est. Cuno sedis apostolicæ legatus, episcopus Prænestinus, ad regnum Teuthonicorum à Paschali missus à latere, & à Gelasio per episcopum Vinariensem corroboratus Coloniam venit, & synodum episcoporum & abbatum glorioſam ibidem celebrauit. Sub isto venerabili abbate Brunone, substantia monasterij in temporalibus tam per oblationes fidelium, quam per prouidam gubernationem, satis admodum creuit. Multi enim viri nobiles, diuites & potentes in seculo, pro animarum suarum remedio multa prædia & bona huic monasterio tempore illius contulerunt. E quibus Hemma comitissa de Tubingen cum filijs suis Henrico & Hugone, pro se maritoque suo comite Hugone, non paruæ æstimationis prædium in Eichenvviler S. Petro & Paulo Hirsaugiensium patronis, in perpetuam tradidit possessionem. Geba quoque comitissa ex Francia Orientali, quæ tandem pro regni cœlestis amore contemptis rebus mundi ad sanctæ religionis habitum se conuertit, multa prædia, ornamenta, crucem, calicemque & pecunias in summa, notabili huic monasterio sub Brunone abbate contulit, quorum omnium valor seu precium ad 200. marcas argenti ferme ascendit. Luitgardis etiam soror ipsius Brunonis in auro & argento non parũ pro remedio animæ suæ huic cœnobio contradidit. Sed & comes Bertholdus de Eberstein, vna cum vxore sua Adelheide, cum filiorum suorũ Bertholdi, Euerhardi & Hugonis consensu, quartam partem villæ Eltingen cum omni iure suo huic monasterio tradiderunt, in præsentia Gotfridi comitis de Caluue, Euerhardi comitis de

*Ecclesia Wormatiensis dedicatur à Brunone episcopo.*

*Gelasius papa secundus fuit ordinis nostri.*

*Synodus celebratur Coloniæ.*

*Substantia monasterij sub abbate Brunone satis aucta.*

*Hemma comitissa.*

*Geba comitissa.*

*Luitgardis.*

*Bertholdus comes de Eberstein.*

*Diemarus miles fit monachus & sua dat omnia.*

Helffenstein, Hugonis comitis de Tubingen & Vldarici de Lustenavv, Reginbodonis de Tallacker, Maselini de Rupburg, & aliorum complurium sub eodem Brunone venerabili abbate. Diemarus quoque miles inter principes Orientalis Franciæ nobilis, diues, potens, & famosissimus, in diœcesi Herbipolensi, in comitatu Mergintheim, in Rutingen, iuxta fluuium Tubera mansionem suam habens frequentiorem, diuina inspiratione attactus, omnia quæ sui iuris erant, tam in eodem loco Rutingen quam in alijs, pro remedio animæ suæ parentumque suorum solenni donatione huic monasterio nostro Hirsaugiensi tradidit. Et postremo semetipsum offerens Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo, in perpetuum mancipium sub Gebhardo abbate habitum monasticum in præsenti cœnobio suscepit, & in sancta conuersatione vsque ad mortem perseuerauit. Facta est autem

*Donatio Diemari.*

hæc solennis Diemari militis donatio tempore Gebhardi abbatis, anno Domini 1103. indictione 11. sub Henrico Imperatore 4. in die S. Priscæ virginis & martyris, in præsentia Ebonis comitis de Mergentheim & aliorum multorum testium. Alius quoque non obscuri generis miles de villa Merlenheim, nomine Conradus, in hoc Monasterio Hirsaugiensi, sub abbate venerabili Brunone monachus factus est: qui priusquam sanctæ conuersationis habitum susciperet, omnia bona sua quæ hæreditario iure possederat, huic monasterio super altare S. Petri & Pauli Apostolorum facta donatione solenni contradidit, præsente ipso Brunone abbate, totaque congregatione cum alijs multis. Huius donationis confirmatio facta est in præsentia Brunonis episcopi Spirensis Egeberti comitis Spirensis, Stephani fratris ipsius Conradi, & aliorum multorum.

*Conradus miles fit hic monachus & sua dat.*

*Hermannus comes de Liningen. Diemo comes.*

Anno Domini 1109. regnante Imperatore Henrico 5. Hermannus comes de Lininger cum Adela vxore sua, & Diemo comes de Brackfelden, Centum hubas in Rotha & circumiacentibus villulis in episcopatu Augustensi, pro se & omni cognatione sua Deo & beato Petro tradiderunt in ius perpetuum monasterij Hirsaugiensis: ea videlicet conditione, vt prouidente eiusdem monasterij abbate, seruitium Dei secundum regulam S. Benedicti ibidem instituatur: quod & factum est. Nam in eodem loco monasterium opera & impensis abbatis Hirsaugiensis cum auxilio, in circuitu fidelium constructum est, in quo fratres ex isto cœnobio missi vitam instituerunt regularem, habentes super se præpositum cum ipsis egredientem & ingredientem, abbatique Hirsaugiensi cum fratribus suis in omnibus sine medio subiectum. Institutio enim & destitutio præpositi in Rode, ad ius abbatis Hirsaugiensis semper pertinuit vsque in hodiernum diem.

*Præpositura in Rode fundatio.*

*Bebo ciuis Spirensis.*

Tempore eiusdem Brunonis abbatis erat quidam ciuis Spirensis nomine Bebo, vir diues valde, & fratrum Hirsaugiensium maximus amator, qui pro remedio animæ suæ parentumque suorum multa huic monasterio bona fecit. Contulit enim diuersis vicibus vel pro fratrum necessitatibus subleuandis, vel pro prædijs comparandis, tam in vita quam in vltimo decessu huic monasterio, plus in valore argenti puri, quam 450. marcas, sicut in libro donationum clarius inueniri potest. Wilhelmus quoque de Hissickeim quædam eiusdem villæ prædia non paruæ vtilitatis, ad altare S. Petri Apostoli in hoc monasterio contulit, in præsentia Brunonis & totius congregationis. Quam donationem, ad perpetuam stabilitatem postea in Ingersheim in placito secularium publico, coram abbate Brunone comiteque Adelberto & alijs multis denuo confirmauit. Comes etiam Fridericus, frater S. Ottonis Bambergensis episcopi, quædam huic monasterio Hirsaugiensi prædia tempore Brunonis abbatis donatione solenni contulit in perpetuum. Ipse quoque Bruno abbas tempore sui regiminis multa bona, prædia, census & redditus per manus fratrum suorum, quibus rerum summa post ipsum erat commissa, pro huius vtilitate cœnobij comparauit. Multi etiam comites, nobiles, ciues & villani, tempore eius multa bona huic monasterio contulerunt, quorum nomina in libro donationum cœnobij describitur, caussa breuitatis duximus omittenda. Ex his etiam complures & se & sua propter amorem regni cœlestis Hirsaugiensi monasterio contradentes, sanctæque conuersationis habitum assumentes & monachi facti, vsque ad mortem in obseruantia regulari permanserunt.

*Wilhelmus frater q. S. Ottonis episcopi & Fridericus dederunt multa prædia.*

*Abbas Bruno multa comparauit.*

*Multi se & sua monasterio tradiderunt.*

MCXIX.

*Drutwinus abbas cum 2. monachis ad Breitenauu mittitur.*

Anno Brunonis abbatis 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1119. indictione 12. Drutwinus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis ordinatus est primus abbas ad Breitenavv, Moguntinensis diœcesis in Hassia, de cuius fundatione supra dictum est. Venitque missus ab abbate Brunone ad preces comitis Werneri fundatoris cum 12. monachis ad prædictum cœnobium Breitennauu, 13. cal. Decemb. & præfuit annis 14. vir moribus & scientia reuerendus, regularisque disciplinæ institutor, & propagator & conseruator præcipuus, qui multos verbo & exemplo ad Christi amorem conuertit.

Eodem

Eodem anno Gelasius papa synodum in Francia celebraturus apud Cluniacum moritur, ibique sepultus, cui Otto Viennensis archiepiscopus succedens, & Calixtus secundus nuncupatus, sedit annis sex. Ipse in ciuitate Remensi ad festum S. Lucæ Euangelistæ synodum celebrans cum episcopis & abbatibus Imperatorem excommunicauit. Adelgos archiepiscopus Magdeburgensis obijt, cui Rutgerus successit. Imperator excommunicatus absente archiepiscopo à Colonienſibus honorifice susciptur. Vnde diuina eis officia per ipsum episcopum interdicta sunt. Conuentus Imperatoris & principum apud Moguntiam in festiuitate S. Petri & Pauli habitus est. Eodem anno obijt Osbertus episcopus Leodicensis, cui Fridericus successit anno vno & aliquot mensibus.

*Gelasius papa obijt Cluniaci.*
*Calixtus papa.*
*Imperator excommunicatur.*

MCXX

Anno Brunonis abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1120. ordo Præmonstratensis cœpit in diœcesi Laudinensi, sub Bartholomeo episcopo, rege Francorum Ludouico, regnante patre Ruperto, venerandæ sanctitatis viro, ipsum cum regula S. Augustini cum 13. socijs instituente circa festum Paschatis, quem Calixtus papa confirmauit. Qui ordo in breui tempore postea mirabiliter crescens, ampliatus est.

*Ordinis Præmōstratēsis initium.*

Eodem anno Henricus Imperator Italiam ingressus pacem cum Romano Pontifice Calixto reformauit, & ab excommunicationis sententia absolutus fuit. Huius autē inter ecclesiam & imperium concordiæ factæ literas tā papæ quam Imperatoris huic nostro operi ad notitiam posteritatis placuit vt inseramus. Sic itaque papa Imperatori scripsit:

*Concordia fit inter papam & Imperatorem.*

*Ego Calixtus episcopus, seruus seruorum Dei, tibi dilectō filiō Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatorum Augusto, concedo electiones episcoporum & abbatum Teuthonici regni, qui ad regnum pertinent in præsentia tua fieri, absque simonia & aliqua violentia. Vt si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & prouincialium consilio vel iudicio saniori parti assensum vel auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te percipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperij consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te percipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat, exceptis omnibus quæ ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris & auxilium postulaueris, secundum officij mei debitum, auxilium tibi præstabo. Do tibi veram pacem & omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt, tempore huius discordiæ. His à papa literis Imperator susceptis eiusdem tenoris eidem dedit: In nomine sanctæ & indiuidue trinitatis, Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ ecclesiæ & domini papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis Dei Apostolis Petro & Paulo sanctæque ecclesiæ catholicæ, omnem inuestituram per annulum & baculum: & concedo in omnibus ecclesiis, quæ in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones & regalia B. Petri, quæ à principio huius discordiæ vsque ad hodiernam diem, siue tempore patris mei, siue etiam meo ablata sunt, quæ habeo eidem Romanæ ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, vt restituantur fideliter iuuabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum & principum & aliorum tam clericorum quam laicorum, quæ in guerra ista amissa sunt, consilio principum vel iustitia, quæ habeo reddam, quæ non habeo vt reddantur fideliter iuuabo. Et do veram pacem domino papæ Calixto sanctæque Romanæ ecclesiæ & omnibus qui in parte eius sunt vel fuerunt. Et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulauerit à me fideliter iuuabo: & de quibus fecerit mihi querimoniam, debitam sibi faciam iustitiam. Hæc omnia acta sunt consensu & consilio principum, quorum nomina subscripta sunt, Adelbertus archiepiscopus Moguntinus, Fridericus archiepiscopus Colonienſis, H. Ratisponensis episcopus, Otto Bambergensis episcopus, Bruno Spirensis episcopus, H. Augustensis episcopus, Godebaldus Traiectensis episcopus, Vdalricus Constantiensis episcopus, H. Fuldensis abbas, Henricus dux, Fridericus dux, Bruno dux, Dieboldus marchio, Godfridus Palatinus comes, Otto Palatinus comes, Engelbertus marchio, Berengarius comes, Theodoricus comes, & alii complures. Hæc autem concordia post reditum Imperatoris de Italia & cōstitutiones Burdini Antipapæ, in Germania facta est. Nam papa Calixtus Romam de Apulia reuersus, post discessum Imperatoris Henrici, tres ad eum in Alemaniam cardinales mittit legatos pro pace firmanda inter ipsum & ecclesiam. Qui eum adeuntes ordinante Deo, pacem (sicut præfati sumus) in publico principum conuentu apud Moguntiam reformauerunt. Iste papa Calixtus inter cætera ingenij sui opuscula scripsit non contemnendæ lectionis libellum de miraculis sancti Iacobi Apostoli, quę sparsim legerat, vel à fidelibus audierat, cum adhuc esset scholaris, sicut in eodem fatetur. Multa etiam in papatu vtiliter constituit, quorum in Decreto Gratiani multa habentur.*

*Litera papæ de concordia facta.*

*Imperator papæ resignat inuestituram regalia.*

*Litera Imperatoris quas dedit papæ.*

*Resignat inuestituram.*

*Promittit restitutionē.*

*Dat veram pacem.*

*Nomina principū qui huic compositioni interfuerunt.*

*Concordia papæ & Imperatoris Moguntiæ facta.*

*Calixtus papa scripsit quadam opuscula.*

Eodem anno obiit Diegerus Metensis episcopus. Obiit etiam Fridericus comes Palatinus.

*Sigebertus monachus Gemblacēsis doctiss.*

Claruit his temporibus Sigebertus monachus Gemblacensis cœnobij ordinis no-

stri, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis valde eruditus, cuius eruditio & sapientia magnæ opinionis & famæ in tota Gallia Germaniaque fuit. Scripsit multa volumina, quibus se & tunc præsentibus & longe postea futuris vtilem fecit. Ex his reperi Historiarum transacti temporis insigne volumen. De illustribus quoque viris ordinis nostri librum vnum. Vitam sancti Theodorici Metensis episcopi heroico carmine descripsit. Vitam quoque Sigeberti regis. Vitam & passionem sanctæ Luciæ virginis, elegiaco versu composuit. De translatione eiusdem corporis ad ciuitatem Metensem contexuit historiam. Scripsit etiam heroico carmine passionem Thebeorum martyrum. Vitam quoque sancti Guniberti monachi, fundatoris Gemblacensis. Chronicon etiam sui monasterij. Ad Henricum Imperatorem quartum, scripsit libellum contra eos qui calumniabantur missas sacerdotum concubinas habentium. Eiusdem rogatu respondit Treuerensibus de ieiunijs quatuor temporum. Item de scriptoribus famosis libellum breuem quidem, sed non inutilem edidit. In Ecclesiasten quoque heroico versu triplicem expositionem composuit. Epistolas etiam plures ad diuersos. Sermones, homilias, antiphonas, responsoria, & de diuersis sanctis varia scripsit. Iste Sigebertus, de suo monasterio ad cœnobium sancti Vincentij Metensis nostri ordinis, propter eruditionem suam euocatus, ibidem publice monachorum scholæ præfuit aliquandiu. Postea in suum reuocatus cœnobium, omne tempus vitæ suæ in studio literarum discendo, scribendo & docendo consummauit.

*Sensit citra sententiam Gregorij 7.*

*Schola monachorum Sigebertus præfuit.*

*Rudolphus S. Trudonis abbas.*

Rudolphus etiam ordinis nostri, abbas monasterij sancti Trudonis, in diœcesi Leodiensi, vir tam in diuinis scripturis, quam in secularibus literis egregie doctus, carmine & prosa exercitatus, his temporibus inter alia ingenij sui monumenta scripsit contra Simoniacos insigne volumen, quod in septem libros distinxit. Chronicon etiam breue rerum gestarum transacti temporis compilauit. Sed & alia complura scripsisse dicitur, quæ necdum vidimus.

MCXXI.

*Wernerus fundator Brettenaui obiit.*

Anno Brunonis decimoquinto currente, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus vigesimus primus, Wernerus comes, primus fundator & dotator monasterij in Breitenaw obijt, vir per omnia Deo deuotus. Obijt etiam Fridericus Leodiensis episcopus, pro quo Adelbero frater Godfridi ducis constituitur.

*Monasterij in Oesborch fundatio.*

Eodem quoque anno Godebaldus Traiectensis episcopus, monasterium ordinis nostri non longe à ciuitate ipsa Traiectensi in palustri solitudine fundauit, in honore sancti Laurentij martyris, quod vsque in præsentem diem in Oesborch dicitur, in quo abbatem & monachos constituit, quibus necessaria copiose prouidit. Fertur quod maxima in eo loco congregatio monachorum fuerit, qui in tanta districtione monasticæ conuersationis vixerunt, vt ipse locus multo postea tempore ab incolis terræ, Carcer religiosa diceretur, & esset. Qui enim in alijs cœnobijs emendari non poterant, illuc ad agendam pœnitentiam mittebantur. Monasterium quoque monacharum siue monialium, cœnobio præfato virorum coniunxit, in quo multas Christo seruientes virgines collocauit, quibus etiam de necessarijs prouidit.

*Cœnobium monialium ibidem.*

*Bruno abbas moritur.*

Eodem anno dominicæ natiuitatis prædicto, millesimo centesimo vigesimoprimo, indictione decimaquarta, Bruno huius cœnobij venerabilis abbas, post multos in sancta religione labores habitos, senioque grauatus infirmari cœpit, qui toto Christum desiderio concupiscens, tandem ex hac miseria feliciter migrauit.

Isto anno decimo, calendas Aprilis, assumpti regiminis decimoquarto anno completo, cum mensibus tribus & diebus viginti duobus, sepultus in ecclesia sanctorum Petri & Pauli, ante altare sancti Laurentij martyris, vir certe memoria dignus, & perpetua laude apud posteritatem celebrandus: quippe totius virtutis, religionis & sanctitatis exemplar fuit: & norma recti, qui ex eo die, quo sanctæ conuersationis habitum in præsenti cœnobio semel assumpsit, semper in anteriora proficiens retro non aspexit. In oratione fuit continuus, in oblatione corporis & sanguinis Dominici quotidianus. Ex eo namque tempore, quo canonicatum suum in ecclesia Spirensi cum alijs honoribus & multis diuitijs pro Dei amore contempsit, & monachus esse cœpit, ita se totum ad interiora contulit, ita mundi curas & negotia vniuersa contempsit, in tantaque humilitate & simplicitate seipsum propter Dominum nostrum Iesum Christum depressit, vt nescientibus ipsum omnium simplicissimus esse videretur. Nemo deinceps ociosum illum vidit vnquam, sed mentali exercitio spiritus semper occupatus, aut in oratione fletum cum lachrymis, aut in lectione diuinarum scripturarum erat intentus, aut meditatione

*Laudes eius.*

*Humilitatis & simplicitatis amator.*

*Nunquam vsus otio fuit.*

tione, aut contemplatione sursum ad Deum eleuatus. Et quia viri sapientis, beati videlicet Prosperi episcopi consilium operibus impleuit, dicentis, *Tranquillam & vacuam curis sapientia mentem imbuit, & placidi pectoris hospes erit.* Idcirco requieuit super eum spiritus sapientiæ salutaris, quo animum eius mirabiliter illustrante, inter doctissimos etiam doctior apparuit: & in his maxime quæ ad rationem salutis, ad discretionem virtutum & institutionem monasticæ conuersationis pertinebant, tam proprie, tam concinne, tamque ornate loqui & persuadere, non solum fratribus & subditis suis, sed etiam alienis, tam religiosis, quam secularibus, ita vt quicunque audiuissent, in sermone eius vehementer obstupescerent. Vnde per dulcissimas admonitiones eius, multi viri nobiles & diuites milites, canonici, & in seculo multum honorati, ad contemptum mundi perducti sunt, qui habitum sanctæ conuersationis sub eius magisterio in præsenti cœnobio susceperunt. Totus siquidem erat internus, ardens in amore diuino, plenus charitate, deuotione & pietate: vnde quoties in eum irruente spiritu Domini ad proferendum verbum, exhortationis auditoribus suis os aperuit, non humana, sed diuina verba loqui videbatur. Sepultus ergo ante altare beati Laurentij (sicut diximus) per annos trecentos triginta nouem, sub terra iacuit, & tandem exhumatus cæcum illuminauit.

*In scientia spirituali sapientissimus fuit.*

*Efficax in persuadendo fuit.*

*Iacuit sepultus an. 339.*

Anno namque dominicæ natiuitatis millesimo quadringentesimo sexagesimo, indictione 8. 3. calendas Septembris, cum mortuo abbate Wolframo dicto Meiser, sepultura ei in eo pareretur loco, vbi corpus D. Brunonis abbatis præfati, cum inscriptione nominis (vt consuetudo habet) in lapide superpositio iacebat humatum, & monumentum eius propter loci angustiam casu tangentes à latere pro parte aperiri cœpissent, tanta mox suauissimi odoris fragrantia erupit, vt omnes qui circumstabant pauore simul & admiratione perculsi, pene extra se rapti putarentur. Vix autem sibi persuadentes audendum, vt tamen causam huius miraculi perciperent, tumulum ipsum D. Brunonis altius fodientes aperiunt, & vnde processerat tam suauissimus odor iam cernentes, virum sanctum quasi integrum iacentem in sarcophago cognoscunt. Quidam vero de circumstantibus monachis experiri volens incorruptionem quæ apparebat, sacrum corpus leniter cum baculo tetigit, & mox aere subintrante vsque ad ossa, resolutum in cineres fuit. Dum hæc agerentur, interea casu contigit hominem quendam pauperem, cæcum & claudum adesse in ecclesia, qui suauitate odoris prouocatus cœpit interrogare, vnde tanta fragrantia procederet, quidve significaret. Responsum est illi à circumstantibus illic monachis, hunc odorem suauissimum ex tumulo cuiusdam abbatis ibi ante multos annos sepulti, iamque exhumati procedere, & sanctitatis eius merita significare. Audiens autem nomen sanctitatis rogauit, se duci ad tumulum, vbi flexis genibus orans D. Brunonis auxilium cum ingenti deuotione inuocauit, & mox cernentibus & stupentibus cunctis qui aderant, visum & gressum simul perfectissime recepit. Glorificantes ergo Deum in sanctis suis mirabilem, omnium campanarum sonitus increpuit, factumque est miraculum hoc in omni circa regione percelebre, & diui Brunonis merita in ore omnium, laudibus ad astra ferebantur.

*Exhumatus anno 1400.*

*Odor suauissimus de sepulchro eius erupit.*

*Corpus ad tactum resoluitur.*

*Cæcus ad tumulum Abbatis Brunonis illuminatus est.*

## *DE VOLMARO HVIVS MONASTERII ABBATE DECIMOquinto, qui præfuit annis triginta quinque, mensibus decem, & de gestis eius, illiusque temporis.*

MORTVO igitur venerabili abbate Brunone, sicut dictum est, atque sepulto, mœror non paruus inter fratres de amissione pastoris exortus est, quippe qui eos in omni religione & sanctitate, verbo & exemplo præcedens, se cunctis fecerat amabilem. Sed ne diu oues sine pastore plorantes, contingeret morsibus patere luporũ, tertio post obitum Brunonis die, fratres ad instituendum nouum super se pastorem conuenientes in vnum, inuocatoque (vt moris est) spiritus sancti auxilio, Volmarum, vnum ex suis vnum venerabilem & sapientissimum monachum, vnanimiter in abbatem elegerunt, anno Domini millesimo centesimo vigesimoprimo, indictione decima quarta, septimo calend. Aprilis, qui ex humilitate mentis suæ diu reluctatus est, clamans se indignum & penitus insufficientem ad tale gerendum officium, in quo plus periculi metuendum semper assumenti, quam honoris. Acquiescens tandem precibus fratrum, iniunctum sibi onus cum omni humilitate assumpsit, moxque decimo dehinc die, hoc est, pridie nonas Aprilis, in festiuitate sancti Ambrosij, Moguntiæ in monasterio sancti Albani, ab Adelberto archiepiscopo Moguntino munus consecrationis in conspectu multorum abbatum & clericorum solenniter accepit. Ordinatus autem in abbatem, diuina procul dubio

*Wolmarus Abbas eligitur.*

*Moguntiæ consecratur ab archiepiscopo Adelberto.*

*Volmarus Abbas præfuit annis 35. mensib. 10.*

*Vita Volmari.*

*Corporis dispositio.*

*Maturus fuit.*

*Morũ qualitas.*

*Sapientia præditus.*

*Eloquentissimus suo tẽpore fuit.*

*Vtilem se pastorem exhibuit.*

*Hostis vitiorum.*

*Amabatur à fratribus propter religionem.*

*Multi multa huic monasterio cõtulerunt.*

*Vda soror comitis palatini.*

*Welpho dux.*

*Hildebrandus.*

*Euerhardus clericus nobilis.*

*Ex longinquo donationes fiunt Hirsaugiensibus.*

prouidentia & ordinatione præfuit huic monasterio strenue annis 35. & mensibus decem. Fuit autem in Sueuia liberiori genere natus, qui ab ineunte ætate sua, studio literarum operam dedit, & satis tã in secularibus literis quam in diuinis scripturis doctus euasit. Natura enim consequutus ingenium bonum & docile, ad quælibet discenda idoneus videbatur. Factus deinde monachus, in conspectu fratrum suorum sine reprehensione incessit, regulæ sanctissimi patris nostri Benedicti ac paternarum traditionum amator studiosus & cultor. Proceræ staturæ fuit, & quantum ad rationem dispositionemque corporis exteriorem pertinet, quandam maiestatem animi in interioribus latitantem, exterior quoque habitus corporis præ se ferre videbatur. In omnibus dictis & factis suis maturus existens, quandam seueritatem animi præferebat, ita vt non solum religiosis, verum etiam secularibus quibusque reuerendus & metuendus appareret. Omnem leuitatem & dissolutionem tam mentis quam corporis detestabatur, semper firmus, stabilis, & in sua conuersatione æqualis, nulloque vnquam tempore mutatus ad laxiora visus est. In moribus enim suis ita compositus, ita maturus, ita religiosus semper esse consuevit, vt in eius præsentia homines etiam dissoluti & alioquin leuissimi, quasi quodam numine intus violenter prohibente, non nisi honestatem & maturitatem potuerint exhibere. Iocundus interdum, dissolutus nunquam esse solebat: ipsamque hilaritatem solita grauitate moderari consuevit, vt ridenti cum sancto Iob, risum nemo crederet. Magna quoque sapientia præditus fuit, & non tantum in his quæ ad rationem monastici status pertinebant, sed in omnibus quoque negotijs mundanis adeo circumspectus & intelligens fuit, vt omnium sapientum iudicio prudentissimus iudicaretur. Natura etiam simul & arte facundus erat, & tam Latino quam patrio sermone peritissimus: tantaque in vtroque eloquentia clarus, vt similem suo tempore inter Sueuos non habuerit. Quicquid dicere voluisset, tam proprie, tam ornate, tamque concinne dicebat, vt persuadens ad omnia, animos auditorum habere in sua potestate videretur. Mox autem vt ordinatus in abbatem fuit, omni se studio fratribus pastorem vtilem exhibere curauit, & non solum verbis in exhortando quod egregie poterat, sed etiam moribus præcedendo, quod pauci faciunt, oues sibi commissas ad vitæ pascua sedulo perduxit. Vitiorum hostis acerrimus fuit delinquentesque subditos mox sine acceptione personarum secundum tenorem sanctæ regulæ correxit. Vnde summo studio circã disciplinam monasticam tam ad se quam ad subditos omni tempore fuit sollicitus, quos per bonum exemplum præcessit continue: & vt sequerentur, pastorali auctoritate indesinenter vrgebat.

Videntes autem fratres, quibus inerat amor disciplinæ regularis, zelum, studium, diligentiam & irreprehensibilem conuersationem abbatis Volmari, magno illum amore colebant, cooperatores se illi in omnibus cum hilaritate maxima exhibentes. Cumergo per sollicitudinem abbatis & fratrum regularis disciplinæ feruor, in præsenti monasterio per gratiam Dei norabiliter augeretur, benedixit eis omnipotens Deus, & per oblationes fidelium temporalis substantia multipliciter augmentata est. Multi enim principes, nobiles & diuites tempore huius Volmari abbatis, multa huic cœnobio propter sanctam conuersationem fratrum donaria contulerunt. E quibus vt paucos recenseamus, Vda soror Godfridi comitis Palatini non paruæ vtilitatis prædia S. Petro & Paulo in Hirsaugiensi monasterio contulit, quæ tamen ipse Godfridus violenter ad se trahens & fructum eorum quam diu vixit percipiens, quum iam moriturus esset, in manus Wolframi de Winsberg restituenda monasterio Hirsaugiensi coram multis resignauit. Deinde paruo transacto tempore Welpho gener ipsius Godfridi comitis non solum ablata restituit, sed etiam de suis multo maiora coniunxit, quæ omnia nominatim in libro donationum expressa continentur. Hildebrandus etiam de Burbiltingen quædam huic monasterio prædia contulit pro remedio animæ suæ, spem gerens non modicam in orationibus fratrum Hirsaugiensium. Alius item clericus quidam nomine Euerhardus, nobili prosapa ortus, multa prædia & bona huic monasterio tempore Volmari abbatis contulit, seque in orationes fratrum humiliter commendauit. Sed & Henricus Decanus ecclesiæ Wormatiensis vir diues & deuotus, magno fratres Hirsaugienses prosequens amore, multa huic monasterio bona tam in ornamentis quam in pecunijs contulit, seque orationibus fratrum commendauit. Alij quoque multi, multa S. Apostolis Petro & Paulo fratribusque Hirsaugiensibus sub Volmaro pro Dei honore contulerunt, quorum nimis tædiosum & legibus historiæ penitus contrarium foret, nomina per singulos recensere. Nec solum de vicino, & in Sueuiæ finibus commorantes homines beneficia sua impenderunt Hirsaugiensibus, sed etiam ex locis ab Hirsaugia remotissimis, neglectis monasterijs sibi vi-

sibi vicinis, dona, munera & prædia in varijs locis tam sub abbate Wolmaro, quam sub diuersis alijs, monasterio huic mirabili deuotione succensi tradiderunt. Nam & mulier quędam in ciuitate Colonienſi fama sanctitatis monachorum Hirsaugiensium incitata, nomine Liberadis, domum quam habebat in Colonia magni precij & æstimationis, coram ciuibus & consulatu Hirsaugiensibus pro remedio animæ suiæ tradidit in perpetuū possidendam. Ipse quoque Volmarus abbas cum esset vir prudens & tam in secularibus negotijs quam in spiritualibus actionibus expertissimus, multa prædia, bona, census, & redditus per suam industriam comparando ad vtilitatem fratrum conquisiuit. Vnde res monasterij sub eius regimine, largiente Domino satis ampliatæ sunt, & fratres famulantes Christo merito & numero creuerunt.

*Colonia domus datur Hirsaug. Volmarus abbas multa emit.*

Magna enim industria vtebatur, & tam diligenter omnia curabat, vt si studium eius ad spiritualia exercitia vidisses, nullam ei curam fuisse temporalium rerum omnino credidisses. Rursus si laborem & curam illius quam in procurandis disponendisque rebus temporalibus pro fratrum quiete impendebat, attendisses, omnino putasses impossibile aliquam illum sollicitudinem exercitiorum spiritualium habere potuisse. Ita enim sicut de Aioth prouerbium dicit, Ambidexter erat, vt alteri sine alterius detrimento rationabiliter posset intendere.

*In vtroque statu industrius fuit.*

MCXXII.

Anno eius primo completo qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus vigesimus secundus, papa Calixtus 2. Lampertum episcopum Hostiensem legatum misit in Germaniam, qui absoluit omnes ab excommunicatione generali.

*Legatus Apostolicus in Germaniā missus.*

Cuno episcopus Argentinensis eodem anno deponitur, cui alius nomine Bruno successit. Gebhardus episcopus Herbipolensis constituitur.

Eodem anno Fridericus archiepiscopus Colonienſis castellum Imperatoris, nomine Carpena, Colonienſibus auxilium ferentibus, obsedit, cepit & destruxit.

Claruit his temporibus Hugo, ex abbate S. Germani ordinis nostri episcopus Altisiodorensis, nepos S. Hugonis abbatis Cluniacensis, vir scientia & moribus insignis, & æterna memoria apud posteritatem celebrandus, qui ordinem Cistercienſem eo tempore nouum valde dilexit, & pro sua facultate multa bona eidem fecit in sua diœcesi, necessariaque ministrauit.

*Hugo, ex abbate episcopus Altisiodorensis.*

MCXXIII.

Anno Volmari abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1123. monasterij ordinis nostri in Odenheim Spirensis diœcesis fundatio, per Brunonem archiepiscopum Treuerensem & fratrem eius Popponem comitem de Bretheim (sicut supra diximus) consummata est, vbi facta solenni dotatione & cōfirmatione ab Imperatore Henrico quinto, monachi introducti sunt, numero duodecim, missi ex hoc monasterio Hirsaugiensi, ad instantiam archiepiscopi & comitis prædictorum, quibus primus abbas prælatus est Euerhardus huius cœnobij Hirsaugiensis monachus, vir vita & conuersatione præclarus, qui tam in spiritualibus quam in temporalibus satis expertus & vtilis fuit. Hoc monasterium ante hoc ferme triennium, ab ordine, monachis cum abbate apostatantibus in ecclesiam secularem deformatum est, quod quomodo acciderit, suo tempore dicemus.

*Odenheim cœnobij cōsummatio.*

*Abbas cum 12. fratrib. ex Hirsaugia mittitur.*

Hoc ipso anno Bruno episcopus Spirensis moritur, & in monasterio Limpurgensi ante gradus presbyterij sepelitur, de quo Rupertus abbas Limpurgensis mirabiles visiones conscribit, dicens cum fuisse excommunicatum, se grauem sententiam apud internū iudicem incidisse, propterea quod eum in ecclesiam sepeliri permisit, vixq; per intercessiones sanctorum mortis periculum euasisse.

*Bruno obiit, Lymburgi sepultus.*

Eodem anno seruo Dei Norberto ad quærendas sanctorum reliquias Coloniam veniente, & huis indicto ieiunio & orationi instantibus, vna de numero vndecim milliū virginū ei apparens, nomen & locū vbi iacebat, insinuat, quæ in crastino solenniter leuata, cum alijs sanctorū reliquijs ad monasteriū Præmonstratense ab eo translata est. Sequente vero die apud S. Gereonē Coloniæ pernoctans, mane facto, in medio ecclesiæ, vbi nullū signum sepulturæ apparuit, effodi iussit, & corpus eiusdem S. Gereonis integrum præter partem capitis inuenit, quod cum ingenti populi lætitia de terra leuatum est, & pars viro Dei inde donata.

*Norbertus Coloniæ reliquias inuenit plures.*

*Corpus S. Gereonis reperitur.*

MCXXIIII.

Anno Volmari abbatis 3. qui fuit Dominicæ natiuitatis 1124. indictione 2. Meginhardus cum vxore sua Mechtilde, & Rudolphus cum vxore sua Richarde, comites de Spanheim, ecclesiam suam in monasterium consecrarunt in honore sancti Mar-

*Monasterij in Spanheim fundatio.*

tini episcopi, per ministerium Adelberti archiepiscopi Moguntini, factaque donatione ac dotatione solenni, in præsentia ipsius archiepiscopi, Buggonis quoq; archiepiscopi Wormacien. sis, Volberti abbatis sancti Albani, Werenboldi abbatis sancti Iacobi, Adelhuni abbatis sancti Disiboldi, & aliorum complurium prælatorum, comitum atque nobilium, monachi ordinis sancti Benedicti ibidem inthronizati sunt, 12. numero de monasterio S. Iacobi Moguntinensis & S. Albani assumpti.

*Bernhelmus primus abbas Spanheimensis.*

Primus abbas nomine Bernhelmus de prefato cœnobio S. Albani Mogunt. venit & annis 27. monasterio præsedit, vir scientia literarum & vitæ merito præclarus. Acta sunt hæc anno præscripto sub Henrico rege 5. Imperatore autem 4. Calixto papa 2. præsulante 7. iduum Iunij.

*Bernhelmus consecratur in abbatem.*

Eodem die Bernhelmus abbas est constitutus ad istam abbatiam meam in Spanheim, & 9. dehinc calend. Iulij, quæ fuit natiuitas B. Ioannis Baptistæ, ab eodē archiepiscopo Moguntiæ monasterio S. Albani, in præsentia quatuor abbatum, videlicet S. Albani, S. Iacobi, S. Disiboldi & Blidenstadensis ac multorum prælatorum nobiliumque munus consecrationis accepit.

*Bruno archiepiscopus Treuerensis obiit.*

Eodem anno moritur Bruno Treuirorum archiepiscopus, fundator monasterij Odenheimensis, in maiori ecclesia Treuerensi sepultus. Cui Gotfridus decanus eiusdē ecclesiæ successit. Magnæ molis grando hoc eodē anno cecidit 9. calendas Augusti. Eclipsis solis facta est 3. idus Augusti. Magna fames, & hyems asperrima fuit. His etiam temporibus

*Monasterij Ballenstat fundatio.*

monasterium ordinis nostri in Saxonia in diœcesi Halberstadensi nomine Ballenstetten fundatum est, post mortem videlicet Ottonis comitis eiusdem loci, & monachi cum abbate ibidem inthronizati sunt, dotatione sufficiente prouisi.

*Rupertus abbas Tuiciensis vir doctissimus.*

Circa hæc tempora claruit Rupertus monasterij Tuiciēsis nostri ordinis, in opposito Coloniæ Agrippinæ, abbas scientia & sanctitate clarissimus. Qui cū adhuc monachus esset in cœnobio S. Laurentij in Oesbrog prope Traiectum, ætate iuuenis maximum scripturis diuinis studium impendens, propter ingenij tarditatem parum discendo profecit. Vnde per orationes instantissimas à matre gratiæ virgine Maria scientiam scripturarum

*Miracula.*

quam ingeniū negauerat, postulauit, qua manifeste sibi in quadā nocte in visione Deiapparente ac gratiam promittente, tantā in omni scriptura scientiam consequutus est, vt simile suo tempore non habuerit. Nam propter incomparabilem sciētiæ maiestatem & vitæ sanctitatem Fridericus Archiepiscopus Colonien. sis eum de præfato monasterio extractum, in abbatem Tuicien. sis cœnobij, licet renitētem, ordinauit. Scripsit autem multa præclara opuscula, quibus ingenium suum exercitans, nomen suum immortale posteris commendauit.

*Multa conscripsit volumina.*

Horum quæ ad notitiam nostram peruenerunt, in libro de Scriptoribus ecclesiasticis nomina titulosq; iamdudum posuimus. Multis deniq; in vita miraculis claruit, de quibus alibi scripsimus.

*Miracula claruit.*

Rupertus quoq; abbas monasterij Limpurgensis nostri ordinis in

*Rupertus abbas Limpurgensis.*

diœcesi Spirensi, de quo supra diximus, vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregie doctus, qui philosophiæ multo tempore apud Gallos Parisienses operam dedit, & satis eruditus euasit. Reuersus tandem ad patriam suam, hoc est, ciuitatem Wormatien. sem, secularem philosophiam commutauit in diuinam, factusque monachus in

*Singularem observantiā modum Limpurgensis fuit instituit.*

præfato cœnobio Limpurgensi ac deinde abbas, tanta districtione, ieiunio & abstinentia conuersationem tam sibi quam monachis suis præter morem catenus in eodem monasterio obseruari consuetum his temporibus indixit, vt aliqui ex monachis licet numero pauciores de cœnobio fugerent, & Arnoldum episcopum Spirensem, qui Brunoni successerat accedentes, grauem illi persequutionem suscitarent. Introduxit enim eum viuendi modum abbas, vt non solum à carnibus omnino secundum regulam sanctissimi patris

*A carnibus, piscibus, ouis, lacticiniis, & vino abstinebant.*

nostri Benedicti abstinerent, verum etiam à piscibus, ouis, lacticinijsque, & omnibus generaliter, quæ vel vixerūt vnquam aut viuere potuissent, solis leguminibus, pisis & fabis, exemplo veterū sanctorum patrum, tam in eremo, quam in cœnobijs quondam victitātium contenti. Vinum extra infirmitatem, sicut de S. Martino & monachis eius legimus, non bibebant. Hunc viuendi modum Arnoldus episcopus Spirensis coadunato seculariū hominum consilio, ad delationē fugitiuorum monachorum iudicans superstitiosum Rupertū abbatē ad sui præsentiā citauit. Quo comparēte vna cum potioribus de cōuentu monachis in ciuitate Spirensi coram Arnoldo episcopo, alijsque prælatis multis, & clericis diuersi ordinis viris, episcopus cunctis audientibus dixit ad abbatem: *Cuius auctoritate vel licentia communitus es abba, vt sine nostro cōsensu in parochia nostra, cui authore Deo præsidemus, vitam cœnobiticam à sanctis patribus discreta moderatione institutā, & tam ab ipsis quam eorum*

*Abbas Rupertus citatur ab episcopo.*

*Accusatio episcopi contra abbatē.*

*eorum successoribus sine alicuius reprehensione legitima vsque ad nos laudabiliter obseruatã, noua quadam superstitione audeas immutare, interdicens hominibus vsum earũ rerum, quas nullus sanctorum vsquam legitur prohibuisse? Neq; enim te maiorẽ existimare debebis sancto legislatore tuo Benedicto, qui in regula q̃ & tu professus es, interdicto carniũ edulio monachis, pisces, oua, lacticinia, & vinũ non vetuit. Tu ergo qua temeritate monachis illa præsumis interdicere, quæ S. virũ legimus permisisse?* Ad hæc vir Domini Rupertus cum humilitate intrepidus respondit: *Authoritate & licentia omnipotentis Dei & totius curiæ cœlestis crapulã, delicias & ciborum voluptatẽ & vini vsum, mihi & monachis meis, qui propositũ meũ sua sponte pro Dei amore sequuntur interdixi, sciens abstinentiã Deo placere, & monasticam præcipue ornare institutionẽ. Et tu domine episcope, qui me hoc quadã noua superstitione præsumpsisse existimas, & mihi & sanctis Dei patribus nostris, qui quondam in eremo simul & in cœnobiis, pro amore cœlestis regni maiori se, quam nos abstinentia macerantes, etiam à leguminibus, quæ nos permittimus, abstinuerunt, pane cum aqua & modico sale contenti: quantam iniuriam irroges, omnes etiam mediocriter sapientes intelligunt. Si episcopus es, si bonus pastor animarũ, si Dei amator, omnino esse debebis, non prohibere subditorũ suorũ parsimoniam, voluntarie pro Dei amore susceptam, sed eam potius condignis fauoribus prosequi, & oues tibi commissas non ad laxiora, sed ad ardua magis conhortari. Cur in nobis reprehendis, in quo tu nos vt pastor oues præcedere omni tempore debuisti? Abstinentiam nostro diuino imperio pro nostris peccatis voluntarie assumptã, tu magis temere quã sapienter superstitiosam & nouam appellasti, quæ & diuinis scripturis est consona, sanctorumque patrum longe ante nos authoritate confirmata. Vt ergo more scholasticorum rem omnem breuiter concludamus: viuendi modus cum abstinentia, quem Deo iubente assumpsimus, ego & fratres mei pro amore regni cœlestis, aut bonus est aut malus. Alterum duorum necessario est verum. Si bonus est, nullatenus est prohibendus, præsertim cum volentibus nobis eius obseruantia nec impossibilis sit, nec onerosa, videaturque multis in locis sacris scripturis non parum commendata. Si vero malus est, quare tunc in Danele commendatur cum sociis suis, qui tibariis regalibus spretis, leguminibus amore paternæ traditionis vescebantur. Si inquam malus & reprehensibilis est iste modus abstinendi, quare etiam sancta mater ecclesia catholica eum in sanctis patribus Antonio, Paulo, Macario, Arsenio, Mose, Bambone, Onuphrio, cæterisq; multis tantopere commendat? An vitam sancti Martini Turonensis episcopi, sanctorumque monachorum in cœnobio cum ipso istam conuersationem & abstinentiam quam tu reprehendis nobis peccatoribus, multo strictius, quam nos, suo tempore obseruantium, quam omnis ecclesia Christiana laudibus concelebrat, tu solus superstitiosam nouamq; & regulæ monasticæ contrariam dicere & reprehendere præsumis? Memento precor episcopum te esse, animarumque Christi sanguine redemptarum ordinatum pastorem, & si tu abstinentiam, qua nos vt perfectior ordine præcedere debueras, aut non vales, aut certe contemnis assumere, noli nos temere contra Dei voluntatem ab eius obseruantia prohibere. Nam si omnino nobis hunc viuendi modum interdicere pergas, nos tamen Deo potius obediendam quam hominibus, non ignoramus.* His dictis siluit. Mirabantur autem omnes super responsis illius, & quod episcopum amatorem & defensorem epularum tam facete reprehenderit, tacite collaudabant.

*Respõsio abbatis.*

*Exemplũ introducti veterum.*

*Episcopi simulat satis pulchre.*

*Argumentatio satis astuta.*

*Exemplũ veterum probat.*

*S. Martinus episcopus.*

*In episcopũ ipsum acris admonitio.*

Arnoldus vero episcopus prudenti argumentatione abbatis in semetipso confusus, iratus est, sed iram propter circumstantes dissimulans, iterum dixit ei: Diuinitatis pro hac tua nouitate allegas imperium: si Deus tibi præcepit, ostende mandatum. Mox ergo de sinu extraxit libellum, continentem seriem cuiusdam reuelationis diuinitus sibi factæ, in qua & multa & miranda huius abstinentiæ præconia habebantur.

*Episcopus conclusus ab abbate erubuit.*

Lecto autem publice coram omnibus libello, viri sapientes & qui Deum amabant, cœperunt tinere: vtpote qui Rupertum semper nouerant virum religiosum ac Deum timentem, & propterea diuinis illum reuelationibus indignum non credebant.

*Ruperti reuelatio legitur.*

Rursus ad abbatem dixit episcopus: *Contra diuinam voluntatem nihil scienter intendimus ordinare, sed tuis reuelationibus nõ probatis fidem adhibere cito nec possumus nec debemus, dicente scriptura: Qui cito credit, leuis corde est. Et sanctus Apostolus Paulus, Probate (inquit) spiritus, si ex Deo sint. Quod ergo das signum, vt reuelationes istas tuas, non fictas, nõ falsas, sed à Deo immissas credere debeamus?* Cui abbas respondit: *Non sum propheta, vt in conspectu tuo mortuos resuscitẽ, aut igne de cælo descendere faciam: sed in hac parte sum missus à Deo & sanctis eius, vt tibi mandatũ summæ maiestatis patris & filii & Spiritus sancti annunciarem. Si audieris me, & emendaueris quæ tibi Dominus præcepit, bene res acta est, & tu animam tuam liberasti. Si vero non credideris, dominus qui misit me, ipse tu dicabit te, & radicẽ tuã amputabit de terra viuentiũ, breuiq; viues tempore. Hoc erit tibi signum. Verum tamen paratus sum, quale decreueris subire iudicium, vt eorum quæ dixi capias experimentum.*

*Episcopus signum veritatis ab abbate requirit.*

*Abbas pulchre respondit episcopo.*

*Offert se abbas ad probationem.*

Consilio igitur virorum præsentium habito episcopus, probationem reuelationũ suarum abbati sub præceptione dominici corporis & sanguinis indixit. Itaque missarum celebratione ab episcopo in conspectu omnium peracta, corpus Domini nostri le-

*Iuramẽtum quod fecit abbas.*

su Christi abbati præbens in manum, anteqtiam illud sumeret sic iurare præcepit: *Ego Ruppertus Dei gratia Limpurgensis ecclesiæ abbas, dico, affirmo, & iuro coram omnipotente Deo, omnibus sanctis eius, & vobis domine episcope Arnolde, in animam meam super hoc corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi verum, quod natum est ex virgine Maria, passum & immolatum in ara crucis pro nobis, quod reuelationes istæ quas scripsi in parte & in toto, non sunt fictæ, non falsæ, non phantasticæ, non diabolicæ, non excogitatæ ab homine, non deceptoriæ, neq; per humanam industriã adinuentæ, sed mihi diuinitus reuelatæ, veræ, sobriæ, angelicæ & diuinæ: sic me Deus, & hoc corpus Domini nostri Iesu Christi, quod in manibus meis teneo, nunc & in extrema hora mortis meæ, ac nouissimo die iudicij adiuuet, saluet & suscipiat. Et si aliter est quã dixi & iurauí, tunc hoc Domini nostri Iesu Christi venerabile corpus non pertranseat guttur meum sed hæreat in faucibus meis, strangulet me, suffocet me, ac interficiat me statim in momento: & non sit mihi locus in cœlo cum electis Dei, sed sit mihi portio cum Dathan & Abiron in inferno & Iuda traditore, cum Herode & Pilato, qui Dominum crucifixerunt, & cum diabolo & angelis eius, in centro gehennæ statim abhinc nunc & semper sine fine in æternum, Amen.*

*Terribile iuramẽtum.*

*Contestatio per episcopum addita.*

Et subiunxit episcopus: *Si ea quæ corã nobis lecta sunt, nõ sunt tibi veraciter à Deo reuelata, sed sunt vel per te, vel per alium humanitus adinuenta, conficta, falsa, diabolica, subdola, seu phantastica, non perueniat tibi hoc corpus Domini nostri Iesu Christi ad salutem, nec transeat guttur tuũ, sed faciat in te iudicium, & mox interficiat te: & sis authoritate Dei omnipotentis & nostra, sathanæ traditus in interitum corporis & animæ in sempiternum, in experimentum veritatis, vt discant omnes, tuo interitu præmoniti, non illudere vel decipere sanctam ecclesiam Dei.*

*Abbas intrepidè communicat.*

Et respondit intrepide abbas: *Amen.* Sumptoque viuifici corporis Dominici sacramento sine difficultate, cum magna deuotione fidẽ reuelationũ suarum astantibus fecit. Dimissus ergo, consilio astantiũ ad monasteriũ suum cum fratribus redijt, & inchoatam abstinentiam vna cum illis continuauit. Verũ Arnoldus episcopus non solũ reuelationibus Ruperti abbatis non credidit, sed etiam vindictam in illum exercere cogitauit.

Vnde paucis elapsis mensibus venit ad Limpurg cum similibus sibi, qui dicta abbatis tanquam somnia irridebant, volens omnino prohibere, ne fides illis adhiberetur. Cum multa ergo superbia sanctum virum exasperans, iterumque probationem iuramenti ab eo suscipiens, licet inuitus, credere contempsit. Stans ergo Rupertus abbas in præsentia omnium, ad episcopum quasi cum quadã authoritate dixit: *Ecce mittit ad te mandata sua Deus, & non credis: horribilem probationem subiui, & contemnis: vnum adhuc restat, vt quis persuadere tibi, vt verbis nostris fidem adhibeas nulla ratione possumus, diuino te necessariũ est iudicio reclamare. Et hoc tibi sit signum: Si hunc annum tu Arnolde superuixeris, non est Deus in me locutus, sed erunt conficta omnia quæ dixi: & tu, me vt deceptorem pro tua voluntate condemnabis. Sed Deus in me locutus est, & tu episcope hoc anno indubitanter morieris, incredulitatis tuæ mercedem à Domino nostro Iesu Christo qui me misit, recepturus.* His auditis episcopus timuit, & emendasset forsitan errorẽ, nisi consilio suorũ in instanti fuisset deceptus, qui dixerunt, *Absit à te Domine, vt tuus fatuo & deliro suisq. deliramentis adhibeas fidẽ. Non decet authoritatem tuam somniis decipi monachorũ, vt in scandalũ & opprobriũ venias omni populo, dicaturq. de domino nostro quod instar mulierculorum ad vnius vesani torrentis vocem, à suo fuerit mutatus proposito.*

*Abbas prædixit episcopo mortem.*

*Episcopus consilio suorum decipitur.*

*Eodem anno episcopus moritur.*

Confortatus, imo deceptus hoc prauo suorum consilio, episcopus ad propria rediit, & iuxta verbum abbatis Ruperti post paucos menses eodem anno morte satis subitanea decessit. Quo mortuo cum Rupertus in suo proposito constanter persisteret, apud successorem Arnoldi Sigefridum iterum per inuidiam accusatus, multis iniurijs & persecutionibus per annos fere sex ab æmulis suis tribulatus est.

*Abbas de Limpurg expellitur. In Breitenauu mittur exulat.*

Tandem authoritate ipsius episcopi Spirensis, de Limpurgensi monasterio pulsus, in Hassiam missus est, & relegatus ad Breitenauu cœnobiũ nostri ordinis: cui abbas Henricus monachꝰ quondã Hirsaugiensis, vir doctus & sanctus, post Drutuuinũ (quem admodũ dicemus) tunc præsedit, vt illius informatione correptus, à suo proposito ad cõmunem viuendi ordinem & vsum reuerteretur. Sed eo in sua obseruantia perseuerante, & omni quod vixit aut viuere potuisset abstinente, cum Henricus abbas eum reuocare ad cõmunia non posset, literas episcopo de singulis cum eo actis scripsit, & vt cum ad monasterium suum Limpurgense reuocaret, ne fratres in Breitenauu sua singularitate inficeret, rogauit. Reuersus tandem ad monasterium suum Limpurgense, in abstinentiæ proposito, vna cum fratribus suis deuotissimis viris, vsque ad mortem perseuerans, multas ab æmulis persecutiones sustinuit, & non multo postea in sancta pace quieuit. Scripsit autem non contemnendæ lectionis complura opuscula, quorum ad nostram lectionem ista pervenerunt.

In

In Cantica cãticorum pulchrum opus in quatuor libellis distinctum composuit, in quo omnia verba ad laudes beatissimæ Dei genetricis & virginis Mariæ satis proprie explanauit. De contemptu mundi, libelli duo. De sancto Ioanne baptista, vnus. Variarum quoq; reuelationum suarum, liber vnus; & Homiliæ quædam, siue sermones. Cætera quæ scripsit, ad notitiam meam non venerunt. *Scripta Ruperti abbatis Limpurg.*

Eodem anno Domini præscripto, videlicet 1124. Calixtus papa 2. obijt, cui Lampertus episcopus Hostiensis successit, & Honorius 2. dictus, præfuit annis 5. mensibus 2.

Hic Pontium abbatem Cluniacensem ordinis nostri, Romam ad se vocans, cardinalem S. Romanæ ecclesiæ ordinauit, virum vndecunq; doctissimum, & non minus sanctitate quam scientia illustrem. Fridericus de Arnsberg comes Westphaliæ moritur. *Pontius abbas fit cardinalis.*

MCXXV.

Anno Volmari abbatis 4. qui fuit dominicę natiuitatis 1125. indictione 3. monasteriũ Schonaugiense Treuerensis diœcesis nostri ordinis, quatuor ferme miliaribus ab oppido Bingionum, ab alia parte Rheni distans, fundatur, à quodam nobili viro & diuite nomine Hildelino, qui completo cœnobio monachus & primus abbas in eo factus est. Ad iactum quoq; lapidis cœnobium sanctimonialium nostri ordinis construxit, in quo magna deinceps Christi virginum religio viguit. *Monasterii Schonaugiensis nostri ordinis fundatio.*

MCXXVI.

Anno Volmari abbatis 5. Henricus rex 5. sed Imperator 4. eiusdem nominis, moritur apud Traiectum in hebdomade Pentecostes, & Spiram delatus sepelitur. Non reliquit liberos. Inde apud Moguntiam tertio calendas Septembris, electione principum, Lotharius secundus, Saxoniæ dux, in regẽ constituitur, & Aquisgrani idibus Septembris per manus Friderici archiepiscopi Colonien sis (vt moris est) coronatur. *Henricus moritur.* *Lotharius secundus fit Imperator.*

Eodem anno cum Lotharius rex Ottonem quem ordinauerat ducem Bohemis introducere vellet, hyeme sequente Vdalricus, qui terras illas occupauerat, ducatum sibi vendicare laborabat. Sed cum milites ferro per syluam parare sibi viam satagunt, repente hostes superueniunt, & ipsum Ottonem cum multis alijs viris fortibus interficiunt. Adelbertus marchio captus est. Fridericus Alsatiæ dux, noua quædam contra regem moliens, principum iudicio condemnatus est. *Exercitus Lotharii à Boëmis cæditur.*

Hocipso anno Arnoldus episcopus Spirensis iuxta verbũ Ruperti abbatis Limpurgensis, de quo diximus, mortuus est, paucis videlicet mẽsibus post ea quam ei mortem intentauerat. Sigefridus succedens præfuit annis 21. Hartuinus quoq; Ratisponensis episcopus obijt, cui hocipso anno substitutus est Cuno abbas nostri ordinis monasterij Sigenbergensis in diœcesi Colonien si, & præfuit annis 6. Henricus etiam dux Bauariæ moritur. *Arnoldus episcopus Spirensis obiit.* *Sigefridus succeßit.*

His temporibus fuit quidam hæreticus nomine Tauchelinus, in partibus inferioribus, qui quamuis laicus esset, multis tamen doctissimis etiam clericis in loquendo & disputando fuit acutior, qui in oppido Antuerpiensi populum à fide catholica miserabiliter seduxit, sacri ordinis ministros, episcopalem & sacerdotalem gradum nihil esse confirmans, corporis quoq; & sanguinis Domini sacramentum sumentibus ad salutem prodesse negabat. *Tauchelinus hæreticus apud Antuerpiẽses sparcissimus.*

Et in precioso apparatu, ac deauratis vestibus incedens, triplici funiculo crinibus intortis, verbis persuasibilibus & conuiuiorum apparatibus suos, qui eum circiter 3000. armati sequebantur alliciebat, & per eos in resistentibus sibi, cædes operando sæuiebat. *Armatus incessit.*

Crepebant ei Antuerpienses, & in circuitu pene omnes, & reuerebantur eum tanquam sanctum & missum à Deo, in tantum vt etiam aquam qua corpus abluisset, pro maximis reliquijs asportantes biberent.

Cum tamen tantæ incontinentiæ esset & impuritatis, vt filias in matrum præsentia sponsasq; maritis intuentibus corrumperet, & hoc opus spirituale assereret. Qui tandem post multos errores in populum disseminatos, & multas cædes in clerum & fideles ecclesiæ factas, dum nauigaret in naui, à quodam presbytero zelo fidei succenso percussus in cerebro moritur. *Adamitarũ hæresis.*

Sed nec post eius mortem error, quem seminauerat, tam facile extirpari potuit. Propter quod à clericis loci illius, ecclesia cum aliquantis redditibus per manum episcopi ad construendum monasterium Norberto Præmonstratensis ordinis fundatori data est, quatenus eius doctrina & prædicatione hæresis illa de medio tolleretur, quod & factum est. *Erroris huius pernicies.*

Siquidem ipso prædicante, compuncti viri & mulieres corpus dominicum quod

*Horrendum scelus notatur.*

in cistulis & foraminibus per decem annos & amplius reposuerant ex contemptu & incredulitate, ad ipsum cum pœnitentia attulerunt, & ad rectam fidem catholicam reuersi sunt.

MCXXVII.

Anno Volmari abbatis 6. qui fuit natiuitatis Christi 1127. Lotharius rex natiuitatem Domini Coloniæ celebrauit.

*Nurnberg obsidetur.*

Eodem anno rex Lotharius Nurnbergam cum duce Bohemiæ duobus mensibus obsidentes, sine effectu recedunt. Wilhelmus Burgundiæ princeps à suis occisus est. Carolus quoque Flandriæ comes, super omnes principes sui temporis iustitiæ amator, cultor & defensor, coram altari in oratione positus, à suis hominibus iustitiam odio habentibus, occiditur.

*G. archiepiscopus moritur.*

Eodem anno Gotfridus archiepiscopus Treuirensis senio grauatus episcopatū resignauit, quem biennio & mensibus decē rexerat, vnoq; anno, mensibus quinque & diebus decem & sex superuiuens, in Domino quieuit. Cui Meginherus successit, qui Romam pergens, ab Honorio papa 2. consecratus, & pallio donatus est. Reuersus autē in Germaniam ex mandato papæ Conradū ducem Sueuiæ postea Imperatorem huius nominis terrium, tum Lotharium & imperium eius inquietantem excommunicauit, quod ei non successit in bonum.

*Meginherus archiepiscopus Treuerensis.*

*Conradus excōmunicatur.*

Nam cum postea clericorum suorum incontinentiam nimium argueret, factusque ob id cunctis iniquis odiosus, Romam, vt à papa iuuaretur, ire statuit: sed Parmis, à duce Conrado, quem excommunicauerat, clericis suis prodentibus, captus, incarceratus, & lumine oculorum priuatus est, & tandem nimia cruciatus miseria calendis Octobris in carcere mortuus, & in ecclesia Parmensi sepultus. Cui Adelbero in archiepiscopatu Treurensi successit.

*Episcopus Treuerensis in carcerem mittitur.*

Eodem anno obierunt complures episcopi, Theodoricus Monasteriēsis episcopus, Vdalricus Constantiensis episcopus, Euerhardus Argentinensis archiepiscopus, Rutgerus Magdeburgensis archiepiscopus, Paderbornensis episcopus & Leodiensis episcopus. Godelboldus autem episcopus Traiectensis fundator monasterij sancti Laurentij nostri ordinis in Oesbrog, de quo supra diximus, senio grauatus episcopatum suum hoc anno resignauit, & præfatum cœnobium ingressus, assumpto sanctæ religionis habitu, monachus nostri ordinis factus est, anno pontificatus sui 15. qui biennio postea superuiuens, pridie iduum Nouembris feliciter in Domino quieuit. Post eius resignationem Andreas in pontificatu Traiectensis ecclesiæ successit.

*Episcopus fit monachus ordinis nostri.*

Ad ecclesiam Magdeburgensem ordinatus est episcopus Norbertus ordinis Præmōstratensis primus fundator, vir miræ sanctitatis, & egregius prædicator. Casu enim mirabili accidit, vt episcopus factus sit: nam mortuo archiepiscopo præfato Rutgero, & Arnoldo qui episcopatum inuaserat à ciuibus interfecto, clerici ad Imperatorem nuncios mittentes, episcopum sibi dari petunt. Casu Norbertus iste adfuit, vir scientia & sanctitate in toto notissimus orbe, quem consilio principum Imperator archiepiscopum delegauit. Acta fuerunt hæc, Domini anno 1128. in ciuitate Spirensi. Porro ad ecclesiam Leodiensem Alexander episcopus ordinatus est.

*S. Norbertus fit archiepiscopus Magdeburgensis.*

MCXXVIII.

Ad ecclesiam vero Paderbornensem quidam Bernardus nomine constituitur, anno Volmari abbatis 7. qui fuit dominicæ natiuitatis 1128. Rupertus abbas monasterij sancti Petri in Erfordia, quondam monachus Hirsaugiensis moritur: cui Wernerus huius quoque cœnobij Hirsaugiensis monachus, vnanimi fratrum electione, de licentia & benedictione Volmari abbatis, in abbatia præfata successit, vir multæ prudentiæ, honestatis & religionis: qui per industriam suam, non sine magnis impensis aquæ ductum primus ad ipsum monasterium cunctis mirantibus introduxit.

*Wernerus fit abbas in Erphordia.*

*Conradus dux nomen sibi regium vsurpat.*

Eodem anno cum rex Lotharius natale Domini celebraret apud Herbipolim, fama volante cognouit Conradum fratrem Friderici ducis Alsatiæ regium sibi nomen vsurpasse. Hac de causa Moguntinensis & Magdeburgensis episcopi cum alijs præsentibus, eundem Conradum excommunicauerunt, & postea Honorius papa eandem excommunicationem per Meginherum archiepiscopum Treuerensem (sicut diximus) confirmauit. Rex ergo Lotharius veniens cum principibus suis, Spiram, in qua ipse Conradus præsidium suum expulso Sigfrido episcopo collocauerat, obsedit, sed acceptis obsidibus abcessit.

*Spira obsidetur.*

His temporibus sub Honorio papa 2. venit Romam quidā presbyter Arnolphus, vir magnæ

magnæ deuotionis & prædicator egregius, qui cum inter annunciandum verbum Dei, clericorum lasciuiam, libidinem, auaritiam & nimium fastum reprehenderet, & paupertatem Christi & apostolorum eius, integerrimamque vitam ad imitationem omnibus proponeret, à Romana quidem nobilitate, vt verus Christi discipulus laudatus est: sed cardinalium & clericorum odio nimium est habitus, à quibus & noctu captus, occulte est interfectus. Hoc suum martyrium antea quum adhuc esset in eremo, diuinitus sibi fuit reuelatum, quum per angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Vnde & publice dixit: *Scio quod animam meam quæritis, scio quod me breui clam occidetis. Sed quare? veritatem vobis dico, fastum, superbiam, auaritiam, luxuriam, nimiumque studium quod comparandis diuitiis miseri impenditis reprehendo, propterea vobis non placeo. Ego testem inuoco cœlum & terram, quod annunciauerim vobis ea, quæ mihi Dominus præcepit: vos autem contemnitis, & me & creatorem vestrum, qui vos per vnigenitum filium suum redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem, vobis veritatem annunciantem morti tradituri estis: cum etiam si sanctus Petrus hodie resurgeret, & vitia vestra, quæ nimis multiplicata sunt, reprehenderet, ei minime parceretis.* Cum hæc alta voce clamasset, subiunxit: *Ego quidem mortem subire pro veritate non timeo: vobis autem in verbo Domini prædico, quod omnipotens Deus non parcet impuritatibus vestris. Vos enim omni spurcitia pleni, plebem vobis commissam præceditis ad infernum. Deus vindex est.* Cumque odium cleri propter veritatem in eum sæuire cœpisset, eorum insidijs captus & submersus est.

*Arnolphus prædicator veritatis Romæ à clero occiditur.*

*Quam libere arguit vitia clericorum.*

*Nec S. Petro parceret.*

MCXXIX.

Anno Volmari abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1129. in partibus occidentis, viris malo vsu comam nutrientibus subito capilli circa capita, multis miraculose incensi ardere cœperunt.

*Miraculum contra comã nutrientes.*

Rex Lotharius eodem anno Spiram secundo obsedit, ab idibus Iulij vsque ad calendas Ianuarij, eamque cepit, & ducē Conradum veniam petentem, ad gratiam admisit.

*Spira capitur.*

Hoc ipso anno archiepiscopus Treuirensis Meginherus (sicut diximus) incarceratus fuit, & successit Adelbero. Otto Haluerstatensis episcopus, à canonicis suis Romę accusatus, conuictus & confessus, quod pro consecratione cuiusdam ecclesiæ 30. solidos accepisset, ab Honorio papa depositus est, cui Rudolphus successit.

*Episcopus propter simoniam deponitur.*

Henricus quoque Virdunensis episcopus à Mathæo Albanensi episcopo sedis Apostolicæ legato, deponitur. Bruno vero episcopus Argentinensis quadriennio expulsus, interuentu reginæ & episcoporum gratiam regis consequitur. Fridericus etiam archiepiscopus Colonienſis, qui triennio contra regem inimicitias gessit, hoc anno reconciliatus est.

Hoc anno Philippus puer, Ludouici Francorum regis filius, Remis in regem vngitur 18. calendas Maij in die paschatis, præsente patre. Verum cum duobus annis nec integre in Francia regnasset, & quodam die in ciuitate Parisiensi equo veheretur, porcus casu forsitan occurrens, & equi pedibus se submittens, regem cum equo præcipitem dedit, qui contracto corpore mox in eodem loco expirauit, tertio iduum Octobris.

*Rex puer per porcum occubuit.*

MCXXX.

Anno Volmari abbatis 9. qui fuit dominicæ natiuitatis 1130. præpositura montis sancti Ioannis in Rinckaugia ordinis nostri (de cuius fundatione paulo ante diximus) per Adelbertum archiepiscopum Moguntinum consensu & permissione Werneri abbatis & totius conuentus sancti Albani, ad quos iure pertinebat, in abbatiam sublimata est, cuius primus abbas ordinatus est Egilbardus monachus, præfato cœnobio antea incorporatus.

*Abbatia S. Ioannis in Rinkaugia erigitur.*

*Innocentius papa.*

Eodem anno Honorius papa moritur, cui Gregorius succedens, qui Innocentius secundus dictus est. Contra hunc Petrus Leonis antipapa, quorundam facinorosa seditione creatus, Anacletus vocatus est. Innocentius vero à Romanis Anacleto fauentibus pene destitutus, in Galliam transit, duoq; concilia celebrat. Deinde ad Lotharium regē Romanū transiens, eius auxilio ad sedem Apostolicam est restitutus, quem Romæ in Imperatorem coronauit.

*Antipapa erigitur.*

Eodem anno castrum Nurnberg regi Lothario traditur.

MCXXXI.

Anno autem Volmari abbatis 10. qui fuit Christi 1131. rex Lotharius cum archiepiscopis, abbatibus, ducibus, comitibus & nobilibus multis, ad curiã apud Leodiū indictam venit. Aduenientem ibi papam Innocentium rex magnifice suscepit, cui & auxilium contra Meazarem Apostolicæ sedis promisit.

*Concilium celebratur Leodij in præsentia papæ.*

Eodem anno apud Moguntiam concilium episcoporum & abbatum præsente Lo-

*Episcopi multi fuerunt præsentes in concilio Moguntino.*

tharió rege celebratum est, cui præsedit Matthæus Albanensis episcopus Apostolicæ sedis legatus. Ibi fuerunt multi episcopi præsentes, S. Otto episcopus Bambergensis, Adelbertus archiepiscopus Moguntinensis, Buggo Wormaciensis, Sifridus Spirensis, Embricho Herbipolensis, Augustensis, Eistetensis, Hildesheimensis, & alij plures: huicetiam concilio Wolmarus abbas huius cœnobij Hirsaug. vocatus per archiepiscopum Moguntinum, simul cum alijs multis abbatibus interfuit.

*Fridericus Colonensis episcopus moritur.*

Eodem anno obijt Fridericus archiepiscopus Colonensis fundator cœnobij sanctimonialium nostri ordinis in insula Rolandi, vir per omnia magnificus, per cuius munificentiam & authoritatem reuerendissimus ille abbas Tuicensis magnus Rupertus pene infinita synthemata composuit. Obijt autem in castro suo, quod ipse de nouo construxit in suprema montis altitudine, & propterea Wolbenberg dicto: sepultus in monasterio Sigebergensi nostri ordinis in loco capitulari, cui in archiepiscopatu successit Bruno Decanus sancti Gereonis, præpositus filius Adolphi comitis de Althene, per indicium Imperatoris Lotharij, principum & trium cardinalium siue legatorum sedis Apostolicæ tunc Coloniæ præsentium contra voluntatem multorum ordinatus.

*Bruno successit in episcopatu.*

MCXXXI.

*Res mouetur in Sclauos.*

Eodem quoque anno Wolmari abbatis 10. dominicæ videlicet natiuitatis 1131. Lotharius rex expeditionem mouit super Danos & Sclauos, eosque subegit. Eckebertus Monasterienſis episcopus primum decanus maioris ecclesiæ Colonensis moritur, Coloniæ, tempore quo electio Brunonis archiepiscopi supradicti celebratur, & reportatus ad sedem propriam sepultus est. Cui Wernerus successit.

*Richenbach fundatur in Bauaria.*

His ferme temporibus paulo ante hos annos, videlicet Domini 1100. vel circa, fundata est nobilis illa nostri ordinis abbatia Richenbach in Bauaria per comitem Foburgensem, quam multis prædijs, redditibus & ornatibus ditans, mirifice sublimauit.

*Monasterium S. Walpurgis fundatur.*

Anno quoque Domini 1106. Comes quidam diues & potens de Mombelgard fundare cœpit abbatiam ordinis nostri in honorem sanctæ Walpurgis virginis, in diœcesi Argentinensi, non procul ab Hagenavv sitam, quam multis bonis pro sustentatione monachorum Deo seruientium cumulauit.

*Monasterium in Bibelis fundatur.*

Idem quoque Mombelgardiæ comes, in eodem nemore circa villam quæ dicitur Bibelis ad iactum bombardæ, à prædicto monasterio sanctæ Walpurgis, aliud cœnobium sanctimonialium nostri ordinis fundauit, in quo primam abbatissam filiã suam Gunildem nomine, sanctam virginem instituit. Quæ miraculis clara tandem in medio eius cœnobialis ecclesiæ sepulta fuit. His quoq; temporibus Otto comes de Scheuren in Bauaria de stirpe Caroli Imperatoris Magni, à quo duces Bauariæ omnes qui nunc sunt, descenderunt, castrum suum Scheuren, nimia vetustate pene collapsum, in monasterium & abbatiam nostri ordinis cõstruxit, in honorem B. Mariæ semper virginis, cooperantibus ad hoc Conrado comite, Ottone comite Tochauiæ, Ottone altero comite Palatino in Widdelsbach & Ottone comite cum alijs septẽ comitibus, qui omnes nomen & insignia ferebant de præfato castello Scheuren: quamuis nullus eo tempore ibidem habitaret.

*Monasterium Scheuren fundatur. Nota vesaniam istius comitis.*

Hi omnes cum Agnete vxore præfati comitis, omne ius suũ quod in ipso castro habebant, cum summa deuotione beatæ virgini in perpetuum obtulerunt, cõstruentes monasterium insigne, in quo & sepulturam sibi & posteritati suæ cõstituerunt. Fuit autẽ vnus inter eos comes Arnoldus de Scheuren, vir proteruus, & sancto eorum desiderio contrarius, qui cum illos partes eorum de dominio Scheuren offerre domino Deo conspiceret, nec multos impedire vnum sese posse cerneret, proiecta in aerem chirotheca partẽ suam diabolo coram omnibus obtulit dicens: *Vos domini diaboli, partem meam in uestrum accipite*: statimque dæmones inuisibiles chirothecam visibiliter abstulerunt, quæ nusquam postea comparuit.

MCXXXII.

*Drutvvinus abbas in Breitenaw moritur.*

Anno quoq; Volmari abbatis 11. qui fuit dominicæ natiuitatis 1132 obijt venerabilis ille abbas in Breitenavv Moguntinensis diœcesis, monachus quondam huius cœnobij Hirsaugiensis, de quo superius anno domini 1119. mentionẽ fecimus sub D. Brunone abbate. Præfuit annis 13. vir per omnia magnificus. Huic autem Drutvvino in regimine abbatiæ præfati monasterij Breitenavv successit Henricus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, qui olim cum Drutvvino ad Breitenavv missus fuerat, vir sanctus & tam in ecclesiasticis quam in diuinis scripturis omni suo tempore doctissimus, qui multa & varia tam metro scripsit quam prosa.

*Henricus abbas ex monasterio Hirsaugiensi successit.*

Ex quibus nos in præfato monasterio Breitenavv aliquando per biduũ cõstituti accepimus

pimus subiecta. Dialogum in persona diuitis Epulonis, & pauperis Lazari in sinu Abrahæ quiescentis. De contemptu seculi, qui sic incipit: *Instabilis regni vir amator.* Item libellum complurium deuotarum orationum, qui sic quoque incipit: *ô erumnosa mea anima.* Item libellum de Conflictu virtutum & vitiorum, qui incipit: *Cum variis vitiis virtutum discere scriptis.* Item de 12. abusibus libellum, sic incipientem: *Constat abusiua bis sex mundi fore dicta.* Item de lapsu primi hominis & de tædio præsentis exilij opusculum, quod sic incipit: *Ad æ peccare serpens.* Item opusculum de Ciuitate, cuius nomen Dominus ibidem, quod sit incipit: *Quo nondum fruitus libeat conscribere munus.* Item de habitu virginis & de beatitudine, libellum sic incipientem: *Virgo nimis chara, &c.* Item de Resurrectione sanctorum libellum qui sic incipit: *Christe salus cuncta.* Item opusculum de Cogitanda mortalitate, quod sic incipit: *Quid genus humanum.* Item de domino nostro Iesu Christo libellum sic incipientem: *Pauperior cunctis ego.* Item de corpore Christi mystico opusculum, quod sic incipit: *Vrbem catholicam.* Item de Fide catholica libellum, qui sic incipit: *Filius ecclesiæ verus, qui peruenit esse.* Item librum, quem Flosculorum prænotauit, sic incipientem: *More meo campo scriptura.* Item Hymnorum complurium diuersi generis carmine opus, quod sic incipit: *Laus tritici mortuo grano.* Item Epistolarum ad diuersos volumen, quod sic incipit: *Venerabili Carnotensi præsuli, hoc est, pro passibilitate.* Varios insuper conscripsit sermones, & diuersa opuscula, quorum nec ordinem, nec titulos in mente retinuimus. Erat sane vir doctus & multum studiosus, & non minus sanctitate & vitæ merito, quam eruditione scripturarum in tota Germania celeberrimæ famæ & opinionis, qui in vita & post mortem multis signis & miraculis claruit.

*Tituli librorum huius abbatis Henrici.*

Eius gesta satis luculenter descripta habentur. Ad hunc Henricum, tanquam virum sanctum, doctum ac probatum in Breitenauu Rupertus abbas Limpurgensis, de quo supra diximus, propter inusitatæ nouitatis abstinentiam mandato Spirensis episcopi relegatus fuit, quatenus ab ipso reductus ad communem viuendi modum à sua singularitate recederet. De quo idem S. Henricus abbas in quadam epistola ad ipsum Spirēsis ecclesiæ pontificem latius facit mentionem. Deniq; propter famam excellentissimæ sanctitatis multi viri nobiles, potentes & honorati in seculo, pro Dei amore sub S. abbate Henrico monachi in Breitenau facti sunt. Inter quos præcipuus fuit Adelbertus comes de Schœnberg, qui contemptis rebus seculi & pompis, cum esset potens & ditissimus, pro Christo factus est pauper monachus, & tanta puritate vixit, vt magnæ sanctitatis vestigia cunctis monachis in eodem loco non sine miraculis ostenderit. Hoc ipso anno Volmari abbatis 11. vehementissima vis ventorum innumera ædificia subruit.

*Abbas Henricus post mortem miraculis claruit.*

*Rupertus abbas Limpurgensis.*

*Adalbertus ex comite monachus.*

Eodem anno sanctus Hugo Gratianopolitanus episcopus, ordinis Carthusiensis primus institutor, vir inter episcopos sui temporis vita & conuersatione singularis, cui alter Hugo successit monachus Carthusiensis postea Viennensis archiepiscopus. Cuno quoq; episcopus Ratisponensis in Bauaria, ex abbate monasterij Seginbergensis in diœcesi Colonien si ordinis nostri, de quo supra diximus, hoc ipso anno moritur.

*Hugo episcopus Gratianopolitanus moritur.*

Bertholdus quoq; Hildesheimensis episcopus obijt, cui Bernhardus eiusdem ecclesiæ præpositus successit, qui corpus sancti Gothardi pōtificis, de terra cum magno honore leuauit, quod annis ferme centum humatum iacuerat.

*Episcopus Hildesheimensis moritur.*

His temporibus, spiritus quidam malignus, in diœcesi Hildesheimensi, multo tempore multis visibiliter apparuit in habitu rustico, pileo caput opertus, vnde & vulgo pileatum appellabāt eum rurales, hoc est, *ein Hedeckin*, lingua Saxonica. Iste spiritus Hukin multa mirabilia fecit, & delectabatur esse cum hominibus, loquens, interrogans, & respondēs familiariter omnibus, aliquando visibiliter, aliquando invisibiliter apparens. Neminem læsit non prius læsus, sed iniuriarum seu irrisionum memor, vicem irrogantibus sibi contumeliam impendit.

*Hudekin spiritus in Saxonia apparens multa miracula fecit.*

Cum Burcardus comes de Luca per comitem Hermannum de Winsenburg fuisset interfectus, & comitatus ipse Winsenbergensis in direptionem videretur expositus, præfatus spiritus dormientem in lecto suo Bernhardum episcopum Hildeshemensem accedens cum excitauit, dicens: *Consurge ô calue, exercitum conuoca, quia comitatus de Winsburg propter homicidium vacuus & desolatus, tuo facile parebit imperio*: qui surgens milites suos commonuit, comitatum invasit, & obtinuit, quem ecclesiæ Hildeshemensi de Imperatoris consensu in perpetuum coniunxit.

*Comitatus per eum occupatur.*

Eundem quoq; Pontificem non rogatus idem spiritus sæpe de multis periculis auisare consueuit. In curia eiusdem præsulis frequentius apparens, coquis ministrare plerunque satis diligenter consueuit, crebrosq; in culina cum ipsis miscere sermones.

*Episcopum auisat in multis.*

*Iniurias vlciscitur.*

Vnde cum iam ex consuetudine familiariter factus, à nemine timeretur, puerulus quidam in coquina seruiens eum despicere, subsannare, & contumelijs afficere cœpit, & quoties potuisset immunditias coquinæ in eum effudit. Qui cum sæpe magistrum coquinæ rogasset, vt puerum ab iniurijs suis compesceret, minitatus se tandem contumelias vlturum, irridetur ab eo, dicente: *Tu spiritus es & puerũ times?* cui dæmonium respondit: *Quia puerũ tuum ad petitionẽ meam emendare contemnis, ego quantum illum timeam, posti dies paucos tibi ostendam.*

*Spiritus puerũ mactauit & coxit in olla.*

*Buffones super assaturã expressit spiritus.*

His dictis spiritus abscessit iratus, non multo post, cum die quadam post vesperã puer solus in coquina fatigatus dormiret, venit spiritus & suffocatum in frusta conscidit, olleque imposítum ad ignem coquere cœpit, quod magister coquinæ cum percepisset, spiritum maledicere cœpit, qui exacerbatus assaturã postero die pro episcopo & curialibus ad ignẽ in verubus positam compressis, desuper bufonibus horrendis veneno & sanguine eorundem aspersit: rursúsque contumelijs affectus, per pontem illusoriem in foueam de alto illum præcipitauit, supra muros ciuitatis & castelli vigilias nocturno tempore diligentissime peragens, omnes custodes vigilare coegit.

*Ridiculosa historia per spiritum facta.*

Vir quidã longe profecturus, cum vxorẽ haberet impudicã, quasi per iocum dixit ad spiritũ Hurgin: *Bone socie tibi cõmendo vxorẽ meã, donec reuertar: vide custodias eam.* Cumq; vxore absente cum adulteris mulier portionem suam poneret & amatores multos successiue tẽtaret, ita se spiritus iste inuisibiliter mediũ semper interposuit, proiectisque in terram de lectulo viris, nullum peruenire vel ad tactũ ipsius fœminæ, taceo de commixtione illicita, permisit. Sic mulier singulis noctibus & fere singulis toto tempore horis, nouos semper amatores introduxit, quos tamen spiritus mox vt eam contingere tentasset, procul in terrã proiecit. Tandẽ reuertenti marito, & adhuc longe à domo existenti, spiritus cõmissarius lætus occurrit dicens: *Gratus mihi tuus est valde aduentus, quo liberer à tam inquieto labore, quem mihi imposuisti.* Cui maritus: *Quis ergo tu es? Ego sum* (inquit) *Hudgin, cui pridẽ abiturus vxorẽ cõmisisti tuendam: ecce custodiui eam tibi, licet cum maximo & continuo labore ab adulterio saluam. Sed oro te, ne illã mihi deinceps custodiendã tradere velis, Malo enim totius Saxoniæ porcos, quam vnam ipsam vxorẽ custodire tuã, tantis me dolis circunuenire, tantis vijs totq; modis abuti suo corpore testatus est.* Innumera quoq; & alia tam seriosa q̃ ridiculosa spiritus iste miracula fecit, quæ omnia nec facile scribi possunt, nec si scriberentur, multorũ credulitatẽ inuenirent. Idiotãquendam & simplicẽ hominẽ clericũ, ad synodũ citatũ, per annulũ factũ ex solijs lauri, alijs quibusdã additis, aliquanto tempore doctissimũ reddidisse ferunt. Tandem à prefato episcopo Bernardo per censuras ecclesiasticas eliminatus, de prouincia recedere compulsus est.

*Res ardua custodire mulierem malam.*

*Spiritus idiotam facit eruditum.*

MCXXXIII.

*Imperator Lotharius Italiam ingressus papã ecclesiã Romanæ restituit.*

*Imperator coronatur.*

Anno Volmari abbatis 12, qui fuit dominicæ natiuitatis 1133. Lotharius rex cum maximo exercitu principum, episcoporum, abbatum, nobilium & militum Romam proficiscitur ad restituendũ Innocentium sedi apostolicæ. Transiens ergo per Italiam plerasque munitiones sibi obsistentes cepit, tandemq; 2. calendas Maij Romam summo fauore ingressus, cum iam defunctus esset Anacletus, qui & Petrus Leonis, sedi apostolicæ restituit Innocentium, à quo & ipse 3. nonas Iunij, Lateranis in ecclesia sancti Ioannis in Imperatorem consecratus, post bella & victorias aliquantas in Alemaniam redijt, secum ducens captiuum quendam Italiæ principem.

*Eclypsis solis.*

Eodem anno 4. nonas Augusti, luna 27. hora diei sexta, eclipsis solis facta est, in tantũ vt stellæ in cœlo apparerent. Magna inæqualitas aeris & pluuiarum inundatio, per totum tempus messis subsecuta est. Consobrinus quoq; Lotharij Imperatoris, Traiecti à Gotfrido & fratre eius Hermanno de Cuch occisus est.

MCXXXIIII.

*Magnus rex Daciæ se Imperatori submittit.*

*Rex Dacia cum episcopis quinq; occiditur.*

*Henricus dux Bauariæ fit gener Imperatoris.*

Anno Volmari abbatis 13. Lotharius Imperator natale Domini Coloniæ celebrauit, ibi temerarius vrbicorũ tumultus coram eo exoritur, quo nondum sedato inde discessit. Pascha vero in Halberstadt cum magna frequẽtia principũ celebrauit, vbi Rex Danorum Magnus, se in potestatẽ Imperatoris tradidit, obsides dedit, iuramẽtũ fecit, se successoresq; suos non nisi Imperatoris & successorum eius permissũ regnum adepturos. Post hoc cum pace ad Daciam redire permissus, in die S. Pentecostes cum episcopis quinque, presbyteris 60. & patre suo Nicolao, ab æmulis suis occisus est. Interea Lotharius Imperator festum Pentecostes in Mersburg celebrans, nuptias Gertrudis filiæ suæ cum magna solennitate & pompa peregit, tradens eam vxorem Henrico duci Bauariæ cognomento Superbo, viro forti & audacissimo. Adijciens illi quoque ducatũ Saxoniæ, de quo omnes duces Brunsuuici & Luneburgi, qui hodie sunt, per successum descenderunt, quemadmodum in histo-

in historia ducum Bauariæ ostendimus. Iste dux Bauariæ & Saxoniæ genuit ex præfata vxore filia Imperatoris Lotharij 2. Henricum cognomento Leonem, ducem Brunsuicensem & Saxoniæ, virum bellicosum & mirabilem, de quo veteres miranda canebant in carminibus Teuthonicis, & depingere vsque in hodiernum diem in aulis principes consueuerunt.

*De mirabili historia Ducis Brunsuicensis.*

Eius peregrinationis historiam, quomodo videlicet corio insutus equino, ac per gryphonem de nauigio exportatus, maris periculum euaserit, cum gryphonibus pugnauerit, draconem occiderit, per mare cum leone transierit, & tandem vxore sua Matilde filia regis Angliæ, alium ducere maritum, parante subito per dæmonem vna cum leone comite itineris & periculorū, ad castrum suum de remotissimis locis fuerit sine læsione reductus, & similia his multa, quæ magis ex confictione poetarum sub mystica certa significatione scripta, quam facta fuisse crediderint. Consueuerunt enim Germani veteres, more Græcorum, quorum eis magna commercia fuisse constat, fortia heroum gesta in carmen & cantilenas reducere, & mortalium facta per figurarum & ænigmatum symbola occultando, immortalibus comparare.

*Mos veterū Germanorum.*

MCXXXIIII.

Eodem quoque anno, qui fuit dominicæ natiuitatis 1134. S. Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis, primus institutor Præmonstratensis ordinis, sanctæ religionis eximius propagator, 8. iduum Iulij moritur, m. grauitq; ad Dominum, anno episcopatus sui 8, cui Conradus filius cuiusdam comitis successit.

*S. Norbertus episcopus obiit.*

Eodem anno Lotharius Imperator Spiram obsedit, & longa inedia confectam tandem cepit, & ducem Sueuiæ æmulum regni & Imperij Conradum, in deditionem & gratiam accepit.

*Spira capitur.*

MCXXXV.

Anno Volmari abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1135. Imperator natale Domini Aquisgrani celebrauit. Hoc ipso anno corpus sancti Mathiæ Apostoli, ad Treueros, in monasterio sancti Eucharij nostri ordinis inuentum est, à quo nomen cœnobij deinceps mutatum, ad sanctum Mathiam vsq; in præsentem diem appellatur. Bruno archiepiscopus Colonien sis & Fridericus dux Alsatiæ cum Imperatore nō bene sentientes, interuentu principum reconciliari meruerunt.

*Corpus S. Apostoli Mathiæ reperitur.*

Ad festū Pentecostes magnus principum conuentus, Imperatore iubente, in ciuitate Magdeburgensi habitus est, in quo fuerunt personaliter rex Daciæ, rex Poloniæ, & multi alii principes, qui omnes pacem firmissimam ad 10. annos iurauerunt, quod & cætera facere multitudo compulsa est.

*Conuentus principum.*

Eodem anno Lotharius Imperator moniales de cœnobio Lutera Haluerstadensis diœcesis expulit, & in melius restaurato loco, monachos nostri ordinis de cœnobio Bergen prope Magdeburgam introduxit, constituens eis primum abbatem Euerhardum prefati cœnobij venerabilem monachum. Porro ipsam ecclesiā in honorem S. apostolorum Petri & Pauli consecrari fecit, & multas reliquias à summo Pontifice pro illius decore impetrauit. Hoc monasteriū pro monialibus quondā construxerat comes de Oldenslebē & *Luteren* à vulgo dicebatur. Sed posteaquam per regem Lotharium mutatū, & de nouo instauratum fuit, Lutera regalis, id est *Konigslutern* dictum est, vsq; in præsentem diem.

*Monasterij Konigsluter fundatio ordinis nostri.*

His etiam temporibus, videlicet anno domini 1135. Buggo ecclesiæ Wormacien sis reuerendissimus episcopus, monasteriū Franckenthael, nō longe à Wormatia fundauit, in quo fratres canonicos in communi sub regula S. Augustini viuentes collocauit, quibus ecclesia de corporis necessarijs copiose prouidit.

*Cœnobium Franckenthal ordinis regularium fundatio.*

Cœnobium quoque sanctimonialium eiusdem religionis, iuxta præfatum monasterium Franckenthael constituit. In quo multitudinē virginum Christo in castitate famulantium, prouisis necessarijs posuit: verum post annos ferme trecentos viginti sex, tempore Reinardi Wormacien sis episcopi, cum de consensu eius fratres regulares de Windesheim partium inferiorum, ipsum cœnobium Franckenthael ad reformandum suscepissent, & titulum abbatialem, quo antea semper insignitum fuerat, extinxerunt, & cœnobium fœminarum prædictum expulsis monialibus monasterio fratrum coniunxerunt. Idem quoq; Wormacien sis episcopus cum esset vir Deo deuotus, insigne monasterium ordinis Cistercien sis, in sua parœchia quod Schonaugia nominatur, in memoribus, non longe distans ab Heidelberga, sancto Bernardo abbate cooperante fundauit, & multis prædijs & beneficijs ampliauit, Abbatem & fratres de monasterio Clarenallen si ab ipso patre sancto Bernardo impetrauit, & ipse in eodem monasterio sepultus est.

*Abbatia titulus in Franckenthal extinguitur.*

*Monasteriū in Schonaugia ordinis Cisterciensis fundatio.*

*Lobenfeld hic fundatur 1235.*

His etiam temporibus cœnobium sanctimonialium nostri ordinis in Lobenfeld eiusdem Wormaciensis diœcesis, in pago qui dicitur *Kreichau*, duobus ferme ab Heidelberga miliaribus, opera & impensis præfati episcopi Buggonis fundatum est, & sufficienter pro sustentatione virginum Christi dotatum. Circa hæc quoque tempora comes de Liningen Eunucho nomine, monasterium fratrum canonicorum regulæ sancti Augustini in dumetis, vulgariter in Heyna, seu Hegina dictum, in honorem sancti Petri apostolorum principis fundauit, & multis bonis ac redditibus sublimauit, cuius ecclesiam sæpe dictus episcopus Buggo, in cuius diœcesi monasterium est constructum, anno domini 1141. consecrauit, & Hartungum primum præpositum ordinauit, qui vitam canonicorum regularium primus ibidem instituit.

*Monasterii Heyna fundatur.*

*Abbas Volmarus Imperatorem accessit.*

Anno regiminis sui 15. Volmarus abbas, quorundam secularium & ministerialium suorum insolentia prouocatus, Imperatorem Lotharium, qui dum Spiræ natale Domini celebrat, adiens, in auxilium & defensorem monasterij sui Hirsaugiensis fratrumque & rerum eiusdem inuocauit, qui mox adduci turbatores sanctæ religionis ad se iussit, quorum iniustitia recognita extra fines imperij proscripsit. Vnde cunctos in circuitu vicinos tantus inuasit metus, vt Volmaro viuente Hirsaugienses turbare nullus præsumeret.

MCXXXVI.

*S. Iutta Virgo deuotissima inclusa obiit.*

Hoc ipso anno, qui fuit dominicæ natiuitatis 1136. 11. calendas Ianuarij, obijt S. memoriæ Iutta virgo Christi deuotissima, soror Meginhardi comitis de Spanheim, fundatoris monasterij mei, cui licet indignus prædedeo, quæ pro Christi amore 24. annis in monte S. Disibodi, cum quibusdam alijs nobilibus & sanctis virginibus inclusa, vitã duxit eremiticam. Fuit autem inclusa anno Domini 1112. indictione 5. & aliæ tres cum ea, videlicet sancta virgo Hildegardis, quæ postea (sicut dicemus) monasterium fundauit monialium in

*S. Hildegardis moniales.*

monte Rupert i, in eo loco vbi Nahos influit Rhenum ciuitati Bingionum quamproximo, Iutta filia fratris sui, & alia eiusdem nominis virgo. Numerus autem virginum sub eius magisterio creuit, & quã diu illa vixit S. Hildegardis ab eius latere non recessit. Hæc sancta mulier inter alia sanctitatis suæ miracula aquã murauit in vinum, & aquas Glan fluminis siccis pedibus transiuit. Sepulta est in præfato monasterio S. Disibodi, quod eo tempore erat ordinis nostri, in quo & ipsa sanctæ conuersionis habitum assumpserat: cuius vitam, mores, gesta & miracula habentur diligenter conscripta.

*Flandria pars submersa est.*

Eodem anno 5. calendas Nouembris ventus nimius fuit, qui turres & ædificia multa subuertit, mare quoque terminos suos egressum, magnam partem Flandriæ cum habitatoribus suis subito & inopinate submersit.

*Expeditio Imperatoris in Italiam.*

Eodem anno circa festum assumptionis B. Mariæ semper virginis Imperator Lotharius expeditionem mouit in Italiam contra Rutgerum principem Apuliæ, ad instantiam Innocentij papæ 2.

MCXXXVII.

*Bruno & Hugo archiepiscopi obierunt.*

Anno autem Volmari abbatis 16. qui fuit dominicæ natiuitatis 1137. Imperator natale Domini & pascha in Italia celebrat, Pentecosten vero apud Baron cum generali conuentu principum Italicorum. Ibi archiepiscopus Colonien sis Bruno secundus obijt, & in ecclesia sancti Nicolai honorifice sepelitur, cui Hugo decanus S. Petri Coloniẽsis, tum patris iussione Imperatoris succedens, quem papa Innocentius ibidem ordinauit: qui tamen eodem anno exul in Italia moritur, priusquã ciuibus ordinatio eius innotuisset, princeps

*Rutgerus princeps Apuliæ hostis Ro. ecclesiæ.*

Apuliæ Rutgerus, ob cuius insolentiam inuitatus à papa Imperator Italiam intrauerat, castrum in latere ipsius ciuitatis Baræ satis munitum statuerat, in quo prædones multos collocauerat, qui terra mariq; inauditis calamitatibus regionẽ opprimebãt. Simili modo per totã pene Italiã fecerat. Pentecoste celebrata Imperator castrũ Barense cum exercitu vallat, quod cum magno labore tandem capiens incendit, & solo coæquauit. Prædones

*Prædones suspendiuntur.*

comprehensi circa turrim exustam, omnes suspensi sunt, numero plures quam quingenti. quo terrore cæteri omnes perculsi se cum ciuitatibus & munitionibus suis Imperatori spontanee tradiderunt. Porro Rutgerum Apuliæ principem, impugnatorem sanctæ ecclesiæ Romanæ & publicum hostem, de Italia proscripsit.

*Ecclesia Moguntina crematur.*

Eo tempore Moguntia, vna cum principali ecclesia combusta est.

*Adelbertus obiit. Spira crematur.*

Eodem anno Adelbertus senior, archiepiscopus Moguntinus obijt, 9. calendas Iunij. Cui anno sequente Adelbertus iunior (sicut dicemus) successit. Ecclesia quoq; Spirẽsis maior, cum parte nõ modica ciuitatis & oppidum Goslarien se, eodem die quo & Moguntia igne consumptæ sunt.

Interea

Interea rebus in Italia prospere gestis, Imperator Lotharius cum iam repatriare coepisset, in ipso itinere non longe positus à Norinberga, in quodam castello ducis Bauariæ Welphonis tam senio quam infirmitate grauatus diem clausit extremum, 2. nonis Decembris, vir egregius & dignè pater patriæ appellandus, cuius corpus in Saxoniam relatum in monasterio suo Konigsluttera, quod ipse construxerat, sicut diximus, honorifice reconditum est. *Lotharius Imperator 2. moritur.*

Eodem anno moritur episcopus Antisiodorensis, ex abbate cœnobij S. Germani ordinis nostri, vir magnæ sanctitatis & religionis. Hic cum extrema ægritudine laboraret, sibique diem sentiret adesse nouissimum, fratres circumstantes circa horam nonam dici, his verbis admonuit: Fratres charissimi, horas diei quæ supersunt, quas debemus Domino persoluamus, quia horis finitis in Domino obdormiam & requiescam. Cantauerunt ergo Domino laudes, & completorio dicto, sicut prædixerat, vir sanctus in pace quieuit, & in ecclesia sancti Germani, vbi prius abbas extiterat sepelitur. *Hugo episcopus noster ordinis moritur.*

Post Hugonem autem archiepiscopum Colonien sem, quem in Italia defunctum diximus, Arnoldus præpositus sancti Andreæ in Colonia, filius comitis de Wida, in archiepiscopum sublimatur, qui tandem ab Eugenio papa 3. in consilio Remensi, anno Volmari abbatis 28. quemadmodum suo loco dicemus, à Pontificalis officio suspensus fuit. *Arnoldus primus archiepiscopus Colonensis.*

Lothario Imperatore defuncto (sicut dictum est) metuens Adelbero Treuerorum episcopus, ne Henricus dux Bauariæ cognomento Superbus, gener Imperatoris, de quo supra mentionem fecimus: cui ab ipso Lothario dudum regalia fuerant commissa in generali principum conuentu præualeret, qui iam vsque adeo de adipiscendo securum se certumque arbitrabatur, vt nulli principum de regno verba facere dignaretur. Egit per industriam suam magnam occulte, quod dux Alsatiæ Fridericus pater Conradi & Buggo Wormatiensis episcopus, vna cum ipso duce Conrado, in colloquium suum apud Confluentiam conuenirent in medio Quadragesimæ sede Moguntina vacante: vbi & Arnoldus archiepiscopus Colonien sis præfatus Adelberoni occurrit, ibique pariter inter se consilia tractantes, Conradum regem se iurauerunt electuros. *Henricus dux Bauarorum. Adelberonis archiepiscopi cõtra Henricum consilium.*

MCXXXVIII.

Anno Volmari abbatis 17. qui fuit dominicæ natiuitatis 1138, Conradus eiusdem nominis tertius, dux Alemaniæ seu Sueuiæ, frater Friderici ducis Alsatiæ, in regem Romanorum electus imperauit annis 14. Verum contra istum Conradum Bauariæ & Saxoniæ principes, Henricum Superbum ducem, Lotharij Imperatoris generum elegerunt in regem, & multiplicata sunt mala in terra: nam Conradus regalia quæ penes illum erant, per Lotharium reposita callide acquisiuit, & ipsum ducatu Saxoniæ priuare voluit, dato eodem Adelberto marchioni de Soltuuedel. Hinc cædes, rapinæ, incendiaque per totam Saxoniam facta sunt. Vnde Henricus dux fratri suo Welphoni Bauariæ ducatum cum pecunia dimittens, valida manu in Saxoniam tendit & ipsum Adelbertum fugere & exulare post regem fecit. *Conradus tertius Imperator fit. Henricus dux Bauariã rebellat. Henricus dux mouet in Saxoniã.*

Eodem anno rex Conradus pascha Domini Coloniæ celebrauit. Inde ascendens tertia hebdomade post pascha Moguntiam cum magno fauore cleri & populi susceptus. Ibi Adelbertus iunior defuncti senioris ex fratre nepos communi omnium consensu ex præcepto regis archiepiscopus designatus est. Porro senior Adelbertus S. abbate Bernardo Clareuallensi cooperante, dum adhuc viueret, monasterium Cistercien sis ordinis in Eberbach duobus fere à Moguntia miliaribus in Rinckaugia fundauit, in quo & sepultus est. *Adelbertus iunior archiepiscopus Moguntinus. Monasterij in Eberbach fundatur.*

Eodem anno rex Conradus ad festum Pentecostes curiam principum in Bamberga habuit, vbi principes pene totius regni conuenerant, præter Henricum ducem Bauariæ. Ibi Adelbertus Moguntinus electus in sabbato quatuor temporum, per S. Ottonem Bambergen sis ecclesiæ pontificem presbyter ordinatus est, & sequenti dominica quæ fuit octaua Pentecostes per eundem in episcopum consecratus. *Conuentus principum Bamberga.*

Eodem anno in die S. Paraseues post matutinas apertum est sepulchrum S. Disibodi episcopi quondam in Hibernia, qui pro Christo peregrinus in mundo factus, mansionem in comitatu Spanheimensi, ordinante Domino elegit, ibique monasterium nostri ordinis non multo post obitum S. patris nostri Benedicti in vertice montis fundauit, in quo multitudinem monachorum congregans, ibidem post completum vitæ cursum in domino quiescens sepultus est. Hoc vero monasterium nimia antiquitate collapsum per Willegisum archiepiscopum Moguntinum de nouo constructum est circa annos Domini 976. & postea (sicut diximus) per Adelbertum archiepiscopum, & Ruthardum *Corpus S. Disibodi episcopi exhumatur.*

eius prædecessorem, anno dominicæ natiuitatis 118. translatum, in montem de nouo iterum fundatum, quo tandem consummato tumba sancti præsulis Disiboldi, quam Willegisus archiepiscopus clauserat, aperta est, & reliquiæ in nouum monasterium translatæ, retro maius altare, in nouo sarcophago reconditæ sunt. Huic translationi fuerunt præsentes, Cuno ipsius loci abbas cum tota congregatione sua; Bernhelmus primus abbas monasterij mei Spanheimensis cum tota congregatione sua, quia non procul distant ab inuicem. Gerardus abbas sancti Maximini Treuerensis, & plærique ex clero & nobilibus terræ comitatus.

*Bernhelmus primus abbas Spanheimensis.*

MCXXXIX.

*Expeditio Regis in Saxoniam.*

Anno autem Volmari abbatis 18. Dominicæ natiuitatis 1139. Conradus rex natale Domini Goslariæ celebrauit. Deinde circa festum Iacobi Apostoli expeditionem in Saxoniam mouit contra Henricum ducem. Sed illo viriliter cum magno exercitu iuxta ciuitatulam quæ Creutzberg appellatur occurrente, rex infecto negotio redire compulsus est. Erant autem cum duce Henrico sentientes, comites Palatini Rheni, duces Bauariæ, & Conradus archiepiscopus Magdeburgensis. Ad concordandos vero dies per principem inter regem & ducem Henricum constituta est ad Quedlenburg, quo cum dux Henricus cum suis peruenisset, vitam veneno (vt fertur) finiuit, vir potens, bellicosus & omnium sui temporis audacissimus. Sepultus est in monasterio nostri ordinis Koningslutera iuxta Lotharium socerum suum Imperatorem, cuius ducatum Adelbertus Marchio supra dictus à Conrado rege obtinuit. Contra quem omnes pene Saxoniæ principes coniurant.

*Henricus dux obiit.*

His fere temporibus cum Embricho Herbipolensis ecclesiæ episcopus ad Moguntiam pro causis quibusdam peragendis pergeret, in itinere obuium quendam habuit monachum, Christianum nomine, genere Scotum, qui flexis in terram genibus ipsum pontificem rogauit, vt amore sancti Kiliani martyris qui Scotus fuerat, monachis ex Scotia pro Christo peregrinantibus locum seu hospitale in ciuitate Herbipolensi ad manendum concederet. Qui consilio suorum vsus præfatum monachum ad Herbipolim misit, quo non multo postea & ipse reuersus, de consensu totius cleri & populi, Scotis pro monasterio construendo sub regula S. patris nostri Benedicti, locum in suburbio eiusdem ciuitatis qui *Girberg* appellatur, assignauit.

*Monasterium Scotorum apud Herbipolim nostri ordinis fundatur.*

MCXL.

In quo cœnobium Scotis idem episcopus constituens in honorem S. Iacobi Apostoli capellam nouam dedicauit, 6. iduum Iulij, anno Domini 1140. indictione 3. sub rege Conrado, anno eius secundo. Primus autem eiusdem cœnobij abbas fuit Macarius natione Scotus, vir sanctissimæ vitæ, cui testimonium sanctitatis idem antistes Embricho per literas suo sigillo roboratas præbuit, quas integras & sanas vidimus & legimus. Naminter alia quæ fecit in hac vita miracula, cum à vino pro Dei amore penitus abstineret, & die quadam in medio magnatum sedens ad mensam habere aquam non potuisset, signo sanctæ crucis facto supra vas vini in mensa cunctis appositum, vinum in aquam mutauit. Mirabantur qui aderant omnes, quippe qui vinum quod optimum gustauerant, mutatum in aquam subito viderant. Fuerunt autem huic miraculo in proprijs personis ad mensam præsentes, Pilingrinus abbas sancti Burcardi, nostri tunc ordinis: Gebhardus præpositus de nouo monasterio, Burckerus, Henricus, Mukolinus, & Iringus de Zabelstein, cum multis alijs tam clericis quam laicis. Ob cuius præclarissimi signi perpetuam memoriam ad posteritatem transmittendam, præfatus episcopus Embricho de communi totius cleri consilio & assensu, in maiori ecclesia Herbipolensi plenam & perpetuam præbendam canonicalem, monachis Scotis dicti monasterij eorumque successoribus in perpetuum tradidit & assignauit, quam deinceps possederunt & percipiunt vsque in præsentem diem.

*S. Macarius primus abbas Scotorū.*

*Vinum in aquam versum.*

*Miraculi huius testes fuerunt.*

*Diemo S. monachus huius cœnobij obiit.*

Anno Volmari abbatis 19. qui fuit dominicæ natiuitatis 1140 obijt Diemo huius cœnobij Hirsaugiensis monachus & quondam prior, vir deuotissimus, qui spiritu prophetiæ repletus credebatur. Multa enim prædixisse fertur, quorum veritatem certus probauit euentus. Nam diuinis reuelationibus & consolationibus crebro recreari consueuit. Sepultus est in capella beatæ Mariæ semper virginis, non sine opinione magnæ sanctitatis. Eius depositioni sanctus ille Henricus abbas Breitenaugiensis quondam monachus huius cœnobij (de quo supra diximus) interfuit, qui non casu, sed potius vt credimus diuina ordinatione prouocatus, pro consolatione fratrum spirituali aduenerat.

*S. Otto Episcopus ordinis nostri obiit.*

Eodem anno Rex purificationis festum Wormatiæ celebrauit, & pascha in Herbipoli. S. Otto episcopus Bambergensis nostri ordinis hoc ipso anno moritur, & in sanctorum catalogum relatus est. Gebhardus quoque Argentinensis episcopus obijt. Adelbertus au-

tus autem iunior archiepiscopus Moguntinus Romam, citatus ab Innocentio papa adijt, & ab eo honorifice susceptus fuit. Cum his temporibus rex Conradus Siciliæ regnum contra voluntatem Innocentij papæ inuadere moliretur, egit cum ducibus Bauariæ Henrico & fratre eius Welphone precibus & precio pontifex, quatenus aditum illi in Italiam præcluderent, quod illi eo libentius præsumebant, quo regem antea infestum & exosum habuerant. Itaque rex Conradus volens expeditionem parare in Italiam, adhuc viuente duce Henrico, dux Welpho fortiter restitit.

*Discordia inter papam & regem.*

Factum est itaque bellum grauissimum inter ducem illum Bauariæ Welphonem ex parte Innocentij papæ, & Fridericum ducem Sueuorum ex parte regis in diœcesi Augustensi, iuxta Neresheim monasterium ordinis nostri, vbi multis ab vtraque parte cæsis, tandem dux Fridericus obtinuit victoriam, & Welpho cum suis fugit in præsidium. Tandem post mortem ducis Henrici, memor damni quod susceperat dux Welpho, congregato magno exercitu, contra ducem Fridericum denuo bellum instaurat, iuxta villam quæ dicitur Ellenhofen, non longe à Winsberg, in quo & ipse dux Welpho cecidit, & maior pars exercitus strata fuit. Exinde rex Conradus vrbem Welphonis, quæ dicitur *Winsberg*, hoc ipso anno obsedit, & eam in deditionem accipiens, hanc matronis & fœminis libertatem concessit, vt quæcunque humeris deportare possent, regali eis munificentia liceret. Quæ neglecta supellectili maritos suos & viros quotquot potuerunt, humeris susci-pientes extra portas cunctis inspectantibus & industriam mirantibus deportarunt.

*Bellum inter regem & Bauaria ducem.*

*Winsberg capitur.*

*Nota mulierum egregium factum.*

Duce autem, ne talia fieri permitterentur suadente, dixit rex, non decere verbum regium immutari. Porro ducatum Bauariæ contulit rex Lupoldo marchioni Austriæ, quem tamen postea Fridericus Imperator primus, legitimis hæredibus restituit.

*Ducatus Bauariæ transfertur in Australes.*

Hoc ipso anno moritur Ioannes dictus de temporibus, qui annis trecentis & sexaginta vno vixerat à tempore Caroli Imperatoris Magni, cuius armiger fuerat, homo temperatissimæ complexionis.

*Ioannes de temporibus obiit.*

Eodem anno mortuus est Hugo canonicus apud S. Victorem Parisien. vir religione & scientia literarum, & in scientia septem artium liberalium nulli suo tempore secundus, qui multa præclara conscripsit ingenij sui opuscula ad vtilitatem legentium, de quibus in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, latius fecimus mentionem. His temporibus quidam pseudoimperator in Alemania surrexit, qui per aliquot annos apud Solodorum in reclusione viuens, ac inde egressus, Henricum Imperatorem se esse fingebat. Et cum multos seducendo allexisset sibi in tantum, vt graues pro eo pugnæ & homicidia fierent, alijs eum veluti Henricum Imperatorem defunctum recipientibus, alijs seductorem palam clamãtibus, tandem declarata eius falsitate, Cluniaci in monachum attonsus est.

*Hugo S. Victoris Parisiensis obiit.*

*Pseudoimperator decipit multos.*

Eodem anno Domini, Volmari 19. in ciuitate Senonensi in Gallia, synodus episcoporum & abbatum Ludouico rege Francorum præsente celebrata est, contra magistrum Petrum Abelardum, qui quadam prophana nouitate verborum & sensuum ecclesiam scandalizabat, ad quam cum citaretur, sedem apostolicam interpellauit: & sic euadens, nõ multo post Cabiloni ad sanctum Marcellum obijt, vir ingenio subtilissimus & mirabilis philosophus, qui de suo matrimonio cœnobium sanctimonialium in territorio Trecasino constituxit, in quodam prato vbi legere solitus fuerat, in quo multas sanctimoniales episcopali auctoritate congregans, ipsum cœnobium ad S. Paracletum nominauit, & in abbatissam quondam vxorem suam religiosam fœminam Hebraicis & Latinis literis apprime eruditam præfecit. Quæ vere ipsius amica magnam ei post mortem fidem conseruauit, assiduis pro eius anima precibus instans, corpus eius de loco in quo mortuus fuerat transferens, in ipso monasterio collocauit, cuius tumulo hoc Epitaphium apposuit:

*Synodus cõtra Petrum Abelardũ.*

*Idem Petrus fundauit cœnobium sanctimonialiũ.*

*Vxor eius fuit prima abbatissa.*

*Epitaphium Petri Abelardi.*

*Est satis in titulo Petrus hic iacet Abelardus,*
*Huic soli patuit scibile quicquid erat,*
*Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,*
*Noster Aristoteles, logici quicunque fuerunt*
*Aut par aut melior studiorum cognitus orbi,*
*Princeps ingenio varius, subtilis, & acer,*
*Omnia vi superans, rationis & arte loquendi.*
*Abelardus erat, sed tunc magis omnia vicit,*
*Cum Cluniacensem monachum moremque professus,*
*Ad Christi veram transiuit philosophiam.*
*In qua longæua bene complens vltima vitæ,*
*Philosophis quenque bonis se connumerandum,*

Spem

*Spem dedit vndenas Maior renouante calendas.*

MCXLI.

*Marcolphus archiepiscopus Moguntinus.*

Anno Volmari abbatis 20. qui fuit dominicæ natiuitatis 1141 Conradus rex Curiã suam Ratisponæ habuit in festo pentecostes, vbi nonnulli Saxoniæ principes affuerunt. Adelbertus Moguntinus archiepiscopus, cum Saxonibus aduersus regem coniurat, sed non longe post 16. calendas Augusti moritur: cui Marcolphus in archiepiscopatu Moguntinensis ecclesiæ successit, qui fuit antea præpositus ecclesiæ Aschaffenburgensis in eadẽ parochia, & biennium in pontificatu non compleuit.

*Imperatrix Richiza.*

Eodem anno obijt domina Richiza Imperatrix, vxor Lotharij Imperatoris, & intra maritum suum in monasterio Luterensi sepulta est. Obijt etiam Conradus archiepiscopus Magdeburgensis, cui Fridericus maioris ecclesiæ custos, fratrum electione successit. Henricus quoque Marchio Brandeburgensis sine liberis obijt, Marchiam in manibus regis imperio liberam dereliquit: quam Conradus rex consilio principum Adelberto comiti de Solttuedel, in feudum imperiale concessit. Fratri quoque suo comiti Henrico ipse rex in vxorem dedit filiam Lotharij Imperatoris, relictam viduam Henrici ducis Bauariæ, & creauit eum in ducem Austriæ.

*Ducatus Austriæ erigitur.*

MCXLII.

*Conuentus principũ apud Francfordiam.*

Anno Volmari abbatis 21. dominicæ natiuitatis 1142. Rex pentecosten apud Francfordiam celebrat, vbi pene omnes totius regni principes, pontifices & abbates conuenerunt: ibique celebratæ sunt nuptiæ 14. diebus, impensis regalibus: quibus fratri suo primo duci Austriæ Henrico filiam Lotharij Imperatoris relictam, Henrici Bauariæ ducis Gertrudem rex copulauit vxorem. Ibi Henricus cognomento Leonis, filius Henrici ducis Bauariæ, & Gertrudis præfatæ filiæ Lotharij Imperatoris, de manu regis Conradi Saxoniæ ducatum accepit.

*Henricus archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno obijt Marcolphus archiepiscopus Moguntinus cui Henricus maioris ecclesiæ præpositus successit, qui duobus cardinalibus S. Romanæ ecclesiæ præsentibus legatis, in Franckfordia, regalium inuestituram ab ipso rege Conrado suscepit.

Eodem anno Henricus sanctæ memoriæ abbas in Breitenauu (de quo supra diximus) quatuor corpora de collegio vndecim millium virginum ab Arnoldo Colonien-sium archiepiscopo impetrauit, quæ sexto nonas Iulij cum honore maximo ad monaste-rium suum introduxit.

MCXLIII.

Anno sequente Adelbero Treuirorum archiepiscopus, monachos de cœnobio sancti Maximini Treuerensis, propter inordinatam vitam expulit, & alios in locum eorum restituens, abbatem Sigerum nomine eidem cœnobio præfecit.

*Hyems fuit asperrima.*

Hoc anno hyems fuit dura & asperrima. Gertrudis quoque filia Imperatoris Lotharij, quam Henrico duci Austriæ post obitum prioris mariti nuptam diximus, ob difficultatem partus diem clausit extremum, & cum patre matreque ac priore coniuge, duce Henrico, mœrentibus cunctis Saxoniæ incolis in monasterio Luterensi sepulta est. Celestinus papa 2. obijt: cui Lucius secundus successit.

MCXLIIII.

*Eugenius Papa.*

Anno Volmari abbatis 22. Domini autem millesimo centesimo quadragesimo quarto, apparuit sancto Henrico Breitennaugiensis cœnobij reuerendissimo abbati quõdam huius cœnobij Hirsaugiensis (vt prædictum est) monacho, beatus Felix papa & martyr, reuelans ei caput suum, quod in abside ipsius ecclesiæ multis annis iacuerat absconditum, 15. calendas Septembris. Sanctus autem vir caput sancti martyris de terra cum summa reuerentia leuauit, & fratribus Hirsaugiensibus particulam vnam pro maximo charitatis munere transmisit.

*Caput S. Felicis papæ in Breitenauu inuentũ est.*

MCXLV.

Anno Volmari abbatis 24. Lucius papa obijt: cui Eugenius abbas sancti Anastasij Cistercien-sis ordinis & quondam monachus sancti Bernardi successit.

MCXLVI.

*Terræmotus. Cometa apparuit.*

Anno Volmari abbatis 25. qui fuit dominicæ natiuitatis 1146. magnus terræmotus factus est 15. vicibus: cometa apparuit, & sequente anno magna pestilentia subsecuta est.

*Buggo.*

Eodem anno nonis Decembris obijt Buggo Wormatiensis episcopus, vir multarum virtutum, & per manus Guntheri Spirensis episcopi in Schonaugiensi monasterio, quod ipse in honorem sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ construxerat & consecrauerat, se-

tat, sepultus est. Præfuit autem ecclesiæ Wormatiensi strenue annis 36. cui in episcopatu successit Conradus huius nominis primus, qui multas persecutiones à multis sustinuit. Suo namque tempore Conradus comes Palatinus Rheni, frater primi Friderici Imperatoris, possessiones ecclesiarum violenter diripuit: cui cum nemo posset resistere, quia duces mali erant, cogebantur ministri Domini res ablatas aut pecunijs redimere, aut iniurias cum damno patienter tolerare. Extat huius Conradi episcopi ad S. Christi virginem Hildegardem in monte S. Ruperti apud Bingios abbatissam epistola, in qua suarum calamitatum quas patitur, meminit, & eius consilium & orationum suffragia humiliter petit. Cui virgo sancta, & verba sanctæ admonitionis diuinitus inspirata rescribit, & orationum suarum sicut petierat, participem facit.

*Conradus episcopus Wormatiensis.*
*Conradus Palatinus.*
*Hildegardi scripsit episcopus.*

MCXLVII.

Anno Volmari abbatis 26. qui fuit dominicæ natiuitatis 1147. eclipsis solis facta est 7. calendas Nouembr. circa horam diei pene quartam. Ipso anno fames subsecuta est. Famem etiam pestilentia & mortalitas magna subsecuta est, & cunctæ posteritati incredibilis.

*Eclipsis solis, fames, pestilentia fuit.*

Eodem quoque anno Embricho Herbipolensis episcopus (de quo supra diximus) de Græcia rediens, Aquileiæ moritur, ibique sepelitur: pro quo Sigefridus in episcopum constituitur. Eggebertus etiam Bambergensis episcopus moritur, in cuius locum Euerhardus ordinatur. Conradus rex Vngariam in manu valida ingressus, ducem obsides dare compulit, cumque sub iureiurando ad fidelitatem coarctauit. Inde progressus Hierosolymam adijt cum maxima Christianorum multitudine, anno videlicet Domini millesimo centesimo quadragesimo octauo, qui fuit Volmari abbatis 28. sed nihil dignum peregit, quin potius maior pars exercitus fame, peste & gladio perijt. Ditata est terra Paganorum, & repleta de spolijs & armis, quæ à Romano exercitu in hac expeditione ceperunt.

*Embricho Herbipolensis episcopus obiit.*
*Expeditio regis contra Ierusalem.*

Eodem anno maximus Christianorum exercitus, ab omni Germania, Gallia, Italia, Hispania, Anglia, & Vngaria, imo ex Europa tota, post festum paschatis ad recuperandam terram sanctam B. Bernardo crucem ex imperio Eugenij papæ contra infideles prædicante motus est: quorum expeditio & gesta, cum à multis copiosè descripta sint, nos ea silentio transire statuimus.

*Passagium ad terram sanctam.*

MCXLIX.

Anno Volmari abbatis 28. Eugenius papa 3. conuocatis ex omni Germania & Gallia episcopis & abbatibus, Remis consilium habuit, vbi Arnoldus Colonicnsis archiepiscopus ab officio suo suspenditur, quoniam vocatus ad synodum venire contempsit. Ibi plurima ad vtilitatem ecclesiæ tractata sunt.

*Concilium celebratur Remis.*

Eodem anno Conradus Rex de Hierosolyma rediens, filium suum vngi fecit in regem, nomine Henricum, Aquisgrani, qui non multo post obijt.

Eodem quoque anno S. Malachias archiepiscopus Lemoriensis in Hibernia, veniens ad Clareuallem, sanctum visitare Bernhardum, migrauit ad Dominum 3. nonarum Nouembrium, vir apostolicæ vitæ & totius formæ perfectionis exemplarque virtutis: qui inter cætera virtutum suarum insignia mortuum resuscitauit, fidem in Hibernia reformauit, & sanctam religionem mirifice dilatauit. Huius vitam sanctus Bernardus abbas descripsit. His ferme temporibus idem S. abbas Bernardus, ad prædicandam contra infideles crucem Domini, iussu papæ Eugenij perambulabat Germaniam, & multis vbique signis miraculisque effulsit. In territorio namque Constantiensi vna die cæcos vndecim illuminauit, sanauit mancos decem, & claudos 18. restitutis ambulandi viribus ad integrum reformauit. Cum esset in ipsa ciuitate Constantiensi, virtutum fama vndique se diffundente, misit ad eum abbas Augiensis monasterij cæcum hominem, quem suis eleemosynis sustentabat, & confestim videntem illum recepit. In eadem diœcesi cæcum natum illuminauit, surdum quoque & mutum à natiuitate auditu & loquela restitutis sanauit. In ciuitate Basiliensi cum sermonem haberet ad populum, oblata est ei fœmina muta, & orante eo loqui cœpit perfecte. Cæcum quoque ibidem illuminauit, & claudo restituit gressum. In ciuitate Spirensi Conrado rege Romanorum præsente, puerum claudum sibi ablatum sanauit. In capella episcopi eiusdem ciuitatis rege vidente, visum reddidit cæcæ cuidam mulieri, & claudo nato gressum donauit. His miraculis Spiræ factis Volmarus abbas cũ duobus monachis, Burcardo postea abbate in Wingarthen & Conrado interfuit, sermones viri sancti audiuit, cum eo bibit, manducauit & colloquium habuit. Ex Spira descendit vir Dei Franckofordiam, & rex Romanorum cũ eo, vbi innumeris virtutibus effulsit, & multos diuersis infirmitatibus oppressos sanauit, & verbum Dei omnibus

*S. Malachias archiepiscopus obiit.*
*S. Bernardus Germaniam peragrat.*
*In ciuitate Constantiensi fecit miracula.*
*In Basilea.*
*In Spira.*
*Volmarus abbas cum Bernhardo fuit.*

cum fiducia prædicans, verum se Dei famulum ostendit. Inde nauigio deuectus peruenit ad oppidum Bingionum, vbi in monasterio S. Ruperti ducis ab altera parte Nabi fluminis

*In Bingen S. Hildegardem Bernhardus visitat.*

Deo dilecta virgo S. Hildegardis magistra, deuotis præsidebat virginibus, sub regula diui patris nostri Benedicti omnipotenti Domino famulantibus: cui antea per literas verbis sanctæ admonitionis transmiserat, cum certis munusculis, quæ pro reliquijs in eodem loco seruantur. Veniens autem ad sanctam Christi sponsam vir Dei Bernardus, post mutuam in Christo salutationem, iussit sibi volumina quæ ipsa virgo diuinitus inspirata conscripserat afferri, quibus diligenter reuisis vltra modum admirans, ad circumstantes fertur

*Scripta Hildegardis cõmendat.*

dixisse: *Hæc scripta non sunt humanitus adinuenta, sed per S. Spiritum diuinitus inspirata: nec potest ea mortalis homo intelligere, nisi ad Dei similitudinem intus in anima veraciter fuerit reformatus. Ad hæc capellanus sanctæ virginis monachus deuotissimæ conuersationis respondit: Reuerende pater vera quidem sunt quæ dixisti, sed homines multi non solum seculares idiotæ, sed etiam religiosi & docti animum famulæ Christi quotidianis oblocutionibus mirabiliter cruciant, dum hæc non diuinitus inspirata, sed aut somnia muliebria & destructi cerebri deliramenta, aut per dæmones immissa fallaciter confirmant.* Cui vir Dei: *Non miramur* (inquit) *frater charissime, si dormientes in peccatis, diuinas*

*N. dictum Bernhardi. Contra eos qui reuelationes somnia dicũt.*

*reuelationes existimant somnia, scientes verum quod S. Apostolus dixit: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Omnibus enim in peccatis luxuriæ, auaritiæ & superbiæ, quasi dormiendo iacentibus, diuinæ admonitiones somnia videri consueuerunt: quoniam si vigilarent in timore Domini, signa diuinarum reuelationum vera proculdubio agnoscerent. Qui autem immitti hæc à dæmonibus dicunt, diuinarum inspirationum occulta & mystica signa non mouerunt, similesque illis iudicandi sunt, qui dominum & saluatorem nostrum Iesum Christum eijcere dæmonia in potestate Beelzebub dixerunt.* Ad sanctam

*Bernhardus consolatur Hildegardẽ.*

quoque Hildegardem dixit: *Et tu filia charissima, non metuas opprobria hominum, Deum habens defensorem, quoniam sicut stipula peribunt, veritas autem Domini manet in æternum. Nos quoque ob tui amorem operam dabimus, vt hæc tua scripta per dominum Apostolicum lecta & confirmata secure proferantur in lucem.* Obtulit autem sancta Virgo Hildegardis viro Dei postulanti particulam reliquiarum sancti Ruperti ducis & confessoris, pro quibus & ipse postea nonnulla sanctorum capita ei remisit. Facta sunt hæc in monte S. Ruperti in præsentia Meginhardi

*Meginhardus comes in Spanheim fuit præsens.*

comitis de Spanheim, sub cuius ditione temporali præfatum cœnobium constructum est, in quo & filiam habuit sanctimonialem nomine Hiltrudem, virginem sanctissimæ cõuersationis, quæ cum beata Hildegarde sub magisterio B. Iuttæ in amore Dei fuerat instituta. Aderant ibi cum eo comite præsentes Cuno abbas sancti Disibodi, & Bernhelmus primus abbas in Spanheim, cum multis alijs clericis, monachis & secularibus. Ibi nunc Bernhelmus abbas præfatus, per medium sancti Bernardi, ad instantiam suiac comitis Meginhardi dextrum crus à genu infra vsque ad pedem exclusiue de corpore sancti Ruperti ducis integrum cum cute & carnibus à beata Hildegarde & tota eius congregatione sanctarum virginum obtinuit, & cum magna reuerentia & honore ad suum monasterium Spanheimense introduxit, quod vsque in hodiernum diem integrum habemus. S. vero Domini famulus Bernhardus valedicens virginem Christi Hildegardem cœpit iter per descensum Rheni continuat, & in Bopardia paralyticum in medio populi, manu illius posita curat. Inde per Mosellæ alueum Treuerim conscendit, & tres cæcos, claudum, mutum, & surdam mulierem in eadem ciuitate omni inspectanti populo curauit. Denique in Confluentia, in Colonia & Andernacho multa signa & miracula fecit. Nam in eadem ciuitate Colonienſi per triduum moratus, 12. claudos, mancos duos, cæcos quinque, & surdos decem curauit, ac tribus mutis loquelam restituit, & alia innumera signa fecit. Apud Aquisgranum, dum in illa famosissima tota Rom. orbe imperiali capella S. pater missam celebraret, claudo homini gressum, & cæcis quatuor visum coram multitudine populorum restituit. In ciuitatibus quoque Leodiensi & Neruiorum, quæ nunc Cameracensis appellatur, multis loquelam, surdis auditum, cæcis visum, claudis gressum, & infirmis quolibet morbo ægrotantibus sanitatem sine certo numero restituit.

*Bernhelmus abbas Spanheim crus S. Ruperti impetrauit.*
*In Bopardia paralyticũ sanat.*
*In Treueri quoq;*
*in Cõfluentia,*
*In Colonia etiam 32. curauit.*
*Aquisgrani miracula facta.*

MCXLIX.

Anno Volmari abbatis prædicto, dominicæ natiuitatis 1149 indictione duodecima, Craffto comes de Spanheim, filius Meginhardi senioris, & frater iunioris, filiã Adolphi comitis Hombergensis nomine Clementiam, virginem speciosam, pudicam, & Christo deuotissimam pro vxore desponsauit: quæ cũ Christo virginitatis suæ florem deuouere statuisset, sponsi mortalis consensum petijt & impetrauit. Vnde ipsa venerabilis virgo Clementia, in cœnobio S. Irmynæ in horreo Treuerensi nostri ordinis monialis facta est, & omnipotenti Deo in magna sanctitate multis annis seruiuit. Porro ipse Craffto S. virginis

*Craffto comes sit monachus Spanheimensis.*
*Clementia comitissa, monialis facta in Treueri.*

sponsus

sponsus, in cœnobio meo præfato Spanheimensi sub abbate Bernhelmo monachus sactus est, in quo tam religiose tamque prudenter conuersatus est, vt Bernhelmo defuncto, in locum demortui abbas sit ordinatus, sicut in sequentibus dicemus. *Craffto comes, sit monachus in Spanheim.*

MCL.

Anno Volmari abbatis 29. qui fuit dominicæ natiuitatis 1150. ignis & aqua per diuersas mundi partes, innumeras clades & damna operantur. Ipse totus annus plenus miseriarum, subsequenti præsagium erat. Hyems validissima & nimium diuturna fuit. Igneæ in cœlo acies visæ sunt. Vrbs Traiectensis tota cum ecclesijs incendio conflagrauit, vbi crux quædam lignea de alto cadens desuper cadente templi tecto cum trabibus illæsa permansit. Quæ etiam diutissime in incendio posita, incorrupta postmodum inuenta est, clauis duntaxat patibuli ferreis, quibus dominica imago detinebatur, liquefactis. Hęc crux ad memoriam facti miraculi in templo S. Bonifacij honorifice seruatur. *Ciuitas Traiectensis crematur.*

His temporibus Eugenius papa 3. Treuerim venit cum 18. cardinalibus, episcopis, & abbatibus multis, inuitatus ab Adelberone eiusdem ciuitatis archiepiscopo, qui papam cum cæteris qui aderant omnibus per tres menses in cibo ac potu ex proprijs sumptibus copiosissime prouidit. Ibi papa Eugenius ecclesiam monasterij sancti Matthiæ Apostoli de nouo reparatam pridie calendas Februarij dedicauit. Synodum quoque tam episcoporũ quam cardinalium & abbatum ibidem celebrauit, vbi Henricus archiepiscopus Moguntinus, & S. abbas Clareuallis Bernardus ipsi summo Pontifici mirabilia quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde montis S. Ruperti confessoris abbatissa retulerunt. Quibus auditis papa attonitus, & rem diligentius inuestigare volens Virdunensem episcopum Adelbertum cum alijs viris fide dignis misit ad S. Hildegardem, vt cum humilitate & mansuetudine sine strepitu vel curiositate, quid rerum esset, ab ipsa sciscitarentur. Qui cum ad monasterium, in quo degebat S. virgo, deuenissent, & iuxta commissionem apostolicam, veritatem ab ipsa humiliter inquirerent, illa simpliciter quæ se erant aperuit, & legatos cum scriptis & libris reuelatis sibi diuinitus dimisit. Quibus papa recognitis, volumina S. virginis sibi transmissa, coram cardinalibus, archiepiscopis, abbatibus & omni clero publice recitari præcepit, & per se lectoris officio functus, partem non modicam legit, per quæ omnium mentes in stuporem versæ, ac voces in laudem creatoris omnium excitatæ sunt. Aderat ibi S. pater Bernardus, quo mediante summus pontifex cum cæteris mouebatur omnibus, ne tam insignem lucernam silentio tegi pateretur, sed gratiam tantam quam Dominus suo tempore manifestasset, ipse sua auctoritate confirmaret. Ad hæc S. Pontifex benigno fauore consentiens, deuotam Christi virginem literis salutatorijs visitauit, in quibus ei licentiam auctoritate Apostolica proferendi & scribendi quæcunque per spiritum sanctum cognouisset, gloriose concessit, eamque vt sine timore reuelata sibi conscriberet, animauit: cuius epistolæ tenor fuit, *Eugenius episcopus, seruorum Dei seruus, dilectæ in Domino filiæ Hildegardi præpositæ in monte sancti Ruperti, salutem & benedictionem apostolicam. Miramur, ô filia, & supra quam credi potest miramur, quia Deus nostris temporibus iam noua miracula ostendit, cum te spiritu suo ita perfudit, quod diceris multa secreta videre, intelligere & proferre. Hoc à quibusdam veridicis personis ita esse percepimus, qui se fatentur te vidisse & audiuisse. Sed quid nos dicere ad ista valemus, qui clauem scientiæ habentes, ita quod claudere & aperire possemus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus? Congratulamur autem gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ: & hoc te admonemus, vt scias, quoniam Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam. Gratiam ergo quæ in te est, per humilitatem serua & custodi: ita vt ea quæ in spiritu proferenda senseris, prudenter proferas, quatenus illud à Domino audias: Dilata os tuum, & ego implebo illud. Quod nobis de loco illo, quem tibi in spiritu præuidisti, significasti, hoc permissione & benedictione nostra & episcopi tui fiat, ita quod ibi regulariter cum sororibus tuis viuas secundum regulam sancti Benedicti, sub eiusdem loci clausura.* Ad hæc virgo Christi summo pontifici literas responsales diuinitus inspirata remisit, in quibus eũ de arcanis quæ habebat in corde suo admonuit, & diuinã circa hæc voluntatẽ & beneplacitum indicauit. Fuit autem hæc virgo Hildegardis beatissima, oriunda ex comitatu Spãheimensi, in villa quæ vocatur Bickelnheim, patre Hildeberto & matre Mechtilde progenita, temporibus Henrici Imperatoris quarti, anno domini 1098. indictione 6. cuius pater Hildebertus vir nobilis, in curia comitis Meginhardi de Spanheim nobilissimi & illo tempore potentissimi militabat, vir diues & honoratus in seculo. At Hildegardis anno ætatis suæ 5. monasticis disciplinis imbuendo tradita fuit à parentibus suis B. virgini Iuttæ in monte Disibodi, pro Christi amore inclusæ sorori præfati comitis Meginhardi, de qua superius dictum est: à qua in timore Domini laudabiliter erudita, *Papa venit Treuirim cum multis.* *Synodus apud Treuerim habita.* *Eugenius papa mittit ad Hildegardem.* *Libri Hildegardis legũtur à papa in synodo.* *Papa cõfirmat scripta Hildegardis.* *Epistola papa ad Hildegardem.* *Papa congratulatur Hildegardi. Exhortatur eam ad humilitatem.* *Natiuitas B. Hildegardis.* *Quinquennis ad monasterium traditur.*

nihil aliud quam cœlestia didicit amare. In eodem loco omnipotenti Deo multis annis in humili castitate seruiuit, donec tandem post obitum venerabilis luttræ numero virginum augmentato per diuinam reuelationem instructa, ad montem sancti Ruperti iuxta oppidum Bingionum, vbi Nahus Rhenum influit, cum 18. subiectis monialibus transmigrauit: ibi comite de Spanheim Meginhardo, alijsque fidelibus Christi adiuuantibus, cœnobium pro sacris virginibus construxit, in eo videlicet loco vbi S. Rupertus dux cum matre sua Bertha nomine, sancta fœmina, temporibus Ludouici primi Imperatoris castellum & mansionem habuit. Sub cuius magisterio inter alias fœminas sacras Hiltrudis virgo deuotissima, fuit ipsius comitis Meginhardi præfati speciosissima filia, de qua supra dictum est, quæ amore cælestis regni latum in terra dominium respuit, & sanctæ conuersationis habitum sub disciplina sororis genitoris suæ luttæ, in monte diui prædicti Disibodi suscepit. Ob huius virginis intuitum pater comes Meginhardus multa bona ipsi cœnobio contulit, & ius loci quod partim ad ecclesiam Moguntinam, partim ad ditionem Bernhardi comitis de Hildesheim filij Ioannis fratris sui pertinebat, ratione vsufructus, data pecunia emit, & sanctæ Hildegardi tradidit, dans & concedens ei omnimodam libertatem eligendi protectorem quemcunque voluisset, ipsumque locum à suo domino, potestate & aduocatione in perpetuum absoluit. Porro sancta virgo Christi Hildegardis ab infantia diuinis reuelationibus visitata, cum præter psalterium & simplicem psalmodiam Latini sermonis ab homine nec artem didicisset, nec vsum haberet, mirabiliter tamen spiritus sancti gratia illustrata, multa scripsit, multa dictauit, partim Latino, partim Teuthonico distincta sermone, quæ non humano sensu aut intellectu, sed diuino potius afflatu didicit, & ideo non nisi à spiritualibus scripta eius intelligi possunt. Scripsit autem librum magnum & multæ subtilitatis, quem Scinias prænotauit, qui incipit, *Et factum est in anno nono*. Item Diuinorum operum libros tres. Vitæ meritorum libros 3. De causis & remedijs omnium morborum humani corporis, opus insigne, quod Medicinam prænotauit compositam, & incipit: *Deus ante creationem mundi absq; initio fuit & est*. Item alium librum de Naturis herbarum, quantum ad curam humani corporis pertinent, satis pulchrum edidit, quem Simplicem medicinam prænotauit. Item in regulam S. patris nostri Benedicti breue quidem sed vtile opusculum composuit, sic incipiens: *Et ego paupercula fœmina forma*. Item ad 30. subtilissimas quæstiones Wiberti monachi per epistolam sibi præpositas, per Spiritum sanctum edocta, tam profunde, proprie & catholice respondit, vt legentes merito vertat in stuporem. Hoc opusculum sic incipit, *Charitas quæ cum abstinentia peccatorum fidem instruit*. Scripsit etiam per visionem cœlitus instructa, vitam sancti Disibodi episcopi Hibernensis, de quo supra iam diximus. Vitam quoque sancti Ruperti ducis & confessoris. In octo & quinquaginta Euangelia dominicalia per circulum anni homilias, totidem multum subtiles, difficiles & profundas. Epistolas etiam ad diuersas personas plusquam 150. exhortatorias scripsit, in quibus singulos de occulto mentis statu eorum, ad meliora admonitos facit. Ad Treuerenses, Moguntinenses & Colonienses literas & plures & prolixas scripsit, in quibus futuram eis calamitatem prædicit. Inter alias etiam ad abbatem & fratres huius cœnobij Hirsaugienses epistolas & literas diuinis reuelationibus plenas scripsit, imo & sua personali præsentia in hoc monasterio fuit, de quibus mentionem faciemus quum ad tempora Manegoldi abbatis texendo historiam peruenerimus. Extant denique in præfato cœnobio sancti Ruperti vsque in præsentem diem copiæ literarum & epistolarum, ad sanctam ipsam Hildegardem missarum, per Conradum 3. & Fridericum primum Romanorum Imperatores, perque Eugenium 3. Anastasium 4. Adrianum 4. & Alexandrum 3. Romanos pontifices: per archiepiscopos Moguntinos, Henricum, Arnoldum, & Christianum, perque Treuerenses, Colonienses, Bremensem, Saltzburgensem, Hierosolymitanum, Magdeburgensem, & plures in Italia: ac per episcopos, Bambergensem, Spirensem, Wormatiensem, Constantiensem, Virdunensem, Leodiensem, Traiectensem, Pragensem, & alios ex Germania, Gallia, & Italia plures: per abbates sanctos, in primis Bernardum Clareuallensem, Adam Eboracensem, perque Eberbacensem sancti Anastasij ex Roma, de Keisheim, per Hirsaugiensem Manegoldum, sancti Hamerani Ratisponensem, Monichen Nuuenburgensem, sanctæ Mariæ ad martyres Treuerens. S. Matthiæ Treuerensis, sancti Disibodi, Campidonensem, Eluacensem, Mulbrunnen, Montis monachorum, Bambergensem, Zuueifaldensem, Spanheimensem, Salensem, Besonis villæ S. Martini, Colonien sem, Bruvvilerensem, Wetelensem, Heilsbronnensem, Belleuallensem, Carilocensem, Clarefontensem, Charitatis, Bethaniæ, Sprengersbacensem, Rodenkirchensem, Eluerstadensem, Saluelden sem, in Wadegas- & alios

*Monasterium Ruperti iuxta Bingios fundatur.*

*Hiltrudis monialis filia comitis de Spanheim virgo sancta.*

*Hildegardis.*

*Libri quos S. Hildegardis per reuelationes composuit.*

*Opuscula quæ scripsit S. Hildegardis.*

*Epistolas multas scripsit. Ad fratres & abbatem Hirsaug. literas dedit.*

*Imperatores, papa scripserunt Hildegardi. Archiepiscopi.*

*Episcopi quoque. Abbates qui Hildegardi scripserunt.*

& alios complures. Per præpositos quoque in Flamheim regularium, in Heyna regularium, in Vestera regularium, in Herde Præmonstratensium, in Himelauue nostri ordinis monialium, in valle Dei monialium Cistercienſis ordinis, in Cappenberg ſancti Victoris Moguntinenſis, S. Castoris in Confluentia, S. Andreæ in Colonia, Erfordenſem, maioris eccleſiæ Moguntinenſem, ſancti Simeonis Treuerenſem, in Rueſtede, Franckofordenſem, maiorum eccleſiarum Treuerenſ. Colonienſem, Bonnenſem, & alios plures. Per abbatiſſas etiam S. Eliſabeth Schonaugienſem noſtri ordinis eodem ſpiritu ſcribentem: per Gandersheimenſem, in Wechtersuuinckel de Altzen noſtri ordinis, in Altvvich Traiectenſis diœceſis, in Krunchen ſanctæ Mariæ Ratiſponenſem, in Keyſungen ſancti Cyriaci Erphordenſem, in Lubbelsberg, in Widergoldeſdorff, in Sebach noſtri ordinis, in Gronechtal, ſancti Theodori Bambergenſem noſtri ordinis, in veteri monaſterio Moguntinenſem, Olſtatenſem, in ſuperiori monaſterio Ratiſponenſem, in Nuſſia noſtri ordinis, ſanctarum virginum in Colonia, in Didenkirchen, in Adernacho, S. Glodeſindis Metenſem, in Erdendal, & per alias complures: ſed & per ſacerdotes, philoſophos, & magiſtros, tam de remotis quam de vicinioribus locis non paucæ, quibus literæ ipſius reſponſales inſpirante ſpiritu S. dictatæ, plenæ myſterijs & arcanis ſunt coniunctæ. Omnibus enim conſolationem Spiritus ſancti ab ea quærentibus, aut verbum ſanctæ admonitionis poſtulantibus, ſcriptis & orationibus ſuccurrere conſueuit, & nullum vnquã quantumcunque debilem, abiectum vel pauperem deſpexit. Multis tam in vita quam poſt mortem miraculis claruit, & infirmos quolibet modo grauatos ad ſe confluentes orationibus in Chriſti nomine curauit. Eius vita, cõuerſatio & mirabilia geſta per Theodoricum noſtri ordinis abbatem in tribus libris diligenter conſcripta habetur.

*Præpoſiti.*

*Abbatiſſæ.*

*Omnibus reſpondit.*

*S. Hildegardis multis miraculis clarnit.*

MCLI.

Anno Volmari abbatis 30. qui fuit dominicæ natiuitatis 1151. indictione 14. ſexto calendas Aprilis obijt Bernhelmus, monaſterij mei Spanheimenſis primus abbas, anno ætatis ſuæ quarto & ſeptuageſimo in medio chori ſepultus, vir laudabilis inſtitutionis, & non minus vitæ merito quam eruditione ſcripturarum venerandus. Huic in abbatia per vnanimem fratrum electionem ſucceſſit Craffto monachus eius & filius Meginhardi comitis de Spanheim frater B. Hiltrudis ſanctimonialis, & ſponſus quondam deuotiſſimæ virginis Clementiæ filiæ comitis de Homberg ſanctimonialis apud Treuiros, in cœnobio ſanctæ Irmynæ, quod Horreum appellatur, de quibus ſupra fecimus mentionem. Erat autem vir in timore Domini, valde deuotus, & non minus humilitate quam ſanguine clarus. Ipſe magnis precibus impetrauit caput ſanctæ Irmynæ venerandæ virginis, patronæ & primæ abbatiſſæ præfati monaſterij noſtri ordinis in horreo Treuerenſi, filiæ Dagoberti regis Francorum, quam ſanctus Willebrordus epiſcopus Chriſto ſponſam cõſecrauit, ab Hillino archiepiſcopo Treuirorum, abbatiſſaque & tota congregatione ipſius cœnobij, vtpote qui eis amore caſtiſſimæ ſponſæ quondam ſuæ, nunc autem Chriſti, Clementiæ, multa bona fecerat, dignuſque habebatur cui nihil denegarent. Quod venerabile caput vſque in præſentem diem in eodem cœnobio meo Spanheimenſi habetur.

*Bernhelmus abbas Spanheimenſis obiit.*

*Craffto fit 2. abbas in Spanheim.*

*Caput S. Irmynæ virginis venit in Spanheim hoc anno.*

Hoc ipſo anno fames valida fuit, & mortalitas hominum magna ſubſecuta eſt.

Arnoldus archiepiſcopus Colonienſis obijt, cui præpoſitus maioris eccleſiæ & Cancellarius regis Arnoldus ſecundus in pontificatu ſucceſſit. Obierunt etiam hoc ipſo anno Conradus Landgrauius Thuringiæ, Fridericus archiepiſcopus Magdeburgẽſis, cui Wichmannus filius comitis Tegenburgenſis in Bauaria ſucceſſit, & annis 42. ſatis vtiliter præfuit, & Rudolphus epiſcopus Halberſtadenſis, cui ſucceſſit Vdalricus, qui præfuit annis 33. & eſt ſepultus in monaſterio Husburgenſi ordinis noſtri.

*Arnoldus archiepiſcopus Coloniẽſis.*

MCLII.

Anno Volmari abbatis 31. natiuitatis vero dominicæ 1152. Conradus rex Roman. tertius apud Bambergenſem ciuitatem infirmitate decubans, & diem mortis ſibi adeſſe ſentiens, Duci Friderico filio fratris ſui regalia tradidit, filiumque ſuum Fridericum adhuc paruulum commendauit, & vt pro regno illi acquirendo principibus loquĩeretur, rogauit, rebuſque ſuis diſpoſitis moritur 11. calendas Martij, anno regni ſui 14. ſepultus in eadem ciuitate & benedictionem Imperialem à papa non habuit. Poſt cuius obitum, celebris conuentus principum & epiſcoporum, apud Franckofordiam habitus eſt: ibi ſummo fauore cunctorum prædictus Fridericus Dux Sueuiæ in regem Romanorum eligitur, vir ſtrenuus & multorum operum, ſicut in ſequentibus partim dicemus. Imperauit autem annis ſeptem & triginta.

*Conradus rex tertius obiit.*

*Fridericus Imperator primus eligitur.*

Eodem anno obijt Adelbero archiepiſcopus Treuirorum, vir magnanimus & ſin-

*Adelberto archiepiscopus Treuerensis obiit.*

gularis censuræ. Hic à Lothario Imperatore in die S. paschatis Aquisgrani regaliter susceptis, fratrem eius Simonem publice excommunicauit, & sub Euangelio tantæ sellitatis ipso Imperatore præsente ecclesiam exire coegit. Verum de monasterio S. Matthiæ & cæteris cœnobijs monachorum, multa per violentiam diripuit, & in vsus proprios conuertit. Successit illi in archiepiscopatu Hillinus maioris ecclesiæ decanus, & præfuit annis

*Hillinus archiepiscopus Treuerensis.*

18. Arnoldus Colonienſis archiepiscopus Romam profectus à papa Eugenio ordinatur, à quo cum pallio & honore ad sedem suam remissus est.

MCLIII.

*Henricus archiepiscopus Moguntinus deponitur.*

Anno Volmari abbatis 32. qui fuit dominicæ natiuitatis 1153. Henricus archiepiscopus Moguntinus ex præcepto Eugenij papæ in die S. Pentecostes à duobus cardinalibus Gregorio & Bernhardo deponitur, qui & eodem anno calendis Septemb. mortuus est. Hanc breuitatem vitæ S. Hildegardis biennio illi antea prædixit, quæ in quadam ad eum epistola sic dicit: *Audi qui in multis scrutiniis me negligis. Cælum de vltione Domini apertum est, & nunc inimicis funes dimissi sunt. Tu autem surge, quia dies tui breues sunt, & reminiscere, quia Nabuchodonosor cecidit, & quod Corona ipsius periit. Et alij multi ceciderunt, qui se temere in cælum exaltauerunt. Ah tu cinis, quare non erubescis in altum te spargere, cum debeas esse in putredine?* Henrico itaque ab archiepiscopo deposito, Arnoldus cancellarius regis & præpositus Aquensis

*Hildegardis prædixit mortem episcopi.*

*Arnoldus fit archiepiscopus Moguntinus.*

successit, qui postea in monasterio sancti Iacobi extra muros Moguntinos fuit interemptus, vt suo loco dicemus. Ad hunc S. Hildegardis inter alia sic scribit: *ô pater, viuens lumen, hæc verba mihi ad te dedit. Cur non es fortis in timore meo? Et quare zelum habes, quasi triticum excribres, ita vt separando dejcias, quod tibi contrarium est? Sed hoc nolo. De oculo autem cordis tui, inquietam mentem absterge: & de populo tuo iniustitiam abscinde: quia tempus bellorum in moribus hominum nunc instat, ita quod nec in disciplina, nec in districtione timoris Domini sunt. Tu tamen ne formides eos ad bonum cohercere, quoniam si propter hoc tribulationem & angustiam sustinueris, ne paueas, quia filius Dei eadem passus est. Surge itaque ad Deum, quia tempus tuum cito veniet.*

*Martyrium eius Hildegardis prædixit.*

*Episcopus deponitur.*

Eodem quoque anno cum Henricus Mindensis episcopus propter clericum quendam qui in ciuitate à suis, ipso consentiente (vt dicebatur) cæcatus fuerat, se expurgare non posset, multis pertæsus aduersitatibus coram præfatis cardinalibus episcopatui renunciauit, cui Wernerus eiusdem ecclesiæ præpositus successit.

*Eugenius papa obiit, Anastasius fit papa. Scripsit Hildegardi.*

Eugenius etiam papa tertius obijt, cui Conradus abbas cœnobij sancti Ruffi Velitternæ diœcesis nostri ordinis & cardinalis succedens, Anastasius quartus nominatus est, & sedit anno vno, mensibus quatuor, diebus 24. Hic Anastasius papa literas ad S. Hildegardem virginem paterno affectu plenas, & deuotionem præ se ferentes non paruam, an quibus & scripta illius mirifice laudibus extollit, & se orationibus eius ac totius congregationis humiliter commendat, in primo anno pontificatus sui transmisit, magnis precibus diuinum ab ea responsum efflagitans. Cui sancta virgo per reuelationem diuinitus edocta, rescribens omnia quæ illi pro emendatione vitæ necessaria erant, etiam occultissima cordis aperuit. In quibus literis inter cætera prædixit schisma, quod post obitum Adriani papæ, qui Anastasio successit, secutum est. *Et tu Roma, inquit, velut in extremis tacens contraberis, ita quod fortitudo pedum tuorum, super quos hactenus stetisti, languescet: quoniam filium regis, videlicet iustitiam, non ardenti amore, sed quasi in torpore dormitionis amas, ita vt eam à te expellas. Vnde & ipsa à te fugere vult, si non reuocaueris eam.* Hoc anno fuit eclipsis solis.

*Hildegardis papa Anastasio prophetauit.*

*Miraculum de Sacramento Dominici corporis.*

Eodem anno Coloniæ quidam ex patre Iudæo, sed conuerso, dum sacramentum corporis Christi in solennitate paschali oretenus susceperisset, & ecclesia egressus nescio quid exinde acturus domum inferre cogitasset, diuinitus territus exhorruit, & nesciens quo se verteret, fossa in cœmiterio facta sacrosanctum corpus dominicum in eam sepeliuit. Superueniens autem sacerdos, & rem discens fossam aperuit, & infantuli formam inueniens, eumque manibus reuerenter eleuans, ad ecclesiam portare voluit: sed mirum dictu, luce cœlitus emissa, puerulus manibus tenentis elabens, in ipsa luce ascendens cœlos penetrauit.

MCLIIII.

*Obiit Mechtildis monialis in Spanheim.*

Anno Volmari abbatis 33. qui fuit dominicæ natiuitatis 1154. quarto calendas Martij, obijt Mechtildis sanctimonialis virgo in monasterio meo Spanheimensi, pro Christi amore 29. annis inclusa, soror Bernhelmi primi abbatis eiusdem cœnobij. Hæc apud S. Albanum Moguntiæ primo fuit inclusa per annos 7. deinde cum Bernhelmus frater eius in abbatem Spanheimēsem fuisset ordinatus, propter maiorem quietem & solitudinem,

ad eius-

ad eiusdem cœnobium de consensu archiepiscopi Moguntini & abbatis S. Albani, se transtulit, & omnipotenti Deo in ieiunijs & orationibus die noctuque vsque ad finem vitæ deuotissime seruiuit. Sepulta est in medio chorii iuxta sepulchrum fratris sui abbatis Bernhelmi, non sine opinione sanctitatis. Nam angelorum concentus in eius transitu auditi sunt, & variæ visiones ostensæ, cui & S. Hildegardis adhuc in carne viuenti, testimonium sanctitatis perhibuit.

*Expeditio regis in Italiam.*

Circa festum S. Michaelis Fridericus rex in Italiam profectus est cum magno exercitu. Interea Anastasius papa moritur, cui Nicolaus Anglicus primo monachus S. Ruffi, deinde abbas, postea Albonensis episcopus cardinalis nostri ordinis succedens, Adrianus quartus nuncupatus, sedit annis 4. mensibus 10. Rex Fridericus in Italiam traiecto exercitu, primo impetu Placentiam Æmiliæ ciuitatem edomuit, quædam etiam castella ob insolentiam Mediolanensium & Cremonensium igne deuastat: deinde Spoletum opulentissimam Vmbriæ ciuitatem totam incendio concremat: sicque versus mare cum exercitu pacifice transiens, Romam peruenit: vbi à pontifice Romano & omni senatu honorifice susceptus, in Imperatorem consecratur, & post solennem ordinationem facta seditione à quibusdam vulgaribus tempore meridiano, bello ex improuiso impetitur. Imperator vero & sui subito armati, hostes strictis gladijs trans Tyberim repellunt, & tanta in eos cæde desæuiunt, vt ipse alueus fluminis totus sanguine occisorum mutaretur. Hac cruenta victoria, 14. cal. Iulij parua manu suorum perpetrata, sequenti die non moratus reditum instituit, & in patriam exercitum incolumem reduxit.

*Rex in Imperatorem consecratur.*

His temporibus episcopatus Lubicensis de Oldenburg translatus instituitur, & Geroldus primus episcopus ibidem ordinatur.

MCLV.

*Belli inter episcopum Moguntinū & comitem palatinum.*

Anno autem Volmari abbatis 34. qui fuit dominicæ natiuitatis 1155. bellum graue fuit inter Arnoldum archiepiscopum Moguntinum, & Hermannum comitem palatinum Rheni. Sed reuersus ex Italia Fridericus Imperator, perturbatores regni & pacis adeo edomuit, vt in breui pax firmissima terrore sui aduentus redderetur. Nam ipse Imperator Arnoldum archiepiscopum constituerat multis potentibus in circuitu inuitis, quippe qui nouerant eum virum iustum & austerum, eorum malis studijs minime consensurum. Vnde Imperatore Italia existente mouerunt in pontificem arma Hermannus comes palatinus, Emicho comes de Lyningen, Godfridus comes de Spanheim, Henricus comes de Katzenelenbogē, Cōradus comes de Kitchberg, & Hēricus comes de Didesheim, cū alijs quibusdam. Reuersus igitur de Italia Imperator, natale Domini Wormatiæ celebrauit, & prædictis comitibus simul & Arnoldo archiepiscopo præfato, pro eo quod pacem imperatam violassent, satisfactionem pro pœnitentia ex consilio principum indixit. Prædicti enim comites Emicho, Godfridus, Henricus & alij, ex parte præfati comitis Hermanni Imperatore iubente canes portauerunt, & sic dominus Arnoldus Archiepiscopus ab excommunicatione eos absoluit. Ex parte autem ipsius episcopi canes portare cœperunt Ludouicus comes de Lohun, Wilhelmus comes de Glitzberg, & alij, sed ob reuerentiam archiepiscopi cessare ab Imperatore iussi sunt.

*Comites in parte Hermanni contra Arnoldum episcopum.*

*Canes portarii pro satisfactione.*

Eodem anno Bernhardus episcopus Hildesheimensis in Saxonia, propterea quod decem annis cæcus esset, & ad regendum inutilis, episcopatum resignauit, fuitque in locum eius ordinatus Bruno eiusdem ecclesiæ decanus, vir sanctus & beatæ Mariæ semper virginis deuotissimus, qui octauas natiuitatis eius primus celebrauit, & celebrandas in sua diœcesi solenniter instituit: cui & ipsa virgo sanctissima eadem octauas celebranti, semel in matutinis visibiliter apparuit, & gratias de tanto seruitio illi agens, magnam consolationem & spem futuræ retributionis impendit.

*Bruno episcopus Hildesheimensis.*

MCLVI.

Anno Volmari abbatis 35. currente, Arnoldus archiepiscopus Moguntinus quorundam iniurijs prouocatus, ad præsentiam Hadriani papæ venit, à quo susceptus honorifice, Apostolicam ab eo legationem promeruit, indeque reuersus ad Moguntiam cum honore receptus fuit.

*Imperator vxorē suam repudians superinduxit aliam.*

Hoc ipso anno Imperator Fridericus Agnetem principis Burgundiæ filiam vxorem duxit, repudiata priore legitima vxore apud Constantiam, vnde grauissimum in ecclesia scandalum exortum est.

*Hermannus comes obijt,*

Hermannus palatinus comes obijt, cui frater Imperatoris ex parte patris Conradus nomine successit, homo Dei oblitus, ecclesijs monasterijsque & ministris eorum, maxime Wormatiensi antistiti Conrado, multas iniurias per violentiam irrogauit.

*Imperator Curiã suam Coloniæ habet.*

Eodem anno qui dominicæ natiuitatis 1156. fuit, Imperator circa festum omnium sanctorum venit ad Coloniam, & tam à ciuibus quam ab archiepiscopo Arnoldo satis honorifice fuit receptus, vbi miles quidam Bernhardus nomine, qui in necem Hermanni de Winceburg conspirasse, à duce Saxonum fuit conuictus, Imperatoris iussu decollatus est.

MCLVII.

*Volmarus abbas moritur.*

Anno sequente qui fuit dominicæ natiuitatis 1157. indictione 5. Volmarus abbas quintus decimus huius monasterij Hirsaugiensis, 5. calendas Februarij circa primam noctis vigiliam de hoc mundo transiens, in Domino quieuit, vir apud omnem posteritatem memoria dignus: quippe qui per suam industriam, sapientiam & pietatem huic monasterio suo, multa bona fecit, augmentauit census, redditus ampliauit, ruinosa cœnobij aedificia restaurauit, domos & habitacula pro fratrum commoditate necessaria plura de nouo construxit, numerum monachorum Deo seruientium auxit, seque verbo & exemplo pastorem optimum subditis suis omnibus exhibuit. Sepultus est in maiori ecclesia, ante altare sancti Michaelis.

## *DE HARTWIGO, HVIVS MONASTERII ABBATE XVI. qui præfuit tantum duobus mensibus, & de vita & conuersatione ipsius.*

SEPVLTO reuerendissimo ac Deo dilecto abbate Volmaro, licet fratres maximo eius amore tenerentur, nec possent memoriam tam pientissimi patris de cordibus suis, nõ dico cito, sed ne vnquam prorsus delere, quem pastorem in omnibus vtilem, pium atque dulcissimum semper fuerant experti: tamen ne malitia temporum, quæ tunc abundabat in terra, sinistri aliquid prauorum suggestione interponeret, visum eis est cum electione noui pastoris non esse tardandum.

*Hartuuigus in abbatem eligitur.*

Eodem igitur die quo Volmarum ecclesiasticæ sepulturæ tradiderant, conuenerunt in vnum animo & intentione, nouum eligendi pastorem, qui tam in spiritualibus quam temporalibus, ad regimen monasterij vtilis & idoneus haberetur. Inuocata itaque (vt moris est) gratia Spiritus S. Hartuuigum nomine, monachum, venerabilem senem, vnanimi consensu in abbatem concorditer elegerunt. anno Domini 1157. indictione 5 in octaua S. Agnetis virginis & martyris, quæ est 5. calend. Februarij. Electione autem eximorem personam Hartuuigi publicata, coram toto conuentu in terram procidit, & vt supportaretur à tanto onere fratres cum lachrymis suppliciter rogauit. Si voluissem, inquit, imo si fuissem idoneus animas regere in eo statu, in quo fueram ante ingressum religionis, permansissem. Sed quia imperfectionem meam noui, & quod mihi subesse magis expedit quam præesse, propterea domum meam, præposituram, dignitates & beneficia quæ habui, contradicentibus amicis & cognatis meis omnibus, libens dimisi: quatenus sine cura & sollicitudine rerum temporalium, omnipotenti Deo in simplicitate cordis mei, placitam possem impendere seruitutem. Cumque fratres, vt onus regiminis à Deo sibi tanquam idoneo impositum susciperet fortiter instarent, tandem consentiens dixit: *Contemnere preces vestras amantissimi fratres, omniumque reluctari voluntis, impium iudico, tametsime ad tantum pondus regiminis scio penitus insufficientem. Confido tamen in misericordia omnipotentis Dei, pro cuius amore omnia mundana semel contempsi: quoniam me diu in hac miseria non permittet esse, si mihi hanc curam animarum, quam reclamanti imposuit, nocituram in anima mea coram ipso cognouerit.* Ad nimiam itaque instantiã fratrum consentiens, onus pastoralis curæ pro Christi amore suscepit, & pro munere benedictionis ad archiepiscopum Treuirensem Hillinum cum certis monachis descendit. Benedici autem à Gunthero Spirensi episcopo propter certas causas noluit, & ideo iuxta tenorem priuilegij monasterio Hirsaugiensi, à sede Apostolica dudum concessi, ad Treuerim descendit. In die itaque dominica quadragesimæ secunda, quæ fuerat anno illo, quarto nonarum Martij, benedictus fuit in maiori ecclesia Treuerensi ab Hillino archiepiscopo, in præsentia complurium abbatum. In itinere illo constitutus, sanctissimam Christi sponsam Hildegardem, de cuius sanctitate, miraculis, scriptis & reuelationibus multa audierat, visitauit: quam cum loquentem audiret, in stuporem versus, lachrymas præ gaudio fudit. Nactus autem oportunitatem cum ea secrete loquendi, omnem statum & mœrorem mentis suæ illi aperuit, & in quantis esset angustijs propter curã animarum sibi impositam, simpliciter reserauit: petitque humiliter, quatenus amore Iesu Christi super statu suo diuinã voluntatem dignaretur inquirere, & quid sibi faciendum esset super his in quibus versabatur cogitationibus, de cura

*Quomodo se à tanto onere excusauit.*

*Quomodo consensit.*

*Ab Hillino Treuerorum archiepiscopo benedictus est. S. Hildegardem visitat.*

pastorali

pastorali relinquenda indicare. At virgo S. Hildegardis more suo ad lumen inuisibile mentis suæ aciem erigens, tale Hartvvigo dedit responsum: *Lux viuens tibi dicit, ô homo, mens tua sit mihi in voluntate mea subiecta, & non abiciam te. Homo enim qui mihi paratus est seruire pro honore nominis mei in pascendo animas meas, & aliud non quærit, in me manet. Ego autem scio quis ex me stat, in prælatione, & illum non deseram. Et qui sine me regnat, hunc ego non aduerto. Tu autem esto paratus, quia cito venturus sum.* Inde ad Hirsaugiam reuersus, non diu vixit, sicuti dicemus. Erat autē Hartvvigus genere Francus, qui adolescens ad studiū literarū positus, satis doctus & eruditus euasit, non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis. Crescentibus demum annis, canonicus maioris Ecclesiæ Spirensis factus est, vbi se tam sapienter & religiose habuit, vt consensu omnium primo in camerarium, ac deinde in præpositum eiusdē ecclesiæ fuerit electus. Erat autē homo conscientiæ bonæ, placidi cordis, & honestissimæ cōuersationis: qui quamuis diuitijs & honoribus afflueret terrenis, semper tamen mente sursum ad Deum erectus, bonis & sanctis studijs operam impendebat. Licet enim diuitijs abundaret, cor tamen suū nequaquā apposuit, sed manum suam aperuit inopi, & paupertum necessitatibus quantū potuit promptissime occurrit. Inter cætera pietatis opera, cum adhuc vitā ageret secularē, magno ad fratres huius monasterij Hirsaugiensis tenebatur affectu, & multa eis beneficia impendit. Crebro illos visitauit, & quoties aliquē de Hirsaugiēsi monasterio Spiram venire pro quolibet negotio contigisset, non alibi quā in domo præpositi licebat nanciscī hospitiū. Domus eius velut cœnobiū, honestissima erat adornata familia, in quā nulli penitus inhonesto patebat ingressus. Moribus suis bonis & Deum timentibus cunctis fuit honorabilis, in cuius præsentia loqui vel agere turpia vel inhonesta nullus audebat. Interna quoq; deuotione omnipotenti Deo mancipatus, nullū tempus otiosum transire sinebat, in quo non aliquid boni operis ad pensum seruitutis suæ appenderet. In orationibus erat frequens, & in lectionibus sanctarum scripturarū studiosus, vtpote qui fuerat exercitiorū spiritualium fructus & dulcedinē quotidiana meditatione expertus. Cum autem plerosq; ex concanonicis suis ire per abrupta vitiorum cerneret, medicamentum fraternæ correptionis tam ratione officij quam obedientia dominici præcepti opposuit, & quomodo viuendum sit ministris Domini, multimoda scripturarum attestatione ostendit. Sed quum admonitiones suas parum in plerisque proficere cerneret, tædebat eum in officio prælationis viuere, in quo se videbat cæteris inutiliter præesse. Matura igitur deliberatione præhabita omnem mundi pompam & honorem pro Dei amore proposuit deserere, & se totum districtione monastica omnipotenti Deo mancipare. Ad quod propositum tam sanctum & arduū subeundum, maxime eum sermones & miracula diui patris Bernardi Spiræ facta, quibus interfuit, provocarunt, quæ omnibus quam diu vixit cum deuotione maxima narrare consueuit. Venditis ergo rebus suis multis, & precio non paruo dato pauperibus ad Hirsaugiā venit, & monachus sub Volmare abbate factus fuit. Multa quoq; in auro, argento, vasis preciosis, & varia supellectili secum ad monasterium attulit, quæ omnia in manus Volmari abbatis coram tota cōgregatione resignauit. Sacræ autem religionis habitum de manibus Volmari abbatis assumens, totū se deinceps ad Deum contulit, semperq; aut mente aut corpore in eius seruitio intentus fuit. Interesse psalmodiæ & horis regularibus tam nocturnis quā diuinis, semper illi iocundum atque dulcissimum, omneq; tempus quod seruitio creatoris non impenderat, perdidisse se gemebat. Corpus suum abstinentia, ieiunijs, vigilijsq; in seruitutem spiritui curauit redigere & se cunctis in bonis operibus imitabilē exhibere. In omni conuersatione sua inter fratres fuit pacificus, tranquillus & quietus, tantaq; erga omnes charitate affluens, vt mater congregationis merito diceretur. Nemo illum vnquam vidit perturbatum, murmurantē nemo audiuit, sed ante faciem suam in vera humilitate gradiens, nullū penitus contristauit.

Eodem tempore Sigefridus decanus de Phortzheim, qui multa huic monasterio bona contulit, sicut in libro Donationum habetur, sub Volmaro abbate monachus factus est, vir singularis eruditionis & sapientiæ informatione & exemplo ipsius Hartvvigi prouocatus. Similiter & alij complures viri notabiles, sapientia, genere & diuitijs insignes, exemplo præpositi Spirēsis incitati, contemptis rebus & honoribus mundi, monachi sub abbate Volmaro in hoc Hirsaugiensi cœnobio facti sunt, qui pro fratrum vsu multa beneficia contulerunt. His etiam temporibus Conradus monachus huius cœnobij & postea prior in Schoinrein, abbas in Amorbach, consensu Volmari constitutus est, vir tam in spiritualibus quam secularibus ad regendum satis idoneus. Erat enim in scripturis sanctis admodum eruditus, & in agendis singulari experientia præditus.

*Responsio Hildegardis.*

*Vita Hartvvigi abbatis.*

*Fit præpositus in ecclesia Spirensi. Misericors in pauperes erat.*

*Monachos Hirsaugienses dilexit.*

*Conuersatione fuit deuotus.*

*Zelo rectitudinis ardet.*

*Per S. Bernhardi compungitur.*

*Fit monachus in Hirsaugia.*

*In officio diuino fuit sedulus.*

*Nunquam visus perturbatus.*

*Decanus Phortzensis monachus.*

*Conradus monachus fit abbas in Amorbach.*

*Conradus sit abbas in Suartzach. Burchardus in Wingarten.*

Alter quoq; Conradus huius cœnobij monachus, eodem ferme tempore consensu ipsius Volmari abbatis, ad monasterium in Suartzach Argentinensis diœcesis abbas ordinatus est, Burchardus quoq; monachus huius cœnobij ad Wingarten abbas eligitur, vir astutus ingenio, & in agendis multum prouidus & expertus.

*Diethmarus monachus.*

Post cuius obitum Diethmarus monachus noster, electione fratrum eiusdem loci abbas factus est, qui per suam industriam multa bona eidem monasterio fecit & acquisiuit.

*Manegoldus prior claustralis.*

Eodem tempore quo ex præposito Hartvvigus factus est monachus sub Volmare abbate, prior claustralis fuit Manegoldus natione Francus, qui postea in abbatem huius cœnobij electus est, de quo dicemus: qui Hartvvigum magna charitate diligebat, homo sapiens & magnificus in omnibus actionibus suis. Vnde in cellarium monasterij promotus, multa sollicitudine pro fratrum necessitate vigilabat, & bene ministrans inferiora, gradum promeruit altiorem.

*Adelhelmus prior claustralis. Heymericus. Gerlachus.*

Post eum prior constitutus est Adelhelmus primo in Aminburg, & postea in Mediolaco Treuerēsis diœcesis abbas, vir sapientia & religione venerabilis, in cuius locum prior substitutus est Heymericus, monachus senex & debilis, quo in breui mortuo Gerlachus successit, post quem Manegoldus denuo prior est ordinatus, in quo quidem officio vsque ad mortem abbatis Hartvvigi permansit.

*Hartuuigus abbas.*

Igitur Hartvvigus in abbatem per fratres vnanimiter electus est, mortuo Volmaro (sicut diximus) & per archiepiscopum Treuerensem Hillinum legitime ordinatus, visita-
ta S. virgine Hildegarde apud Bingios Hirsaugiam redijt, & cum maximo gaudio fratrum, tanquam pastor integerrimæ charitatis susceptus fuit.

*Conuentus principum in Wormatia.*

Hoc ipso anno institutionis Hartvvigi abbatis, qui fuit dominicæ natiuitatis 1157. Imperator pascha Wormatiæ celebrauit, vbi pene omnes Teuthonici regni principes conuenerunt, & se cum rege anno sequente in Longobardiam ituros, contra rebelles imperij iurauerunt. Post hæc ipso anno Imperator per magnam industriam suam effecit, vt abbates, præpositi, & meliores quidem complures de ministerialibus ecclesiæ Moguntinæ, in manus & quorundam amicorum eius promitterent, quod Arnoldo archiepiscopo qualibet occasione decedente, sine ipsius consilio & assensu alium non vellent eligere.

*Arnoldus Colonienſis archiepiscopus. Fridericus secundus archiepiscopus Colonia.*

Eodem anno moritur Arnoldus archiepiscopus Colonienſis, huius nominis secundus, vir ingenio acutus, & in rebus bellicis expertissimus, qui semper Imperatorem in Italiam secutus multa pro eius imperio expendit. Ipse monasterium Rindorffium iuxta Bunnam in honorem S. Clementis papæ & martyris constituit, in quo & sepultus est. cui Fridericus eius nominis secundus, in ordine successit, præpositus S. Gregorij Colonienſis, & per Adrianum papam consecratus est Romæ, atque accepto pallio ad Coloniam cum honore reuersus. Contra hunc electus fuit in dissensione grauissima Gerardus præpositus Bunnensis, sed apud Ratisponā ex Imperatoris iussu & principum, cedere Friderico compulsus est.

*Causa dissensionis inter papam & imperatorem. Alia causa.*

Eodem tempore inter papam Adrianum & Imperatorem Fridericum grauissimæ contentiones leui occasione oriri cœperunt. Innocentius papa secundus, Romæ quondam in muro imaginem suam depingi fecerat, quasi in sede pontificali residentem, Imperatorem Lotharium complicatis manibus coram se inclinatam coronam imperij suscipientem.

Quod Fridericus Imperator videns cum esset Romæ, à suis incitatus ægre tulit. Accessit huic (si dici fas est) contumeliæ aliud quiddam persimile, quod nouæ commotionis & dissensionis magnum seminatorium fuit.

*Vanitas opinionum Imperatoris.*

Imperatore cum primoribus regni in ciuitate Bisuntina Burgundiæ curiā celebrante, duo cardinales literas Adriani papæ perferentes adfuerunt, in quibus inter alia sic continebatur: *Beneficium coronæ tibi contulimus, neque pœnitentia moueremur, si excellentia tua, maiora à nobis beneficia accepisset.* Quod verbum scilicet Beneficium, hi qui circa Imperatorem erant, vsualiter interpretantes, & in contumeliam ipsius positum asserentes, animum eius in iram concitauerunt. Cardinales iniurijs affectos à conspectu suo eiecit, dicens: *Quod à solo Deo habemus* (coronam videlicet imperij) *non Romano pontifici, sed soli Deo attribuimus. Primam vocem regiæ electionis archiepiscopi Moguntini recognoscimus, regalem consecrationem archiepiscopo Colonienſi permittimus. Imperialem consecrationem Rom. Pontifici assignamus. Delentur ergo picturæ, scripturæ corrigantur, alioquin inter regnum & sacerdotium concordia & pax stare non poterunt.* At Romani indignationem & iram Imperatoris metuentes, aliam interpretationem

tionem huius nominis protulerunt, *Beneficium*, quasi benefactum intelligi debere dicentes.

His temporibus claruit sanctus Wilhelmus, ex comite Pictauiensi eremita nominatissimus, qui loricam ad nudam carnem portauit, & in maxima abstinentia corpus suum macerauit, miraculis multis gloriosus. *S. Wilhelmus ex comite eremita claruit.*

Hunc sanctus Bernardus cum schismaticis contra Innocentium papam pertinaciter sentientem in, per sacrosanctum corpus dominicum constans adeo perterruit, & ad tantam compunctionem perduxit, vt non solum pertinaciam omnem deponeret: sed, quod est amplius, comitatu suo derelicto, honoribusque & diuitijs omnibus contemptis, homines fugiens eremum intraret. His quoque temporibus visio admirabilis Tondali militis in Hibernia dicitur facta, quæ cum vbique sit notissima, non opus est, vt huic operi inseratur. *Visio Tondali.*

Claruerunt his temporibus in ecclesia Dei, multi viri doctissimi, qui varia pro eruditione simplicium opuscula ediderunt. *Gilbertus episcopus.*

Gilbertus cognomento Porreta, natione Gallus, ex scholastico Parisiensi episcopus Pictauiensis, vir vndecunq; doctissimus, scripsit notabilem expositionem super psalmos: item in Euangelium Ioannis, in epistolas quoq; Pauli omnes: in Boetium de S. trinitate: in Philosophia multos subtiles tractatus edidit.

Lucas etiam abbas S. Cornelij ordinis nostri doctissimus inter alia studiorum suorum opuscula, his temporibus in Cantica canticorum Salomonis, non spernendæ lectionis edidit. *Lucas abbas.*

Richardus de S. Victore canonicus Parisiensis, vir in sacris scripturis his temporibus omnium iudicio longe doctissimus, & non minus sanctitate conuersationis quã eruditione literarũ insignis, multa præclara volumina edidit: quorũ lectio & doctis ad eruditionẽ, & ad compunctionem deuotis valde vtilis & necessaria videtur. De his quidem opusculis in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, iam dudum fecimus mentionem. *Richardus de S. Victore.*

Circa hæc quoq; tempora Petrus Lombardus episcopus Parisiensis, quatuor libros Sententiarũ, ex diuersis dictis sanctorum patrũ colligens, posteritati transmisit: qui tantæ sunt hodie in scholis Theologorũ authoritatis, vt cæteris pene omnibus in lectione quotidiana præferãtur. Scripsit quoq; in Psalmos commentaria, & in Apostolum, quæ satis vtiles sunt. Et quædam alia quæ ad notitiam lectionis nostræ non venerunt. *Liber Sententiarum componitur.*

Claruis ijsdem quoq; temporibus & alius Petrus quidam, presbyter Trecensis, quem Comestorem vulgo appellant, qui scripsit insigne opus ad Wilhelmũ Senonensem archiepiscopum, super libros Bibliæ historiales, quod Scholasticã historiam appellamus. Et quædam alia nõ abijciendæ lectionis opuscula. *Petrus Comestor.*

Richardus monachus Cluniacensis, nostri ordinis, inter chronographos his temporibus habetur in precio: qui inter multa quæ scripsit, historiam rerum transacti temporis, satis iocundam vtilemque composuit. *Richardus Cluniac.*

His etiam temporibus, sub Friderico Imperatore primo, claruit Ioachim abbas monasterij Florensis de Calabria, nostri ordinis, vir quidem studiosus & doctus: qui tanquam propheta habitus à multis, etiã futura prædicere consueuit. Scripsit in Hieremiã prophetam, in Danielẽ prophetã, in Euangeliũ Ioannis, in Apocalypsin Ioannis: in quibus omnibus futura semper prædicere tẽtat. Ad Henricũ quoq; sextũ, plura scripsit. Item de Septem sigillis in Apocalypsi: in Psalterium decem chordarum. Item librum Concordiæ. Item de 15. pontificibus Romanis futuris, suo tempore, vnam prophetiam conscripsit. Epistolas quoque multas ad diuersos, & varia de futuris temporibus composuit. Hoc ipso anno dominicæ natiuitatis 1557. signum crucis in luna manifeste apparuit. *Ioachim abbas.*

Claruit circa hæc tempora Gratianus monachus Bononiensis, nostri ordinis, qui ex diuersis sanctorum patrum sententijs, decretis & scriptis, librum Decretorum in vnum comportauit, & summo pontifici confirmandum obtulit. *Gratianus monachus claruit.*

Eodem anno Dominus Hartvvigus, abbas huius cœnobij præfatus, 8. calen. Aprilis, circa primã noctis vigiliam carne solutus, in Domino quieuit, sexto & quinquagesimo die institutionis suæ, ad abbatiã Hirsaugiensem: sepultus est in maiori ecclesia, in absside meridionali, corã altari omniũ sanctorum, vir æterna memoria dignus quẽ omnipotentis Dei misericordia, iuxta desiderium suum breui de medio abstulit, ne malitia immutaret intellectum eius: *frequenter enim prælatio, mentem fallere consueuit.* *Hartvvigus abbas obiit.*

## *DE MANEGOLDO, HVIVS MONASTERII XVII. ABBATE, QVI PRÆfuit annis 8. mensibus 4. diebus 6. & de vita & conuersatione eius.*

HARTVVIGO venerabili abbate viam vniuersæ carnis feliciter (sicut confidimus) ingresso, & non sine lachrymis multis fratrum suorum sepulturæ commendato, ne

impedimentum aliquod prauorum machinatione ex diutina vacatione interueniret, ipsamque noui pastoris electionem liberrimam quomodolibet infirmare potuisset, multa deliberatione præhabita, fratres voces in electione habentes, statim eodem die in vnum conuenerunt, animo & intentione nouum super se constituendi pastorem. Igitur inuocata gratia spiritus S. anno Domini 1157. indict. 5. 8. calen. Aprilis, hora dici 3. vel quasi Friderico Imperatore primo regnante, anno eius 6. monachi huius cœnobij conuentuales in abbatem vnanimiter elegerunt.

*Manegoldus in abbatem eligitur.*

Manegoldum venerabilem monachum, genere Francum, ex cognatione Hartvigi prædecessoris sui procreatum, annos ætatis habentem ferme sexaginta. Qui post longam humilemque excusationem precibus fratrum acquiescens, onus pastoralis curæ assumpsit, sed munus benedictionis vsque in sabbatum ieiunij quatuor temporum post exaltationem S. crucis distulit, propterea quod se fratribus bene probandum offerre statuisset.

*Spira consecratur à Gunthero Episcopo, & præfuit annis octo.*

Tandem importunis precibus fratrum vix inductus, benedicendus Spiram magno & celebri comitatu proficiscitur, & in sabbato præfato autumnalis ieiunij, 25. monachis ex suis ad sacros ordines per Guntherum episcopum Spirensem promotis, ipse dominica sequente ab eodem pontifice, sex abbatibus, sacris indutis astantibus, munus benedictionis solenniter suscepit.

*Vita Manegoldi abbatis.*

Præfuit autem in abbatia annis 8. mensibus 4. diebus 6. vir bonæ ac laudabilis conuersationis, & multa bona huic monasterio fecit. Francus genere fuit, sicut diximus, honestis parentibus natus, qui ad literas discendas in iuuentute positus, satis doctus & eruditus euasit. Timorem Domini ab infantia (vt ita dixerim) imbiberat, vnde non ludis, nõ discursibus, non puerorum leuitatibus oblectari, sed magis studio literarum & orationibus, quantum per ætatem licebat, insistere consueuit.

*Manegoldus fit monachus.*

Natura enim consecutus ingenium bonum, hausto æternæ sapientiæ gestu, nihil plus amare in hac vita didicit quam scientiam scripturarum. Tandem inspirante Spiritu S. sub Volmare abbate monachus factus, tam pie, tam religiose, tamque humiliter in medio fratrum conuersatus est, vt parem in tota congregatione vix haberet. In omni tranquillitate mentis & operationis coram Deo & hominibus incedens, nulli grauis, nulli molestus fuit, sed dignum se in omnibus monachum secundum regulam sancti patris nostri Benedicti exhibuit.

*Succentor fit.*

Statura quidem corporis breuis, sed animi viribus magnus & egregius fuit. Denique post annos primordialis monasticæ institutionis exactos, per Volmarum abbatem succentor ordinatus, & in eo officio positus, plusquam 60. volumina pro Bibliothecæ ornatu fratrumque vtilitate fecit conscribi, sumptus ad hoc ministrantibus amicis eius & cognatis secularibus. Post hæc cum in omnibus vtilem & irreprehensibilem se præbuisset, mortuo Dithone priore, in eius locũ prior ordinatus, verbo & exemplo fratribus norma sanctæ conuersationis fuit: in monendo dulcis, pius & mansuetus fuit: in corrigendo sensus, quippe qui optime nouerat regimen animarum, omnium artium artem esse difficillimam, & propterea maiori studio exercendam: bonis & obedientibus, socium se per humilitatem exhibuit: duris & rebellibus, seuerum se ac terribilem ostendit. Vnde factum est, vt boni & humiles maximo eum amplecterentur amore: desides vero & animarum suarum curam non habentes, veluti dominum & iniquitatis suæ vindicem singularem meruerent. Deinde vt in omnibus probaretur, per Volmarum abbatem maior cellarius constitutus est, & Adelhelmus in locum eius subrogatus, qui non multo post abbas in Amoeburg Ratisponensis diœcesis, ac postea in Mediolaco Treuerensis diœcesis ordinatus est.

*Fit prior.*

*Fit Cellarius.*

Factus autem cellarius, magnam in administratione sui officij curam & sollicitudinem adhibuit, & tamen internam conuersationem spiritus non neglexit. Rursum post aliquot annos mortuo Gerlaco priore, denuo fit prior, & more suo regularis disciplinæ zelum strenue exequitur. Primus & vltimus in choro semper cultum diuinæ seruitutis cum maxima diligentia ampliauit. Diuinas scripturas mirabiliter amauit, omneque studium pro scribendis libris authenticis sanctorum patrum quam diu vixit impendit.

*In abbatem eligitur.*

*Spira consecratur.*

Postremo transitu Hartvvigi abbatis feliciter consummato, in abbatẽ huius monasterij 17. electus est, sicut diximus anno Domini 1157. indict. 5. 8. cal. April. & 10. cal. Octobris, hoc est dominica quatuor temporũ ieiunij autumnalis post exaltationẽ sanctæ crucis, quæ fuit dies sancti Mauricij martyris: à Gunthero Spirensi episcopo munus benedictionis accipiens præfuit annis 8. mensibus 4. diebus 6. Erat autem homo sanctis moribus adornatus, mansuetus, placidus, humilis, pacificus, mitis, & affabilis, menteque & corpore

castus

castus, qui substantiam monasterij suo tempore nō minuit, sed auxit, sicut in libro Donationū patet manifeste. Nā tempore eius, multi multa bona pro Dei amore huic cœnobio tradiderūt, & ipse etiā complura precio comparauit. Inter cæteros autem fuit eo tempore quidam canonicus nomine Ruthardus, qui fratrem habebat in Hirsaugia, monachum, residens in ecclesia Moguntina, qui pro remedio animæ suæ curiam monasterio Hirsaugiensi apud Bingios tradidit, quam frater ipsius monachus iussu abbatis, pro marcis argenti 16. vendidit, & precium in vsus fratrum expendit. *Donatio Ruthardi.*

Post aliquantum vero temporis Hedericus præfati Ruthardi ex fratre nepos, canonicus & ipse Moguntinensis, duodecim talenta huic monasterio contulit: pro quibus Hugo patruus eius Manegoldo abbate postulante, in Gruningen tria vinearum iugera monasterio comparauit. *Donatio Hederici.*

Rupertus quoq; de Tubingen multa bona monasterio Hirsaugiensi tempore abbatis Manegoldi fecit, vt in libro Donationū: & sepulturam sicut elegerat, vna cum fraternitate plenaria in hoc loco promeruit. Nam inter alia 42. talenta argenti ad vsus fratrū contulit, pro quibus abbas Manegoldus vineta in Sutrim comparauit. Alij quoq; diuersi multa & varia in eleemosynam fratribus huius monasterij eodem tempore contulerunt, & beatos se arbitrabantur quicunque in confraternitatem & orationes monachorum Hirsaugiensium fuissent admissi. *Donatio Ruperthi.* *Donationes variæ.*

Magna enim regularis disciplinæ obseruantia apud eos isto tempore vigebat, & ob id à bonis omnibus amabātur. Verum post annos paucos grauissima dissensio inter abbatē Manegoldum & conuentū suum diabolo procurāte suborta est, pro cuius extinctione S. Virgo Christi Hildegardis & præsens verbis, & absens scriptis, nō mediocriter laborauit. Vnde tam abbas quam conuentus, literas ad ipsam virginem super hac eadem dissensione consultantes miserunt, quibus illa diuinitus admonita, respondens ad interrogata, epistolas remisit, quarum exemplar paulo post suo ordine ponemus. *Religio Hirsaugiensium fratrum.*

Anno autē Manegoldi abbatis primo currente, videlicet dominicæ natiuitatis 1157. terræmotus ingens in Asia fuit in diuersis locis, qui Tripolim, Damascū, & quandā aliam ciuitatē omnino destruxit. Porro ciuitas Cathanensiū penitus euersa est, in qua multitudo virorū, mulierū, iuuenum & puerorū maxima, ferme ad viginti millia miserabili casu suffocata interijt. Claruit his temporib. in Hollandia Sophia Theodorici Hollandiæ comitis vxor, mulier sancta & in Christi amore deuotissima, orationibus, ieiunijs, vigilijs & eleemosynis continue intenta, quæ miraculis tam in vita quā post mortē claruisse perhibetur. *Terræmotus.* *Sophia comitissa mulier sancta.*

Cum hæc sancta mulier limina sancti apostoli Iacobi in Gallitia visitatura, crudeles incidisset latrones, qui eam non solum spoliare elenodijs, verum etiam vita priuare volebant, tanta eos virtute orationum suarum constrinxit & ligauit, vt se mouere de loco, vel manus in eam mittere nullatenus possent. Vnde stupentes, veniam ab ea postulabant, qua accepta subito fugientes abierunt. Tandem vero post multa opera pietatis, cum iam tertio ad visitandum sanctum Christi sepulchrum Hierosolymam esset profecta, sacris locis deuotissime perlustratis, 6. cal. Octobris feliciter in Domino quieuit, & in hospitali Teuthonicorum in Hierusalem sepulta est. *Latrones orationibus sua alligauit.*

MCLVIII.

Anno Manegoldi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1158. Fridericus Imperator cum principibus Teuthonici regni circa festum pentecostes in manu valida Longobardiā intrauit, & Brixiam ciuitatē cum alijs multis cepit. Inde mouens exercitum quinquaginta milliū pugnatorum Mediolanū obsedit, & diebus multis acriter expugnauit. Cumque se Mediolanenses arcta obsidione circumuallatos cernerent, & nullum auxilium expectare à quoquam possent, ciuitatem Imperatori tradiderunt. Quo facto Imperator milites suos Theutonicos pro maiori parte in patriam remisit, & victis Mediolanensibus censum tributi anuum imposuit. *Imperator exercitum mouet in Longobardiam.* *Mediolanū ab Imperatore capitur.*

Eodem anno Godfridus abbas S. Iacobi Moguntinensis, & Burchardus præpositus S. Petri, vna cum clero pene vniuerso & ciuibus Moguntinis Arnoldum archiepiscopum suum nimis exosum habere cœperunt, & Imperatorem contra eum interpellarunt. Soli autem Creopoli, quos Macellarios vocant, partes archiepiscopi pro viribus tuebantur, vnde tam ab Imperatore Friderico quam archiepiscopo Moguntino, qui Arnoldo successit, libertate quadam singulari ac priuilegio vsq; in præsentem diem, pro tanta fidelitate donati sunt. *Aduersarij archiepiscopi Moguntini.*

MCLIX.

Anno Manegoldi abbatis 3, qui fuit dominicæ natiuitatis 1159. Imperator coadu-

*Imperator vrbem Cremensem obsidione cœpit.*

nato vniuerso exercitu, Cremam vrbem munitissimam per menses 7. obsidens expugnat, Cremonensibus auxilium ferentibus. Tandem cum vim militum ferre non possent, se & vrbem potestati Imperatoris subdiderunt, spem non paruam Mediolanensibus adimentes.

*Insultus cõtra Moguntinum.*

Eodem anno aduersarij archiepiscopi Moguntini post festum sancti Remigij synodum armata manu ingredientes, interficere eum voluerunt. Sed comitibus cum suis viriliter resistentibus, turpiter abire compulsi sunt. Qua de causa ipse Arnoldus archiepiscopus Moguntinus post festum omnium sanctorum Longobardiã petit, Imperatori querimoniam inde facturus, quem & aduersarij eius haud segnes subsequuntur.

*Reinholdus fit archiepiscopus Colonien.*

Eodem anno Fridericus secundus archiepiscopus Colonien. sis, in Italia obijt: enim cadauer in patriam relatum, in quodam cœnobio Aldenburgensi humatum est. Quo sepulto, Colonienses legatos in Italiam ad Imperatorem miserunt, Reinholdum cancellarium, eius quem elegerat in archiepiscopum ab eodem postulantes. Gauisus autem Imperator, quod locum honoris ei deferendi inuenisset, grato animo consentiens, postulantibus Reinholdum archiepiscopum donauit. Nec multo post idem Reinholdus acceptalicentia Imperatoris ad Coloniam venit archiepiscopatum, & omnia quæ ad illum pertinebant, in possessionem accepit, negotijsq; breuiter dispositis cum trecentis electis militibus, in Longobardiam rursus ad Imperatorem reuertitur.

*Adrianus papa moritur Romæ. Schisma in ecclesia.*

Eodem anno cum Adrianus papa Fridericum Imperatorem pro coniugij dissidio excommunicare disponeret, morte præuentus mense Octobri ab hac vita discessit. Quo mortuo magna in ecclesia Dei turbatio subsecuta est. Cardinales nanque ab inuicem dissentientes, duos sibi pontifices elegerunt, Rolandum cancellarium, quem Alexandrum tertium appellarunt, & Octauianum, quem Victorem quartum nuncuparunt. Porro Alexander verus Christi vicarius prædecessoris sui sententiã per omnia approbauit, sed Victor Imperatori plurimum fauebat. Alexander iste papa ordinem Carthusiensem confirmauit, certaq; illis priuilegia dedit, suscipiens ipsum ordinem sub protectione ac defensione sedis Apostolicæ sanctæ.

MCLX.

*Synodus Paduæ schismaticorũ.*

Anno Manegoldi abbatis prænotato nondum completo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1160. inchoatus in octauis Epiphaniæ, Fridericus Imperator concilium apud Paduam celebrari mandauit, in quo Victorem præsentem pro papa suscepit, Alexandrum vero absentem condemnauit. Peracto concilio Arnoldus archiepiscopus Moguntinus licentia ab Imperatore susceptа Moguntiam reuersus est. Tandem cum in die natiuitatis beati Ioannis Baptistæ ad monasterium S. Iacobi extra muros Moguntinos caula deuotionis exiuisset, Godfridus abbas eiusdem loci & Burchardus præpositus sancti Petri, vna cum cæteris conspirationis socijs sicarios, de insidijs quos conduxerant emittentes archiepiscopum in eodem cœnobio crudeliter occiderunt, ciuibus magna ex parte consentientibus. Scelere peracto, criminis impij actores se ad ciuitatem cum festinatione receperũt, statimque comites & ministeriales interempti archiepiscopi, vna cum macellarijs monasterium ipsum, violenter fugatis monachis deprædantes incendunt, & omnes mansiones monachorum penitus euertunt. Abbas vero Godfridus cum cæteris impietatis suæ complicibus sese in ciuitatem contulerat, vbi authores sceleris cum clero, licet per violentiam coacto, Rudolphum filium Conradi ducis de Zeringen postposita fide quam Imperatori ante triennium in manus dederant, in archiepiscopum elegerunt, qui cum placare Imperatorem muneribus de consilio suorum intenderet, ecclesiam suo spoliauit ornatu.

*Arnoldus archiepiscopus à ciuib. occiditur.*

*Monasterium S. Iacobi incenditur & destruitur.*

*Rudolphus filius ducis de Zeringen eligitur.*

Erat eo tempore in ecclesia Moguntina crux preciosissima, quam Willegisus archiepiscopus Moguntinus tempore Ottonis Imperatoris 3. pro decore domus Dominici fieri mandauerat, cuius patibulum erat cypressinum, laminis aureis & preciosis lapidibus desuper opertum. Imago autem magna & tota de auro purissimo fabricata, libras auri appendebat sexcentas, sicut versus sculptus in ea demonstrabat huiusmodi tenoris:

*Auri sexcentas tenet hæc crux aurea libras.*

*Crux aurea in ecclesia Moguntina. Episcopi crucem istam diripiunt.*

Huius imaginis alterum pedem Marcolphus archiepiscopus tulit, & Romam pro pallio misit. Alterum vero cum cruribus, Arnoldus archiepiscopus supra dictus abstulit, & cum eo Hermanno comiti palatino rebellauit. Totum quod reliquum fuit, iste Rudolphus cum consensu Moguntinensium accipiens, cum eo placaturus Imperatorem in Longobardia constitutum adijt, sed spretis muneribus ab eo contemptus fuit. Conradus quoque palatinus comes Rheni, frater Imperatoris, repudiato & fugato Rudolpho in archiepiscopum exaltauit Christianum, virum quendam nobilem, qui tandem ad pontificatum

*Christianus contra Rudolphum eligitur.*

catum illo tempore non peruenit, quia Conradus frater Ottonis Palatini comitis de Witelinsbach, per Imperatorem (sicuti dicemus) ei fuit præpositus.

His temporibus pernicioſa hæreſis Pauperum de Lugduno, quæ alio nomine Waldenſium nuncupatur, cœpit, per quendam ciuem Lugdunenſem diuitē, qui relictis omnibus paupertatem euangelicam profitebatur: translatisque ex Latino quibuſdam ſacræ ſcripturæ libris in ſermonem Gallicanum, officium ſibimet apoſtolorū aſſumpſit, & tam per ſe quam per ſuos in errore complices, ſcripturas male intellectas vbique prædicauit. Rectores & prælatos eccleſiarum vna cum eorum conſtitutionibus contemnebant, ordines ſacros nihili pendentes: qui dum vt reſipiſcerent admonerentur, reſpondere ſolebant: *Deo plus obediendum eſſe quam hominibus.* Tandem contumaces & in malis erroribus pertinaces, ab eccleſia pulſi, excommunicati, & hæretici declarati ſunt.

*Hæreſis Waldenſiū incipit omnium peſſima.*

Circa hæc tempora cū S. Bernardus abbas Clareuallēſis ab hac vita migraſſet, quod contigit anno Domini 1153. indictione 1. 13. cal. Septembris, anno ætatis ſuæ 64. horrenda viſio Lingonenſi epiſcopo facta eſt. Apparuit ei nanque eremita quidā mortuus, quem viuentem olim nouerat, qui diuino timore compunctus, ante aliquot annos cum eſſet decanus diues & nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Chriſti amore intrauit: quem cum de ſtatu ſuo & diuini iudicij diſtrictione interrogaſſet, ille reſpondit: Ea hora, in qua ego de corpore migraui, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt. E quibus Bernardus Clareuallenſis abbas, qui eadem hora obijt, vna mecū ad cœlos auolauit, tres alij ad purgatorium miſſi ſunt, cæteri omnes per ſententiam iuſti iudicis condemnati, ad infernum perpetuo cruciandi deſcenderunt.

*Bernardus abbas obiit. Viſio horribile facta Epiſcopo.*

Anno Manegoldi abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis (ſicut diximus) 1160. S. Hildegardis virgo Chriſti, monaſterij diui confeſſoris Ruperti, iuxta Bingios abbatiſſa, per ſpiritum ſanctū coacta multis in locis verbū Dei hominibus perſonaliter annunciauit. Inter cætera vero loca quæ ſua præſentia ſanctificauit, etiā ad Hirſaugiam venit, quam abbas Manegoldus & conuentus fratrū cum inæſtimabili gaudio, tanquam angelum Domini de cœlo venientem ſuſceperunt. At illa poſt orationem conſuetā in medio fratrū ſedens, os ſuum in Chriſti nomine aperuit, & verbum quod Spiritus S. illi cōmiſerat, tam feruenter, ſobrie, ac prudenter audientibus intimauit, vt omnes in ſtuporē verterentur. Mira res accidit. Dum illa foris loqueretur verbum, Spiritus ſanctus in cordibus audientium intus operabatur effectū: tantaq; omnes gratia compunctionis perfudit, vt lachrymas fundere ex intimo affectu præ dulcedine mentis cogerentur. Inter cætera dulciſſimi ſermonis ſui colloquia, fratribus prædixit; quoniā niſi caute inſidias hoſtis antiqui præcauerent, in breui temporis ſpacio tribulationem aliquam experirentur. Quod codē anno accidit in diſſenſione illa pernicioſa, quæ inter abbatem Manegoldum & conuentum, diabolo procurante, fuit exorta: de qua ſuo loco dicemus. Omnes ſimul in his quæ cōmunitatem cōcernebant, de occultis & manifeſtis defectibus per ſpiritum ſanctum edocta redarguit, & quæ in eorū conuerſione ſeu conuerſatione diuinæ maieſtati diſplicerent, prudentiſſima ratione oſtendit. Inde progreſſa monaſterium Zwifaltenſe noſtri ordinis adijt, & tam monialibus quā monachis ibidem ſimiliter quæ ſpiritus ſanctus ei mandauerat, annunciauit. In multis quoq; Sueuiæ monaſterijs & locis, verbum Domini atteſtatione miraculorum populis aperuit, & ſuis admonitionibus plures ab iniquitate auertit.

*S. Hildegardis venit Hirſaugiā. Verba S. Sibyllæ ad fratres. Prophetia Hildegardis ſuper Hirſaug. Negligentias fratrum aperuit.*

MCLXI.

Anno Manegoldi abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1161. grauis diſcordia inter ipſum Abbatem Hirſaugienſem & fratres ſuos, iuxta prophetiam beatæ Hildegardis, diabolo inſtigante, ſuborta eſt, quæ magnum ſcandalum & oblocutionem in omni pene regione Sueuorum in populo diſſeminauit. Videbatur enim priori Diemoni & fratribus, quod Abbas familiaribus ſuis nimis indulgendo, quæcunque voluiſſent condeſcenderet, & multa contra pacem conuentus & honeſtatem monaſticam, eorum diſſolutiones & inſolentias diſſimulādo toleraret. Vnde cum ſuper hoc à ſenioribus aliquotics fuiſſet admonitus, & libera poteſtate nimium vſus, nihil eorum quæ proponebantur emendare videretur: fratres ab eo ſe contemptui habere putantes, grauiſſimam contra eum diſplicentiam conceperunt, quæ in tantum creuit, vt in notitiam omnium in regione illa cōmorantium, non ſine opprobrio, confuſione & deteſtatione nominis Hirſaugienſium deueniret. Cumque ita diſſenſio inter fratres multas contra abbatem & ordinationes illius, contumelias & murmurationes pareret, abbas non cum paterna lenitate, ut illis videbatur, ſed cum ſeueritate in eos prouocatus, quoſcunque deprehendere potuiſſet, auſtere puniuit: & quanto eis minorem paternę lenitatis affectum præbuit, tanto maiorem

*Diſcordia inter abbatē fratresque Hirſaug. Diſplicentiarum cauſa plures. Abbas videbatur auſtera.*

in se displicentiam eorum prouocauit. Cernens autem Manegoldus abbas, quod fratres ad concordiam nulla ratione posset reducere, salutis propriæ amator voluit abbatiam resignare, Sed ne oculos diuinæ maiestatis inconsulte offenderet, consilium super hoc per certum nuncium & literas à B. virgine Hildegarde postulauit, cui hanc epistolam misit:

*Epistola Manegoldi abbatis ad S. Hildegard.*

*Sanctissimæ dominæ ac matri suæ venerandæ Hildegardi, Manegoldus abbas indignus de Hirsaugia, orationem cum obsequio. Audiui quidem & apud Cyrenen quandam aquarum venam vino effluere, & te scio & expertus sum apud Alemannos bona mater ingredientium & egredientium venam virtutum atque sinum specierum rebus, sicut pupillam visui esse. Hauris enim ô domina mea & effundis, informas & specificas, practicisque in theoriam vis & motus existis. Ea propter mihi impetus fuit & diu est, diligere te, honorare te, mirari te, seruire tibi tuisque, & in omnibus verbo & opere tuas esse atque tuarũ, orationibus in quantũ mihi fas est & obsequiis. Rogo te mea mater & domina, memento mei in tuis sanctissimis orationibus, dilige humilẽ te diligentẽ, recognosce te in Christo reuerentẽ, & literas mihi ad interrogata rescribe, in Deo rogata.*

*Epistola Hildegardis ad Manegoldum Abbatem.*

His literis B. Hildegardis virgo Christi susceptis auditisque verbis nuncij ab abbate cõmissis, ad secretũ diuini susurrij rediit, & edocta per spiritum sanctum taliter rescripsit: *O dulcissime pater, & in amore Christi frater, ollam video excandatam magna claritate, vt vix videre possim si olla sit. Sed & ibi video aliquantulum amaritudinis, contritum tamen magna contentione, & postea turbinem, qui tamen ad præmium Dei destinatur. Vigila ergo strenue, quia causa populi in moribus hoc tempore talia postulat. O mitissime pater ego paupercula fœmina, in vera luce non video, vt omnino de officio tuo mouearis. Memorare autem, quia homo es in terra: & ne valde timeas, quoniam Deus in te diuersa non requirit. Tu enim in præsentia Dei es, sicut fumus myrrhæ & thuris. Vnde mons Sion quærit, vt sis esca in domo Iacob. Sed si quis columnam quæ totam domum sustentat abscinderit, domum deijcit. Quapropter septem fenestras prospice, considerans vbi accipiter veniat, & caue ne ille te decipiat. Pasce ergo oues tuas in mansuetudine acceptionis, quia dies salutis à te non fugit, & nondum cinis eris. Esto quoq; speculum vitæ, an speculo vitæ.*

*Non vult vt abbatiam resignet Manegoldus.*

*Abbas ex literis Hildegardis compungitur.*

Has literas abbas Manegoldus cum recepisset, animo confortatus in Domino, consilio sanctæ virginis humiliter acquieuit, & lenire motus fratrum quantum licuit, per mansuetudinem curauit. Interea Diemo prior, qui abbati nescio pro qua causa specialiter fuit infensus, vna cum fratribus cæteris qui conuentũ repræsentare videbantur, certam in meritis S. Hildegardis confidentiam habentes, tales ad eam literas miserunt: *Dominæ Hildegardi ad ædificationem ecclesiæ diuinitus electæ, monachorum grex pauper & pusillus in Hirsaugia, sic dicta. Na pietate adornari, vt nouerit humiles Christi in tribulatione consolari. Benedicta gloria Domini, quæ de excelsõ solio suo mirabili & insuscitato ordine prosiexit, dum tantũ lumen gratiæ suæ mundo per vos illucescere voluit. Inde omnes Ecclesiæ filij iocundantur. sed præcipue nos qui spirituales nouæ exultationis luce perfundimur, dum in mœrore, quem pro defectu nostri ordinis toleramus, diuina cõsolatione per vos lætificari speramus. Quæ igitur sint, quæ summam nobis sollicitudinem pariant, maximopere mentes nostras remordeãt, paucis animaduertite. Deo teste Domino nostro abbati in nullo derabamus, quem tamen paternæ lenitatis, per multa nobis immemorem & quibusdam familiaribus suis laxius indulgentem, libera quoque potestate in omnibus moderatius vtentem ingemiscimus. Siquidem maximis calumniis & infamiis opinionem nostram super hoc lacerari perpendimus, & præcipue pro lachrymabili discordia pridem inter nos orta, & nihilominus inter ipsum abbatem nostrum & priorem nuper commota, religionem nostram quam maxime contemptui à jecularibus haberi deflemus. Quapropter incerti quid agamus, vt vestris orationibus diuina voluntas nobis aliquatenus super his innotescat, humillime imploramus. Qui si literis consolatoriis, quod potissimum Deo his sit placitum, per vos certificari meruerimus: id quod solum possumus, vestræque charitati gratissimum fore scimus, precum nostrarum remunerationem huic beneficio respondere semper studebimus. Valete.*

*Epistola conuentus ad S. Hildegard.*

*Causa displicentiarũ conuentus contra abbatem.*

*Consolationem per literas ab ea postulant.*

Ad has literas beata virgo per diuinam reuelationem informata sic rescripsit: *Serena lux dicit, O plangens ouile & ornatum in signo ligaturæ obedientiæ, esto stabile in cogitationibus tuis & desyderia tua anhelent ad timorẽ Dei. Tu ergo considera, vbi sit prosperitas vel aduersitas. Audi montem suram vallium. Valles interdũ virent & florent de rore cœli & de calore solis, & interdum arescunt & deficiunt in vicissitudine tempestatum. Sed tamen valles istæ propter diuersitatem tempestatũ aliquando pulchritudinem suam perdunt, non habeo omnino in tali obliuione, quasi amodo in pulchritudine sua non resurgant. Sic etiã non obliuiscar loci huius in quo tu stas, quia sapientia nõ carebit in ex meteris sanctitatis, vt ipse primum in rectitudine processit. Tu autem esto lucidum ouile in victoria, contemnens vicia quæ in inquieto tempore cõcutiunt te, & non erubesce quod te propter mala opera tua accusas, quoniam Deus omnia vulnera in pœnitentia vngit & tergit. Sed tamen viuens oculus notauit prætereã causam in dolore illo, quo tu commotus es, in contumacia superiorum prælatorum tuorũ: qua dulcedo vngentis matris, scilicet misericordiæ, subtracta fuit à quibusdã ouibus tuis in culpa iacentibus, quæ nõ recte dijudicatæ sunt in pœna q̃ habuerũt in pœnitẽtia sua. Incongrua plunia facit terrã aridã. Sic hanc*

*Epistola Hildegardis ad fratres Hirsaugienses.*

*Hortatur eos ad puritatem.*

qua

*qui peccauerit, si non habuerit illum qui eum ungat, protinus in desperationem fugit & arescit: quoniã nulla medicina exhibitur ei, secundum quod ipse sustinere potest. Nunc chari filij, audite vocem viuentis lucis: Apprehendite misericordiam, quæ non est ex vobis orta, sed quæ ex Deo venit. Et ideo non abstrahite eam ab illis, quibus impendenda est. Retrahite ergo illos in sanitatẽ animarum suarum.* Postquam literas istas fratres Hirsaugienses à S. Hildegarde Christi famula suscepissent, mirum in modum gauisi sunt: & mutato consilio, de pace & tranquillitate concordiæ inter se tractare cœperunt. Sed & abbas Manegoldus iuxta consilium D. virginis Hildegardis, præueniens eos in spiritu mansuetudinis & lenitatis, se patrem pientissimum verbo & opere in omnibus exhibuit. Fratres autem dulcedine paternæ promissionis similiter promiserunt se, filios humiles obedientesque in omnibus exhibituros, & nunquam deinceps occasionem discordiæ præbituros. Sic ergo meritis orationibus & consilijs beatæ Hildegardis virginis Christi, concordia inter abbatem & conuentum auxiliante Domino reformata est, quam inuiolabilem deinceps ipso viuente Manegoldo abbate, inter se ab vtraq; parte firmiter seruarunt.

*Fratres inter se de pace tractare cœperunt.*

*Pax inter abbatem & fratres reformata est.*

MCLXII.

Anno Manegoldi abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1162. Imperator Fridericus vna cum primoribus ecclesiæ Mogũtinæ in Longobardia constitutus, Christiano priore neglecto, imo contempto, in archiepiscopum præfatæ ecclesiæ substituit Conradum fratrem Ottonis comitis Palatini de Wetelinsbach, & præfuit annis duobus.

*Conradus fit archiepisc. apud Moguntinum.*

Eodem quoque anno cum Mediolanenses fidei promissionis & iuramenti immemores obedientiam Imperatoris refugerent, ciuitas ipsa Mediolanum rursus à Cæsare obsessa & breui capta est, populus expulsus, murusq; in circuitu deiectus & ædes omnes, exceptis sanctorum templis solotenus destructæ, ita vt per mediũ vrbis in modum cruis aratrũ iubente Imperatore traheretur. Reinholdus archiepiscopus Colonienſis corpora sanctorum Magorum qui Christum in cunabulis adorauerant, de Mediolano consensu Imperatoris auferens, transtulit in Coloniam, & in maiori ecclesia sancti Petri collocauit, vbi vsque in præsentem diem miraculis multis choruscantibus, in honore & reuerentia magna habentur.

*Trium Magorum sanctorum corpora Coloniam transferuntur.*

Eodem anno Imperator Mediolano destructa, pascha Papiæ magnifice celebrat. Secunda feria paschæ, Pisani fidelitatẽ Imperatori iurauerunt, & expeditionẽ prompta voluntate in Apuliam, Calabriam, Siciliam, Sardiniam & Corsicam & versus Constantinopolim facere promiserunt. Feria tertia, Brixenses similia iurauerunt.

*Pisani obedientiã præstant Imperatori.*

Eodem tempore Ludouicus rex Franciæ legatos ad Imperatorem misit pro componenda pace & vnitate sanctæ ecclesiæ, quos ipse gratanter suscepit. Igitur generali synodo indicta in municipio quod Leona dicitur, super fluuium Saonam in episcopatu Bisantino Imperator cum papa Victore, multisq; archiepiscopis, episcopis, & abbatibus, adfuit in decollatione S. Ioannis Baptistæ. Rex autem Franciæ ex altera parte fluminis pridie aduenerat, sed ex consilio papæ Alexandri & sibi parentium, in proximo castello resedit, nec ad Imperatorem peruenit. Adfuit huic synodo rex Danorum Waldemarus, qui coronam regni Daciæ de manibus domini Imperatoris ibidẽ suscepit. Igitur Imperator & rex prefatus Danorum, cum illa frequentia pontificũ, abbatum & principum, sicut in prima & secunda synodo Victorem vniuersalem papam nominarunt, Alexandrum vero cum suis schismaticos designauerunt.

*Synodus diuorum patrum habetur.*

*Waldemarus rex Danorum. Imperator venit Moguntiam.*

MCLXIII.

Anno Manegoldi abbatis 6. qui fuit dominicæ natiuitatis 1163. Imperator pascha Wormatiæ celebrauit, & in octaua solennem curiam Moguntiæ habuit. Porro ciues pene omnes, paucis de inferioribus exceptis, ne ab Imperatore inuenirentur, de ciuitate fugerunt, ob necẽ Arnoldi archiepiscopi, in monasterio sancti Iacobi factã, de qua supra diximus. Vnus quidẽ Brinigerus nomine, de tanta turba sceleratorũ captus, & ante Imperatorem adductus, capitalem sententiam accepit. Godefridus abbas sancti Iacobi Imperatori præsentatus, vt se de obiectis purgaret, inducias accepit. Sed cum se de interfectione ipsius archiepiscopi expurgare non posset, decreto Imperatoris & principum de abbatia pulsus, etiam abiurare patriam & Moguntinæ ecclesiæ prouinciam compulsus est. Monachi vero eiusdem cœnobij iussu Imperatoris omnes in vna domo inclusi, qui ante obedientiarij erant, videntes in malo se positos, alij per fenestras, alij quocunque ingenio poterant, fugam captabant. Cæteri seniores, debiles & infirmi fugere non valentes, abire permissi sunt. Abbate itaque vna cum monachis omnibus expulso, & monasterio sancti Iacobi penitus destructo, locus ille per annos 14. sine habitatoribus mansit desolatus, sicq;

*Abbas S. Iacobi abbatia & patria pulsus.*

*Monasterium S Iacobi destruitur.*

diuinæ laudis obsequia ibidem sunt intermissa. Denique ad comprimendam ciuium idolentiam, murus in circuitu ciuitatis iussu Imperatoris, ex toto destructus est, & in pulverem resolutus. Et sic Moguntia sine muro per annos triginta septem permansit.

*Murus Ciuitatis destruitur per annos 37.*

Hoc etiam anno quidã hæretici de secta eorum, qui Cathari nuncupantur, de Flandriæ partibus ad Coloniam venientes, in quodam horreo prope ciuitatem occulte mansitare cœperunt. Sed dum nec Dominico die Ecclesiam intrarent, à circumiacentibus detecti sunt. Ad examen ergo sanctæ matris Ecclesiæ perducti sunt, hæretici pertinacissimi inuenti sunt.

*Cathari hæretici.*

*Eckbertus Abbas Schonaugensis nostri ordinis.*

Claruit his temporibus Eckbertus, abbas monasterij sancti Florini confessoris, in Schonaugia, diœcesis Treuerẽsis nostri ordinis, frater beatæ Elisabeth sanctimonialis viginis, vir in diuinis scripturis doctissimus & magni nominis ac famæ, suo tempore, inter doctores Ecclesiasticos. Hunc ergo clerus & maiores ciuitatis Colonien sis, tanquã virum doctum, sibiq; ab olim, quũ adhuc esset in ecclesia Bonnensi canonicus, bene notũ, quem non minus sanctitate conuersationis venerabilẽ, quam eruditione scripturarũ insignem sciebant, ad examinandum præfatos hæreticos, per literas & nuncios ad Coloniam vocauerunt. Veniens autem Coloniam Eckbertus abbas, anno præfato Dominicæ natiuitatis millesimo centesimo sexagesimo tertio, indictione vndecima, secundo die mensis Augusti, publicum disputationis certamen, cum tribus hæresiarchis, qui cæteris acutiores videbantur, inijt: Arnoldo videlicet, Marsilio & Theodorico, quos licet essent acutissimi, tamen fortiter disputando conuicit, ita vt penitus contradicere non valerent.

*Catharos hæreticos disputando superauit.*

Quumq; nullis rationibus, nullis authoritatibus, nullisque admonitionibus induci possent, vt suo renunciarent errori, sed in suo proposito pertinacissime persisterent, ab Ecclesia prorsus eiecti sunt, & in manus laicorum traditi. Qui eos extra vrbem educentes, nonis Augusti ignibus tradiderunt, mares octo, fœminas duas. Erat inter eos iuuencula vna, quæ dum miseratione populi prope seruaretur, si forte interitu aliorum territa, saniori cõsilio acquiesceret, subito de manibus se tenentium elapsa, vltro se ignibus iniecit & perijt.

*Cathari Colonia exusti.*

Fuerunt autem isti hæretici multis erroribus implicati, Cataphrygi, siue Cathari, eo dicti quod se mundos & solos Christianos esse dicebant: cæteros vero omnes homines, immundos & hæreticos. Rectores Ecclesiarum, prælatos, sacerdotes, & omnem clerum contemnentes, deceptores animarum & laqueos diaboli appellabãt. Sacramenta Ecclesiæ irridebant, & sacrosanctum corpus & sanguinem negabant. Luxuriam inter se quomodocunque, aut cum quibusq; perpetratam, dicebant non esse peccatum: allegantes, *Omnia munda mundis.* Alios quoque multos & abominabiles profitebantur errores, de quibus scribere propter honestatem erubescimus.

*Errores Catharorum pessimi multi fuerunt.*

*Hildegardis scribit contra Catharos.*

Aduersus Catharos istos sancta Hildegardis per spiritum sanctum inspirata, ad canonicos maioris ecclesiæ Moguntinæ scripsit epistolam, quæ sic incipit: *Mense Iulio præsentis anni, qui est millesimus centesimus sexagesimus tertius dominicæ incarnationis, &c.* Originem autem hæresis huius habuit ex fecibus Tauchelini, de quo longe superius diximus, anno Volmari abbatis quinto, qui in partibus inferioribus, & maxime in Antuerpia, spurcissimos disseminauit errores, Adamitarumq; resuscitauit hæresin.

*Origo hæresis Catharorum.*

*Hæc hæresis nondum extincta.*

Et licet per fratres sancti Norberti, ordinis Præmonstratensis primi fundatoris, eadem hæresis tunc fuerit pro maiori parte, in illa præsertim regione extincta: toties tamen interea repullulauit in diuersis mundi prouincijs, & maxime in regno Bohemiæ, in Alsitia, Thuringia, vt vsq; in præsentem diem veneno prauitatis suæ multos infecerit: & nec hodie credatur in toto exstincta, quamuis valde occulta sit, & paucissimis cognita. Nam metu ignis, semper occulta latibula professores huius erroris amare consueuerunt. Quia vero Eckberti abbatis mentio incidit, dicendum nobis est, quis & quantus fuerit. Fuit autem natione Teuthonicus, frater S. Elisabeth monialis & abbatissæ Schonaugiensis Treuerensis diœcesis ordinis nostri. Qui cum esset canonicus ecclesiæ Bonnensis, monitis sororis suæ deuotissimæ iam dictæ consentiens, mundum & omnia quæ in mundo sunt, pro Christi amore deseruit, & sub Hildelino primo Schonaugiensis cœnobij abbate monachus factus est. Quo defuncto, in eius locum succedens, electione fratrum abbas constitutus est.

*Eckbertus iste Abbas quis fuerit.*

*Vir doctus fuit. Opuscula Eckberti.*

Erat autem vir tam in diuinis scripturis quã in secularibus literis suo tempore inter omnes huius prouinciæ doctores eruditissimus, in declamandis homilijs sermonibusque ad populum promptus & eloquens, & ingenij sui multa posteritati sopuscula gemino stylo conscripta reliquit. E quibus ad nostram lectionem pauca peruenerunt. Contra hæreticos

reticos scripsit librum vnum. Hic eius liber contra Catharos, extat cusus Coloniæ, anno 1530. Item in principium Enangelij Ioannis. Item super Euangelium, Missus est angelus: pulchrum tractatum non spernendum. Epistolas quoque plures ad diuersos. Item Sermones & multos & varios composuit. Scripsit etiam vitam, conuersationē, reuelationes, & obitum B. sororis suæ Elisabeth: de qua postea dicemus. Sed & carmina diuersi generis, & Orationes deuotioni congruas, complures edidit: de domino Iesu, deq; sanctissima eius genetrice virgine Maria, & sanctis quibusdam alijs multis & diuersis.

*Abbas Schonaugiensis fuit.*

Tandem mortuo Hildelino primo abbate monasterij prædicti Schonaugiēsis nonis Decemb. anno Domini 1167. pari consensu fratrum abbas in eodem cœnobio constitutus est, præfuitque annis 18. & 5. calen. Aprilis non sine opinione sanctitatis, de hac vita migrauit.

*Hæreticum de Cardonā conuicit.*

Tantæ autem eruditionis fuit, vt hæreticum quendam Cardensem natione, de corpore & sanguine Domini male sentientem, & pessime dogmatizantem, qui propter subtilitatem ingenij & linguæ volubilitatem, cunctis etiam doctissimis formidabilis erat, in publico conuentu doctorum apud Confluentiam prima disputatione conuicerit, & ab errore suo ad professionem veritatis reuocarit.

MCLXIIII.

*Archiepiscopus Saltzburgensis interficitur.*

Anno Manegoldi abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1164. archiepiscopus Saltzburgensis à ministerialibus S. Ruperti crudeliter interemptus est. Imperator iterum in Italiam regreditur.

*Mare terminos suos egreditur.*

Oceanus in partibus inferioribus limitem suum per 12. miliaria, 14. calen. Martij egressus, multa millia hominum vtriusque sexus & diuersæ ætatis, maxime circa fluuium Weseram, submersit.

*Horrendæ tempestates aëris.*

Eodem anno in die parasceues, 4. videlicet iduū Aprilis, Alexandro papa, qui & Rolandus, apud Senonas, diuina celebrante, horribiles tenebræ factæ sunt: & dum quidam cardinalis passionem legeret, atque in eum locum vbi dicitur Consummatum est, veniret, tam horrendum fulgur cecidit, & deinde tantus fragor intonuit, vt papa dimisso altari, & diaconus dimissa lectione, & omnes qui aderant, fuga sibi consulendū esse iudicarēt.

*Victor papa obiit Paschalis succedit.*

Hoc ipso anno Victor papa apud Lucam obijt, ibique sepultus est. Cui Wido Cremensis episcopus, 10. calen. Maij, ab Henrico Leodiensi episcopo ordinatus, Paschalis tertius appellatus est.

*Conradus archiepiscopus Moguntinus expellitur, Christianus eligitur.*

Eodem anno Conradus archiepiscopus Moguntinus (de quo supra diximus) Alexandro papæ & contra voluntatem imperatoris, fide & iuramento confœderatus est, atq; ab Imperatore & eius antipapa recessit. Vnde indignatus Imperator de archiepiscopatu Moguntinensi eum expulit, & fugere ad ipsum patrem Alexandrum coegit. Quo pulso, in locum eius fuit ordinatus Christianus, quem ante ipsum electum à Moguntinensibus, supra diximus. Huius Christiani archiepiscopi ad sanctam Hildegardē extat epistola, in qua se orationibus eius commendans humilime, rescriptum eius & diuinam admonitionem petit & impetrat. Tandem vero post Christianum Conradus iterum ad archiepiscopatum suum Moguntinum est reuersus.

*Conradus comes palatinus.*

Eodem anno Conradus comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris Friderici primi, diœcesin Colonien sem incendio ex præda petens, bellum eis indixit, posito termino secunda feria Rogationum in campo Andernacensi. Colonienses statuto die ad certamen præparati cum 125000. armatorum in prædicto loco conuenerunt: quorum fortitudine per exploratores recognita, Conradus Palatinus non ausus est venire, licet ab illis per dies 12. fuerit expectatus.

Eodem anno cal. Octobris Imperator de Italia reuersus curiam in octauis S. Martini celebrem apud Bambergam habuit, vbi inter Conradum comitem Palatinum fratrem suum & Reinoldum electum & Colonienses pacem reformauit.

MCLXV.

*S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis exulat.*

Anno Manegoldi abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1165. S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, dum libertatem & iura ecclesiæ suæ fortiter cōtra tyrannidē regis Anglorum defenderet, ab eo patria simul & archiepiscopatu pulsus est, veniensque in regnum Francorum primo in cœnobio Pontiaco moratus est. Postea Senonis in monasterio S. Columbæ regijs expensis sustentatus est.

*Curia principum Herbipoli celebratur.*

Eodem anno natus est Imperatori filius nomine Henricus apud Nouiomagum. Ipso quoq; anno Imperator curiam celeberrimam in Herbipoli celebrauit ad diē Pentecostes vbi tam ipse Imperator quā cæteri principes omnes iurauerunt, quod papa suum Pascha-

lem nunquam desererent, nec ad partes Alexandri aliquādo transirent. Ibi tunc primum Reinoldus Colonienſis electus, ſabbato quatuor temporum, cum alijs multis nouiter electis, in presbyterum ordinatus est. Postea vero 6. nonas Octob. in archiepiſcopum Coloniæ electus est à Philippo Osnaburgenſi episcopo, Imperatore Friderico, vna cum ſua Imperatrice præſentibus.

*Manegoldus abbas obyit.*

Eodem quoq; anno in die ad vincula Petri, quæ est cal. Auguſti poſt meridiem, Manegoldus abbas huius cœnobij Hirſaug. decimus ſeptimus, anno ætatis ſuæ nono & ſexageſimo, abbatiæ vero octauo cum menſibus quatuor & diebus ſex. Conſummato ex hac vita ad Dominū migrauit, & ante altare S. archangeli Michaelis ſepultus est. Vir certe memoria dignus, qui etſi fratrum ſuorum aliquando murmurationes ſuſtinuit, quemadmodum prædiximus: tamen cauſa diſplicentiarum non ex malo, ſed potius ex bono regularis diſciplinæ deſcendit zelo. Amator ſiquidem monaſticæ conuerſationis feruentiſſimus erat, qui cum delinquentes monachos durius ſecundum regulam monaſticam corrigeret, infirmorum contra ſe odium prouocauit. Verum poſteaquam per S. Hildegardem ſemel admonitus est, ſeueritatem in pietatem maximam commutauit, & pax inter eum & fratres ſumma, vſque ad mortem eius conualuit.

*Regularis diſciplinæ amator fuit maximus.*

## *DE RVPERTO, HVIVS MONASTERII XVIII. ABBATE, QVI præfuit annis 11. & de eius conuerſatione, certiſque geſtis illius temporis.*

ANno dominicæ natiuitatis 1165. altera die poſt feſtum ad vincula Petri, quæ fuit 4. nonarum Auguſti, mortuo atque ſepulto (ſicut diximus) Manegoldo venerabili abbate, conuenientes in vnum fratres huius monaſterij, vt ſibi de paſtore nouo prouiderēt: multis quidem & neceſſarijs tractatibus inter ſe habitis, poſt humilem inuocationem gratiæ ſpiritus ſancti in abbatem vnanimiter elegerunt venerabilem virum Rupertum, eo tempore priorem in Schonfē. Electus autem cum difficultate maxima, vix tandem induci à fratribus potuit, vt conſentiret, quippe qui experientia docente cognouerat, plus periculi ineſſe prælaturæ clauſtralium quā honoris. Fuerat enim antea (ſicut dicemus) abbas in Gotzavv. Vnde quanta neceſſario patiatur, prælatus monachorum in multis admodū fuit expertus. Renuit ergo ſuſcipere huius magni & inſignis cœnobij abbatiam, qui ſe in minore, quæ tanti nominis non extitit tantas paſſum iniurias animo reuoluebat intento. Victus tandem precibus fratrum, poſtquam diu reluctatus eſſet, conſenſum præbuit, & onus paſtoralis curæ portandum pro amore Dei humiliter ſuſcepit, in quo per annos vndecim Domino ſtrenue militauit. Munus benedictionis, quod in Gotzaugienſi abbatia quondam ſuſceperat, etiam in iſta ſufficiebat.

*Rupertus in Abbatem electus eſt.*

*Diu ſuſcipere abbatiam renuit.*

Qui ex Francia orientali honeſtis parentibus ortus, ad ſtudium literarum in pueritia poſitus, moribus bonis & ſcientia ſcripturarum cum ætate annorum non ſegniter profecit, & in breui tempore multos ex coætaneis ſuis in vtroq; ſuperauit. Deinde creſcentibus annis diuina inſpiratione attactus, ſub Volmaro abbate in hoc cœnobio monachus factus est, vbi ſe ſpirituali exercitio totum dedit, ita vt in multis etiam ſenioribus, iuuenis exemplar virtutum exiſteret. Fuit autem quantum ad diſpoſitionem corporis attinet, homo ſatis decorus, ſtatura procerus, vultu pulcher & iocundus, inceſſu rarus & firmus, voce ſonorus, ſermone maturus atq; diſertus.

*Vita Rupertiabbatis. Rupertus fit monachus hic.*

Moribus vero compoſitus & placidus erat, conſilio promptus & caurus, & in omnibus actionibus circunſpectus. Mitiſſimæ ac tranquilliſſimæ inter fratres cōuerſationis extitit, & nullū vnquā per iniuriā offendit. Deniq; cum tanta ſe diligentia ad ſeruiendum omnipotēti Deo contulit, vt ſemper in choro cum primis intraret, exiretq; cum vltimis, & die noctuq; lectioni ſcripturarū, meditationibusque ſanctis & orationibus, ferme continuus vacaret. Tandē cum ſe virtutū eius fama circūquaq; etiā ad extraneos diffunderet, fratres Gotzaugienſis cœnobij, qp quatuor ab Hirſaugia miliaribus diſtat, eius nomine & opinione prouocati, cum eſſent paſtore viduati, eum in abbatē ſuper ſe vnanimi electione poſtulantes impetrauit. Qui poſt humilem excuſationē, tandem abbatis ſui conſtrictus imperio, onus ipſum paſtoralis curæ ſuſcepit, & per epiſcopū Spirenſem ordinatus ſecundū conſuetudinem ſolēniter fuit. Ordinatus autem abbas, omne ſtudiū ſuum pro inſtauratione monaſterij ſui prænominati Gotzaugienſis in vtroque ſtatu iam iamque labentis adhibuit, & in temporalium rerum reductione non mediocriter profecit. In ſpiritualibus autem rebus non vſq; adeo proficere potuit, tum propter fratrum quorundam importunitatem, tum etiā quod ſecularium amicorum eorundem proteruia non parū obſiſteret.

*Conuerſatio eius laudabilis.*

*Rupertus fit abbas in Gotzau.*

*Abbatiam ſuam in Gotzau Rupertus dimiſit.*

Cumq; proteruia monachorū obſiſtente ſe parū proficere cerneret, relictis illis quos incorri-

incorrigibiles nouerat, abbatiam resignauit posteaquam illam per annos aliquot gubernasset, malens cum fratribus suis Hirsaugiensibus abiectus in humilitate consistere, quam in abbatia sine fructu cum reprobis monachis præsidere. Dimissa igitur abbatia præfati monasterij Gotzaugiensis, ad Hirsaugiam reuersus est, & à fratribus cum magna charitate receptus, priorem locum obtinuit, & vitam inter eos tranquillam, vt antea consueuerat, sine reprehensione continuauit.

*Prior ad Schonrem ordinatur.*

Postea vero ad monasterium Schonrem, supremus prior & rector consilio & assensu fratrum huius cœnobij per Volmarum abbatem ordinatus est, vbi per annos ferme decem satis vtiliter præfuit, & ipsum prioratum non minus in spiritualibus quam in temporalibus rebus ampliauit.

*Abbas Hirsaug. constituitur.*

Tandem post decessum Manegoldi abbatis, cum inter fratres Hirsaug. eo non reperiretur vtilior, communi consilio & vnanimi omnium consensu in abbatem huius monasterij electus est, anno supradicto natiuitatis Christi 1165. indict. 13. 4. nonas Augusti, & præfuit (sicut diximus) annis 11. Erat autem in obseruantia regularis disciplinæ satis admodum zelosus & feruidus, sed quia dies mali erant, fuitque necessarium redimere tempus, non sicut voluit, sed vt potuit, fratres gubernauit. Cœperant enim iam tunc à feruore primæuæ institutionis tepescere, nec facile erat diffluentes nimium, tam subito reuocare. Multos ergo labores pro instauratione monasticæ perfectionis adhibuit, multasque propterea iniurias ab infirmis subditis recepit. Vnde necessitate compulsus, ne ex malis deteriores fierent, tacuit & prudenti moderamine quantum licuit, pro meliori dissimulauit.

*Disciplina fratrũ Hirsaugiensium hoc tempore tepuit.*

Quantum vero ad statum rerum temporalium pertinet, substantiam monasterij nõ minuit, sed ampliauit: & præter donationes à fidelibus suo tempore factas complures, quæ in libro Donationum habentur, etiam ipse, prædia & prata non pauca ad vsus fratrum cõparauit. Ipse quoque abbas Rupertus in maiori cœnobio Hirsaugiensi, ad plagam septentrionalem capellam pulchro tabulatu construxit in honorem S. Nicolai magni archiepiscopi Myreorum in qua & frequentius missarum solennia celebrare consueuit.

*Capella S. Nicolai fundatur. Wolframus abbas*

Quam quidem capellam post annos 278. Wolframus abbas nimia vetustate pene collapsam de consensu & permissione Reinhardi Spirensis episcopi destruxit, & altare ipsum in ecclesia monasterij ad sinistrum latus aræ sanctæ crucis, transferens in honorem sanctorum Petri Apostoli, Nicolai, Vdalrici, & Aurelij pontificum, & Galli abbatis, per ministerium Petri episcopi Myrensis, præfati Reinhardi præsulis, in Pontificalibus vicarij generalis consecrauit, quemadmodum suo loco dicemus.

MCLXII.

*S. Elisabeth monialis prophetissa obiit.*

Anno Ruperti abbatis primo currente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1162. sancta & Deo dilecta virgo Elisabeth monialis nostri ordinis, magistra virginum Christi in Schonaugia Treuerensis diœcesis, soror Eckberti abbatis ibidem in cœnobio monachorum, de quo supra fecimus mentionem, anno ætatis suæ sexto & tricesimo, conuersionis ad ordinem quarto & vigesimo, visitationis autem cœlestis gratiæ tertiodecimo, vocante Domino nostro Iesu Christo, ex hoc mundo transiuit ad ipsum sponsum suum, quem puro semper corde amauit, sepulta in monasterio virorum, ibidem in ecclesia principali ad Aquilonem; cuius vitam, conuersationem, miracula & reuelationes frater eius præfatus abbas Eckbertus, ad multorum ædificationem descripsit. Hæc virgo cum esset annorum duodecim, ad monasterium pauperum virginum Christi in Schonaugia Domino Deo sub regula S. patris nostri Benedicti, & magisterio Hildelini primi abbatis & fundatoris vtriusque cœnobij, monachorum videlicet & monialium syncere famulantium, à parentibus tradita fuit, vbi tam sancte, tam pure, tam religiose vixit, vt multis mirandis reuelationibus diuinitus meruerit crebrius in hac mortalitate consolari.

*Vita eiusdẽ sacra Virginis.*

*Reuelationes multas habuit.*

Anno namque conuersationis suæ vndecimo, qui fuit ætatis tertius & vicesimus, manus Domini super eam facta est, & cœpit mirabiles habere visiones, chorisque interesse angelicis, & arcana mentium diuinitus illustrata reuelare. Et quandiu deinceps vixit, diuinis reuelationibus recreata fuit, & hoc maxime diebus dominicis, & in festis sanctorum, tempore diuinorum in choro, vbi maior omnium feruebat deuotio.

*Modus visionum eius fuit.*

Modus autem visionum, seu reuelationum is erat. Cadebat super eam quædam passio præcordiorum, ita vt lapsa repente in ecstasin velut exanimis perduraret, quieta iacens, vel sedens immobilis, nullusq; in ea sentiri halitus posset. Quo durante excessu, spiritus rapiebatur ad diuersa loca, & angelicis interea locutionibus informabatur. Tandem vero post longum excessum, resumpto spiritu sanctissima verba proferebat, aliquãdo in lingua Teuthonica, quæ illi patria fuit, aliquando vero in Latina, cũ Latini sermonis pene nullã

haberet intelligentiam. Spiritus enim qui loquebatur in ea, vt voluit verba formauit. Tota vita eius quasi longum quoddam martyrium fuit, quippe quæ sub regulari disciplina constituta, iugum dominicum multiplici flagello passionum longo tempore portauit. Manus enim Domini super eam semper fuit extenta, & flagellum pij conditoris nunquam ei defuit, premens animum & conterens debile corpus infirmitate continua. Quæ quamuis languoribus vexaretur continuis, semper tamen patiens, semper hilaris & tranquilla mente & corpore extitit, psalmis, orationibus, ieiunijs, lachrymisque & voluntaria castigatione se macerans, sacrificium acceptabile Domino immolauit. Diuinis autem reuelationibus informata, plura ad ædificationem fidelium scripsit, de quibus nos subiecta legimus: Viarum Dei, pulchrum & necessarium opus, in quo plures ponuntur sermones de via contemplatiuorum, actiuorum, martyrum, coniugatorum & continentium, quod sic incipit: *Factum est in anno quinto visitationis meæ, &c.* Item de historia, origine, inuentione & nominibus vndecim millium virginum opusculum edidit, angelica reuelatione informata, quod sic incipit: *Vobis qui pios affectus ad ea quæ sancta sunt geritis, ego Elisabeth famula ancillarum Domini quæ sunt in Schonaugia, aperio ea quæ mihi per gratiam Dei reuelata sunt.* Item diuersarum reuelationum, in varijs materijs, causis & propositionibus, tres libros composuit, capitula centum quatuor & quadraginta continentes, in quibus multa pulchra & vtilia descripsit, quorum primus sic incipit: *Petis à me frater, & ad hoc venisti, vt aurem tibi misericordias Domini.* Secundus vero sic: *Benigna est misericordia Dei nostri.* Tertius autem sic: *Assumpsit me angelus Domini in spiritu, in locum celsitudinis magnæ.* Item ad interrogata multorum, plures conscripsit epistolas responsales, inter quas vna satis prolixa extat ad S. Hildegardem magistram sororum apud Bingios, quam ex certa consideratione de verbo ad verbum inserere nobis placuit huic operi nostro, vt sequitur: *Dominæ Hildegardi venerabili magistræ sponsarum Christi, quæ sunt apud Bingiam, Elisabeth humilis monacha & magistra sororum quæ in Schonaugia sunt, deuotas cum omni dilectione orationes. Gratia & consolatio altissimi repleat vos gaudio, quia meæ perturbationi benigne compassa estis, sicut ex verbis consolationis mei intellexi, quem de mei consolatione diligenter commonuistis. Sicut enim vobis de me reuelatum fuisse dixistis, fatear vere quandam perturbationis nubem me nuper in animo concepisse, propter meptos sermones populi multa loquentis de me quæ vera non sunt. Sed vulgi sermones facile sustinerem, si non & hi qui in habitu religionis ambulant, spiritum meum acerbius contristarent. Nam & hi nostra quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me deridet: & de his quæ ignorant, temere iudicare non formidant. Audio & quosdam literas de suo spiritu scriptas sub meo nomine circumferre, de iudicio deme prophetasse diffamantes: quod certe nunquam facere præsumpsi, cum omnium mortalium cognitionem effugiat eius aduentus. Sed huius famæ occasionem vobis aperiam, vt iudicetis vtrum præsumptuose quicquam in hac re fecerim aut dixerim: sicut per alios audistis, magnificauit Dominus misericordiam suam mecum, supra quam meruerim, aut mereri vllatenus possim: in tantum, vt cælestia quædam mihi sacramenta frequenter reuelare dignatus sit. Significauit etiam mihi per angelum suum frequenter, qualia ventura essent super populum suum in his diebus, nisi pœnitentiam agerent de suis iniquitatibus suis, atque vt palam hæc annunciarem, præcepit. Ego autem vt arrogantiam euitarem, nec auctrix nouitatum viderer, in quantum potui, omnia hæc studui occultare. Cum igitur solito more quadam dominica die essem in mentis excessu, astitit mihi angelus Domini dicens: Quare abscondis aurum in luto, hoc est verbum Dei quod per os tuum missum est in terram, propter facies distortas: non vt abscondatur, sed vt manifestetur ad laudem & gloriam Domini nostri, & saluationem populi sui. Et hoc dicto, eleuauit super me flagellum, quod quasi in tra magna quinquies mihi infixit amaritone, ita vt per triduum in toto corpore meo ex illa percussione languerem. Post hæc apposuit digitum oris meo dicens: Eris tacens vsque ad horam nonam, quando manifestabis ea, quæ operatus est Dominus tecum. Ego igitur vsque ad horam nonam muta permansi. Tunc significauit magistræ, vt adferret ad me libellum quendam, quem in stratu meo absconderam, continentem ex parte ea quæ fecerat Dominus mecum. Quem cum offerrem in manus Domini abbatis Hildelini, qui ad visitandum me venerat, soluta est lingua mea in hæc verba: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Post hæc cum & alia quædam ipsi reuelassem, quæ scriptis committere nolueram, videlicet de vrsula Domini magna, quam vniuerso mundo in breui superuenturam ab angelo didiceram, rogaui illum diligentissime, vt verbum illud apud se haberet absconditum. Præcepit autem mihi ipse dominus abbas, vt operam darem orationi, atque à Domino postularem quatenus daret mihi intelligere, vtrum ea quæ dixeram darem orationi, atque à Domino postularem quatenus daret mihi intelligere, vtrum ea quæ dixeram, silentio tegi vellet, an non. Cumque per aliquod tempus pro hac re orationi insistendo me offerrem, in aduentu Domini, in festiuitate S. Barbaræ in prima vigilia noctis corrui in ecstasin, & astitit mihi angelus Domini dicens, Clama fortiter, & die heu ad omnes gentes, quia totus mundus in tenebras est conuersus. Et dices: Exite, ille vos vocauit, qui de terra vos formauit, & die pœnitentiam a-

gite.

*Quasi semper fuit infirma.*

*Tituli & nomina librorū eius. Viarū Dei. De 12. Virginibus.*

*Variarum quoq; reuelationum.*

*Epistola S. Elisabeth ad S. Hildegardem.*

*Multi insipientes visiones S. Virginis irridebant.*

*Elisabeth reuelationes suas celare voluit.*

*Ab Angelo percussa fuit. Visiones ab batis suas reuelat.*

*Angelus præcipit visiones eius publicari.*

gite, quia prope est regnum. Hoc igitur sermone inductus dominus abbas cœpit diuulgare verbum coram magistratibus ecclesiæ & viris religiosis. Quorum quidam cum reuerentia exceperunt verbum, quidam vero non sic, sed sinistre de angelo qui familiaris mihi est, locuti sunt, dicentes eum esse illusorem spiritum & in angelum lucis transfiguratum. Vnde & ipse dominus abbas per obedientiam me constrinxit, præcipiens, vt cum mihi rursus appareret, per nomen Domini illum adiurarem, quatenus indicaret mihi, vtrum verus Dei angelus, an non. Ego autem præsumptuosum id æstimans, cum timore magno præceptum hoc suscepi. Quadam igitur die cum essem in excessu meo, solito more se mihi obtulit, & stetit in conspectu meo. Et dixi tremens ad eum, Adiuro te per Deum patrē & filium & spiritū S. vt recte dicas mihi, si verus Dei angelus sis, & si veræ sint visiones quas vidi in excessu meo, & ea quæ ex ore tuo audiui. Respondit ac dixit: Scias pro certo, quia verus angelus Dei sum, & veræ sunt visiones quas vidisti, & quæ de ore meo audisti veræ sunt, & vere fient, nisi recōcilietur hominibus Deus, & ego ipse sum, qui diu laboraui tecū. Post hæc in vigilia Epiphaniæ dum orarem rursus apparuit mihi Dominus meus, sed procul à mestans, & facie habens auersam à me. Ego autē indignationem eius intelligens, dixi illi cum timore, Domine mi, si molesta fui tibi in eo q adiuraui te, ne quæso imputes mihi, conuerte obsecro faciem tuā ad me, & esto mihi placabilis, quia constricta per obedientiam feci, neq; ausa fui trāsgredi mandatū præceptoris mei. Cumq; in huiusmodi verbis multas lachrymas profudissem, conuersus est ad me dicens, Contemptū mihi fecisti & fratribus meis, quia diffidentiam habuisti ad me. Vnde pro certo noueris, quia vltro non videbis faciē meam, neq; vocem meā audies, nisi placatus fuerit Dominus & nos. Et dixi, Domine mi, quomodo placari poteritis? Et ait, dices abbati tuo, vt in memoriam mei & fratrum meorū celebret diuinum officium deuote. Cum ergo nō semel, sed pluribus vicibus, tam à domino abbate quam à reliquis fratribus missarum solennia ad honorē sanctorum angelorū celebrata fuissent, simulq; sorores Psalmorū lectionibus eos honorassent, rursus apparuit mihi Dominus meus placido vultu, dixitq; ad me: Scio quoniam in charitate & obedientia factum est quod feci sti, idcirco venia consecutaes, & de cætero frequentius te visitabo quam hactenus. Post hæc cum dominus abbas ire disponeret in locum quendam, rogatu clericorum illic manentium vt prædicaret verbum comminationis Domini in populo, si forte pœnitentiam agerent, & auerteretur ira Dei ab illis primum aggressus est deprecari Dominum vna cum omnibus nobis, vt nobis reuelare dignaretur ancillæ suæ, vtrum sermonem qui iam manifestus esse cœperat, amplius diuulgari oportet, an non. Ipse igitur diuina mysteria celebrante, & nobis deuotissime orantibus subito dissolutæ sunt compages membrorum meorum, & elanguit, & veni in mentis excessum. Et ecce angelus Domini stetit in conspectu meo, & dixi ad eum, Mementō mi Domine, quod dixeris ancillæ tuæ, verbum Dei per os meum missum in terram, non vt abscondatur, sed vt manifestetur, ad gloriam Dei & salutationem populi eius. Et nunc indica mihi, quid oporteat fieri de verbo illo comminationis quod locutus es ad me. Nunquid iam satis manifestum factū est, an adhuc amplius prædicandum? At ille seuero me aspectu intuens, ait: Noli tentare Deum: qui enim tentant illum, peribunt. Et dices ad abbatem: Noli timere, sed perfice quod cœpisti. Vere beati sunt qui audiunt verba exhortationis tuæ, & seruant ea, & non fuerint scandalizati in te. Hoc autem illi suggeras, vt eam formam quam hactenus in prædicatione habuit, non immutet. In hoc enim consiliarius illius ego fui. Dicito illi, vt nequaquam attendat verba eorum, qui ex inuidia dubie loquuntur, de his quæ dicta sunt in te, sed attendat quod scriptum est: Quia nihil impossibile apud Deum. Hoc igitur sermone animatus, locum quem adire disposuerat, adiit: & populum qui eius aduentum præstolatus fuerat, ad pœnitentiam exhortatus est, annuncians iram Dei cunctis superuenturam, nisi pœnitentiæ fructibus eam præuenire studerent. Quales autem plagæ mundo imminerent, nequaquam veluti diffamatus est, in aliqua prædicatione sua enarrauit. Factum est igitur, vt multi apud quos sermo iste diffamatus est, per totum tempus quadragesimale in timore magno per pœnitentiam sese affligerent, eleemosynis q; & orationibus studiose insisterent. In tempore illo quidam (nescio quo zelo ductus) ad vrbem Coloniam in persona domini abbatis ipso ignorante, Deus nouit, literas direxit, in quibus terribiles quædam comminationes audiente omni populo lectæ sunt. Vnde quanquam ab insipientibus illusum nobis sit, prudentes tamen (vt audiuimus) reuerenter sermonem animaduerterunt, & pœnitentiæ fructibus Deum honorare non contempserunt. Factum est autem in quarta feria ante diem paschæ, cum post magnos labores corporis in ecclasin venissem, apparuit mihi angelus Domini, & dixi ad eum: Domine quid fiet de verbo quod locutus es ad me? Qui respondit, Noli contristari, neque perturberis, si non in die quem determinaui tibi, euenerint quæ prædixi, quorum multorum satisfactione placatus est Dominus. Post hæc in sexta feria, post horam tertiam cum graui passione veni in excessum mentis, & rursus astitit mihi, dicens: Vidit Dominus afflictionem populi sui, & auertit iram indignationis suæ ab eis. Cui dixi: Quid ergo Domine mi? Nonne ero in derisionem omnibus, apud quos hoc verbum diuulgatum est? Qui ait, Omnia quæ occasione hac euenerint, tibi patienter, & benuole sustineto, illum diligenter aduertens, qui cum esset totius orbis creator, hominum irrisiones sustinuit. Nunc primum patientiam tuam Dominus probat. Ecce domina mea, totum ordinem rei vobis explicaui, quatenus

*Visiones Elisabeth quidam spreuerunt.*

*Elisabeth angelum ap parentem sibi adiurat.*

*Angelus pœnitentiam S. Virgini iniunxit.*

*Angelus placatus ap paruit.*

*Hildelini abbatis in Deum deuotio.*

*Verba Virginis ad angelum.*

*Verba angeli ad virginem.*

*Abbas ad pœnitentiā populum conuertit.*

*Præsumptuosa cuiusdam scriptio.*

*Iterum angelus virgini apparuit.*

*Ad patientiam hortatur eam.*

*& vos innocentiam meam & abbatis nostri cognoscatis, & aliis manifestare possitis. Obsecro autem, vt & orationum vestrarum participem me faciatis, & prout spiritus Domini vobis suggesserit, aliqua mihi consolatoria verba rescribatis. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum sit. Amen.*

MCLXVI.

*Hyemi dura.*

Anno prænotato, quo sancta virgo Elisabeth de corpore migrauit, qui fuit Ruperti abbatis 1. annus, hyems fuit asperrima, & subsecuta est fames magna cum pestilentia & multis malis.

MCLXVII.

Anno autem Ruperti abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1167. obijt Henricus episcopus Herbipolensis, cui Heroldus succedens præfuit annis 7. mensibus 5 diebus 2. *Heroldus episcopus Herbipolensis.* Huic episcopo Heroldo Fridericus Imperator ducatum Franconiæ sub aurea bulla primus confirmauit, cum omni potestate ac iurisdictione ducali.

MCLXVIII.

*Arnoldus archiepiscopus Moguntinus occiditur.* Anno sequente Arnoldus archiepiscopus Moguntinus, in monasterio S. Iacobi à ciuibus suis in die S. Ioannis Baptistæ crudeliter occisus est. Huius conspirationis principes fuerunt in clero Godfridus abbas sancti Iacobi, & præpositus ecclesiæ sancti Petri, cum alijs multis in cædem pontificis consentientibus. Peracta cæde venerandi præsulis, crudeles homicidiæ in archiepiscopum elegerunt Rudolphum Conradi ducis de Zeringen filium, qui vt sibi muneribus Imperatorem placaret, omni Ecclesiam spoliauit ornatu. Sed contemptus ab Imperatore, ad sedem pontificatus minime peruenit. Interea dum Rudolphus Imperatorem in Italia commorantem adiret, Conradus comes palatinus Rheni, ex vno parente frater ipsius Imperatoris, Christianum quendam in archiepiscopum sublimauit: verum vtroque refutato Imperator Cōradum fratrem Ottonis comitis Palatini de Witelsbach ordinari in archiepiscopum fecit, quem tamen post biennium (sicut dicemus) expulit, & prædictum Christianum in eius locum ordinauit. Post necem Arnoldi venerandi pontificis, cœnobium S. Iacobi à fautoribus eius destruitur, mansiones monachorum funditus dissipantur, ita quod per annos ferme duodecim nulla in eodem loco diuinæ laudis harmonia celebrata fuit. Monachi hinc inde fuerunt dispersi, & abbas eorum Godfridus per Imperatorem de patria proscriptus. Murus etiam ciuitatis Moguntinæ iussu Imperatoris euersus est in circuitu funditus, ita quod Moguntia per annos 36. sine muro stetit. Ciues autem omnes qui in cecem pontificis consenserant, præter pauperes & mendicos ante reditum Imperatoris de Italia se fuga saluarunt.

*Rudolphus comes de Zeringen.*

*Conradus Palatinus fit archiepiscopus Moguntinus.*

*Monasterium S. Iacobi desolatur.*

*Muri Moguntini destruuntur.*

MCLXX.

*Conradus archiepiscopus Moguntinus pellitur.*

Anno autem Ruperti abbatis Hirsaugiensis monasterij 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1170. Conradus archiepiscopus Moguntinus, propterea quod Alexandro papæ vltro Romæ tertio, contra sententiam Imperatoris adhæreret, ab ecclesia sua pulsus est, in cuius locum Imperator Christianum supra dictum fecit ordinari, qui præfuit annis 13. post cuius mortem ad ecclesiam suam reuersus est. Interea fugiens, ad papam declinauit, à quo cum honore susceptus, Sabinensem episcopatum ab eo in sustentationem vitæ suscepit. Vnde quam diu vixit, etiam ad Moguntiam reuersus, archiepiscopum se Moguntium & episcopum Sabinensem in omnibus literis scripsit.

*Christianus succedit.*

*Imperator ducem Saxoniæ vicit.*

MCLXXII.

*Imperator Moguntiã venit.*

Anno Ruperti abbatis 7. Fridericus Imperator primus Henricum ducem Brunsuicensem imperio eatenus rebellem, tam viribus principum quam imperiali censura subegit, & ad obedientiam venire compulit.

Eodem anno Imperator pentecosten Moguntiæ celebrauit vna cum vxore & Henrico filio suo ac principibus multis, & in eodem die in monasterio sancti Albani extra muros ciuitatis, cum magna solennitate coronatus est. Mansit autem ibi diebus octo, & multa pro vtilitate reipub. constituit. Ibi Hemino comes Flandriæ ad obedientiã se Imperatori subiecit, & ipsum comitatum, modo sine liberis decederet, Imperatoris filio promisit.

Eodem quoque anno moritur Ludouicus marchio secundus Thuringiorum, vir magnarum actionum & animo semper inuictus.

MCLXXIII.

*Caput S. Irmiæ trãsfertur ad Spanheim.*

Anno Ruperti abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1173. caput sanctæ Irminæ virginis, filiæ Dagoberti quondam regis Francorum, quæ fuerat prima ordinis nostri abbatissa in horreo Treuerensi, ad petitionem Domini Craftonis secundi abbatis, ad monasterium meum Spanheimense, Hillino archiepiscopo consentiente translatum est.

MCLXXIIII.

MCLXXIIII.

Anno autem Ruperti abbatis 9. moritur Craffto abbas monasterij mei præfati secundus, 5. calend. Iunij, filius Meginhardi comitis de Spanheim, ætatis suæ 58. in medio chori, cum antecessore suo Bernhelmo in vno sarcophago tumulatus. Cui Adelgerus monachus & custos monasterij mei succedens, præfuit annis 6. mense 1. ac diebus tantum 3. qui ante religionis ingressum, multo tempore scholæ publicæ apud Moguntiacum præfuit, & multos insignes discipulos post se reliquit. *Adelgerus fit abbas Spanheim.*

Eodem anno obijt Heroldus episcopus Herbipolensis, cui successit Reinhardus, & præfuit annis 4. mensibus 10. & diebus 15.

MCLXXV.

Anno Ruperti abbatis 10. qui fuit dominicæ natiuitatis 1175. magna fuit in toto imperio Romano turbatio, propter inobedientiam & rebellionem Friderici Imperatoris primi contra sedem apostolicam. Ipse autem Rupertus abbas & fratres huius monasterij cum sancta Romana ecclesia in primis aperte sentientes, multas à fautoribus Imperatoris molestias & iniurias in rebus & in personis susceperunt, quousque tandem amicorum cõsilio liberati sunt. Vnde cum ingens esset in omni Alemania populorum & cleri maxima turbatio, propterea quod Imperator excommunicatus persequeretur papam verbis, scriptis, & armis, omnesque sentientes cum illo nimium haberet exosos, & tam per se quam per suos multa illis inferret damna & incommoda, multasque iniurias fieri permitteret, viri boni ac Deum timentes in malo se positos cum cernerent, aut fuga se, aut silentio saluare cupiebant. Cum autem Rupertus insignis huius cœnobij abbas inter eos qui summo Pontifici consenserant, vnus esset non vltimus prælatorum, & plures quotidie ab æmulis sustineret iniurias, timens generalem monasterij propter personale odium Imperatoris iacturam, volensque locum iræ concedere, deliberauit abbatiam pro pace fratrum & vtilitate monasterij resignare. *Magna imperij Rom. turbatio.* *Imperator papam persequitur.* *Abbas Ruperti papæ consensit.*

MCLXXVI.

Anno igitur promotionis suæ 11. qui fuit natiuitatis dominicæ annus 1176. iam senio nimium grauatus & curis, abbatiam ad manus fratrum suorum libere resignauit, & pro vitæ sustentatione præposituram in Roth à fratribus susceptit, in qua vixit aliquandiu in laboribus multis, tandemque in Domino quieuit, sepultus ibidem ex præuia sua ordinatione, in limine templi, quatenus pedibus fratrum calcaretur, quod magnum humilitatis eius fuit indicium. Erant enim (vt supra diximus) vir bonus & mitis, qui in omni pace & tranquillitate viuere inter fratres consueuit. Ob eam causam dudum abbatiam in Gotzauu, in qua non poterat tranquille conuersari, dimiserat, & ad monasterium suum Hirsaugiense reuersus est. Est autem monasterium Gotzauu nostri ordinis in diœcesi Spirensi, in comitatu Vorchem, in Francia orientali, in pago qui dicitur Albegauu, iuxta fluuium qui dicitur Alba, constructum à Bertholdo comite de Hennenberg, anno dominicæ natiuitatis 1010. qui fuit octauus annus vacante abbatia huius monasterij Hirsaugiensis, post obitum Conradi abbatis, in quo Rupertus præfuit annis ferme 10. Qui cum monachos ad obseruantiam regularis disciplinæ compelleret, qui nimium à recto tramite monasticæ conuersationis defecerant, multorum contra se odium prouocauit. Cessit ergo & loco & dignitati, malens inter fratres suos Hirsaugienses humiliter viuere, quam inter malos & rebelles monachos sub pastoris onere detrimentum animæ subire. *Rupertus abbatiam resignauit.* *Monasterium Gotzauu fundatur.*

Eodem anno quo Rupertus abbatiam huius monasterij Hirsaugiensis resignauit, obijt 12. calend. Aprilis Clementia monialis nostri ordinis in horreo Treuerensi, filia quondam comitis de Homburg, sanctissimæ conuersationis, quæ diebus ac noctibus intenta orationi ac contemplationi, nihil magis quam Deo placere in omnibus cupiebat. Hæc sanctissima virgo à patre comite Adolpho desponsata olim fuerat domino Crafftoni, filio Meginhardi comitis de Spanheim, quæ cum haberet sanctæ virginitatis propositum, de consensu sponsi apud Treuiros in præfato cœnobio sanctimonialis facta est. Sponsus vero eius in meo cœnobio Spanheimensi, sub Bernhelmo abbate primo monachus factus est, eidem in abbatia successit, & in sancta conuersatione quieuit. *S. Clementia virgo moritur.* *Craffio abbas Spanheim.*

## DE CONRADO, HVIVS MONASTERII XIX. ABBATE, QVI præfuit annis 12. ac de conuersatione certisque gestis eius & illius temporis.

POST resignationem reuerendissimi patris Domini Ruperti abbatis, ne monasterium viduitatis suæ diu sentiret Incommoda, prior & fratres huius cœnobij diem proelectione noui pastoris constituerunt: quo aduenientes, omnibusque electioni interesse debentibus, in loco capitulari conuenientibus, inuocata Spiritus sancti gratia, vt moris est, post maturam deliberationem in abbatem vnanimiter elegerunt venerabilem virum Conradum huius cœnobij monachum, Hermanni comitis de Kilberg fratrem, virum sanctum & optimum, qui post humilem sui excusationem victus, tandem precibus fratrum consensum præbuit, & dignitatem cum onere suscepit. Electus ergo communi fratrum assensu, post dies paucos ab episcopo Bambergensis ecclesiæ in abbatem ordinatus est, præfuitque huic monasterio strenue annis 12. Ordinari autem ab episcopo Spirensi noluit, quoniam contra summum pontificem Friderico Imperatori dudum excommunicato adhæsit. Iste Conradus (vt diximus) ex nobili Sueuorum prosapia ortus, filius comitis generosi de Kilberg, & Hermanni comitis frater extitit, qui ab ineunte sua ætate ad discendum literas positus, non mediocriter in omni scientia tam diuina quam humana profecit. Euadens tandem in virum perfectum, cum diuitijs & honoribus, cum nobilitate generis glorioſus & insignis haberetur, omnia veluti stercora pro Dei amore contemnens, ad præsens cœnobium se contulit, & monachus factus, in omni religione & sanctitate conuersatus fuit. Quanto enim altior & nobilior fuit genere, tanto humiliorem se in omnibus exhibuit in conuersatione. Neminem vnquam contristauit, neminem iniurioſe offendit, sed in medio fratrum sine querela vixit, sine offensione incessit. Erat mitis ingenio, & promptus ad obediendum, ita vt similem in conuentu non haberet. Humilitate namque, obedientia, patientia, & morum honestate, cunctos superauit, & tam corporis quam mentis continentia singularis castimoniæ fuit. Niger erat facie, statura mediocris, incessu grauis, habitu despicabilis, sed virtute animi excellens & gratioſus. Ordinatus autem abbas, se formam gregis verbo & exemplo in omnibus exhibere studuit, humilitatis suæ pristinum modum tam modeste temperans, vt bonis atque benevolis conuersatione videretur socius, duris autem & inobedientibus per censuram iustitiæ reuerendus. In omni vita sua castissime semper conuersatus est, curam animæ maiorem adhibendo quam corpori. Fuit ingenio mitis, subtilis & placidus, consilio cautus, promptus ac circumspectus, sermone succinctus, disertus & ordinatus. In disponendis rebus temporalibus magna sagacitate & prudentia viguit, & subditis suis tam mentis quam corporis necessaria, secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti copioſe ministrauit. In mensa coram fratribus & hospitibus satis largus & dapsilis erat, omnesque aduentantes in Christo cum omni charitate suscipiens, iuxta mandatum regulæ largiter tractauit. Charus erat omnibus, & in maxima reuerentia ac honore subditorum.

*Conradus fit Abbas Hirsaugiensis.*

*Genus Conradi abbatis & origo.*

*Ex comite fit monachus hic.*

*Denota Cõradi abbatis conuersatio.*

*Dispositio corporis Conradi abbatis.*

*In agendis fuit prudentissimus.*

MCLXXVII.

Anno Conradi abbatis primo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1177. apud Bingos, in monasterio sancti Ruperti, 15. calendas Decembris obijt sancta Hiltrudis virgo monialis nostri ordinis, filia Meginhardi comitis de Spanheim, & soror domini Craftonis secundi abbatis monasterij mei Spanheimensis: cui B. Hildegardis magistra eius, testimonium sanctitatis & in vita & post obitum perhibuisse dicitur.

*S. Hiltrudis monialis obiit.*

MCLXXVIII.

Anno Conradi abbatis 2. monasterium sancti Iacobi in monte speciosо prope Moguntiam, ante nouem annos propter necem Arnoldi archiepiscopi Moguntini destructum, reædificari cœptum est, permissione Friderici Imperatoris primi, & auxilio Christiani archiepiscopi.

*Cœnobium S. Iacobi restauratur.*

Eodem anno obijt Reinhardus archiepiscopus Herbipolensis, cui Godfridus successit, & præfuit annis 6. mensibus octo, diebus 24. Iste Godfridus episcopus maiorem ecclesiam Herbipolensem in honorem sancti Kiliani martyris dedicauit, & ecclesiam suam satis vtiliter ac strenue rexit.

*Gotfridus fit episcopus Herbipolensis.*

MCLXXX.

Anno Conradi abbatis huius cœnobij 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1180. 15. calendas Octobris obijt sancta Hildegardis monialis, nostri ordinis fundatrix, & magistra cœnobij S. Ruperti iuxta Bingen Moguntinæ diœcesis, de qua supra dictum est, anno ætatis suæ 28. sepulta in medio chori monasterij sui ante maius altare, quæ multis & in vita & post

*S. Hildegardis moritur.*

post mortem miraculis claruit. Hæc sanctissima virgo diuinis reuelationibus à iuuentute sua visitari meruit, & multa ad vtilitatem posteritatis diuina iussione conscripsit.

MCLXXXI.

*Adelgerus abbas Spanheimensis obiit.*

Sequenti anno 5. nonas Iulij, obijt Adelgerus tertius abbas monasterij mei Spanheimensis vir bonus atque doctissimus, qui obseruantiam regularis disciplinæ multum & auxit & manu tenuit: de quo in Chronica eiusdem monasterj mei, latiorem feci mentionem. Huic in abbatia successit Baldemarus abbas quartus, & præfuit annis 17. mensibus 11. diebus 17. vir satis bonus, & amator pietatis.

*Alexander papa 3. obiit.*

Eodem anno obijt Alexander papa tertius, cui successit Lucius tertius, qui sedit annis 4. & mensibus 2. natione vero Tuscus.

Eodem quoque anno Baldeuinus rex Hierosolymitanus, Ægyptiorum regem Saladinum, non longe ab Ascalona superauit, & in fugam vertit.

MCLXXXII.

Anno Conradi abbatis 6. Fridericus Imperator Italiam cum magno exercitu ingreditur, & multa contra papam & Romanam ecclesiam mala ferro igneque patrauit.

MCLXXXIII.

*Christianus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

Sequenti anno, qui fuit Cõradi abbatis 7. obijt Christianus archiepiscopus Moguntinus: & Conradus, quem Imperator dudum expulerat propter obedientiam sedis apostolicæ, ad sedem suam Moguntinam reuersus, præfuit annis 17. retinuitque titulum episcopatus Sabinensis, quem sibi papa contulerat à Moguntia expulso, cum archiepiscopatu Moguntinensi.

MCLXXXV.

*Godfridus episcopus Herbipolensis obiit.*

Anno Conradi abbatis 9. qui fuit dominicæ natiuitatis 1185. obijt Godfridus episcopus Herbipolensis, in peregrinatione constitutus vltra marina ad sepulchrum Saluatoris nostri Iesu Christi, & in Antiochia sepelitur: cui successit Henricus tertius, annis 12.

*Lucius papa 3. obiit.*

Eodem anno mortuus est Lucius papa tertius, natione Tuscus, cui Vrbanus tertius natione Longobardus succedens, præfuit annis duntaxat 2. Fridericus Imperator omnes Hetruriæ ciuitates, præter Pistorium, agraria priuat ditione, & multa in Italia aduersus rebelles imperij peragit.

MCLXXXVI.

*Godfridus ex comite Palatino obiit.*

Anno Conradi abbatis 10. obijt Godfridus ex comite Palatino monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, vir quondam in seculo strenuus & illustris, in religione autem feruens & deuotus, qui non parua huic monasterio donaria secum attulit, & post multa bona opera in Domino quieuit 8. iduum Februar. sepultus non sine opinione sanctitatis in medio fratrum suorum.

MCLXXXVII.

*Vrbanus papa obiit. Gregorius papa obiit.*

Anno sequenti, qui fuit Conradi abbatis 11. obijt Vrbanus papa 3. cui successit Gregorius 8. natione Beneuentanus, mensibus tantum duobus: quo mortuo successit Clemens tertius, natione Romanus, annis tribus, mensibus quinque, diebus 16. qui cum Imperatore concordauit.

MCLXXXVIII.

*S. Hildegundis in Schonaugia obiit.*

Anno Conradi abbatis 12. & vltimo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1188. 12. cal. Maij obijt in monasterio Schonaugiensi Cistercienſis ordinis, Wormatiensis diœcesis, non longe ab Heidelberga, deuota Christi virgo Hildegundis nomine, quæ simulato sexu masculum se fingens, inter monachos ibidem nouiciatus habitum susceperat, ac mutato nomine se Ioseph um appellauit, & vsque ad mortem incognita permansit. Huius vitam Cæsarius monachus Heisterbacensis, in prima Dialogorum suorum distinctione satis diffuse conscripsit.

*Fridericus Imperator mare trãsiuit.*

Eodẽ anno Fridericus Imperator Romanorum, & Philippus rex Francorum, vna cũ Richardo Anglorum rege, & Clemente summo pontifice, in subsidium & recuperationẽ terræ sanctæ magnum exercitum nauigio præmiserunt: quem Saladinus Ægyptiorũ rex, anno priore, propter discordiam nostrorum magna ex parte suo subiugarat imperio.

*Conradus abbas infirmari cœpit.*

Eodem quoque anno Conradus abbas huius monasterij Hirsaug. pro quibusdam causis & negotijs ad cellam S. Gregorij in Richenbach perrexit, quo cum peruenisset, crebris febrium ardoribus pulsari cœpit, & lecto decumbens ibidem aliquandiu ægrotauit.

*Conradus abb. Nem. Septembris obiit.*

Morbo autem dietim crescente, se totum ad Dominum intentissima mente conuertit, & præmissa humili confessione, sumptis cum ingenti deuotione sacramentis ecclesiasticis, tandem quinta die mensis Septembris beato fine in Domino quieuit. Cuius corpus per

fratres ad Hirsaugiam relatum, in maiori cœnobio ad introitum ecclesiæ ante altare omnium sanctorum cum reuerentia & honore sepultum est, non sine lachrymis subditorum suorum. Eodem quoque anno obiit Vdalricus 41. episcopus Spirensis, qui annis præfuerat 8. cui successit Otto episcopus 42. annis 11.

*Vdalricus obiit.*

## *DE HENRICO, HVIVS MONASTERII ABBATE XX. QVI præfuit annis 8. & de moribus eius ac quibusdam gestis illius temporis.*

CONRADO reuerendissimo abbate (sicut diximus) mortuo atque sepulto, celebratisque more Christiano exequijs cum solennitate consueta, prior & fratres die ad electionem statuta conuenientes ad locum capitularem, post inuocationem Spiritus sancti, vnanimi consensu in abbatē huius monasterij 20. elegerunt Henricum monachum conuentualē, qui cantoris eo tempore gessit officium. Electus autem diu reluctatus est, donec tandem fratrum precibus victus consensum præbuit electioni, & præfuit annis octo. Hic oriundus ex Francia orientali honestis parentibus natus, in iuuentute ad literas positus nō parum temporis successu discendo profecit, & tam in philosophia diuina, quam in humana, longo exercitio doctus & singulariter eruditus euasit. Diuina post hæc inspiratione attactus, animo vanitatem huius mundi ac vitæ præsentis breuitatem reuoluere cœpit, ac post maturam deliberationem præhabitā, ad Hirsaugiam veniens, monasticum habitum & mores induendo suscepit. Factus autem monachus, inter fratres sine querela viuebat primus semper & vltimus in diuino seruitio, cui se totum mancipauit. Postea cum studiosus videretur circa obsequia diuina, esset que musicæ non ignarus, cantoris suscepit officiū, ꝙ per annos aliquot tam studiose & alacriter adimpleuit, vt cunctis cederet in exemplum & admirationem. Laboribus quoq; manuum iuxta regulam S. patris nostri Benedicti, cū maxima diligentia solebat esse intentus, vineas plantando, colendoque hortulos, & diuersi generis arbores inserendo. Suo etiam studio & labore multum exornauit ecclesiam, & singula altaria oleo cum lampadibus decenter illustrauit. Cumque in omni virtute & religione per amplius de die in diem proficeret, omnibusque fratribus charus & dilectus esset, cœpit se fama nominis eius etiam ad extraneos diffundere, & cum laude multiplici mirū in modum ampliare. Contigit interea mori abbatem in Bruuiler, in cuius locum ipse per fratres eiusdem monasterij electus est abbas, & cum multo honore ac reuerētia susceptus. Ordinatus autem abbas in Bruuiler, omni studio curauit monachos ad obseruationem regularis disciplinæ instituere, & vitia cuncta monachorum sub certa censura districtius prohibere. Verum paupertate loci ac fratrum importunitate nimia tædio affectus, cum se proficere minus posse conspiceret, pœnituit eum tam arduum pastoralis curæ onus suscepisse. Post longam ergo maturamque deliberationem, statuit susceptam abbatiam deserere, & ad Hirsaugiam vnde venerat redire. Resignauit itaq; tunc pastoralis curæ officium & ad monasterium vnde venerat reuersus, denuo cantor est ordinatus, in eadem perseuerās humilitate post abbatiam, in qua antea fuerat conuersatus. Post hæc mortuo venerabili abbate Conrado (sicut diximus) in locum eius suffectus præfuit huic monasterio Hirsaugiensi annis 8. vir bonus & ingenio mitis, qui in principio suæ promotionis per annos aliquot satis modeste & regulariter tam suam quam subditorum suorum vitam instituit, & se in vtroque statu pastorem vtilem exhibere in omnibus curauit. Sed temporis successu, curis & sollicitudinibus rerum secularium nimium depressus, animum à rigore sanctæ obseruationis reflexit, factusq; in custodia monasticæ disciplinæ remissior, sancti in se & in subditis feruorem præpositi laxauit. Vnde annis 8. in abbatia exactis, ad memoriam reduxit vitæ transactæ negligentias, metuensque diuinæ vltionis vindictā, se dignitati abbatiali (vt suo loco dicemus) abdicauit, & præposituram in Rhote pro vitæ sustentatione accepit. Erat autem vir quantum ad corporis dispositionem attinet, mediocris staturę, corpore tenuis, viribus gracilis, & non multum fortis, raros habens in capite pilos, incessu grauis, sermone aliquantulum diffusus. In conuersatione sua multum fuit humanus, & in omnibus quadam societate affabilis, qui & cito mouebatur ad iram, poteratque cita satisfactione placari. Eius tempore, sanctæ religionis obseruantia non parum in præsenti monasterio defecerat, cum ipse totum se curis temporalium immergeret, & non quantum oportuerat de spirituali profectu subditorum suorum sollicitus videretur.

*Henricus fit abbas huius loci.*

*Genus & vita Henrici abbatis.*

*Cantoris suscepit officium.*

*Laborioſus in omnibus fuit.*

*Ordinatur abbas in Bruuiler.*

*Reſignauit abbatiam ſuam.*

*Fit abbas in Hirſaug.*

*Corporis eius diſpoſitio.*

MCLXXXIX.

Anno Henrici abbatis 1. quifuit dominicæ natiuitatis 1189. cum Fridericus Imperator Roman. in terra sancta positus Syriam teneret, & quæ Christianis contra infideles videban-

videbantur necessaria pararet, dum in quodam flumine lauaretur, clausis vitæ meatibus suffocatus est, & viam vniuersæ carnis miserabiliter ingressus. Quo mortuo, principes filium eius Henricum huius nominis sextum, in regem Romanorum assumpserunt, quem Philippus archiepiscopus Colonien sis Aquisgrani ex more coronauit, regnauitque post patrem annis 10. cum quo viuente annis ferme duobus & viginti regnauerat. Vxorem duxit Constantiam, Wilhelmi regis Apuliæ filiam, consilio & dispensatione Clementis papæ 3. quia monialis fuerat multis annis, & vnica præfati regis filia, cum qua regnum Apuliæ Siciliæque obtinuit, papa fauorem & auxilium impendente: quæ etsi annorum esset quinquaginta, ei tamen filium peperit nomine Fridericum, postea Imperatorem secundum, de quo suo loco dicemus.

*Fridericus Imperator obiit.*

*Henricus filius eius fit Imperator.*

MCXC.

Anno Henrici abbatis 2. Ida comitissa de Spanheim, monialis facta est ordinis nostri in cœnobio montis S. Ruperti apud Bingen, in quo deinceps omnibus diebus vitæ suæ religiosissime conuersata est, in orationibus ac meditationibus diuinarum scripturarum continua humilitate & obedientia nulli secunda. Eius soror fuit Margaretha virgo sanctissimæ conuersationis, quæ priorissæ officium multis annis in eodem monasterio strenue gessit, & miraculis clara tandem migrauit ad Dominum, cuius dies commemorationis festus, 4. calend. Nouemb. quando transiuit è vita, peragitur.

*Comitissa sanctimonialis.*

*S. Margaretha moniales.*

MCXCII.

Anno Henrici abbatis 4. in vigilia S. Iohannis Baptistæ fuit magna & generalis in his terris obscuratio solis, & subsecuta est fames in terra, & agrorum vinearumque non parua sterilitas.

*Eclipsis solis.*

Eodem anno obijt Philippus archiepiscopus Colonien sis, apud Imperatorem constitutus in Apulia: cui Bruno tertius maioris ecclesiæ præpositus succedens, præfuit annis 3. & postea factus est monachus.

*Philippus archiepiscopus Colonien sis obiit.*

Hoc ipso quoque anno Philippus Rex Francorum & Richardus Anglorum inclytus rex, coniuncto exercitu in Syria contra Saladinum prospere primo bellum gerunt. Sed mox discordia inter ipsos diabolo instigante oborta, Philippus in Galliam est reuersus. Richardus autem inchoatū bellum hoc ipso anno strenue prosequitur, sed anno sequenti & ipse quoque domum reuersus est, non sine detrimento Christianorum, quos in terra sancta expositos multis periculis post se reliquit.

*Expeditio contra Saracenos.*

Eodem quoque anno obijt Clemens papa 3. cui Celestinus tertius succedens præfuit annis 6. mensibus 8. qui 16. cal. Maij sua pontificali coronatione in paschali solennitate celebrata, postridie Henricum 6. regem Romæ in Imperatorem Romanorum coronauit.

*Clemēs papa obiit.*

His temporibus ordo Teuthonicorum in terra sancta incepit per quosdā ciues Bremenses & Lubecenses, qui cum Adolpho comite de Holstein sub Friderico Imperatore primo mare transfretantes, pauperos & infirmos peregrinos pro Dei amore in curam suscipientes, quantum eis licuit sub papilionibus nutriendo fouerunt, primam in Accaron huius propositi domum & ecclesiam construentes, quam domum fratrum Teuthonicorum appellātes, nomen ordini tradiderunt. Huius ordinis est, seruire peregrinis & infirmātibus. Circa idē quoq; tempus cœpit ordo S. Trinitatis de redēptione captiuorum, cuius potiora cœnobia sunt in Francia constituta. Huius ordinis est pro redemptione Christianorum, qui apud infideles in terra sancta detinentur captiui, substantiam suam hilariter impendere, ac eis totis viribus ministrando subuenire.

*Ordo Teuthonicorum cœpit.*

*Ordo S. Trinitatis cœpit.*

Anno Henrici abbatis huius cœnobij Hirsaug. 4. grauis exorta dissensio propter insolentiam familiarium suorum, qui pacem fratrū nimia importunitate turbabant. Cum autem fratres abbatem sæpe rogassent, vt prauos & inquietos de monasterio seruos eiiceret, aut certe corriperet, & nihil proficerent, nimis offensi animo quidam iuniorum, auxilia exterorum & amicorum inuocantes, quosdam ex familia ipsius abbatis de monasterio violenter eiecerunt. In quo tumultu vnus familiarium abbatis nomine Adelbertus grauiter vulneratus fuit, qui & post dies 8. ex eodem vulnere obijt. Vnde factum est grande inter pastorem & oues dissidium, nō sine periculo animarum, donec Otto Spirēsis ecclesiæ antistes, vices suas cum amicorum consilio interposuit, & concordiam reformauit.

*Dissensio inter abbatem & fratres.*

*Famuli vnus interfectus.*

MCXCIII.

Anno Henrici abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1193. Rupertus prior monasterij mei Spāheimensis quartus, mirabilem visionem gaudiorum atque pœnarum futuræ vitæ conspexit, quam cum minus consulte reuelasset in publicum, mox paralysi grauiter perculsus, quasi ad anni spacium pœnas dedit.

*Visio cuiusdam monachi.*

*Albertus Magnus in Sueuia nascitur.*

Eodem anno natus est Albertus, Magnus postea cognominatus, in vico Sueuiæ, cui Laugingen nomen est. Solis quoque defectio facta est.

MCXCIIII.

*Bruno.*

Anno sequenti, qui fuit Henrici abbatis 6. Bruno archiepiscopus Colonien sis resignato pontificatu suo in manus Henrici Imperatoris sexti, monachus Cistercien sis ordinis factus est, in cœnobio montis antiqui: cui in archiepiscopatu successit frater eius nomine Adolphus de Altenaë, maioris ecclesiæ canonicus, & præfuit annis 12.

MCXCV.

*Imperator Henricus Siciliam obtinuit.*

Anno Henrici abbatis 7. dominicæ natiuitatis 1195. Henricus Imperator Rom. sextus, potenti manu obtinuit Siciliam, captumq; Tancredum regni inuasorem, erutis oculis, cum quatuor principibus in Teuthoniam misit, & omne regnum Apuliæ sibi subiecit.

*Cœnobium monialium Nuuenberg.*

Eodem anno Conradus comes Palatinus Rheni, qui Heidelbergæ morabatur, præposituram cœnobij ordinis nostri prope oppidum ipsum Heidelberg, quæ Nuenburg appellatur, in diœcesi Wormatien si, in monasterium sanctimonialium eiusdem ordinis nostri commutauit de consensu Sighardi abbatis Laurissen sis, ad quem præpositura ipsa pleno iure & sine medio pertinebat. Vbi prima abbatissa per eum fuit instituta Cunegundis, virgo multum deuota & religiosa.

MCXCVI.

*Henricus abbas curæ fatigatus.*

Anno sequenti, qui fuit dominicæ natiuitatis 1196. cum Henricus abbas huius cœnobij Hirsaug vitæ transactæ negligentias & male commissa ad memoriam reuocaret, & diuinæ vltionis vindictam pauidus cogitaret, tactus dolore cordis intrinsecus, de resignatione abbatiæ cœpit cum quibusdam amicis habere tractatum. Verum etsi omnes vno constantiæ proposito voluntati eius contradicerent, qui se familiares nouerant & amicos, tamen à sententia illum non potuerunt auertere, quo minus cogitationem quam mente concepit, opere perficeret. Duabus enim causis ad resignandum abbatiam potissimum mouebatur: altera, quod se multas in ea dignitate negligentias occasione rerum temporalium commisisse non ignoraret: pro quibus, nisi amputata occasione satisfacere quemadmodum cupiebat, minime posset. Altera vero, quod stare cum pace & tranquillitate fratrum non posset, propter multas & varias causas & displicentias quas melius est silentio abscondere, quam ad notitiam infirmorum propalare. Denique senio & infirmitate corporali exhaustus multum defecit, nec intendere rebus monasterij, sicut oportuerat, iam vtiliter amplius potuit. Itaque corde compunctus & dolens ac pœnitens de negligentiis præteritis, vt animam saluaret suam, anno regiminis sui octauo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1196. indict. 14. in mense decemb. abbatiam suam in manus conuentus sui sponte ac libere coram omnibus resignauit. Resignatione autem facta, præposituram in Rothe, pro vitæ sustentatione à fratribus accepit, vbi per sex ferme menses in mœrore spiritus & lachrymis continuis superuiuens, tandem sequenti anno 4. nonas Iunij in Domino quieuit, cuius corpusculum iuxta corpus Ruperti quondam abbatis hic in eodem cœnobiolo in ipso introitu ecclesiæ cum reuerentia sepultum est.

*Causa mouentes ad resignandum.*

*Henricus abbatiam resignat.*

*H. post annum obiit in Rothe.*

## *DE MARQVARDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXI. QVI præfuit annis 8. mensibus 6. diebus 21. & gestis illius temporis.*

POST resignationem igitur domini Henrici abbatis, huius monasterij Hirsaugiensis vicesimi, quæ facta est anno dominicæ natiuitatis 1196. indictione 14. vltima die mensis Iunij, hoc est in festo commemorationis S. Pauli apostoli, eodem die fratres inuocata gratia Spiritus sancti ad electionem noui pastoris procedentes, post multa consilia vnanimiter tandem in abbatem huius cœnobij primum & vigesimum elegerunt. Marquardum monachum conuentualem venerabilem & prudentissimum virum, qui confirmatus & ex more benedictus, præfuit huic monasterio strenue annis 8. mensibus 6. diebus 21. vir magnarum actionum & multarum virtutum, qui iura monasterij contra tyrannorum incursus prudenter & fortiter defensauit sine timore resistendo. Hic oriundus fuit ex Sueuia nobilissimis parentibus procreatus, ex comitibus de monte Solis originem ducens, qui ad literas in iuuentute positus cum ætate discendo profecit, & in omni scriptura tam diuina quam humana satis doctus euasit. Ab adolescentia sua edoctus viâ Domini in timore, cum ad annos discretionis peruenisset, mundum, parentes, fratres, cognatos, ampliq; patrimonij splendorem, simul & nobilitatem generis pro Dei amore contemnens, in præsenti cœnobio Hirsaugiensi sub Conrado abbate auunculo suo monachus

*Marquardus fit abbas 21. Hirsaugiensis.*

*Marquardi abbatis genus.*

factus

factus est. Qui cognita institutione monastica secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti, mores suos omnino componere studuit, & sine querela inter fratres etiam infimi generis conuersatus, humilitatis exemplum omnibus ostendit. Ordinatus autem abbas omni studio curauit se dignum ouibus suis exhibere pastorem, & non minus exemplo docere quam verbo. Quantum vero ad dispositionem corporis attinet, fuit homo robustus & fortis, statura pulchre proportionatus, mediocritatem longitudine aliquantulum excedens, capite sano nec paruo, & multis in circuitu capillis ad nigredinem tendentibus circumfusus, vocem habebat sonoram atque tubalem, qua vel sola reprobos in terrorem mittere solebat. In dicendo satis erat disertus, siue Latine, siue Teuthonice sermo esset habendus. Mitissimo fuit ingenio, & qui non facile moueretur ad iram: iratus autem ratione, non cito rem duceret in obliuionem. In omnibus largus, tantæ fuit beneuolentiæ in subditos, in amicos, fidei, charitatis ac dilectionis, vt similem suo tempore alterum non haberet. Nihilominus maculis quibusdam negligentiæ ac tepitudinis notatus est, in his, quæ ad regularis disciplinæ omnimodam pertinere custodiam videbantur: propterea vel maxime, quod multas & continuas in re familiari occupationes, labores & curas habuit, ac persecutiones, iniurias & tribulationes innumeras tam ab aduocato monasterij comite Adelberto, quam à diuersis alijs, quibus resistere oportebat, necessario in principio suæ promotionis sustinuit. Nam præfatus comes Adelbertus huius monasterij aduocatus, sui officij rationem oblitus, familiam & seruos monasterij contra libertatem & priuilegium à summis pontificibus & Imperatoribus olim concessum, grauare, vexare & perturbare cœpit. In tantum enim cœnobij iura & libertates quæ defendere debuerat, violare ac infringere instigante diabolo satagebat, vt camerarium monasterij quadam die ante portã caperet, manibusque post tergum ligatis captiuum innocentem & reclamante abbate abduceret violenter, ac in ipsum abbatem pro camerario stantem impetum faceret. Vnde necessitate compulsus abbas primo in propria persona Romam perrexit, ac deinde per nuncios semel atque iterum aduocati violentiam examini sacrosanctæ apostolicæ sedis exposuit, consilium & auxilium summi pontificis contra tyrannidem comitis petiuit & obtinuit. Renouato namque priuilegio libertatis, & de iure aduocati limitato facta declaratione, ipsum comitem auctoritate apostolica compescuit, ac contra eum & æmulos vniuersos gloriose triumphauit. Verum interea quo ipse Dominus Marquardus abbas in itinere fuit ad Rom. curiam, sæpe dictus comes Adelbertus quosdam de monasterio fratres expulit, & plura mala fecit, maiora se facturum comminatus fuit. Sed pro his & alijs contumelijs, iniurijs & damnis satisfacere abbati & monasterio, auctoritate mandati Apostolici compulsus fuit. His ergo aliisque diuersis & varijs aduersitatibus multipliciter in suo regimine tribulatus, & animo nimirum distractus, non ita potuit intendere disciplinæ claustrali, quantum scimus decuisse.

*Conuersatio & mores vita eius.*

*Dispositio & statura corporis eius.*

*Homo fuit optimus & humanus.*

*Aduocatus tyrannus quidam.*

*Abbas Marquardus Romam profiscitur.*

*Aduocatus satisfacere abbati compellitur.*

MCXCVII.

Anno Marquardi abbatis 1. qui fuit dominicæ natiuitatis 1197. obijt Henricus Herbipolensis, cui Godfridus de Hoenloë succedens, præfuit mensibus duntaxat quatuor & diebus nouem, vir bonus ciuium, & cleri amator & defensor piissimus.

*Henricus episcopus Herbipolensis obiit.*

Eodem anno 4. nonas Iunij, obijt Henricus præpositus in Rothe, quondam huius cœnobij abbas, ibidem sepultus iuxta ossa domini Ruperti abbatis, qui vix ad vnius anni spacium post suam resignationem superuixit, sex menses hîc, & in Rothe totidem.

*Henricus olim hic abbas moritur.*

MCXCVIII.

Anno Marquardi abbatis 2. qui dominicæ natiuitatis 1198. obijt Godfridus episcopus Herbipolensis, patriæ decus & pater, nimis immatura morte præreptus. Huic Conradus, regius cancellarius successit, & præfuit annis 4. mensibus 11. vir bonus & integer, quem domicelli de Rauensburg postea occiderunt.

*Godfridus.*

Eodem anno Henricus Imperator Romanorum subsidiarium Christianis mittit exercitum in Syriam, verum Henrico sequenti anno mortuo, exercitus quem miserat de Syria reuertitur. Quapropter Christiani qui in Syria remanserant, auxilio destituti, id reliquum dominij, quod in ea prouincia possidebant, mox penitus amiserunt.

*Henricus Imperator.*

MCXCIX.

Anno sequenti, 10. calendas Maij, obijt Henricus Imperator Rom. sextus, & in ecclesia Spirensi cum maioribus suis est sepultus. Liberos enim habuit, & magna in Imperio discordia post eius mortem subsecuta fuit: propterea quod principes antea promiserant Henrico Imperatori præfato viuenti, quod filium eius regem Siciliæ Fridericum essent in regem Romanorum electuri. Sed non seruarunt promissum: illo enim in ciuitate

*Henricus Imperator obiit.*

*Dissensio principum grauissima.*

*Dissensio principum grauissima.*

Panormitana (sicut diximus) defuncto. Nam Adolphus archiepiscopus Colonien. & Theodoricus archiepiscopus Treuerensis, electionem regis sui iuris firmantes, habito consilio apud Andernacum cum Bernardo duce, & aliis episcopis comitibus, atque nobilibus pluribus curiam omnibus principibus ad dominicam Oculi mei, in Colonia generalem indicunt, pro noui regis electione celebranda. Interea marchiones orientales, Cõradus archiepiscop⁹ Moguntinus, Bernardus dux Saxoniæ, archiepiscopus Magdeburgensis, & alij principes superiores apud Erphordiam conuenientes, Philippum ducẽ Sueuiæ in regem Rom. elegerunt, fratrem videlicet Henrici Imperatoris defuncti. Statuto igitur die, præfati principes ad Coloniam conuenientes, Bertolfum ducem de Zeringen, quẽ se promiserant electuros, magno præstolabantur desiderio vẽturum, qui cum 10000 marcarum argenti cum ducatu Sueuiæ à Philippo accepisset, electionique renunciasset, venire contempsit. Quod cum prędictis innotuisset principibus nimium indignati, Ottonem Pictauiæ comitem, filium quõdam Henrici ducis Saxoniæ, in regem Rom. contra Philippum elegerunt, & multiplicata sunt mala in terra, bella, incendia, destructiones vrbium, & pauperum neces. Audiens autem Philippus electionem Ottonis, trecentos milites armatos cum multis alijs scutiferis ad Aquisgranum præmisit, quatenus Ottonem ab ingressu ciuitatis arcerent, & sibi vrbem ac sedem regni seruarent. Sed Otto cum suis adiutoribus ciuitatem ipsam tempore messis obsidione cingens, violenter capiens obtinuit, atque in sede regni triduo sedens inde recessit, committens eam suis fidelibus custodiendam. Interim Philippus adunato exercitu intrauit Alsatiam, & quia prope messem erat, omne frumentum in agris repertum annihilauit. Multa itaque inter ipsum Philippum & Ottonem bella fuerunt per annos ferme octo, quibus Philippus vixit in regno, donec tandem eo mortuo pax terris aliquantulum reddita fuit, quemadmodum suo loco dicemus.

*Philippus dux Sueuiæ ab vna parte eligitur.*

*Otto Saxoniæ dux ab altera parte eligitur.*

*Ciuitas Aquen. ab Ottone capitur.*

*Cœlestinus papa 3. obiit.*

Anno etiam prænotato obijt Cœlestinus papa tertius, cui successit Innocentius tertius, natione Campanus, & præfuit annis 18. Hic quia Philippum regem propter patrem & fratrem, qui contra Rom. ecclesiam multa commiserant, exosum habebat, partes Ottonis tenebat, ipsumque (vt postea dicemus) Imperatorem coronauit.

*Baldemarus abbas Spanheimensis obiit.*

Eodem quoque anno 10. calendas Iulij, obijt Baldemarus abbas monasterij mei Spanheimensis quartus, cui successit Rupertus abbas quintus, & præfuit annis 14. mensibus 2. qui fuit homo tam in diuinis quam in secularibus literis multum eruditus, & non minus vita quam scientia venerandus.

*Bellum inter duos reges.*

Eodem anno cõmissum est prælium inter regem Philippum & eius aduersarium Ottonem, non longe à Confluentia iuxta Mosellam, sed nihil memoria dignum fuit actum, præter pauperum rapinam & desolationem prouinciarum omnium in circuitu.

*Otto episcopus Spirensis obiit.*

Eodem anno obijt Otto episcopus Spirensis, cui Conradus de Scharffeneck succedens præfuit annis 25. qui fuerat antea imperialis aulæ cancellarius, homo prudens, & in multis rerum varietatibus longo tempore satis expertus, qui bene suam gubernauit ecclesiam, augendo reditus, & diruta restaurando. Sunt qui scribant eum Metensis ecclesiæ prius fuisse pontificem.

MCXCIX.

*Argentina per Philippum obsidetur.*

Anno quoque prænotato Marquardi abbatis 3. dominicæ autem natiuitatis 1199. rex Philippus Argentinam obsedit, Rubiacum & multa præsidia episcopi Argentinensis & Adelberti comitis de Dagesburg confringens solo æquauit. Tandem mediantibus domino Bertholdo duce de Zeringen, & alijs principibus, concordia inter eos facta est, ita quod episcopus relictis partibus Ottonis, Philippo ad retinenda gubernacula regni, fauorem pro posse impenderet atque suffragium. Hoc idem comes de Dagesburg se facturum promisit.

*Curia Philippi apud Moguntiã.*

Hoc anno in assumptione beatæ Mariæ semper virginis Rex Philippus magnam curiam principum suorum habuit apud Moguntiam, Conrado eius loci archiepiscopo adhuc in terra sancta cum alijs principibus existente, ibi archiepiscopus Taretanus loco prædicti archiepiscopi Philippum vnxit in regem. In eodem conuentu Philippus rex, vt Bohemos sibi faceret obnoxios, Odacharum ducem eorum tunc præsentem creauit in regem, datis ei & vxori coronis. Ipso tempore Constantia imperatrix in Sicilia moritur, & filius eius Fridericus post multos labores regnum Apuliæ tandem obtinuit, atque Siciliæ.

*Dux Bohemiæ creatur in regem.*

*Philippus fines Colonienſium intrat.*

Eodem anno circa initium Octobris Philippus rex vna cum nouo rege Bohemorũ, fluuio Mosellę transito in manu valida & exercitu copioso, fines Colonienſium cõtra Ottonẽ inuasit, Regimagium, Bonnã cum multis circumiacẽtibus villis incendio cremauit.

Eodem

Eodem tempore Lotharingij, quos in adiutorium sui Otto vocauerat, circa Anderhacũ cum Philippo regi non valentes resistere, pelliq; suæ timentes, partes eius occulte fouebant, multa & inaudita scelera in regione illa perpetrantes, è quibus vnum posuisse satis sit, ex quo cætera quæ cõmiserunt nefanda, pensiculari queant. Sanctimonialẽ quandam omnibus indumentis spoliatam melle perungentes in plumis lectualibus volutabant, sicque mõstruose hirsutam caballo imposuerunt, versa eius facie ad caudam caballi. Cumq; hoc ridiculosum, imo miserabile spectaculum, per alioquot dies circumduxissent, res Philippo regi innotuit, qui zelo Dei succensus, omnes sceleris huius reos aquæ bullienti tradi iussit. Andernacense quoq; oppidũ exustum est per exercitum eiusdẽ regis Philippi. Postea reuersus ad sua est. Interea rex Otto cum suo exercitu intrauit Saxoniam, & Goslariam cum cæteris adiacentibus oppidis expugnare cœpit. Sed Philippo rege superueniente, à proposito suo cessare ac retrocedere coactus est. Henricus Palatinus comes Rheni, frater ipsius Ottonis regis, & Landgrauius Hassiæ ac dux Brabantiæ, cum archiepiscopo Moguntinensi Conrado, de transmarinis partibus reuertuntur, rebus nostrorum ibidem in malis terminis relictis. Verum præfatus archiepiscopus audiens inter Philippum & Ottonem de regno discordiam, in Italia statuit aliquandiu moram facere, quousque quid sibi esset faciendum in tam graui turbationis reipublicæ negotio deliberaret. Hoc tempore graues discordiæ fuerunt subortæ inter Wormacien sem episcopum cum sibi adhærentibus & Wernerum de Bolant, comitemq; de Lyningen ac sequaces eorum, qui ecclesiis ac monasterijs ciuitatibusque & villis adiacentibus multa mala fecerunt. Inter Landgrauium quoque Hassiæ & Cunonem de Minceberg, eodem tempore grauissimę dissensiones fuerunt, qui sibi mutuo damna multa inferentes, nihil intactum vsquam reliquerunt. Otto rex filiam ducis Brabantiæ desponsauit vxorem. In æstate cum exercitu ascendens, contra Philippum auxilio Colonien sis archiepiscopi & præfati ducis soceri sui, partem Confluentiæ, & in circuitu villulas exurens, Bopardiam accessit, vbi cum principes ac nobiles quidam illarum partium, qui illum aduocauerant, promittentes se in eius partes cessuros, non venirent videns se delusum & exercitui deficere victualia, cum suis ad sua reuersus est.

*Nefandum scelus Lotharingiorum.*

*Andernacũ igne crematur.*

*Henricus comes Palatinus Rheni.*

*Rudolphus episcopus Worm.*

*Otto rex ascendit Bopardiam.*

MCC.

Anno Marquardi abbatis huius cœnobij Hirsaugien sis 4. dominicæ autem natiuitatis 1200. Conradus archiepiscopus Moguntinus reuertens ab Vngaria, quo præcedente anno ad reformandam inter duos fratres contendentes de regno pacem, perrexerat, concordia facta in partibus Austriæ in territorio Patauien si, carne solutus ad Dominum pro meritis transmigrauit. Cuius corpus Wolfherus Patauien sis episcopus, celebratis exequijs ad Moguntiam retulit, vbi cum magno honore sepultum fuit. Interea grauis tumultus oboritur in Moguntia propter electionem noui pontificis. Quidam enim ex voluntate ac fauore Philippi regis Lupoldum episcopum Wormacien sem in archiepiscopum eligere statuerunt, alij quibus mens sanior erat Siphridum maioris ecclesiæ Moguntinæ præpositum, eligendum consenserunt. Qui ciuitatem exeuntes, propter metum regis Philippi venerunt ad Bingen, & ibi quam destinauerant de Siphrido electionem, eõsum marunt. Quod audiens Lupoldus, venit cum exercitu valido Philippi regis, & oppido Bingiorum capto, Siphridum cum electoribus suis inde exturbauit. Cernens autem Siphridus & sui, quod minus proficerent, se cum suis ad regem Ottonem contulit, à quo clementer admissus, regalia ab ea suscepit, & eius authoritate fretus, cum exercitu ad dicœcesin suam regreditur, cingensque obsidione præfatum oppidum Bingen cepit, multisque ex parte Lupoldi captis, & ipso vix per fugam elapso. Confirmatus igitur in archiepiscopum Siphridus annis 25. præfuit, & ecclesiæ multa bona fecit. Hoc ipso anno multi principes, episcopi, duces, comites, nobiles & ignobiles, cum infinita multitudine cruce signati, ad terram sanctam in seruitium dominici sepulchri contra Sarracenos profecti sunt. Inter quos fuit Bertholdus comes de Neuuenburg in Brisgavv, qui accepta pecunia comitatum suum Argentinen si ecclesiæ tradidit in possessionem perpetuam cum omnibus prouentibus suis, & ipse cum filio Hierosolymam profectus, in seruitio dominici sepulchri vsque ad mortem fideliter perseuerauit. Cuius prouocati exemplo multi nobiles & potentes, venditis prædijs & possessionibus suis, cum vxoribus & liberis perpetuo seruitio sancti sepulchri se deuouerunt.

*Conradus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

*Dissensio in clero Moguntino.*

*Siphridus fit archiepiscopus Moguntinus.*

*Exercitus Christianorum ad terram S.*

*Bertholdus comes de Neuenburg.*

Eodem anno moritur comes de Hoënburg apud Bisuntium, & ab incolis illius prouinciæ, propter bonam defensionem plurimum deploratur, præmissisque exequijs missarum honorifice sepelitur.

*Otto comes de Hoenburg obiit.*

Eodem quoque anno Lutoldus episcopus Basilienſis, Baldeuinus comes Flandriæ, Adelbertus comes de Spanheim, & alij multi principes cum exercitu magno, per Græciam tendentes ad terram sanctam, Constantinopolim capiunt, & Alexium Isauci Constantinopolitani quondam Imperatoris filium, Imperatorem faciunt: quo mox à Græcis interfecto, imperium susscepit Baldeuinus, præfatus comes Flandriæ. Quo procurante orientalis & Romanæ ecclesiæ vnio confirmatur. Imperauit autem super Græcos annis fermè septem.

*Constantinopolis à Christianis capitur.*

*Rietburg castellum episcopi Spirensis.*

Eodem quoque anno Conradus comes & Zolre & Burggrauius de Nurenbergin præsentia Ottonis regis constitutus, castrum Rietburg, quod in feudũ susceperat ab ecclesia Spirensi, Conrado eiusdem vrbis episcopo & successoribus eius libere ac sponte in perpetuum resignauit.

MCCI.

*Philippus rex Coloniã obsedit.*

Anno Marquardi abbatis 5. dominicæ autem natiuitatis 1201. Philippus rex iterato exercitum colligens Mosellam transiuit, Coloniam obsedit, archiepiscopum cepit, & sic ciuitatem ac totam prouinciam in deditionem coegit. Postea veniens ad Aquisgranum cum multis principibus, vna cum regina in sede regni se collocauit.

*Otto ad Wisenburg venit.*

Eodem anno Philippo rege ad superiores partes prospere reuerso, rex Otto exercitu congregato, suorum ad superiores partes denuo conscendens vsque ad Wisenburg peruenit: sed progredi vlterius non potens, ad inferiores regiones terræ reuersus est.

*Cardinalis venit ad Coloniam.*

Eodem quoque anno circa festum apostolorum Petri & Pauli ad Coloniam venit Guido cardinalis episcopus Prænestinus, & excommunicatum denunciauit Philippum regem ac omnes cum illo sentientes, mandans authoritate apostolica vniuersis, quatenus Ottonem susciperent in regem, Philippum vero desererent, sub censura excõmunicationis, ibi tunc primum Siphridus electus Moguntinus in sacerdotem & archiepiscopum ordinatus, per manus ipsius cardinalis: & cum ipsius atque Ottonis regis commendatitijs literis Romam progressus ab Innocentio papa tertio accepto pallio, vt moris est, confirmatur.

*Siphridus archiepiscopus Moguntinus ordinatur.*

Eodem anno Philippus rex conuentum solennem principum celebrauit in Bamberga, vbi multi pontifices, abbates, duces, comites ac nobiles conuenerunt. Ibi ossa sanctorum Henrici & Cunegundis Imperatorum leuata sunt, & multis miraculis claruerunt. Maximus ibi fuit concursus populorum, tam ex remotis quam vicinis regionibus. His fere temporibus cœpit ordo fratrum Prædicatorum, per institutionem S. Dominici, viri eximiæ sanctitatis, qui oriundus fuit ex Hispania. Eius institutionem Innocentius papa confirmauit.

*Corpora S. Henrici & Cunegundis. Ordo Prædicatorum instituitur.*

MCCII.

*Otto rex cõuentum Mastricht habuit.*

Anno Marquardi abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1202. Otto rex & Arnoldus Colonienſis archiepiscopus, cum quibusdam alijs principibus, colloquium habuerunt apud Traiectum iuxta Mosam de repub. & diuersis negotijs regni, & inter alia pacem reformauerunt, inter ducem Brabantiæ & comitem Gelriæ, qui magnis contractis armatorum copijs, non sine grauissima pauperum iniuria sese ad bellandum iam parauerant.

*Conradus episcopus Argentinensis obiit.*

Eodem anno obijt Conradus episcopus Argentinenſis, cui Henricus de Veringen successit, vir bonus, religiosus & deuotus, amator pacis, & cleri defensor integerrimus: qui anno post electionem suam quarto, vix potuit ab Innocentio papa obtinere consensum, quatenus à Senonensi archiepiscopo munus consecrationis acciperet, quia cum Philippo rege sentire cogebatur, quod papæ displicuit: qui semper Ottonem, propter causas superius allegatas, curauit.

*Conradus episcopus Herbipolensis occiditur.*

Eodem quoque anno in festo S. Nicolai Myreorum pontificis, Conradus episcopus Herbipolenſis, quondam imperialis aulæ cancellarius, à Bodone & Henrico militibus de Rauensburg, seruitoribusque eorum Heraldo & Conrado, in publica ciuitatis Herbipolenſis strata crudeliter occisus est, cui Henricus dictus Caseus, propterea quod caseum haberet in delicijs, succedens, præfuit annis 4. mensibus 7. diebus 9. homo doctus & multum in omni scriptura eruditus, qui satis bene suam gubernauit ecclesiam. Ipsi autem parricidæ pœnitentia ducti Romam petentes, talem à summo pontifice tertio post biennium susceperunt pœnitentiam, quam in suis literis patentibus ita sonantibus dedit: *Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus has literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Quam execrabile facinus & peculiare flagitium perpetrauerint, qui ausu sacrilego manus impias in Christum Domini nequiter iniecerunt, bonæ memoriæ Conradum Herbipolensem episcopum imperialis aulæ cancellarium crudeliter occidentes, flere potius libet quam referre. Verum tam di-*

*Bulla Innocentij papæ de pœnitentia occisorũ.*

uina pietas humanam impietatem excedat, & miserationibus Domini miseriæ hominũ cõparari nõ possint, cum nolit Dominus mortẽ peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, vtpote qui patiens & multum misericors est & præstabilis super malitia: nos qui licet indigni vices eius exercemus in terris, scientes quod maius gaudium est angelis super vno peccatore pœnitentiam agente &c. quantumcunq; huiusmodi deliquerint homicidæ: non potuimus tamen, nec debuimus pœnitentibus aditũ veniæ præcludere: cum nouerimus dixisse Dominum per Prophetas: In quacunq; hora peccator conuersus fuerit & ingemuerit, omnium iniquitatũ eius nõ recordabor amplius. Bodonem igitur, Henricũ quoq; vasallũ eius, milites cum Heroldo & Conrado seruientibus suis, ad nostrã præsentiam venientes, & confitẽtes se prædictum episcopũ occidisse: cum de suis excessibus lachrymabiliter pœniterent, & humiliter postularẽt sibi pœnitentiã à nobis pro tanti sceleris immanitate iniungi: quia pœnitentibus nõ est indulgentiæ ianua præcludenda, de fratrũ nostrorum consilio, dilecto filio Hugoni, tituli S. Martini presbytero cardinali, cõmisimus audiendos. Qui confessione illorũ audita, postquam fecit eos nudos coram nobis in bracis; tortas habentes in collo diebus aliquot in frequentia populorum astare, de mandato nostro talem pœnitentiam illis iniunxit: vt nunquam de cætero, nisi contra Sarracenos, vel ad defensionem vitæ armis vtãtur. Varium, griseum, ermelinum, & pannos coloratos non portent. Ad publica spectacula non accedãt, & coniugati non contrahant matrimonium post mortẽ vxorum. Eantq; quãcito poterunt in Hierosolymitanã prouinciam, per quatuor annos ibi contra Saracenos Domino seruituri. Bodo vero qui maior existit, tres vel vnũ saltem in suis expensis secum adducat. Et donec ipsi quatuor execrabiles homicidæ Hierosolymitanũ iter arripiunt, sicut publice pœnitentes discalceati & laneis induti vestimentis incedant. Secundam, quartam, & sextam feriam, quatuor tempora, vigilias q; sanctorũ solennes in pane & aqua ieiunent. Tres in anno quadragesimas videlicet ante resurrectionem, pentecosten & natiuitatem Domini faciant. Carnibus nisi tantũ in eisdem tribus festiuitatibus nõ vescãtur: eaq; die qua prædictus episcopus fuit occisus, carnes non comedant in æternũ. Orationẽ dominicam decantent, centies inter diẽ & noctem, & genuflectiones faciant quinquaginta. Corpus & sanguinem Domini accipere, nisi in vltimo mortis articulo, nõ præsumãt. Cum fuerint vltra mare, quartã & sextam feriam, sanctorũ vigilias & quatuor tempora (sicut dictũ est) in cibo quadragesimali ieiunent. Carnes comedent die Dominica & quinta feria tantũ. Orationẽ dominicam dicant, & genuflectiones semper faciant ptaxatas. Quandocunq; aliquam ciuitatem Alemanicam poterũt secure intrare ad maiorem ecclesiam nudi pedant, tantũ in bracis cum torta in collo & virgis in manu, & à canonicis eiusdem ecclesiæ recipiant disciplinam. Si vero quæsitũ fuerit, cur hoc faciant, dicant, hoc se facere pro sceleris perpetrati iam dicti satisfactione, Si quando forte in ciuitate Herbipolensi poterũt esse securi, in resurrectione, pentecoste, natiuitate Domini, ac in festiuitate maioris ecclesiæ, videlicet S. Kiliani, exeant ciuitate, & nudi inde cũ bracis tantũ, tortam in collo & virgas deferentes in manu: & ad missæ celebrationẽ maioris; ad ecclesiam cathedralẽ accedant, & ante episcopũ & canonicos prosternentes s. in terram, petant humiliter & recipiant disciplinam ab eis. Cũ autem de partibus redierint transmarinis, ad Apostolicam sedem accedant, recepturi consiliũ & mandatũ. Datũ Laterani, 14. cal. Maij, pontificatus nostri anno 6. Domini vero 1204.

*Nominant eos qui episcopum occiderunt.*

*Hugo Cardinalis eos audiuit.*

*Modus & forma pœnitentiæ agendæ.*

*Peregrinatio trãsmarina iniungitur.*

*Tres quadragesimas ieiunent.*

*In terra sancta quomodo debeant ieiunare.*

*Nudi ciuitates Alemaniæ intrent.*

*Pœnitentia Herbipoli facienda.*

Anno quoque prænotato Tartari cum vxoribus & filijs, ab Indiæ montibus egressi, per vicinas prouincias prædas agunt, quibus semper fuêre assueti. Parthos deinde petunt, & pari terrore Mediam, Assyriam, Persiam, Armeniamque & Sarmatas non longo tempore peruadentes, circa Mœotidis palludes sedes suas demum firmarunt, & multa finitimis Christianis mala fecerunt.

*Regnũ Tartarorum incipit.*

## MCCIII.

Anno Marquardi abbatis sexto, dominicæ autem natiuitatis 1203. Philippus rex valido exercitu congregato intrauit Thuringiam, vt Hermannum Landgrauium humiliaret: ea de causa, quod ipsum reliquisset, & Siphrido archiepiscopo Moguntino contra voluntatem suam adhæreret, ac foueret, & quod reditus ac prouentus ecclesiæ Moguntinæ in Thuringia cedentes in vsus sui hostis, hoc est regis Ottonis, conuertisset. Perpendens autem Palatinum comitem & regem Bohemiæ cum magno exercitu illi in auxilium venisse, tura quæque incendio consumpsit, & ita se cum suis in Erphordiam cõtulit. Quo comperto Landgrauius & Bohemiæ dux ciuitatem obsidione vallantes, se Philippum captu-ros in ea sperabant. At ille media nocte cum paucis exiens de ciuitate, ad marchiones Misnenses se contulit, vt auxilijs contractis, milites Erphordię inclusos liberaret. Principes autem eius discessione cognita, obsidionem quæ nouem diebus duraverat, soluerunt: cauentes, ne Philippo daretur tempus congregandi exercitum. His ita peractis superuenit rex Otto cum suorum exercitu, quem Guido cardinalis episcopus Prænestinus in festo S. Bartholomæi apostoli apud Marsburg, in regem solenniter consecrauit. Ibi Hermannus Landrgrauius & Odacharus Boemiæ rex, qui à Philippo iam prius defecerant, fidelitatem regi Ottoni denuo iurauerunt.

*Philippus rex intrauit Thuringiam.*

*Comes Palatinus rex Bohemiæ. Erphordiæ obsidione vallatur.*

*Theodericus comes Hollandiæ obiit.*

Eodem quoque anno moritur Theodericus comes Hollandiæ, & traditur comiti de Lo, prouincia cum filia defuncti. Quod grauiter ferens Wilhelmus frater Theoderici, congregatis militibus eundem comitem de Lo, de Hollandia expulit, & fratris filiam tulit.

*Decretales fiunt.*

His quoque temporibus Innocentius papa tertius quinque libros Decretales composuit, quos legi in scholis & obseruari in iudicijs vbique mandauit: quod factum est, & fit vsque in præsentem diem.

*Lupoldus.*

Lupoldus episcopus Wormacienſis qui Moguntinum archiepiscopatum (sicut supra diximus) ambierat, Philippo regi adhærens contra regem Ottonem & Innocentium papam, multa in omni prouincia commisit mala. Omnibus bellis cum Philippo regi suo contra Ottonem personaliter interfuit, vt miles pugnauit, spoliauit pauperes, & neque monasterijs neque ecclesijs pepercit. Cumque milites ad eum dicerent: Domine, non licet nobis ecclesias & monasteria spoliare. Respondebat: Cum ossa mortuorum tollitis, tunc ecclesias & cœmiteria spoliatis. Tandem ab Innocentio papa excommunicatus fuit, & pontificatu depositus, propter innumera scelera quæ commisit. Postremo in odium Ottonis regis officio & beneficio restitutus est.

MCCIIII.

*Philippus rex denuo Thuringiã intrat.*

Anno Marquardi abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1204. circa mensem Iulium, Philippus rex maximo exercitu coadunato Thuringiam intrat, & quandam ciuitatem Landtgrauij Wizense nomine, obsidione vallat: regem etiam Bohemiæ cum maxima multitudine in auxilium ei veniẽtem fugat, omniaque per circuitum oppida igne exurit & deuastat. Landtgrauius videns euersionem terræ suæ, & animositatem regis se ferre non posse, interuentu quorundam principum supplex ad eum venit, & eius gratiam postulans promeruit. Post hæc archiepiscopum Colonienſem Adolphum, per medium archiepiscopi Treuerensis ac episcoporum Spirensis & Constantiensis, consilium apud Andernacum sibi conciliat: & vt ducem Brabantiæ, & reliquos Lotharingiæ nobiles fideles sibi efficiat, nouem millia marcarum ei donat, & Salueld ab ecclesia Colonienſi dudum ablatum restituit, ac plurima se daturum repromittit. His allectus promissionibus, Adolphus archiepiscopus Colonienſis sacramentum quod dudum fecerat Ottoni patui pendens, periurium & excommunicationem papæ non metuens, post festum S. Martini adeundem Philippum cum duce Brabantiæ Confluentiam venit, & ei iuramentum fidelitatis ambo præstiterunt, quod ei postea non successit in prosperitatem.

*Principes ad Philippũ deficiunt.*

MCGV.

*Philippus denuo coronatur Aquisgrani.*

Anno Marquardi abbatis 9. Philippus rex ad festum Epiphaniæ dominicæ natiuitatis 1205. indictione 8. magnum conuentum principũ sibi adhærentium habuit Aquisgrani, vbi cum maximo apparatu archiepiscopus Colonienſis ei occurrit. Ibi rex cõsilio cum suis habito, vt principes suam liberam electionem, secundum antiquitatis institutum non perderent, regium nomen & coronam deposuit, & vt concorditer ab omni recolligeretur petiuit & impetrauit. Quem Adolphus archiepiscopus Colonienſis magna solennitate vna cum Maria vxore eius, filia Imperatoris Constantinopolitani, rursus inunxit & coronauit: Ottone languore grauissimo detento, & omnium pene auxilio destituto. Hoc anno æstas fuit sicca, & hyems dura.

*Marquardus abbas obiit. Optime rexit monasterium. Multa egregie construxit.*

Eodem anno Marquardus abbas huius monasterij Hirsaugienſis reuerendissimus, posteaquam annis 8. mensibus 6. diebus 21. strenue & vtiliter præfuisset huic cœnobio, graui infirmitate quartanarum febrium tactus, ac longa ægritudine ad plenum decoctus, tandemque dissenteria subsequente dissolutus, 13. calen. Februarij, anno Domini 1209. indict. 8. in Domino quieuit, sepultus non sine fratrũ lachrymis, ante altare S. Nicolai. Multas (vt supra diximus) sui regiminis turbationes à tyrannis sustinuit: sed cum esset vir sapiens, de omnibus triumphauit. In multis, reditus monasterij ampliauit, & copiam rerum temporalium fratribus moriens reliquit. Duo quoque latera claustri nimia vetustate collapsa cum alijs structuris multis reparauit, & murum ante fores monasterij præclaro & insigni opere inchoauit, quem morte præuentus non compleuit. Fuit enim vir sanguine, moribus, ingenio & sapientia clarus, regibus & principibus notus, qui tempore schismatis imperij inter Philippum & Ottonem tam prudenter se in omnibus habuit, quod meritum apud Deum & laudem ab hominibus reportauit.

*DE LVTFRIDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXII. QVI præfuit annis 11. diebus 15. & variis gestis ac rebus illius temporis.*

MORTVO reuerendissimo huius monasterij Hirsaugienſis abbate Marquardo, & anno & die præmissis, corporeque eius cum honore ac reuerentia tradito ecclesiasti-

cæ

cæ sepulturæ: prior & conuentus, ne tanquam oues sine pastore diutius oberrarent, tertiũ dehinc diem, hoc est 23. diem mensis Ianuarij, pro electione noui abbatis vnanimi consensu statuerunt. Quo adueniente, vocatisque interea absentibus, qui huiusmodi electioni debuerunt interesse, ad locum capitularem omnes mane conuenerunt, & implorata ex more gratia spiritus sancti, post longos & maturos tractatus inter se habitos, in abbatem huius monasterij 22. tandem elegerunt Lutfridum, huius conuentus monachum, virum mitem & religiosum, qui confirmatus ab Ordinario Conrado Spirensis ecclesiæ pontifice, munus benedictionis à Guidone sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ cardinali, Prænestino episcopo & apostolicæ sedis legato per Alemaniam, suscipiens: præfuit huic monasterio annis 11. ac diebus 5. Benedici enim ab episcopo suo Spirensi, qui Philippo regi contra mandatum summi pontificis fauebat, noluit: & ob id munus benedictionis iuxta priuilegium dudum ab Vrbano papa datum, sub Gebhardo abbate à legato sedis apostolicæ prænominato suscepit. Fuit autem homo tranquillus & pacis amator, qui se non vsque adeo rebus temporalibus (vt plerique faciunt) immersit, sed potius pro necessitate commendauit. Oriundus fuit ex Francia Orientali, liberis ac honestis parentibus procreatus. Qui iuuenis ad literas positus, mediocriter studendo profecit. Non enim ludis populorum oblectari solebat, sed ab ineunte ætate paci ac silentio studens, iam monachum cœpisse viuere etiam adhuc puer videbatur. Factus autem ætate prouectior, deliberauit mũdum cum vanitatibus pro Christi amore deserere, & in tranquillitate mentis & corporis omnipotenti Domino seruire: Venit itaque ad Hirsaugiam, & sub Conrado abbate monachus factus est, sine querela inter fratres conuersatus est, probatusque annis quampluribus in quibusdam officijs monachorum minoribus, tandem post obitum Marquardi (sicut diximus) abbas ordinatus est.

*Lutfridus fit abbas huius loci 22.*

*Lutfridus abbas à Guidone cardinali benedicitur.*

*Genus & origo Lutfridi abbatis.*

*Quãdo monachus sit factus.*

Eo autem ferme tempore quo electio eius celebrata fuit in Hirsaugia, videlicet anno Domini 1205. venerunt ad Coloniam Siphridus archiepiscopus Moguntinus, & Cameracensis antistes à sede Apostolica commissarij & iudices constituti, & in maiori ecclesia S. Petri coram clero & vniuerso populo, excommunicatum à papa Innocentio publice denunciarunt Adolphum archiepiscopum Colonienſem, ac vt per omnes conuentuales & parochiales ecclesias eiusdem ciuitatis, per singulos dominicales & festos dies excommunicaretur, præceperunt. Hoc etiam in mandato habentes, vt si infra mensem post denunciationem huiusmodi factam, Romam ad satisfactionem se non conferret, officio & beneficio pontificali destitueretur, & alius in locum eius ordinaretur antistes, qui mandatis obediret apostolicis. Adolpho autem in sua pertinacia perdurante, ac summi pontificis censuras contemnente, præfati commissarij denuo Coloniam accedentes, in maiori ecclesia coram clero & populo, in præsentia regis Ottonis, tredecimo calendas Iulij, ipsum Adolphum per sententiam definitiuam ab omni officio & dignitate archiepiscopali, authoritate apostolica deponentes, canonicis vt alium eligerent episcopum eadem authoritate præceperunt. Qui mandatis apostolicis obsequentes, Brunonem de Scyn præpositum Bonnensem, in archiepiscopum elegerunt, & secuta sunt infinita mala. Adolphus enim regem Philippum, propter cuius adhæsionem depositus fuerat, Spiræ curiam cum principibus tenentem accedens, quæ paterentur exposuit, consilium & auxilium postulauit. Communi ergo decreto principum, rex contra Brunonem & Colonienses magnum congregauit exercitum, & post natiuitatem B. Mariæ semper virginis Mosellam transiuit, & in festo S. Michaelis archangeli Coloniam obsidione vallauit, qua tandem dimissa Nusiam obsedit & cepit, quam Adolpho deposito dedit.

*Adolphus excommunicatur.*

*Adolphus Archiepiscopus Colonienſis deponitur.*

*Bruno fit archiepiscopus Colonienſis.*

*Philippus rex mouet exercitum in Coloniã.*

Quibus peractis, omnem prouinciam, concremando, spoliando, miserabiliter affligendo vbiq; deuastauit, & multas munitiones cepit.

Castrum etiam Lanscroin nuncupatum, ad domandum Colonienses speciosum atque fortissimum suo tempore construxit. Maxima fuit his temporibus in omni terræ cis Rhenanæ prouincia calamitas, & nusquam tuta fides, sed mille vbique pericula sæuiebãt, maxime in terra Colonienſi, propter depositionem Adolphi, & in diœcesi Moguntina, propter Siphridum qui deposuerat eum.

*Lanscroin castrum.*

MCCVI.

Anno Lutfridi abbatis 1. qui fuit dominicę natiuitatis 1206. Henricus episcopus Herbipolensis, vir doctus, & sacrarum literarum Magister vniuersitatis Parisiensis, cui Otto de Ladenburg in episcopatu successit, & præfuit annis 16. mensibus 5. vir magnanimus & princeps, sapientia & dignitate metuendus.

*Henricus obiit.*

*Baldeuinus imperator Græcorum obiit.*

Eodem anno obijt Baldeuinus comes Flandriæ Imperator Constantinopolitanus, princeps Christianissimus, qui multa pro defensione Christianorum patrauit. Huic in imperio Græcorum successit Henricus frater eius, & imperauit annis 11. strenue.

Eodem quoque anno Philippus rex iterum fines Colonienſium ingrediens, occurrente sibi Adolpho quondam archiepiscopo, cum comitibus & magno exercitu, totum episcopatum pro libitu suo cuncta subijciendo percurrit. Rex autem Otto & Bruno, qui eodem mense à Siphrido Moguntino in archiepiscopum ordinatus fuerat, præsentibus duobus episcopis de Britannia à rege Angliæ missis cum quadringentis equitibus & duobus peditum millibus de Colonia exeuntes, cum Philippo pugnare statuerunt. Congredientes ergo hi duo reges cum exercitibus suis, apud Wassenburg, Otto & sui terga verterunt, & Philippus rex victoriam obtinuit, & inter alios nobiles multos etiam Brunonẽ archiepiscopum Colonienſem cepit, quem manicis ferreis constrictum secum abduxit, & plus quam ad anni spacium in arcta custodia tenuit. Inter hæc Colonienſes considerantes sibi totum imperium aduersati, & suos conatus vbique frustrari, accepto consilio & auxilio ducis Brabantiæ, Philippum regem, Bopardiæ commorantem adierunt, & veniam commissorum postulantes, ad gratiam eius recepti sunt. Qui etiam postea misso Conrado Spirenſi episcopo ad Coloniam, fidelitatis ab eis iuramentum exegit. Per idem tempus Otto rex, de Colonia exiens, ad Brunſuich in Saxoniam venit, ibique ordinatis rebus suis per mare in Angliam nauigio venit, vbi à rege Angliæ auunculo videlicet suo, cum honore susceptus aliquandiu remansit.

*Bruno capitur.*

*Colonienſes Philippo reconciliati.*

*Otto rex nauigat in Angliam.*

Eodem anno 2. calendas Martij, hora diei decima, solis eclipsis fuit & multi humanum se caput in sole vidisse testati sunt.

MCCVII.

*Ecclesia S. Sepulchri in Spira.*

Anno Lutfridi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1207. Conradus episcopus Spirenſis ecclesiam S. sepulchri Spiræ, in qua erant moniales, cum omnibus iuribus & pertinentijs suis, in perpetuum tradidit præposito in Deckendorff, vt monialibus quæ tunc erant in ea defunctis aut aliorsum, saluis vitæ necessarijs, translatis, conuentum virorum suæ possessionis ibidem instituerent, qui tamẽ iurisdictioni Spirenſis episcopi pro tempore esset subiectus.

Eodem anno circa festum S. Andreæ apostoli Philippus rex in Augusta magnum conuentum principum celebrauit, in quo duo cardinales, Hugo videlicet Hostiensis episcopus, & Leo presbyter S. crucis: missi ad reformandam pacem in regno à summo Pontifice Innocentio comparuerunt, qui interuentu regis, Adolphum quondam archiepiscopum Colonienſem ab excommunicatione soluentes, pro satisfactione ad examen sedis apostolicæ miserunt. Ad eorum etiam preces rex Philippus Brunonem archiepiscopum Colonienſem, quem anno priori ceperat, à vinculis absoluit, & ire cum ipsis Romã ad sedis apostolicæ gratiam permisit. Multa ibi coram principibus inter ipsos & regem de pace & compositione regum tractata sunt, sed nihil fuit conclusum, quia ad sedis apostolicæ examen omnia media pacis proposita per ipsos cardinales fuerant referenda.

*Conuentus principum in Augusta.*

*Bruno archiepiscopus liberatur à custodia.*

MCCVIII.

*Philippus rex à Palatino occiditur.*

Anno Lutfridi abbatis 3. dominicæ autem natiuitatis 1208. Philippus rex profectus in Saxoniam contra quosdam suo rebelles imperio, cum ad ciuitatem Bambergam venisset, & per triduum copias expectaret absentes, & quodam die cum Conrado episcopo Spirenſi cancellario suo, & duobus seruitoribus in camera episcopi Bambergensis post incisionem venæ quiescens, venit Otto comes Palatinus de Witelsbach petens introitũ, qui intromissus extracto gladio ipsum regẽ interfecit, & mox cum suis antequam factum innotesceret, aufugit. Corpus autem occisi regis primo fuit ibidem in maiori ecclesia sepultum, sed ossa per aliquot annos per Fridericum Imperatorem secundum nepotem eius ex fratre, Spiram translata sunt, & in maiori ecclesia cum regibus sepulta. Fuit autem occisus 11. calendas Iulij, & vacauit Imperium vsque ad festum sancti Martini. Porro homicida comes Otto profugus de terra proscribitur, & post annos paucos per marscalcum Philippi occiditur.

*Otto Palatinus de Witelsbach.*

Eodem anno in festo sancti Martini episcopi, procurante Conrado Spirenſis ecclesiæ episcopo, cancellario Philippi regis occisi, qui regalia tunc temporis penes se habebat, maximus Principum, nobilium ac prælatorum conuentus apud Franckfordiam celebratus est: vbi Otto rex quondam aduersarius Philippi, ab omnibus denuo vnanimiter fuit electus, & in regnum confirmatus, qui & filiam regis Philippi duxit vxorem.

*Otto dux Saxoniæ in regno confirmatur.*

Eodem quoque anno Philippo rege occiso Siphridus archiepiscopus Moguntinus, de Ro-

de Roma vbi per biennium ecclesiæ sanctæ Sabinæ titulum cardinalatus tenuerat, iubente papa Innocentio ad sedem Moguntinam cum honore reuersus est, electoque Lupoldo Wormacienſi episcopo inuasore nequissimo, authoritate domini papæ à cunctis Mogũtiæ cum gloria susciputur. Lupoldus enim potentia Philippi regis defensus, sedem Moguntinam expulso Siphrido toto biennio occupauerat, excommunicationem papæ contemnens, quia homo sceleratus erat, vt diximus.

*Siphridus archiepiscopus Moguntinus reuertitur.*

Eodem quoque tempore Bruno archiepiscopus Colonienſis cum Siphrido Mogũtino archiepiscopo prædicto missus à papa, Coloniam reuertitur, & in festo sanctorũ martyrum Prothi & Iacinthi cum maximo tripudio & gaudio, à cuncto populo & clero Colonienſi susciputur. In cuius aduentu pax reddita est terris, prouincia à prædonibus purgata quieuit, comites ac nobiles terræ ei se iuramento ad obedientiam subiecerunt. Adolphus quoque olim archiepiscopus ad eum veniens, obedientiam ei iuxta mandatum apostolicum promisit. Verum non diu permansit ista prouinciæ serenitas. Nam posteaquam omnia succesſerant ei ad nutum, Bruno archiepiscopus languore corripitur, & eodem anno altera die post festum omnium sanctorum ab hac vita migrauit, & in maiori ecclesia sepelitur non sine lachrymis multorum, qui se omnes eo viuente, pacem in prouincia habituros sperabant. Quo autem mortuo, Theodericus præpositus Apostolorum consilio & auxilio regis Ottonis in archiepiscopum electus vnanimiter præfuit annis sex.

*Bruno Coloniam reuertitur.*

*Bruno archiepiscopus Colonienſis obiit.*

MCCIX.

Anno Lutfridi abbatis 4. dominicæ autẽ natiuitatis 1209. Innocentius papa audiens principes totius Imperij Ottonem in regem elegisse, & corũ consilio regis Philippi filiam, quamuis cõsanguinitate ei iunctam, propter bonum pacis & concordiæ illi in matrimonio sociasse, factũ laudans, iterum in Alemaniã misit Hugonem & Leonẽ cardinales, vt illud sua authoritate confirmarent. Qui in Alemaniam venientes, ciuitates singulas visitantes, authoritate apostolica iustitiam vbiq; petentibus faciebant.

*Papa legatos misit in Alemanniam.*

Eodem anno rex Otto cum magno apparatu Italiam intrauit, vbi principes totius Longobardiæ occurrentes, eum cum gloria susceperunt, ciuitates & castella eius dominio subdiderunt, & infinitam pecuniam vectigalium & tributorum à tempore Henrici Imperatoris reseruatã, ad manus eius tradiderunt. Posthæc Romam progressus, occurrente sibi papa cum cardinalibus & senatu, cum honore susciputur, & sequenti dominica post festũ sancti Michaelis, hoc est 4. nonas Octobris, in ecclesia maiori beati Petri Apostoli ab ipso papa Innocentio in Imperatorem cõronatur.

*Otto rex Italiam cõronãdus ingreditur.*

*Otto rex Imperator Romæ cõronatur.*

His ferme temporibus sanctus Frãciscus ordinem fratrum Minorum in Italia, cum multa religione & sanctitate inchoauit: in quo succesſu temporis, complures viri sancti atq; doctissimi claruerunt, qui verbo & exemplo ecclesiam magnifice illustrarunt.

*Ordo Minorũ cœpit.*

Hoc anno erat æstas tonitruis, fulminibus & imbribus valde impetuosa, & hyems nimis dura & asperrima, quæ diutius durauit.

MCCX.

Anno Lutfridi abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1210. inter papã & Ottonem Imperatorem quartũ, grauissimæ dissensiones fuerunt subortæ propter Marchiam Apuliæ, quam Imperator ad imperium, papa vero ad ecclesiam pertinere Romanam cõfirmabat, per donationem testamentariam dominæ Methildis, filiæ quõdam Rutgeri principis Siciliæ famosissimi, & vxoris Conradi regis filij Henrici Imperatoris quarti. Hãc donationem per mulierẽ sine cõsensu principum ecclesiæ factam, papa validam, Imperator vero inualidam esse dicebat. Tandem quum Imperator ipsam marchiam papæ non vellet cõcedere, ab ipso fuit excommunicatus, & postremo ab imperio depositus.

*Inter papam & Imperatorẽ discordia.*

*Causa dissensionis.*

MCCXI.

Anno Lutfridi abbatis 6. dominicæ autem natiuitatis 1211. Otto Imperator prospe-ris vtens succesſibus, totam sibi Apuliam & Calabriam subiecit, ciuitates in deditionem accepit, castra militibus suis custodienda cõmisit, & Fridericum regem Henrici Imperatoris 6. filium penitus exterminare tentauit, obedire mandatis apostolicis cõtempsit. Vnde cõmotus papa Siprido archiepiscopo Moguntino præcepit, vt per totã Alemaniã Imperatorẽ excõmunicatum & depositũ ab imperio denunciaret. quod & fecit. Quo facto, Henricus comes Palatinus Rheni, dux quoq; Brabantiæ, & multi principes alij ac nobiles Ottoni fauentes, torũ episcopatum Moguntinũ circa festũ S. Michaelis, incendio & rapina deuastare cœperunt, nihil præter ciuitates munitas & fortissima castra intactum relinquentes, sed villas, ecclesias & monasteria desolando spoliauerunt, totam terram pene in

*Imperator totam Apuliã obtinet.*

*Imperator excommunicatur.*

*Ecclesia Moguntinæ persecuto.*

*Siphridus archiepiscopus.*

desolationem agunt. Siphridus autem archiepiscopus omnia hæc mala propter obedientiam sedis apostolicæ sufferens, nusquam in patria tutus, ad Hermannum Thuringiæ Landtgrauium confugit, & ibi aliquandiu mansit.

Eodem anno circa quadragesimam Otto Imperator ab Italia redijt, excommunicatus à papa, & per totam Alemaniam declaratus.

MCCXII.

Anno Lutfridi abbatis 7. Dominicæ autem natiuitatis 1212. Otto Imperator circa festum pentecosten, conuentum principum in Nurenberga habuit, exponens principibus causam dissensionis inter ipsum & papam. Post hæc mouit expeditionem in Thuringiam contra Hermannum Landtgrauium sibi aduersantem, vbi duas munitiones Rotenberg & Saltzungen fortissimas destruxit. Inde progrediens, obsidione vallauit oppidum Wizense, quod etiam præter arcem obtinuit. Ibi tunc primo cœpit haberi vsus instrumenti bellici quod Tribock appellatur.

*Imperator Thuringiã ingreditur.*

*Instrumenti Tribock inuentio.*

Eodem anno Leodium in die ascensionis Domini à duce Brabantiæ Henrico fugato episcopo, Huardo capitur, & maxima præda inæstimabilesq; diuitiarum thesauri à militibus & Scariantis cum multorum damno diripiuntur. Hoc ipso anno maxima hominũ multitudo vtriusq; sexus & ætatis, ex omni Germania & Gallia necnon & Burgundia versus Italiam iter arripuit, senes & iuuenes, pueri & adolescentes, coniugatæ ac virgines, pauperes & diuites, sine ordine, sine duce, sine authoritate, propria præsumptione ducti, cruce se mutuo signantes, contra Saracenos mare transire, & terram sanctam se recuperare velle dicebant. Verum cum venissent ad mare, alij fame & inopia perierunt, alij rapti à piratis venditi sunt, cæteri cum ingenti confusione ad propria redierunt, plures corruptionis suæ præmium reportantes.

*Leodiũ capitur à Duce Brabantiæ.*

*Concursus populorum ad mare.*

*Expeditio contra Albienses.*

Eodem anno facta est expeditio cruce signatorum à duce Austriæ & quibusdam terræ Baronibus, alijsque diuersæ conditionis hominibus, ex Austria, Saxonia, Westphalia, Phrysia & Alemania tota, in auxilium comiti de Manfort, ad impugnãdum hæreticos Albienses, qui & Ruptarij vel Coterelli dicebantur, de terra S. Ægidij, papa mandante. Qui audientes tantum contra se venire exercitum, alij relictis ciuitatibus & castris fugerunt, alij ad vnitatem Catholicæ fidei reuersi, obedientiam cardinali ad hoc à papa missoriamento præstiterunt. His peractis præfatus dux Austriæ Lupoldus cum magno Christianorum exercitu contra Saracenos, à Massamuto rege Maroth nauigio missos, in Hispaniam progressus est: vbi commisso cum fidelibus ipsis prælio, Christiani obtinuere victoriam, infinita multitudine Saracenorum occisa, cæteris in mari submersis.

*Bellũ Christianorum cum Saracenis.*

*Imperatoris nuptiæ.*

Eodem quoque anno Otto Imperator in Northusen nuptias celebrauit, ducens vxorem filiam Philippi regis, sibi antea (vt diximus) desponsatam, quæ die quarta post hæc, rebus excessit humanis. Interea videns papa Innocentius pertinaciam Ottonis, quem pius semper fouerat contra Philippum & in altum sublimauerat: cum neque pro absolutione, neque pro aliqua compositione laboraret, misit in Siciliam, & eduxit inde Fridericum supra memoratum, Henrici quondam Imperatoris filium, & cum literis ac mandatis misit eum in Alemaniam, præcipiens & mandans principibus imperij, vt Ottone excommunicato atque deposito & abrogato, ipsum in Imperatorem eligerent, susciperent, ac manu tenerent, & in omnibus viriliter assisterent, sibique transeunti per terras quisque suo loco conductum honorifice præberent. Quod & factum est. Comperiens Otto Friderici aduẽtum, desistens ab impugnatione Landtgrauij obuiam illi cum exercitu proficiscitur. Quidum in partibus Sueuiæ conuenissent, Otto cum suis cedere compulsus est, & præualere non potuit, quia pro tenacitate sua multi eum relinquebant. Adhuc tamen habens fiduciam in solo duce de Zeringen, descendit vsq; ad Brisach regium oppidum, præstolari volens euentum rei, si quo modo posset habere copiam resistendi. Vbi dum commoratur in præsidio, & familiares sui oppidanos rapinis & iniurijs prouocãtes, vinum, pabula & quæque ad victum pertinentia violenter diriperent, congregati ciues in vnum, ipsum cum omnibus suis de oppido eiecerunt, quibusdam vulneratis & membris truncatis. Qui secedens inde reuersus est in Saxoniam, conducentibus ipsum quibusdam terræ illius nobilibus.

*Fridericus rex venit contra Ottonem.*

*Fridericus pro rege susciputur.*

*Bellum inter Fridericum & Ottonem.*

*Brisach oppidum.*

Post hæc Fridericus cum ab omnibus susciperetur pro rege, & ciues Imperialis oppidi Hagenavv adhuc in Ottonis fidelitate persisterent, obsidione vrbem vallauit, & in deditionem accepit. Inde progressus de ciuitate in ciuitatem, ab omnibus vt rex cum honore susceptus est, & in breui totum imperij orbem obtinuit. In festo quoq; sanctę Andreæ

*Fridericus obsidet Hagenaum.*

dreæ Apostoli,celebrem curiam in Moguntia habuit,vbi multi principes iuramentum fidelitatis ei præstiterunt. *Curia Moguntina.*

Hoc ipso quoque anno Lupoldus episcopus Wormacien sis,interuentu Friderici regis,permissione papæ ad sedem suam reuersus est, & in gratiam sedis apostolicæ receptus: in odium(vt plerisque visum est)Ottonis,qui eum mortuo Philippo rege in exilium papa consentiente proscripserat,& interea Siphridus archiepiscopus Moguntinus, quã diu stetit in gratia Ottonis,etiam Wormacien sem ecclesiam gubernauit, maxime quoad ordinationes & sacramenta. *Lupoldus.*

MCCXIII.

Anno Lutfridi abbatis 8.qui fuit dominicæ natiuitatis 1213. Fridericus conuentum principum Aquisgrani ad festum sancti Iacobi celebrem habuit, vbi de cõsensu omnium principum rex appellatus est,& in sedem regni collocatus. Ibi quoq; cum multis alijs cruce signatus est contra Saracenos pro recuperatione dominici sepulchri,crucem prædicante Magistro Conrado tunc decano,qui postea factus est episcopus Hildesheimen sis in Saxonia,viro sancto atque doctissimo. Rex autem Fridericus primo duxit in vxorem Mariam filiam regis Arragonum,qui hoc ipso anno Albien sibus auxilium ferendo & comiti Tholosano,fuit occisus. De qua genuit Henricum regem Romanorum, qui obijt ante patrem,& Conradum regem.Mortua prima vxore duxit secundam , filiam Ioannis regis Hierusalem,quæ habuit filium nomine Iordanum. Hac etiam mortua duxit tertiam, Mechtildem filiam regis Angliæ,cuius nuptias in Wormacia celebrauit. Hæc peperit ei duos filios,& duas filias,Fridericum regem Tusciæ , Ericum regem Longobardiæ,Agnetem vxorẽ Landtgrauij Thuringiæ,& Constantiã vxorem Ludouici Landtgrauij Hassiæ. Ex concubina,Manfredum Siciliæ regem genuit. *Conuentus Principum Aquisgrani.* *Friderici vxoris & liberi.*

Eodem anno obijt Lutoldus episcopus Basilien sis,cui Walterus successit.

Eodem quoque anno Philippus rex Franciæ cum maximo exercitu Flandriam intrauit,vt Pherrandum comitem expelleret,& suo terram dominio subiugaret. Sed volũtatem suam implere non potuit,nam plurimis suorum ibidem occisis,cum magno detrimento & ignominia in Franciam redire compulsus est.

Circa autumnum etiam dux Brabantiæ Henricus cum Leodien si episcopo dimicãs superatur,omnibus fere suis aut captis,aut occisis. Theodericus autẽ Colonien sis archiepiscopus mandatis apostolicis contumaciter inobediens , partes Ottonis contra Fridericum manifeste tuebatur,per quod multam suæ diœcesi calamitatem induxit. Contigit ipso anno episcopũ Monasterien sem venire Coloniã , qui à quibusdã fautoribus Imperatoris depositi captus,Werdenam missus est,& iussu ipsius vinculis mancipatus. Quapropter Colonien ses à Siphrido archiepiscopo Moguntino Romani pontificis legato excommunicantur,& diuina officia celebrari Coloniæ prohibentur. *Rex Francia à Flandren sibus fugatur.* *Theodericus.* *Otto episcopus Monasterien sium captus.*

Eodem quoque anno 17.calendas Septembris obijt Rupertus, abbas quintus monasterij mei Spanheimen sis,cui Iuuanus sextus in ordine abbatum succedens, præfuit annis 39.mensibus 3. *Rupertus obiit.*

MCCXIIII.

Anno Lutfridi abbatis 9.dominicæ autem natiuitatis 1214. Otto quõdam Imperator terram comitis Gelren sis igne ac ferro deuastat.In mense Iulio idem Imperator Otto cum rege Angliæ suo auunculo,Henrico quoq; duce Brabantiæ.Pherrando comite Flandriæ(cuius præcedente anno fecimus mentionẽ)& multis alijs,contra Philippum regem Francorum in bellum proficiscitur,à quo facta congressione superatur iuxta Tornacum. Ibi comes Pherrandus cum multis nobilibus tam Flandriæ quam Lotharingiæ captus est, qui omnes Parisios missi,vinculis mancipantur. *Otto Imperator superatur à Francis.*

Eodem tempore Fridericus cum validissimo exercitu Mosellam transiuit,& suo terrore omnes nobiles terræ illius ad obedientiam sui coegit.Deinde Mosam transiens Henricum ducem Brabantiæ bello petere statuit,qui celeri aduentu eius territus,supplex ad eum venit,fidelitatem iuramento fecit,filium cum alijs nobilibus multis obsidem dedit, & ab Ottone Imperatore deposito recessit. *Fridericus rex Brabãtiam subdit.*

Hoc ipso anno,pridie nonis Martij,stella cometes apparuit.

Eodem quoque anno cœpit in Alemania prædicare frater Conradus de Marpurg ordinis prædicatorum authoritate apostolica , & per annos ferme 19. continuauit, multos comburi vt hæreticos fecit,nullo prohibente. Tandem (sicut dicemus ) & ipse fuit occisus. Theodoricus archiepiscopus Colonien sis propter inobedientiam mandatorum papæ & adhæsionem Ottoni quondam Imperatori abrogato continuatã , primo excom- *Frater Conradus de Marpurg.* *Theodoricus archiepiscopus Colonien sis deponitur.*

municatus est,& postea per Siphridū archiepiscopum Moguntinum Apostolicæ sedis legatum Coloniæ in maiori ecclesia ab omni officio & beneficio pontificali depositus.Qui Romam profectus,gratiam restitutionis diu postulans impetrare non potuit.

MCCXV.

*Werdena capitur.* Anno Lutfridi abbatis 10. dominicæ autem natiuitatis 1215. Adolphus comes de Monte,castrum Werden obsidione vallans cepit, & Ottonem episcopum Monasterien-sem ibidem ab Imperatore(sicut diximus)vinculis mancipatum,potenti manu liberauit, in vigilia scilicet S.Iacobi apostoli.

*Concilium Lateranēse celebratur.* Eodem anno Innocentius papa synodum 130. episcoporum Romæ in ecclesia Lateranensi,recuperandæ Hierosolymę gratia celebrauit:in qua libellos quosdam Ioachimi abbatis Florensis monasterij de Calabria erroneos condemnauit. Missisq; literis suis per omnes fines Christianorū,quoslibet idoneos Magistros prædicare crucem præcepit. Vnde per diuersas prouincias innumerabilis multitudo,pro amore Christi & liberatione terræ sanctæ signati sunt. Inter quos fuerunt Fridericus rex Romanorum & Siciliæ,Siphridus archiepiscopus Moguntinus,episcopi quoque Leodiensis, Bambergensis, Pictauiensis,& Argentinensis,dux Henricus Brabantiæ,dux Merauiæ, dux Lympurgensis, dux de Anceis, comes Palatinus de Tubingen,Marchio de Baden,comes de Los,comes de Iuliaco,comes de Seine,comes de Monte,& alij complures,qui omnes prædicāte crucem Ioanne Scholastico Xantense Aquisgrani susceperunt.

*Crux prædicatur & multi signātur.*

Eodem anno venit ad Coloniam Theodoricus archiepiscopus Treuerensis,& cooperante Henrico duce Brabantiæ ciues ad pacē & subiectionem Friderici regis iuxta mandatum apostolicum reduxit,ab excommunicatione & interdicto , quibus per annum & menses quinq; subiacuerant,absoluit,& quarta die mensis Augusti missas in maiori ecclesia S.Petri coram omni populo solenniter decantauit.

*Colonienses Fridericum regem suscipiunt.* Eodem die Fridericus ciuitatem ingressus cum honore magno suscipitur, & homagio fidelitatis susceptо per dies 7.commoratur.

*Lutfridus abbas priuilegia innouat.* Eodem quoque anno dominus Lutfridus huius cœnobij Hirsaugiensis venerabilis abbas,confirmationem omnium priuilegiorum per reges & Imperatores ipsi monasterio collatorum,à Friderico secundo Romanorum & Siciliæ inclyto rege impetrauit,cum vlterioribus indultis:vt patet in literis ipsius confirmationis , quæ datæ sunt in Hagenaw, anno incarnationis dominicæ 1215.8.idus Iulij,indictione tertia.

*Engelbertus fit archiepiscopus Colonienſis.* Eodem anno cum Theodoricus quondam archiepiscopus Colonensis diu Romæ apud papam,pro sui restitutione laborasset, & nihil proficeret , vacuus redire compulsus est,& papa scripsit Colonensibus,vt alium in archiepiscopum eligerent. Qui conuenientes in vnum,Engelbertum maioris Ecclesiæ præpositum filium comitis Montensis,in archiepiscopum elegerunt,qui præfuit annis ferme decem,vir optimus,cleri amator,& pauperum defensor:quem Fridericus comes de Isenburg consanguineus eius postea crudeliter interfecit.

*Walterus episcopus Basilienſis deponitur.* Eodem anno Walterus Basilensis electus, diffamatus quod non canonice intrauerit,à papa Innocentio Romam citatus est,qui cum se de obiectis expurgare canonice non posset,ab eodem fuit depositus:& Henricus per electionem canonicam succedens, confirmatus est.

*Hæreticorū in Alemania combustio.* His temporibus multi in occulto fuerunt hæretici vtriusque sexus, qui varios seminauerunt errores in Alemania,Francia,& Italia,quorum plures deprehensi flammis exusti sunt.In ciuitate enim Argentinensi hoc anno plusquam 80. numero fuerunt comprehensi simul vna vice,quorum pauci innocentes reperti sunt.Hos frater Conradus de Marpurg, inquisitor apostolicus,iudicio ferri candentis,si negassent hæresin, probare consueuit:& quos ferrum exussisset,velut hæreticos iudicio seculari tradere comburendos.Vnde paucis exceptis,omnes qui semel essent accusati,& ad eius examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium.Fuerunt qui crederent , eum plures innocenter damnauisse,propterea quod candens ferrum à peccatis nullum reperisset immunem , etiamsi nullius hæresis macula vnquam infectus extitisset.

MCCXVI.

*Innocentius papa 3. obiit.* Anno Lutfridi abbatis 11.Dominicæ autem natiuitatis 1216.Innocentius papa 3.obiit,post octauas apostolorum: cui Cincius cardinalis quatuor Coronatorum succedens, dictus est Honorius 3.& præfuit annis 10.mensibus duobus.Hic ordines Prędicatorum & fratrum Minorum sancti Francisci confirmauit.

Eodem anno Fridericus 1 ex conuentum principum circa initium mensis Maij Nurenbergæ

renbergæ celebrauit, cui interfuit Petrus sanctæ Potentianæ cardinalis missus à papa. Ibi Engelbertus Colonienſis electus, per eundem cardinalem confirmatus in archiepiſcopum fuit. Item eodem anno Otto quondam Imperator ab omnibus derelictus, præmentis dolore infirmatus, poſt multas anguſtias mortuus eſt. *Comentus primus in Nurenberg. Otto Imp. potorobiit.*

Eodem quoque anno Lutfridus abbas, morbo correptus & ſenio, poſt multos labores, quibus huic monaſterio ſatis vtiliter præfuit annis 11. & diebus 15. tandem 5. Aprilis in Domino quieuit, vir mitis ingenio & manſuetudinis ſingularis, qui tam monachus quam abbas in omni tranquillitate & pace fratrum conuerſatus eſt, ſtructuras varias fecit, & prouentus non minorauit. *Lutfridus abbas huius loci obiit.*

## DE EVERHARDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXIII. qui præfuit annis 15. & de varijs geſtis illius temporis in Alemania.

VENERABILI abbate Lutfrido viam vniuerſæ carnis ingreſſo, & tradito iuxta morem eccleſiaſticæ ſepulturæ, conuenientes in vnum fratres paſtore viduati, de noui abbatis electione tractare cœperunt. Qui tandem poſt maturam inter ſe deliberationem præhabitam, inuocata prius gratia ſpiritus S. vnanimi conſenſu in abbatem huius monaſterij tertium & vigeſimum elegerunt, dominum Euerhardum monachum huius conuentus profeſſum, virum integerrimum, ſcientia & moribus clarum: qui electus canonice, ac per Conradum epiſcopum Spirenſem confirmatus, & ſecundum conſuetudinem ſolenniter ordinatus, præfuit huic monaſterio ſtrenue annis 15. & aliquot diebus. Oriundus autem ex Sueuia, liberis & nobilibus parentibus procreatus, in pueritia ſua ad diſcendum literas ab eiſdem poſitus fuit, qui proficiens cum ætate in omnibus ſtudijs bonarum artiũ doctus euaſit. Deinde veniens ad conuerſationem, monachus factus eſt, & inter fratres omni tempore religioſe ac laudabiliter conuerſatus. Fuit enim vir optimus, & magno dignus honore, ingenio excellens, conſilio profundus, promptus & circumſpectus, ſermone tam Latino quam Alemanico diſertus, & innata quadam authoritate reuerendus. Ordinatus autem abbas anno præſcripto Dominicæ natiuitatis milleſimo ducenteſimo decimoſexto, indictione 4. in menſe Aprili (ſicut diximus) moribus & vita ſe vtilem exhibere paſtorem omni ſtudio curauit, non minus exemplo quam verbo ſubiectos ſuos inſtituens ad obſeruantiam regularem, quam ſummopere & auxit & continuauit. Tam enim ſtudioſus & diligens fuit circa obſeruantiam monaſticę diſciplinæ, vt ab his qui vitam eius internam neſcirent, nullam de temporalibus habere curam videretur, tam autem ſollicitus & circumſpectus in ordinandis exterioribus rebus pro cœnobij ac fratrum vtilitate, vt eum vacare internæ conuerſationis ſpiritu nullatenus potuiſſe palam teſtareris. Totus nanque fuit intentus obſeruantiæ regulari, totus internus, totus integer ac deuotus, & circa fratrum conuerſationes tam ſollicitus & circumſpectus, vt omnium paſtor verus & diceretur & eſſet. In cura etiam rerum temporalium multum diligens & prouidus extitit, & ſubſtantiam monaſterij tempore ſui regiminis non mediocriter augmentauit. Apud regem Fridericum ducem Sueuiæ & alios principes, propter ſapientiam, doctrinam & morum honeſtatem in magna reuerentia habebatur, & ſæpius conſilijs eorum interfuit. Vnde anno regiminis ſui ſeptimo (ſicut ibi dicemus) confirmationem priuilegiorum monaſterij à Friderico Imperatore ſecundo præfato, cum ampliori gratia obtinuit, & familiari amicitia illi iunctus fuit. Magnam ſuo tempore cum epiſcopo Auguſtenſi pro defenſione priuilegiorũ ac libertatũ præpoſituræ ſuæ in Rothen diſſenſionẽ habuit, contra quem iure triumphauit. Præpoſitus enim Rothenſis, ab antiquo abbate Hirſaugienſi ſemper immediate pleno iure ſubiectus, neſcio quo ſpiritu ſeducente in ſuperbiam eleuatus, eius obedientiam ſubterfugere cupiens, præfatæ Auguſtenſis eccleſiæ pontificẽ inuocauit: ſe non abbati, ſed epiſcopo immediate ſubeſſe, more cæterorum abbatum diœceſis exiſtimans. Huius præpoſiti temeritatẽ abbas Euerhardus iniquo ferens animo ſe conſtanter oppoſuit, & coram præfato epiſcopo totoq; capitulo Auguſtenſis eccleſiæ per ſententiam glorioſe triumphauit. Viſis enim iuribus & priuilegijs monaſterij Hirſaugienſis, ibidem ab omnibus fuit declaratum, præpoſitum in Roth non epiſcopo, ſed abbati huius monaſterij pro tempore exiſtenti, ſine aliquo medio eſſe ſubiectum: ita videlicet quod inſtitutio & deſtitutio illius, ſecundum regulam ſanctiſſimi patri noſtri Benedicti abbatem ſolum reſpiciat, & de ordinatione eius nemo ſe alius quicunque aliquatenus intromittat. Fuit enim abbas Euerhardus iurium, libertatum, priuilegiorum, rerum & bonorum monaſte-

*Euerhardus fit abbas 23.*

*Genus & vita Euerhardi.*

*Qualis fuerit in regimine ſuo.*

*In ſtreque rerum ſtatu ſollicitus.*

*Regi ac Principibus gratus.*

*Contra præpoſitum Rothenſem actio.*

*Victor abbas contra rebellem euaſit.*

*Libertatum fuit acerrimus defensor.*

rij sui defensor acerrimus, nec vnquam sustinere aliquam eorundem passus est violationem. Constans erat animo, nec facile poterat ab iniuriantibus superari: quippe quem & prudentia reddidit in agendis prouidum, & innata benignitas cum humili patientia in sufferendo gloriosum.

MCCXVII.

*Lupoldus.*

Anno Euerhardi abbatis primo, dominicæ natiuitatis 1217. obijt Lupoldus episcopus Wormacien sis, de quo Cæsarius monachus Heisterbacensis in secunda Dialogorum suorum distinctione, nono capite, mentionem facit, improbæ conuersationi illius testimonium perhibens. Quo mortuo Henricus præpositus de Nuhusen, filius comitis de Saraponte successit, & præfuit annis ferme 17.

*Andreas Vngariæ rex.*

Eodem anno Andreas rex Vngariæ & Lupoldus dux Austriæ cum multis episcopis, comitibus, & nobilibus, copiosaque multitudine cruce signatorum, in subsidium terræ sanctæ, mare pro Christi amore transeunt. Similiter Wilhelmus comes Hollandiæ potentissimus, Georgius comes de Wide, & Ioannes comes de Spanheim, cum Iuuano monasterij mei abbate sexto, & alijs multis Teuthoniæ hominibus cruce signatis, ad terram sanctã recuperandã profecti sunt. Inter quos fuerunt etiam Bambergensis episcopus & frater eius dux Merauiæ, Poppo quoq; comes de Henneberg, Ludouicus comes de Ottingen & cardinalis vnus apostolicæ sedis legatus.

*Concursus principũ ad terram sanctam.*

MCCXVIII.

Anno Euerhardi abbatis 2. natiuitatis autem dominicæ 1218. circa dominicam palmarum, dux Austriæ Lupoldus cum legato papæ, templarij, hospitalarijs, & exercitu copioso ad fines Ægypti accedentes, Damiatam ciuitatem opulentissimã aliquanto tempore obsederunt, & turrim quæ dicitur Clauis terræ, iuxta littus Nili munitissimam, in vigilia sancti Bartholomæi expugnando ceperunt, & postea etiam ciuitatem obtinuerunt, quam tamen non diu retinere potuerunt, sicut in actis eorum legitur.

*Damiata capitur à Christianis.*

Eodem anno obijt Bertholdus dux de Zeringen, vir fortis & bellicosus, qui multa in vita sua cum aduersarijs bella commisit.

Eodem quoque anno mare terminos suos in Phrysia transiens & procul egrediens, terram in longitudine circumquaque occupauit, villas integras deleuit, ecclesias, domos, & castella cum oppidis innumeris subuertit, & plus quam centum millia hominum consumpsit. Sunt qui scribant, huius diluuij causam fuisse quandam irreuerentiam venerabili sacramento dominici corporis exhibitam à quodam homine temulento, qui hostias de pixide in manu sacerdotis pugno deiecerat in terram, & hinc diuinam sæuijsse vltionem.

*Diluuium cẽtum millium hominũ submersio.*

MCCXIX.

*Hierusalem à Saracenis subuertitur.*

Anno Euerhardi abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1219. regina ciuitatũ Hierosolymarum, quæ videbatur inexpugnabilis, destructa est à Coradino filio Saphadini, foris & intus muri eius cum turribus redacti sunt in aceruos lapidum, præter templum Domini ecclesiamque sancti sepulchri, & arcem quam Turrim Dauid appellant.

*Fridericus Imperator coronatur à papa.*

Eodem anno Fridericus rex pro benedictione imperiali Romam cum maximo apparatu proficiscitur, & ab Honorio papa circa festum B. Ceciliæ, in Imperatorem vnctus coronatur. Qui vlterius proficiscens in Apuliam, cum magno suorum exercitu multa bella commisit, & omnem terram cum Sicilia suo imperio subiugauit. Statimque inter ipsum & Honorium papam dissensiones subsecutæ sunt, quæ multis annis cum vtriusque partis dispendio durauerunt.

*Dux Lotharingiæ.*

Eodem quoque anno dux Lotharingiæ consentiente vel dissimulante episcopo Argentinensi cum valido exercitu intrauit Alsatiam, sumpturus de quibusdam iniuriatoribus suis propositam vltionem.

MCCXX.

*Fridericus Imperator Apuliæ ponitur.*

Anno Euerardi abbatis 4. dominicæ autem natiuitatis 1220. Fridericus Imperator in Apulia constitutus, multa cum finitimis Saracenis bella commisit, & pluribus ex eis interfectis, reliquos suo dominio coegit esse subiectos. Henricus autem filius eius puer decem ferme annorum, per Ottonem Herbipolensem episcopum (cuius tutelæ fuerat commissus) cooperante Engelberto Colonien se archiepiscopo, regnum interea Teuthoniæ, genitore absente gubernare dicebatur.

*Conradus comes Syluestris.*

Eodem anno inter Siphridum archiepiscopum Moguntinum & Conradum comitem Syluestrẽ de Dune, propter aduocatiam in Heimbach grauis discordia fuit in tantum quod archiepiscopus excommunicato illo, terram eius ecclesiastico suppositi interdicto. Tandem amicis se interponentibus concordia tali modo facta est, q̃ comes centum argenti

genti marcis à capitulo Moguntino susceptis, aduocatiam resignauit, & à sententia excõmunicationis interdictioue absolutus fuit.

Hocipso anno nonis Augusti obijt S. Dominicus, ordinis fratrum Prædicatorum primus institutor, vir incomparabilis sanctitatis. *S. Dominicus obiit.*

MCCXXI.

Anno Euerhardi abbatis 5. dominicæ natiuitatis 1221. Damiata ciuitas, quam Christiani summo labore & multi sanguinis effusione anno priore ceperant & possederant, Soldano Babyloniæ pro liberatione captiuorum in regno suo, & Coradini fratris sui, à Christianis est restituta: quod factum, peccatis eorum demerentibus nequaquam est dubitandum. Nam Saladinus paulo ante pacem Christianorum postulans, regnum Hierusalem se illis redditurum, ciuitatem ipsam reædificaturum, & Damiatam cum adiacente regione ad viginti milliaria quiete possidendam concessurum, modo vlterius in terram eius non procederent, promisit, & nunc Christiani, eius gratiam quærunt. *Damiata Saladino restituitur.*

Eodem anno in die S. Margarethæ virginis & martyris, ciuitas Wormatiensis igne casuali fuit incensa, & multæ domus, maxime circa forum & plateas circumiacentes, fuerunt exustæ: ita quod media pars vrbis fere consumpta fuit, ecclesia quoque sancti Pauli similiter fuit exusta, & infinita ciuibus damna illata. *Wormatia incẽdio cremator.*

Hocipso anno fratres Minores Wormatiam primo intrantes, ordinis sui monasterium ex eleemosynis fidelium ibidem construxerunt.

MCCXXII.

Anno Euerhardi abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1222. Conradus episcopus Spirensis audiens moniales in Husen nostri ordinis iuxta Durckheim, à tramite regularis obseruantiæ nimium declinasse, vitamque viuere improbam & nimis turpem, ipsum earum cœnobium de consensu domini Siphridi archiepiscopi Moguntini, monasterio Lympurgensi eiusdem ordinis vniuit, & titulum conuentus monialium penitus extinxit: ita vt illis quæ tunc viuebant mortuis, nullæ deinceps ibidem susciperentur, & abbas Lympurgensis per suos monachos secundum loci facultatem & prouentus, pro tempore, diuina ibidem faciat celebrari. *Husen cœnobio Lymburgensi datur.*

Eodem anno 7. idus Maij, quæ fuit dominica proxima ante dominicam ascensionis, Henricus filius Friderici Imperatoris 2. ab Engelberto archiepiscopo Colonienſi, ad instãtiam patris, de consensu principum, adhuc puer in regem Romanorum consecratus est. *Henricus fit rex Romanorum.*

Eodem quoque anno, tertio idus Ianuarij, mane hora prima diei, magnus in Colonia & circa, terræmotus fuit, & multa ædificia subuertit. In Cypro quoque duæ ciuitates eodem anno ex terræmotu multis extinctis hominibus corruerunt. In Italia etiam & Lõgobardia maximi & horrendi terræmotus hoc anno fuerunt, in tantum quod homines desertis ciuitatibus, in tentorijs habitabant. Ipsa enim die natalis Domini, & per duas hebdomades sequentes, quasi quotidie bis in Longobardia terræmotus horribilis fuit, qui in multis locis ædificia & ecclesias fortissimas euertit, homines cum sacerdotibus oppressit. Brixiam quoque ciuitatem fere totam cum populo subuertit, rupes de montibus euulsit, castra deiecit, & multa millia hominum in diuersis locis miserabiliter occidit. Romæ etiã terra sanguine mixta, visa est de nubibus pluere. *Terræmotus ciuitates subuertit.*

Eodem quoque anno Baldemarus rex Daciæ cum filio suo, à comite Henrico de Scuirmk capitur, & per biennium in Dannenberg castro fortissimo ab eodem custodiæ mancipatur & retinetur. *Rex Daciæ capitur.*

MCCXXIII.

Anno Euerhardi abbatis 7. qui fuit dominicæ natiuitatis 1223. Otto episcopus Herbipolensis, nonis Decembris obijt, cui Theodericus succedens præfuit anno vno, mensibus duobus, diebus 14. *Otto episcopus Herbipolẽsis obiit.*

Eodem anno Euerhardus abbas huius monasterij Hirsaugiensis, indulta & priuilegia cum gratia ampliori à Friderico Imperatore secundo impetrauit confirmari, sicut in literis patet, quæ datæ fuerunt apud Precimam mense Ianuario anni præscripti. *Abbas Euerhardus priuilegium impetrat.*

Eodem quoque anno mortua vxore Friderici Imperatoris, prima filia scilicet regis Arragoniæ, desponsatur ei secunda filia Ioannis regis Hierusalem, quam non diu postea duxit in vxorem.

Hocipso anno orta est pestilentia pecorum maxima, quæ quasi per triennium durauit, incipiens ab Vngaria totam Germaniam & Galliam suo infecit squalore, adeo vt vix tertia pars pecorum & iumentorum huic tantæ pestilentiæ subtracta fuerit. *Pestilentia pecorũ maxima.*

*Henricus episcopus Argentinensis obiit.*

Eodem quoque anno obijt Henricus episcopus Argentinensis, cui successit Bertholdus vir prudens, defensor & fautor ecclesiæ strenuus. Ipso etiam anno Henricus tertius filius Imperatoris Friderici, curiam principum celebrauit in Northusen, vbi ab Engelberto Colonienſi archiepiscopo pro liberatione regis Daciæ multum laboratum fuit.

*Crux iterũ prædicatur vbiq.*

Eodem anno Philippus rex Franciæ moriens, centum marcarum & quinquaginta millia in terræ sanctæ subsidium legauit. Hoc ipso quoque anno papa Honorius missis nuncijs circumquaque, crucem prædicare fidelibus iubet, denuncians omnibus, vt post biennium in natiuitate sancti Ioannis Baptistæ cum Imperatore Friderico parati sint mare transire, & terram sanctam iterum liberare.

*Ordo fratrum minorum confirmatur.*

Eodem etiam anno Honorius papa tertius, ordinem fratrum Minorum sancti Francisci, tertio calendas Decembris de consensu cardinalium confirmauit, biennio ante mortem eiusdem sancti confessoris Christi.

MCCXXIIII.

*Conradus episcopus Spirensis obiit.*

Anno Euerhardi abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1224. obijt Conradus episcopus Spirensis: cui successit Berengerus de Enthringen, quartus & quadragesimus ecclesiæ Spirensis episcopus, sexto videlicet calendas April. & præfuit in ea annis ferme nouem.

*Theodericꝰ episcopus Herbipolensis obiit.*

Eodem anno obijt Theodericus episcopus Herbipolensis, cui Hermannus de Ladenburg succedens, præfuit annis ferme 26. multasque instantias & persecutiones à quibus suis sustinuit, propter Fridericum Imperatorem excommunicatum, sed victoriam semper obtinuit.

*Conuentus principum.*

Eodem quoque anno circa medium mensis Maij, Henricus rex in Franckfordia curiam principum habuit, vbi nunciꝰ Imperatoris cum literis eius adfuerunt, denunciantes eum de Sicilia quantocius in Alemaniam esse venturum, habiturumque cum principibus consilium de recuperatione terræ sanctæ, ac possessione manu tenenda.

*Conradus legatus apostolicus.*

Eodem anno Honorius papa legatum misit in Alemaniam Conradum episcopum Portuensem S. Ruffinæ cardinalem, qui Coloniam descensurus per Sueuiam iter fecit, venitque cum suis ad Hirsaugiam, & ab Euerhardo abbate & fratribus cum honore suscipitur.

*Hẽricus rex Saxoniam intrat.*

Per idem tempus Henricus cum præfato sedis apostolicæ legato, & Engelberto Colonienſi archiepiscopo, ac quibusdam principibus, pro liberatione regis Daciæ ac restitutione terræ imperij ab eo iniuste possessæ, in Saxoniam profectus est: vbi per biennium à comite de Scuirin Henrico in firmissimo castello Dannenberg, idem rex cum filio suo captus tenebatur. Venientes autem ad Aluiam fluuium prædicti comites Hermannum magistrum hospitalitatis Teuthonicorum, qui ab Imperatore in Teuthoniam missus fuerat, causa reconciliationis & compositionis faciendæ inter vtrosque, regem videlicet & comitem, præmittunt. Quo mediante, inductus est idem rex, vt omnem terram ablatam imperio redderet, coronamque regni Daciæ de manu Imperatoris susciperet, & insuper centum millia marcarum pro sui liberatione dare promitteret. Quod cum principes acceptarent, qui cum rege præsentes aderant, Albertus comes de Vrlamunda, filius sororis regis, & Barones Daciæ hanc compositionem reprobantes, & ea quæ promissa erant cassantes, ascensis nauibus cum indignatione recesserunt, infinitam pecuniam quam ad redimendum regem attulerant, secum deferentes. Et præfati principes, infecto negotio cõfusi ad propria redierunt.

*Hermãnus Magister hospitalitatis.*

*Rex Daciæ.*

*Comes Albertus de Vrlamũda.*

MCCXXV.

*Conuentus principum.*

Anno Euerhardi abbatis 9. dominicæ natiuitatis 1225. Henricus rex filius Imperatoris Friderici secundi, curiam principum in Francofordia celebrauit, in qua multa tractauit.

*Bellum inter duos comites.*

Eodem anno post natale Domini, Albertus comes de Vrlamunda præscriptus, congregato exercitu Henricum comitem de Scuirin aggredi statuit, cui Henricus occurrit, pugnaque commissa cum magna animositate ac multorum sanguinis effusione, ab hora diei prima vsque ad vesperam dimicatum est multis ibi cadentibus. Ibi etiam comes ipse Albertus cum multis nobilibus Daciæ à comite Henrico captus est, & in castro Dannenberg custodiæ mancipatus.

*Fames magna.*

Hoc ipso anno erat hyems longissima & asperrima. Fames etiam magna & inaudita, per biennium durans, in omni prouincia fuit.

*Siphridus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

Eodem quoque anno idibus Septembris obijt Siphridus archiepiscopus Moguntinus, eius nominis secundus, cui successit Siphridus tertius, & præfuit annis vigintiquatuor.

vir

vir magnarum virtutum & actionum, qui tantæ constantiæ fuit, vt iussu papæ Fridericum Imperatorem publice denunciaret excommunicatum, & persequeretur.

Eodem anno Engelbertus archiepiscopus Colonien*sis*, à Friderico comite de Isenburg, fratris sui filio, octo & triginta vulneribus acceptis crudeliter occisus est. Cuius cadauer in maiori ecclesia Coloniæ sepultum, mox infinitis miraculis claréscere cœpit. Sed interfectore non multo post ante muros rotato, statim miracula cessarunt. Huic in archiepiscopatu successit Henricus de Molenarck Bonnensis præpositus, & præfuit annis 12. qui castrum Isenburg destruxit. *Engelbertus archiepiscopus Coloniensis occiditur.*

Eodem quoque anno Henricus rex Romanorum, filius Imperatoris Friderici secundi, vxorem duxit filiam Lupoldi ducis Austriæ, & nuptiæ in Nurenberga, cum magna solennitate celebratæ fuerunt, vbi sententia capitalis data fuit contra occisorem archiepiscopi Colonien*sis*. *Henricus rex ducit vxorem.*

MCCXXVI.

Anno autem Euerhardi abbatis 10. qui fuit dominicæ natiuitatis 1226. S. Franciscus ordinis Fratrum Minorum institutor & princeps, 4. nonas Octobris in Domino quieuit, & biennio postea sanctorum catalogo per Gregorium papam nonum adscribitur. *S. Frãciscus moritur.*

His temporibus Henricus episcopus Wormatien*sis* cœnobium monialium Cisterciensis ordinis in Kirsgarten extra mœnia ciuitatis à fundamentis erexit, moniales imposuit, quibus de necessarijs prouidit. Verum post annos 217. Fridericus episcopus Wormatien*sis* expulsis (propter enormitatem vitæ) monialibus, regulares sancti Augustini canonicos de obseruantia Windeshemensi ad locum earum reposuit, qui locum ipsum inhabitant cum profectu vsque in præsentem diem. Inter Henricum præfatum episcopum & ciues Wormatien*ses*, propter libertatem ecclesiasticam grauis dissensio oritur. Qui cum eius mandato obtemperare contemnerent, supposuit ciuitatem interdicto ecclesiastico, clerum quoque omnem, præter plebanos, vrbe exire præcepit: districte plebanis interdicens, ne sacramenta conferrent infirmis, nisi promitterent pontifici se velle obedire in omnibus, si conualuissent. Neque sepeliri corpora mortuorum ad sancta loca permittebãtur. Cum autem hæc mala ad anni spatium durassent, quidam è ciuibus tædio malorum affecti, ad partes episcopi declinare cœperunt. Quod videntes qui consulatui præerant, ac metuentes experiri peiora, pacem admiserunt. *Kirsgarten monasterij fundatio.* *Dissensio inter episcopũ & ciues Wormatienses.*

Eodem anno Longobardi ad suggestionem Honorij papæ contra Fridericum Imperatorem rebellantes, collegium fecerunt, quod Longobardorum multo tempore est vocitatum, in detrimentum non paruum Rom. Imperij, ac recuperationis terræ sanctæ impedimentum. *Longobardorũ collegium contrà imperium.*

Et eodem anno ipse papa Honorius 3. obijt, cui Gregorius nonus successit, & præfuit annis quatuordecim, mensibus tribus. *Honorius papa obiit.*

MCCXXVII.

Anno Euerhardi abbatis 11. dominicæ autem natiuitatis millesimo ducentesimo vigesimo septimo, Henricus rex filius Imperatoris circa dominicam passionis Aquisgranum veniens, celeberrimam curiam principum ac nobilium totius fere Teuthoniæ habuit, inter quos fuére præcipui, Moguntinen*sis*, Treuerensis, Colonien*sis*, & Saltzburgensis archiepiscopi, cum episcopis multis Bauariæ, Austriæ, Carinthiæ, Brabantiæ, & Lotharingiæ duces, Hẽricus comes Palatinus Rheni, Landtgrauius Thuringiæ, comes Flandriæ, qui per annos 12. Parisios in captiuitate à rege Franciæ detẽtus fuerat, & priori anno absolutus, cum multis alijs comitibus atq; nobilibus. In hoc vero conuentu principũ, vxor Hẽrici regis Rom. filia Lupoldi ducis Austriæ, in reginam consecrata fuit ab Henrico Colonien*si* archiepiscopo, & cum magna solennitate in sede regali iuxta regem locata. *Conuentus principum magnus.* *Regina coronatur Aquisgrani.*

Eodem anno in die S. Mariæ Magdalenæ, rex Daciæ præuaricator fidei ac iuramenti, priore anno pro absolutione sua præstiti, vindicare se parat: & contracta infinita multitudine armatorum, Henricum comitem de Zuuirin bello lacessit: à quo, adiutorio archiepiscopi Bremensis & Alberti ducis Saxoniæ superatus, per fugam vix euasit, quatuor millibus virorum ex sua parte interemptis, multisque captis ex Danis. *Rex Daciæ in bello superatur.*

Eodem quoque anno electa expeditio cruce signatorum ab omnibus Europæ partibus mota, cassatur & dissipatur, Frederico Imperatore (sicut dudum promiserat) nõ trãsfretante. Ob quam causam, à papa Gregorio nono fuit excommunicatus, quẽ archiepiscopus Moguntinus denunciauit. Multi tamen principes Alemaniæ, comites, duces, barones & nobiles, non obstante Imperatoris contumacia, mare transire parant. Inter quos fuerũt Ludouicus Thuringiorum Landtgrauius quintus, primus Marchio Misnensis, maritus *Fridericus Imperator à papa excõmunicatur.*

*Ludouicus maritus S. Elisabeth.*

S. Elisabeth de Marpurg, princeps pijssimus, qui tertio iduum Septembris obijt in quadam ciuitate Siciliæ, Ortrant nuncupata: cuius ossa in Thuringiam relata, in Reinhartzbron monasterio nostri ordinis sepulta sunt. Ludouicus etiam de Castele, Ludouicus senior de Stolberg, & episcopus Augustensis, qui & ipse in itinere mortuus est, non sine suspicione intoxicationis.

*Bernstein capitur.*

Hoc ipso quoque anno Bertholdus episcopus Argentinensis, Bernstein castrum obsidione cingens expugnauit & post mensem obtinuit.

*Henricus comes Palatinus.*

Eodem anno dominus Henricus comes Palatinus Rheni, & dominus Brunsuicensis in Saxonia, Gertrudem filiam suam Ottoni Bauariæ duci dedit vxorem, cum qua Palatinatus postea deuenit ad Bauaros.

MCCXXVIII.

*Imperator Fridericus mare transfretat.*

Anno Euerhardi abbatis 12. dominicæ autem natiuitatis 1228. Fridericus Imperator iam dudum per plures annos cruce signatus, iter transmarinum tandem cum multis alijs principibus arripuit, quem Gregorius papa nihilominus interea excommunicatum per totam Alemaniam denunciari fecit maxime per fratres Prædicatores.

*Regum Bohemiæ coronatio ad archiepiscopū Moguntinū pertinet.*

Eodem anno Odacharus & Wentzeslaus reges Bohemiæ tale priuilegium dederunt ecclesiæ Moguntinæ, quod consecratio regum Bohemiæ ad archiepiscopum Moguntinum perpetuis futuris temporibus debeat pertinere: quod multis annis ita fuit obseruatum, quousque tandem per quendam archiepiscopum Moguntinensem hocius ecclesiæ Pragensi venditum est.

*Bellum inter episcopū Argētinensem & comitem de Pfirrite.*

Anno etiam prænotato grauis dissensio orta est inter Bertholdum episcopum Argentinensem, & cognatos eius comites de Pfirrite, quæ dum magis ac magis per dies inualesceret, tota pene prouincia per triennium ferme vastata, incendio & rapinis patuit prædonum. Post multas igitur iniurias susceptas episcopus suorum collecto exercitu, vna cum Alberto comite de Habsburg, qui & ipse damna multa sustinuerat, paratuit se ad resistendum. Comites ergo Pfirritenses in auxilium habentes Egeonnem comitem de Friburg, & ciuitates imperiales inter Bladoltsheim & Hirnfeld, cum maximo exercitu occurrentes episcopo, facta congressione, ab eo victi sunt, multis eorum occisis, alijs vulneratis, alijs in captiuitatem abductis.

MCCXXIX.

*Hierusalem Christianis traditur.*

Anno Euerhardi abbatis 13. dominicæ autem natiuitatis 1229. ciuitas sancta Hierusalem cum quibusdam castellis, per Fridericum Imperatorem secundum, sub certis conditionibus à Soldano Ægyptiorum sine omni congressu aut sanguinis effusione recuperata est, & in manibus Christianorum denuo tradita. Ipse autem Imperator Fridericus, in

*Dissensio inter papam & Imperatorem.*

dominica Lætare Hierusalem coronatus intrauit, factisque cum Saracenis treugis per decennium, altera die ad naues profectus, in terram suam reuersus est. Cum autem Siciliam intrasset, reperit multa oppida, castella & munitiones ad partes papæ declinasse, quæ omnia manu Teuthonicorum valida recuperans, quædam ex eis funditus euertit, & eo tempore graues inter ipsum & papam inimicitiæ factæ sunt.

MCCXXX.

*Concordia fit inter episcopum Argentinēsem & comitem de Pfirrit.*

Anno autem Euerhardi abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1230. inter Henricum regem comitesque de Pfirrit & Bertholdum Argentinensem episcopum, concordia facta est, & siluit terra à tumultu bellorum: sed purgari furibus & latronibus non potuit, qui noctu monasteriorum & ecclesiarum ianuis fractis (cum assueti essent viuere de rapinis) quicquid inuenire poterant, clam auferebant.

*Rex Legionis impugnat Saracenos. Maiorica capitur à rege Arragoniæ. Archiepiscopus Colon.*

Eodem anno in Hispania rex Legionis & filius eius rex Castellæ arma contra Saracenos sumentes, magnam terræ partem occupant, ciuitatem Emeritanam cum multis castellis de manibus eorum potenter capientes. Rex quoque Arragoniæ hoc ipso anno insulam Maioricam, quæ regnum olim fuit, multis annis à Saracenis possessam, armata manu cœpit, regem ipsius cum tota domo regia captiuum abducit, & insulam suis militibus Christianis tuendam commisit, & multa spolia abducit.

*Dux Lymburgensis. Imperator absoluitur. Lupoldus dux obijt.*

Eodem quoque anno dissensio inter archiepiscopum Colonienſem & ducem de Limpurg oritur, propter aduocatiam monasterij Sigenbergen nostri ordinis, quam vterque ad ius suum pertinere contendebat: vnde incendia & rapinæ sequuntur in circuitu terrarum vtriusque, donec tandem per Henricum regem treugæ fuerunt interpositæ.

Hoc ipso anno Fridericus Imperator à papa Gregorio, ad instantiam Lupoldi ducis Austriæ absoluitur, & communioni ecclesiæ restituitur, qui dux tractatu pacis peracto, apud S. Germanum in Campania moritur, cuius viscera & carnes in domo capitulari monasterij

nasterij Cassinensis nostri ordinis sepulta sunt, ossibus in Austriam relatis. Hoc tempore hæreticorum multorum qui diu in occulto latuerant in Alemania, Italia, & maxime in Longobardia, fuit detecta impietas, & complures ex eis igne combusti sunt. Sectam Nicolaitarum profitebantur, erantque eis matres, vxores & filiæ omnibus semper communes. Ecclesiam & prælatos contemnebant: carnes etiam in quadragesima manducabant: & multa mala faciebant, in errorem suum trahentes occulte quoscunque potuissent. Singulis annis ex Alemania, Gallia, & Italia censum annalem transmittere Mediolanum, vbi diuersarum hæresium & errorum primatus agebatur, solebant. Capti autem quidam ex eis in ciuitate Argentinensi, coram omni populo & clero confessi publice fuerunt, quod tantus errorum esset numerus in omni loco, vt si quis ex eis à Colonia ire Mediolanum statueret, omni nocte hospitem secta eorum inueniret, in cuius domo omnia essent communia, mater, vxor, & filia: habebantque signa paruula circa ianuas domorum, aut supra tecta, per quæ habitationes complicum suorum inuenire potuerunt.

*Longobardorum hæresis detegitur.*

*Errores eorum.*

*Maxima eorum multitudo fuit.*

MCCXXXI.

Anno Euerhardi abbatis decimoquinto, qui fuit dominicæ natiuitatis 1231. Ludouicus dux Bauariæ rediens à partibus transmarinis, cum venisset ad Kelheim, à quodam nuntio Vetuli de Montanis ad hoc misso, in conspectu familiæ suæ cultro transfossus occisus est, Friderico hoc nefas procurante Imperatore, vt ferebatur. Nam prædictus Vetulus de Montanis, princeps Saracenorum Imperatori confœderatus, multas iniurias quas idē dux Imperatori intulerat, vindicare volens, seruum suum in necem eius destinauit. Et Imperator contra ducem inimicum gerens animum, ipsum in rebus & persona paulo ante defœdauerat, misso ad hoc nuncio speciali. Porro Saracenus ille qui ducem occiderat, mox à familiaribus eius gladijs discerptus, interemptus est. Corpus autem ipsius ducis in Bauariam relatum, in monasterio Scheurin nostri ordinis sepultum est. Huic Ludouico in ducatu Bauariæ Otto filius eius successit, qui habuit vxorem Gertruden filiam Henrici comitis Palatini Rheni Heidelbergæ commorantis, cum qua ipsum Palatinatum post obitum soceri obtinuit, & ducatui Bauariæ coniunxit vsque in præsentem diem. Genuit autem ex ea duos filios Henricum & Ludouicum, de quibus postea suo loco dicemus.

*Ludouicus dux Bauariæ occiditur.*

*Otto dux Bauariæ fit comes Palatinus Rheni.*

Eodem anno 3. calendas Decemb. obijt S. Elisabeth filia regis Hungariæ, vxor Ludouici Pij Thuringiorum ac Hassonum Landtgrauij quinti, mulier multarum virtutum & sanctissimæ conuersationis, sepulta in Marpurg oppido Hassiæ, quæ statim infinitis miraculis claruisse cœpit. Eius gesta diffuse conscripta sunt.

*S. Elisabeth in Hassia moritur.*

Sanctus quoque Antonius de Padua, ordinis Minorum, discipulus B. Francisci, vir doctus atque sanctissimus hoc ipso anno decessit.

*S. Antonius Paduanus.*

Eodem quoque anno Euerhardus huius monasterij Hirsaug. clarissimus abbas post multos labores pro defensione iurium & libertatum loci habitos, in Domino quieuit, vir æterna memoria dignus, qui monasterio tempore sui regiminis per omnia bene fecit. Ornauit ecclesiam, ædificia plura consummauit, ampliauit redditus, libertates & iura monasterij constantissime manu tenuit: & quod maius est, omnibus regularis disciplinæ obseruantiam tam in se, quam in subditis studiosissime conseruauit, verbo & exemplo se gregi formam bonorum operum exhibēs, pro quibus eum credimus in cœlo gloriosum. Obijt autem vir iste gloriosus, penultima die mensis Decembris, posteaquam præfuit annis 15. mensibus 8. & diebus 20. anno ætatis suæ quinto & sexagesimo, sepultus in maiori cœnobio cum reuerentia & honore, non sine lachrymis multis filiorum quos reliquit.

*Euerhardus obiit.*

## *DE ERNESTO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXIIII. QVI præfuit annis 13. & mense vno, diebus tribus, variisque gestis illius temporis.*

POST mortem reuerendissimi ac Deo dilecti abbatis Euerhardi, cōuenientes in vnum fratres huius monasterij, vltima die mensis Decembris, quæ fuit altera dies post obitum pastoris, habere inter se tractatum de substituendo nouo abbate necessarium cœperunt. Præmissis igitur orationibus consuetis, tandem vnanimiter elegerunt Ernestum quendam huius cœnobij monachum, qui maioris cellarij aliquandiu gessit officium, virum bonum, & honestis in Sueuia parentibus ortum, qui à Berengero Spirensium episcopo ordinatus in abbatem, huic monasterio præfuit annis 13. mense vno & diebus tribus. Erat autem (sicut diximus) vir bonus & honestæ conuersationis, plus tamen ad temporalia, quā ad monasticæ disciplinæ obseruātiam inclinatus. Vnde factum est, vt disciplinæ integritas sub eo paulatim deficeret, eo minus curante interiora fratrum, sed externa potius

*Ernestus fit abbas.*

*Vita & mores Ernesti abbatis.*

sectante. Substantia vero monasterij temporalis sub eo bene fuit conseruata, propterea quod in ordinatione rei familiaris satis esset expertus, & in cura negotiorum temporalium singulari attentione sollicitus.

MCCXXXII.

*Fridericus Imperator.* Anno Ernesti abbatis primo currente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1232. Fridericus Imperator ad Rauennam manens, bellum contra Longobardos molitur, sed non profecit Longobardis viam præcludentibus regi Henrico filio eius ac militiæ Germanorum, quam ad se Imperator Rauennam vocarat.

*Tentorium mira arte fabricatum.* Hoc ipso anno Soldanus Babyloniæ Imperatori misit tentorium mirabili arte constructum, in quo imagines solis ac lunæ artificialiter motæ, cursum suum certis & debitis spacijs peragebant, horasque diei ac noctis infallibiliter indicabant. Cuius tentorij valor quinque millium florenorum precium transcendisse dicebatur.

*Bellum inter Moguntinum & Landtgrauium.* Eodem anno inter Siphridum archiepiscopum Moguntinum & Conradum Landtgrauium Hassiæ, bellum pernicioſum oritur, in quo ipse Landtgrauius Moguntinæ ecclesiæ multa damna fecit. Oppidum Frislarienſe capiens quasi funditus euertit. In eodem quoque bello Henricus episcopus Wormatiensis, & omnes pene canonici præfati oppidi ab ipso Landtgrauio capti fuerunt. Tandem inter eos concordia facta est.

*Principatus monasterij Lors, auferturab eo.* Eodem quoque anno Fridericus Imperator secundus, principatum monasterij nostri ordinis, non longe à Wormatia, quod dicitur Laurissa, cum omni honore, vasallis, ministerialibus, oppidis, castris, villis, iuribus, prouentibus & attinentijs suis, quem abbas eiusdem loci semper habere consueuit, de ipso monasterio abstulit: eumque Siphrido archiepiscopo, & ecclesiæ Moguntinæ in perpetuum donauit, cuius valor pretium centum millium florenorum excedit: quam donationem Gregorius papa nonus, ad instantiam archiepiscopi confirmauit, mandans ei, vt expulsis inde monachis nostri ordinis, Cistercienses in locum eorum reponat. Quod cum feciſſet, dolentes nostri se de monasterio suo tam iniurioſe per archiepiscopum expulsos, quadam nocte auxilio freti amicorum, ad cœnobium reuertuntur, & monachos Cistercienſis ordinis ibidem repertos, nil tale metuentes, inuadunt, percutiunt, vulnerant, & de cœnobio expellunt, ipsumque locum rursus inhabitare cœperunt. Sed non post multos dies superueniens Archiepiscopus, in manu valida iterum eos de monasterio expulit, & Cistercienses suos denuo reuocauit. Et ecce quadam nocte sub matutinis cum se Cistercienses crederent esse securos, iterum nostri cum amicis suis ad Laurissam veniunt, eos denuo inuadunt, cedunt, percutiunt, & iterum expellunt, protestantes se omnes interempturos, si denuo ad ipsum cœnobium Laurissense præsumpserint reuerti. Ab ea itaque die non amplius poterant induci Cistercienses, vt ad Laurissam reuerterentur. Vacauit ergo aliquandiu monasterium, cum nec illi, nec nostri se tuto ibidem posse manere cernerent. Tandem Innocentius papa quartus archiepiscopo Moguntino præfato mandauit, anno pontificatus sui 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1246. quatenus monachos cuiuscunque ordinis aut certe canonicos seculares ad cœnobium reponeret, ne diutius vacuum remaneret. Qui consilio accepto, monachos Præmonstratenſis ordinis de monasterio omnium sanctorum Argentinensis diœcesis ad se vocatos, conuentum ex eis in præfato monasterio instituit, quibus præpositum pro rectore dedit. Et sic nobilis illa Laurissensis monasterij famosa quondam ac notabilis abbatia, sacro ordini nostro ablata, in manus aliorum data est, & principatus eius minus iuste (vt multis visum fuit) Moguntinæ ecclesiæ traditus, cum nostri ordinis plures potuissent inueniri religiosi, prudentes, nobiles, ac potentia viri insignes, qui ipsum cœnobium in vtroque statu reformassent. Hoc monasterium Laurishaimense, Cancor comes Rheni, filius Ruperti comitis, tempore Pipini regis Francorum, patris Caroli Magni, anno domini 764. construxit & magnifice dotauit. In quo postea S. Ermenoldus huius monasterij Hirsaugiensis monachus, & B. Wilhelmi abbatis discipulus, tempore Henrici Imperatoris quinti abbas factus est: licet ipsam abbatiam propter conscientiæ scrupulum resignauerit, & translatus in Bauariam primus abbas monasterij sancti Georgij in Brunseningen ordinatus sit, vbi multis signis & miraculis claruit, vt in vita eius legitur.

*Monachi nostri de Lors expelluntur.*

*Cistercienſes per nostros pelluntur.*

*Monasterium Laurissense vacat.*

*Præmonstratenses Laurissam inhabitant.*

*Quis & quomodo fuerit fundatum.*

*S. Ermenoldus monachus Hirsaugiensis.*

Hoc anno æstas fuit sicca & calidissima, vinum creuit optimum.

MCCXXXIII.

Anno Ernesti abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1233. Fridericus Imperator Messanam ciuitatem Siciliæ sibi rebellantem violenter cœpit, & omnes rebelles suos in ea igne cremauit.

Eodem tempore in Alemania multi nobiles & ignobiles, clerici, monachi, moniales in-

les inclusæ, Burgenses ciues, & rustici, à quodam fratre de Marpurg ordinis prædicatorum (qui generalis inquisitor hæreticorum fuerat à sede apostolica constitutus) per diuersa Teuthoniæ loca ignis supplicio nimis præcipiti sententia, vt multis tunc fuit visum, sub hæresis nomine sunt addicti. Nam, vt quidam scribit, eodem die quo quis accusatus est, siue iuste, siue iniuste, nullius appellationis, nullius defensionis sibi refugio proficiente, damnatus & crudelibus flammis iniectus est. Inter multos autem qui tum accusabantur, delatus est ad eum comes Seynensis super hæresi falso infamatus, pro cuius expurgatione seu defensione rex Henricus conuentum multorum principum apud Moguntiam habuit. Ob quam causam frater Conradus, huius in Alemanos persecutionis minister & auctor, in odium multorum nobilium ac ignobilium deuenit, & à Moguntia discedens cum saluo conductu Henrici regis & archiepiscopi domini Siphridi, nihilominus non longe à Marpurg, à quibusdam nobilibus nullum locum veniæ vel gratiæ apud ipsum inuenientibus, in itinere fuit occisus. Cuius cadauer in Marpurg iacet humatum.

*Multi in Alemania cõburuntur hæretici.*

*Frater Conradus de Marpurg. Comes Seynensis accusatus fuit.*

*Frater Conradus occiditur.*

Eodem tempore Henricus rex, de Moguntia cum principibus exiens, in manu valida intrauit Bauariam, habens in exercitu suo sex millia hominum pugnatorum, quos cõtra ducem Bauariæ in campis Lici fluminis prope Augustam Rheticorum produxit ad bellum, & in breui ipsum ducem cum tota Bauaria in deditionem accepit. Interea vero dum hæc agerentur in Bauaria, Theodericus Comes de Montbelgard, fines Alsatiæ cum armatis intrauit contra abbatem de Murbach, qui ipsum priori anno captiuauerat. Etiam comes quibusdam captis cum prædacœpit abire, cum ecce clamor exoritur, populus terræ fugientes insequitur: comes cum multis denuo capitur, & custodiæ pontificis Argentinẽsis mancipatur. Quem episcopus de expeditione Bauarica reuertens, cautione accepta liberum abire permisit.

*Expeditio Regis in Bauariam.*

*Theodericꝰ comes de Montbelgardis.*

Eodem quoque anno episcopus Curiensis à quibusdam nefarijs occiditur.

Anno etiam prænotato obijt Berengerus episcopus Spirensis, cui successit Conradus de Than, fuitque quintus & quadragesimus in ordine episcoporum Spirensium, & præfuit annis ferme quatuor satis vtiliter.

*Berengerus episcopus Spirensis obiit.*

Hoc ipso anno 3. calendas Martij, facta est concordia inter episcopum & ciues Wormatienses in oppido Franckofordensi, per Siphridum archiepiscopum Moguntinum, Conradum supra dictum episcopum Spirensem, & Marchionem de Baden, iussu & mandato Henrici regis filij Friderici Imperatoris.

*Wormatiẽses cum episcopo cõcordantur.*

MCCXXXIIII.

Anno autem Ernesti abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1234. Gregorius papa nonus crucem fecit prædicari contra Stadingenses populos in confinibus Phrysiæ & Saxoniæ sitos, inuijs paludibus & fluminibus circumcinctos, qui pro inobedientia suisque excessibus & subtractione decimarum, multis annis à sede apostolica excommunicati & interdicti, contemptores clauium ecclesiasticarum extiterant, & plures cum episcopis, comitibus & alijs nobilibus vicinis confligentes, frequenter victores & raro victi fuerunt. Verum exercitu cruce signatorum contra eos veniente superati & victi sunt, & plus quam duo millia ex eis interempti, reliqui ad vicinos Phrysones fugerunt, & cessauit confœderatio eorum contra ecclesiam.

*Crux prædicatur contra Stadingenses.*

*Stadingenses victi trucidantur.*

Eodem anno ciuitas Wormatiensis igne casuali succensa, ex magna parte combusta fuit, non sine multorum ciuium damno irrecuperabili. Hoc incendium 10. calendas Iulij in nocte cœpit & biduo durauit.

Eodem quoque anno pridie idus Septembris obijt Henricus de Saraponte Wormatiensis episcopus, in medio chori maioris ecclesiæ suæ cum honore sepultus, cui Landolphus successit, & præfuit annis 13. qui moniales ordinis nostri de cœnobio Nonnenmonster, vulgariter dicto, in suburbio ciuitatis, propter inordinatam vitam ipsarum expulit, & alias de ordine Cistercien si illuc introduxit, quæ & ipsum locum inhabitant, vsq; in præsentem diem, vt videmus.

*Henricus Wormatiẽsis obiit.*

*Nonnenmonster nostri ordinis trãsfertur.*

Hoc etiam anno Henricus rex conuentum quorundam principum in Bopardia conuocauit, vbi accepto prauorum cõsilio, contra patrem suum Fridericum secundum, conspirationem fecit in sui ipsius perniciem, & periculum plurimorum. Ex eo autem die quoscunque potuit, minis, precibus & promissionibus sollicitare cœpit, vt se, relicto patre sequerentur, multosque obtinuit. Wormatienses autem reliquos, qui propter iusiurandum noluerunt à patre deficere, multis iniurijs longo tempore tribulauit. Vidẽs hoc Marchio Badensis fidelis Imperatoris, in Siciliam proficiscitur ad Imperatorem, suggerens ei, vt quantocius in Alemaniam reuertatur, alioquin & patria periclitaretur, & ipse perderet

*Henricus rex aduersus patrem conspirat.*

*Marchio Badensis Imperatorẽ reuocat.*

imperium, principibus cum filio aduersus eum conspirantibus. Imperator autem hoc nuncio audito, Marchione ad Alemaniam præmisso, se quantocius venturum promisit. At vero Henricus rex filius Imperatoris ægre tulit, patrem super his quæ commiserat informatum, eiusque consilio in Alemaniam esse reuersurum. Vnde collecto exercitu suorum, fines illius ingreditur, & mala in eum grandia machinatur. Marchio autem certus de Imperatoris aduentu, se suosque fortiter defendit, & exercitum regis fugauit.

*Rex marchionē persequitur.*

*Comes Hollandiæ.*

Eodem anno comes Hollandiæ in torneamento quodam apud Corbiam, in diœcesi Ambianensi, suffocatus miserabiliter interijt & expirauit.

*Comes de pfirrith.*

Item hoc ipso anno Fridericus comes de Pfirrith, in captiuitate positus, à proprio filio suo crudeliter occisus est, post longam carceris inediam.

MCCXXXV.

*Hēricus rex filius Imperatoris.*

Anno Ernesti abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1235. Henricus rex filius Imperatoris audiens patrem breui in Alemaniam esse venturum, ac metuens eum, cœpit sibi adsciscere amicitias principum ac ciuitatum, incipiensque à Basilea, ab omnibus ciuitatibus quibus erat confœderatus in Alsatia obsides accepit, ad cautelam, ne ab eo Imperatore veniente resilirent, sed cum eo aduersus patrem in coniuratione cœpta vsque ad finem firmi persisterent.

*Imperator de Apulia venit in Alemaniam.*

*Driuelis castrum.*

*Hēricus rex à patre captus custoditur.*

Imperator autem circa natiuitatem Ioannis Baptistæ de Apulia reuertens, per Austriam venit in Alemaniam. Qui mox nuncijs suis per omne regnum missis, conuentum indixit principibus ad festum Assumptionis beatę Mariæ semper virginis in Moguntia celebrandum. Interea Henricus rex qui propter metum patris morabatur in Driuelis munitissimo castro, persuasione Hermanni Magistri hospitalis Teuthonicorū, venit ad patrē, 6. nonas Iulij in Wormatia, cum certis principibus existentē. Qui statim posuit eum in custodiā, primo Wormatiæ, in domo quadam firmissima circa ecclesiā sancti Andreæ Apostoli: deinde in castro Heidelbergensi, sub custodia Ottonis comitis Palatini Rheni ac Bauariæ ducis. Postea de Heidelberga ductus fuit ad Altzeiā, & in postremo Siciliā missus in arcta custodia vsq; ad mortem, per annos quinque detentus est: Deo meritis eius vicē reddente, qui nobile regnum Alemaniæ prædonibus fecerat esse cōmune, qui viros religiosos & ecclesiasticos violenter oppresserat iniustis seruitijs & exactionibus, qui prouinciam vsque adeo direptioni exposuit impiorum, vt nulla iam esset itinerantibus pacis securitas.

*Conuentus in Mogūtia principum.*

*Concordia Imperatoris cū duce Saxoniæ Ottone.*

Adueniente autem festo assumptionis beatæ Mariæ semper virginis, maxima principum, episcoporum, abbatum, comitum ac nobilium multitudo ex omnibus Teuthoniæ partibus, apud Moguntiam iuxta edictum Imperatoris conuenit. Vbi Imperator in octaua festi Assumptionis coronatus incessit, & multa pro pace & vtilitate imperij ordinauit. In hoc autem conuentu, sunt qui plus quam duodecim millia hominum nobilium ac militum conuenisse testati sunt. In eodem conuentu, principum discordia, quæ per annos ferme octo, inter Fridericum Imperatorem durauerat & Ottonem Saxoniæ ducem, consilio amicorum sedata fuit. Mortuo enim ante annos 8. Henrico Palatino comite, qui fuit etiam dominus in Brunsuico & Lunæburg, duasque relinquente filias: quarum primam filiam Gertruden, Otto Bauariæ dux (vt supra dictum est) in vxorem ducens, Palatinum Rheni comitatum cum ea obtinuit: secundam vero duxit vxorem Marchio de Baden, cum qua dominium Brunsuicense pro dote accepit, quod Friderico Imperatori prænominato pro certa pecuniarum summa vendidit.

*Brunonis vicus.*

Cumque Imperator homines suos, qui emptum nouiter dominium in possessionem acciperent, ad Saxoniam destinasset, Otto dux Saxoniæ ac Luneburgensis grauiter ferens primogenitorum suorum hæreditatem, quam longo tempore iure possederant, in manus deuenisse Imperatoris, constanter se opposuit. & missos ab illo milites, violenta manu de Brunsuico exire compulit. Verum dum hæc agerentur in Saxonia, Imperator in Apulia fuit per annos plures, qui vbi reuertisset in Alemaniam, exercitum contra ipsum ducem in Saxonia parat. Quod vbi innotuit Ottoni, consilio amicorum persuasus, ad Imperatoris gratiam in præscripto conuentu principum apud Moguntiam venit, vbi concordia inter ipsos tali modo confirmata fuit de consensu principum, quod idem dux Otto pro se suisque hæredibus perpetuo obtineret ducatum Brunsuicensem & Luneburgensem. Porro titulum & ducatum Saxoniæ cum principatu eligendi Imperatorem, donauit Imperator Alberto filio Henrici comitis de Anhalt, qui erat in comitatu Louenburgensi, creans ipsum in ducem Saxoniæ ac principem electorē. Et vt historiæ integritas facilius innotescat legēti, nouerit cupiens scire veritatem, quod Henricus quondam dux Saxoniæ, qui propter mirādas res gestas fortitus est nomen Leonis, de quo famosa illa leonis & gryphonis pugna, longaque in mari ac solitudine

*Dux venit ad Imperatoris gratiā.*

*Albertus de Anhalt fit dux Saxoniæ.*

litudine peregrinatio eius confícta depingitur, genuit duos filios, Ottonem videlicet Imperatorem quartum, & Wilhelmum ducem Saxoniæ ac Brunſuicenſem: de quibus nihil ad propoſitum. Tertium vero genuit Henricum, qui vxorem duxit agnetem filiam Conradi comitis Palatini Rheni, quæ peperit ei duas filias: Gertruden videlicet, quam Otto dux Bauariæ (ſicut diximus) habuit vxorem, cum qua & Palatinatum Rheni obtinuit: & Adelheidem, quam Ericus Marchio Badenſis duxit vxorem, cum qua (ſicut dictum eſt) ducatum Brunſuicenſem obtinuit, quem Friderico Imperatori (vt iam diximus) vēdidit. Iſte Henricus, ex ducibus Saxoniæ comes palatinus Rheni, mortua Gertrudis & Adelheidis filiarum matre Agnete filia Conradi Palatini comitis, ſecundam duxit vxorem, Agnetem videlicet filiam comitis de Lansburg, de qua tamē liberos nō ſuſcepit. Facta igitur cōcordia inter Fridericum Imperatorem & Ottonem ducem Brunſuicenſem ſupra dictum in præſcripto conuentu principum apud Moguntiam, Imperator principes poſt miſſarum ſolennia in octaua Aſſumptionis ad epulas inuitauit: quæ propter nimiam populi multitudinem, extra ciuitatem in loco campeſtri magnis ſumptibus fuerāt præparatæ, ipſo Imperatore cum omnibus lætante, quod Rom. imperium in creatione noui ducis auxiſſet.

*Henricus Saxoniæ dux, ſit Palatinus Rheni.*

*Conuiuium Imperiale.*

Non multo poſt archiepiſcopus Biſuntinus, vir ſapiens & glorioſus, in eodem conuentu principum apud Moguntiam diem clauſit extremum, cuius corpus ad eccleſiam cui præfuerat, relatum eſt, & more Chriſtiano cum honore ſepultum. Poſt hæc Imperator tertiam duxit vxorem, regis Angliæ ſororem, nuptijs in Wormatia cum magna ſolennitate celebratis: eamque poſt nuptias miſit ad Hagenauu, in Alſatiam, & ibidem quaſi per totam hyemem cum ea permanſit cum principibus ſuis. In feſto autem omnium ſanctorum Imperator conuentum principum habuit in Auguſta, vbi rex Bohemiæ adfuit, recipiens ab ipſo Imperatore decem millia marcarum pro parte ducatus Sueuiæ, quæ iure hereditario ad ſuam fuerat deuoluta vxorem. Inde ad Hagenauu reuerſus Imperator ibidem hyemauit. Ibi inter alios principes fuerunt comes Thoſonus, qui Marchiam ab Imperatore in feudum accepit, præſtito (vt moris eſt) iuramento fidelitatis. Et comes Prouinciæ annum agens quinquageſimum, quem militem Imperator creauit, licet ex parte renitentem, quia comites ſuæ parentelæ ſe non credebant diu poſſe viuere, poſteaquam gradum militiæ eſſent adepti: nec adhuc in militiam conſenſiſſet, niſi rex Franciæ & Angliæ, quorum vterque filiam eius duxerat vxorem, ipſum ad hunc ordinem militiæ coēgiſſent, indignum reputantes ſocerum ſuum non eſſe militem. Adfuerunt etiam nuntij regis Hiſpaniæ dextrarios pulcherrimos & precioſa Imperatori munera cum ſalutatione deferentes.

*Archiepiſcopus Biſuntinus obijt. Imperator tertiam duxit vxorem.*

*Conuentus principum Auguſtæ.*

*Comes Thoſonus. Comes Prouinciæ.*

MCCXXXVI.

Anno Erneſti abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1236. in die calendarum Maij S. Eliſabeth, in Marpurg, per archiepiſcopos Moguntinum & Treuerenſem & epiſcopum Hildenshemenſem commiſſarios apoſtolicos, de tumba ſubterranea leuata eſt in præſentia Friderici Imperatoris, & multorum principum, epiſcoporum, abbatum, comitum, prælatorum, nobilium & ignobilium, quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æſtimatus. Ibi facta ſunt coram omni populo infinita miracula ad ſancti nominis eius inuocationem. Imperator primum lapidem de ſarcophago leuauit, & productam ex theſauris ſuis coronam auream, ſacro capiti S. viduæ reuerenter impoſuit. Corpus autem eius ad tumbam auream reconditum eſt, quia per Gregorium papam nonum canonizata eſt. Poſt hæc Imperator exercitum in Italiam mouit contra Longobardos, qui ſibi à multis iam annis retroactis rebelles extiterant.

*S. Eliſabeth canonizatur.*

*Expeditio Imperatoris in Italiam.*

Eodem anno, ante expeditionem Imperatoris præſcriptam in Italiam Iudæi in oppido Fuldenſi commorantes, quoſdam pueros Chriſtianorum vt ſanguinem eorum reciperent, in quodā molendino clam occiderunt. Quo cōperto facinore, multi ex eis cōbuſti ſunt. Corpora autē puerorum Imperatori conſpicienda ad Hagenauu præſentata ſunt, & ibidē quaſi martyrum cum honore ſepulta, & ſubſecuta eſt magna in Iudæos perſecutio.

*Iudæi apud Fuldam cremantur.*

Maxima eodem anno vini abundantia creuit, præcipue in Alſatiæ partibus, ita vt quartale vini vnum pro vno denario emeretur. Imperator itaque cum valido ſuorum exercitu veniens in Italiam, in primo congreſſu Vincentiam obtinuit, quam incendens pro maiori parte deſtruxit. Mantua quoque & Padua poſt longam rebellionem & multa pericula, in eius deditionem venerunt. Interea dum hæc agerentur in Italia, rex Bohemorum & Bauariæ dux cum quibuſdam epiſcopis iuſſu Imperatoris terram ducis Auſtriæ, cū valido ingrediuntur exercitu, propter multiplices exceſſus & grauia facinora, quibus idem dux fuerat infamatus. Qui cum veniſſent in Auſtriam, adiunctis ſibi nobilibus terræ, quos

*Bella Imperatoris in Longobardia.*

*Auſtria in manus Imperatoris deuenit.*

*Imperator ex Italia in Austriam venit.*

ipse dux ante iniuste oppresserat, vel de terra sua eiecerat, totam Austriam deuastauerunt, Imperatorique subiugauerunt, præter pauca munitissima castella, in quibus dux se recepperat. At Imperator rebus suis in Longobardia vtcunque dispositis, relicta ibidem exercitus sui parte, in Austriam reuersus est: manensque in ciuitate Viennensi per hyemem, de statu eiusdem ducatus sibi nouiter subiugati ordinare cœpit, suisque illum communiri militibus, habens secum reductum ex Italia exercitum.

MCCXXXVII.

*Conradus imperatoris filius rex.*

Anno Ernesti abbatis 6. qui fuit dominicæ natiuitatis 1237. Imperator Fridericus in Austria constitutus, Conradum filium suum adhuc puerum de transmarina vxore genitum, in regem Romanorum eligi fecit: quem elegerunt archiepiscopi Moguntinus & Treuerensis, Bohemiæ quoque rex & dux Bauariæ, Otto comes Palatinus Rheni, consentientibus cæteris principibus qui aderant. Ipse autem Imperator his peractis, relicto tunc ibi præsidio militum, Ratisponam ascendit, ac conuentum principibus apud Spiram indixit. Quo cum venissent in termino, iterum filium suum Conradum puerum in regem fecit designari. Post hæc, misso in Austriam ad custodiam ciuitatis Viennæ Euerhardo comite de Eberstein cum ducentis militibus, ipse cum reliquo exercitu denuo in Longobardiam profectus est, & circa festum sancti Andreæ Apostoli cum Mediolanensibus conflictum habuit, obtentaque victoria, multa millia ex eis cœpit & interfecit.

*Conuentus principum in Spira.*

*Imperator Longobardiam reuertitur.*

*Vini pretiũ.*

Eodem anno ante autumnum, quartale vini pro sedecim denarijs in Alsatia vendebatur: cuius anno priori tanta copia fuit, vt vini quartale pro vno denario (quemadmodum supra dictum est) venderetur.

*Imperator Fridericus excommunicatur.*

Eodem quoque anno Gregorius papa nonus, Fridericum Imperatorem Longobardiam sibi rebellem depopulantem excommunicauit, eumque per fratres Minores vbique denunciari fecit, & secuta sunt infinita mala in omni terra imperio Romano & ecclesiæ subiecta.

*Bischofsheim.*

Hoc ipso anno Fridericus Imperator in mense Aprili, feudum aduocatiæ villæ Bischoffsheim in finibus Franconiæ, quod nomine ducatus Sueuiæ ab ecclesia Moguntina tenebat, Siphrido archiepiscopo & successoribus eius, cum omnibus pertinentijs in perpetuum resignauit.

*Henricus archiepiscopus Colonianſis obiit.*

Eodem anno in fine quadragesimæ obijt Henricus archiepiscopus Colonienſis, cui successit Conradus de Hœnsteden, vir bellicosus. Multa per id tempus in prouincijs, Moguntina, Treuerensi, Colonienſi, & maxime in terra Leodiensi, guerrarum incommoda emerserunt: propter quæ, bellorum incursus, deprædationes & incendia multa fuerunt, non sine sanguinis effusione subsecuta. In fine huius anni præscripti, in vigilia natiuitatis Christi obijt Conradus de Than, episcopus Spirensis, qui ecclesiam de Didesheim cum omnibus prouentibus suis maioris ecclesiæ Spirensis canonicis, pro communi vsu eorum in perpetuam possessionem donauit. Ad eius quoque instantiam Cuno abbas Wissenburgensis, conuentu suo consentiente, ecclesiam in villa Bublicken non procul à Landaw, cum omnibus prouentibus suis tradidit canonicis ecclesiæ Spirensis. Sed & abbas cœnobii Clingenmonster tunc nostri ordinis, nunc autem secularium clericorum, persuasione dicti pontificis ius patronatus ecclesiæ in Offenbach, Spirensi capitulo donauit. Huic in festo S. Agnetis anni sequentis, successit Conradus filius comitis de Eberstein, & præfuit annis ferme 8.

*Conradus epiſcopus Spirenſis obiit.*

*Wissenburg.*

*Clingenmonster.*

*Conradus fit epiſcop.*

MCCXXXVIII.

*H. Landtgrauius Alsatiæ moritur.*

Anno autem Ernesti 7. dominicæ natiuitatis 1238. obijt Henricus vltimus Alsatiæ Landtgrauius sine hæredibus, qui multa ab Imperio, ecclesiaque Argentinensi & alijs feuda tenuerat, quæ illo mortuo ad suos dominos sunt reuersa. Porro titulus comitatus prouincialis apud ecclesiam Argentinensem remansit vsque in præsens.

*Conradus rex filius Imperatoris.*

Eodem anno Siphridus archiepiscopus Moguntinus, Conradus episcopus Spirensis nouiter electus, & alij multi nobiles, in Longobardiam ad Imperatorem cum exercitu profecti sunt, quorum auxilio multa ibidem prælia gessit. Post modicum vero temporis, Conradum filium suum in Alemaniam cum præfato archiepiscopo Moguntino remisit, commendans illum & negotia regni in fidem, & tutelam eius.

*Henricus Basilienſis epiſcopus.*

Eodem anno mortuus est Henricus episcopus Basilienſis, cui Lutholdus Rotelnheim per electionem canonicorum legitime successit. His temporibus Tartari de locis suis cum infinita multitudine exeuntes, Vngariam, Poloniam, & Morauiam, omnesque adiacentes terras, incendio, præda & gladio deuastantes, miserabiliter destruxerunt. Contra quorũ insultus, multi principes cruce signati apud Mersburg conuenerũt, & cum maximo exercitu contra eos processerunt.

*Tartari deuaſtant Vngariam.*

Anno

MCCXXXIX.

Anno Ernesti abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1239.annus, maior ecclesia Moguntinensis de nouo reparata per Siphridum archiepiscopum Moguntinum, cum magna solennitate consecratur. *Ecclesia Moguntina dedicatur.*

Eodem anno Solis defectio, quam Græci eclipsin appellant, facta est, & subsecuta est in plerisque regionibus pestilentia magna. His temporibus multa fuit in ecclesia Dei ministrorum eius persecutio, maxime in regno Alemaniæ, propter excommunicationem Friderici Imperatoris secundi, qui omnes cum papa sentientes persequi non cessauit, spolians ecclesias ornamentis & redditibus suis, prælatos, monachos, & sacerdotes multis iniurijs affecit.

MCCXL.

Anno autem Ernesti abbatis 9. dominicæ natiuitatis 1240. Gregorius papa 9. obijt, cui Celestinus quartus succedens, præfuit diebus tantum 17. post cuius mortem sedis Apostolica cardinalibus non concordantibus vacauit, anno vno & mensibus nouem, non sine multarum periculo animarum. *Celestinus papa 4. eligitur.*

MCCXLI.

Anno autem sequenti, qui fuit Ernesti abbatis 10. Innocentius papa quartus post Celestinum electus, præfuit annis 11. mensibus 3.

Eodem anno, mons in Burgundia à montibus dehiscens, vallesque coarctans, multa millia agricolarum misere oppressit. *Innocentius papa.*

MCCXLII.

Anno Ernesti abbatis 11. dominicæ autem natiuitatis 1242. obijt Theodericus archiepiscopus Treuirorum, anno pontificatus sui tricesimo, indictione 15. 5. calendas Aprilis, in maiori ecclesia Treuerensi, ante altare S. Martini sepultus: cui successit Arnoldus, maioris ecclesiæ præpositus, filius comitis de Isenberg, nepos ex sorore præfati archiepiscopi Theodorici, & præfuit annis fere 16. Contra hunc Arnoldum à maiori & saniori parte capituli electum, se opposuit Rudolphus præpositus S. Paulini, natus de Ponte, à paucis electus, adiutorio ducis Lotharingiæ, comitumque de Lutzenburg, & de Seyn, confidens, & restitit electioni quantum potuit de illo factæ. Tandem concordia inter eos facta, Innocentius papa Arnoldum in archiepiscopum confirmauit, & vt omnia beneficia ecclesiastica, quæ prius habuerat, retinere licite posset, pro mensa indulsit. *Theodericus. Arnoldus sit archiepiscopus Treuerensis.*

Eodem anno idibus Aprilis hora Vesperarum, ciuitas Wormatiensis igne casuali incensa, ipso incendio supra medietatem consumpta est, & plusquam trecenti homines eodem incendio perierunt. *Wormatia incendio perit.*

MCCXLIII.

Anno Ernesti abbatis duodecimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis millesimus ducentesimus quadragesimus tertius, monachi Præmonstratensis ordinis, famosum illud & imperiale ordinis nostri cœnobium Laurishaimense inhabitare cœperunt, sicut in superioribus per anticipationem diximus. *Laurishaim.*

MCCXLIIII.

Anno autem sequenti, qui fuit Ernesti abbatis decimustertius, & dominicæ natiuitatis millesimus ducentesimus quadragesimus quartus, Fridericus Imperator secundus, in consilio Lugdunensi à papa Innocentio citatus & non comparens, à Cæsarea maiestate deponitur, & omni dignitate priuatur, vacauitque deinceps (vt quidam volunt) Romanum Imperium per annos vigintiocto, vsque ad Rudolphum de Habsburg: quamuis tres interea successiue per principes fuerint electi, plures autem in dissensione principibus non concordantibus. Et primo quidem post depositionem Friderici papa mandauit principibus, vt Imperatorem quem vellent, eligerent: quorum aliqui Fridericum sequentes, mandatum papæ non curauerunt: cæteri in vnum conuenientes, Henricum prouincialem comitem Hassiæ, in regem contra Fridericum eligentes, partes eius quantum potuerunt, defendebant. Electus autem Henricus, bellum cum Conrado habuit filio Imperatoris, in campis iuxta Franckofordiam, & victor euadens Conradum superauit. *Fridericus Imperator à papa deponitur. Henricus Landgrauius in regem eligitur.*

Annis igitur quinque nomen gerens regium, nihil memoria dignum patrauit, sed obijt imperij coronam minime consecutus. Quamdiu enim vixit Imperator Fridericus, per annos ferme sex præualere contra eum nec papa, nec aliquis principum potuit: sed nō aduertens sententiam papæ, quam iniustam & friuolam dicebat, se Imperatorem gessit, magnamque principum, nobilium & ciuitatum adhærentiam habuit vsque ad mortem. *Imperator sententiam papæ nō curauit.*

Intrauit post depositionem sui Italiam, & tantis malis papam, subiectosque illi populos afflixit, vt pontificem viuere tæderet, voluisseque se nunquam depositionem illius cogitauisse. Maxima enim partialitas populorum in Italia subsecuta est, quæ vsque in præsentem fermè diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis durauit. Enimuero qui Romani Pontificis sequebantur partes, quorum votis inditum nomen erat Guelfforum: fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio, omnique virtute persequi & delere penitus satagebant. Nec minore studio Guelffos Gibellini persequebantur. Quid autem Henrico rege mortuo, vel etiam Imperatore defuncto, circa Imperium sit actum, post annos sex, suo ordine dicemus.

*Partialitas magna in Italia.*

MCCXLV.

Anno autem dominicæ natiuitatis millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, indict. 2. obijt Ernestus cœnobij Hirsaugiensis abbas 24. in die sancti Blasij episcopi, quæ est mensis Februarij dies 3. anno regiminis sui 14. incipiente, sed minime completo, ætatis autem ferme 63. vir bonus, tranquillus & pacificus, qui monasterium in temporalibus non neglexit, licet obseruantia disciplinæ regularis tempore eius multum tepuerit, dictumque amplius defecerit.

*Ernestus abbas huius loci obiit.*

## DE VOLPOLDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXV. qui præfuit annis 20. diebus totidem, & de variis gestis illius temporis.

ERNESTO autem venerabili huius monasterij abbate (sicut diximus) mortuo, & cum reuerentia filiorum, vt moris est sepulto, anno & die præscriptis, prima die oportuna sequente conuenientes ad locum capitularem fratres pastore destituti, de noui abbatis electione cœperunt tractare & consilium. Præmissis itaque orationibus consuetis, tandem vnanimi consensu Volpoldum huius cœnobij monachum, in abbatem 25. elegerunt, qui per Conradum episcopum Spirensem confirmatus, & vt moris est cum magna solennitate in maiori ecclesia Nemetensi prædicta ordinatus, præfuit huic monasterio Hirsaugiensi annis 20. & totidem diebus, vir mediocris staturæ, plus ad pinguedinem quam tenuitatem corporis tendens. Hic natione Sueuus honestis parentibus ortus, cum esset annorum ferme 16. sub domino Euerhardo abbate ad conuersionem venit, non multum eruditus, sed more illius temporis pro necessitate in Scripturis competenter instructus. Qui monachus factus, quiete ac pacifice inter fratres omni tempore conuersatus est, incedens sine reprehensione coram eis, ita vt amaretur ab omnibus. Ordinatus autem abbas rei familiaris curam sollicite gessit, & sicut nihil memoria dignum acquisiuisse de nouo scribitur, ita quippiam alienasse minime inuenitur. Porro monasticæ conuersationis feruor eo tempore non parum in hoc cœnobio, sicut ferme in omnibus, tepuerat, quem ipse reuocare nec facile potuit, nec etiam propterea multum laborauit.

*Volpoldus fit abbas huius loci.*

*Vita Volpoldi abbatis.*

Anno eius primo currente præscripto, qui fuit dominicæ natiuitatis (sicut diximus) 1245. in mense Nouembri, obijt Conradus de Eberstein, sextus & quadragesimus episcopus Spirensis, cui successit Henricus filius comitis de Liningen, imperialis aulæ cancellarius, & præfuit annis 27. Iste Henricus electus & nondum confirmatus, auxilio fratris sui comitis de Liningen castrum Starckenberg dictum, quod pertinet ad principatum monasterij Laurishainensis obsidione cingens, armata manu cœpit, expulsis inde custodibus ecclesiæ Moguntinæ. Vnde inter ipsum & Siphridum archiepiscopum Moguntinum magna dissensio suborta fuit. Tandem papa Innocentius ad instantiam præfati archiepiscopi causam certis iudicibus determinandam committens pacem reformauit.

*Conradus episcopus Spirensis obiit.*

*Henricus episcopus Starckenberg cepit.*

Eodem anno in vigilia S. Andreæ Apostoli, in nocte, Otto primus ex ducibus Bauariæ comes Palatinus Rheni obijt, qui in principio sui regiminis pius, iustus & clementissimus princeps fuit. Postea cum Friderico Imperatore sentiens excommunicato & deposito (sicut diximus) & ipse à papa excommunicatus est, cœpitque persequi clerum in odium papæ, quod ei non cessit in bonum. Cum enim in præfata S. Andreæ vigilia, cum vxore, filijs & familia lætus & sanus esset, in ipsa nocte subitanee & excommunicatus mortuus inuentus est. Reliquit autem filios duos Ludouicum & Henricum, qui principatum eius per decennium fraterna communitate rexerunt. Post annos autem decem, hoc est anno dominicæ natiuitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, principatum inter se diuiserunt. Ludouicus, qui maior natu erat, comitatum Palatij Rheni cum terris & dominijs certis in Bauaria superiori pro sua portione legitima accepit. Henricus autem Landshutam cum Bauaria inferiori in possessionem iure obtinuit. Ludouicus primo duxit

*Otto comes Palatinus Rheni obiit.*

*Ludouicus dux Bauariæ comes Palatinus.*

duxit in vxorem filiam ducis Brabantiæ, nomine Mariam speciosissimam fœminã, de qua liberos non suscepit, sed interfecit eam anno Volpoldi abbatis tertio, propter adulterij suspicionem, vt ibidem suo loco & ordine dicemus. Henricus autem frater eius vxorem duxit Elisabeth filiam Belæ regis Vngariæ, neptem ex fratre S. Elisabeth de Marpurg, de qua genuit tres filios, Ottonem postea regem Vngariæ, Ludouicum & Stephanum duces Bauariæ, de quibus infra ordine suo faciemus mentionem, qui inter se Bauariam diuiserunt.

*Maria vxor Ludouici comitis Palatini.*
*Henricus dux Bauaria, Elisabeth vxor eius.*

MCCXLVI.

Anno autem Volpoldi abbatis 2. currente, qui fuit 1246. dominicæ natiuitatis, Friderico Imperatore (sicut diximus) deposito, Conradus filius eius iunior imperium sibi vsurpavit, contra quem Henricus Raspe Landtgrauius Hassiæ filius sanctæ Elisabeth, in regem à quibusdam principibus electus, in bellum procedens, ipsum iuxta Franckofordiam superauit, & in Italiam fugauit.

*Conradus rex filius imperatoris.*

Eodem anno obijt Ludolphus episcopus Wormatiensis, & in cœnobio Monialium dicto Nonnen monster, quod ordini nostro abstulerat, coram summo altari cum magna pompa & honore sepultus est. Post cuius obitum canonici Wormacienses in pontificem vnanimiter elegerunt Cunonem, decanum maioris ecclesiæ Moguntinæ, virum bonum, & honore pontificatus dignum, qui posteaquam præfuisset diebus 20. morte sublatus, in breui consummatus est, & impleuit tempora multa, ne malitia mutaret intellectum eius. Quo mortuo, Richardus de Treueri oriundus, in pontificem electus, præfuit annis ferme vndecim, vir bonus & ecclesiæ suæ prouidus gubernator, qui multa bona suo tempore fecit.

*Ludolphus episcopus Wormatiensis obiit.*
*Cuno fit episcopus, & mox obiit.*
*Richardus fit episcopus Wormatiensis.*

MCCXLVII.

Anno Volpoldi abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1247. Ludouicus comes Palatinus Rheni, & dux Bauariæ, Mariam vxorem suam propter crimen adulterij vehementer suspectam, apud Werdeam Sueuiæ fecit occidi, quæ sine liberis mira seueritate necata occubuit. Pro satisfactione tanti sceleris commissi, monasterium Furstenfeld in Bauaria postea construi fecit, quod multis bonis & prouentibus magnifice dotauit.

*Ludouici comitis Palatini nephas.*

Hocipso anno Ludouicus Palatinus comes & dux præfatus, castrum Fridburg dictũ pro defensione ducatus Bauariæ contra episcopum Augustensem à fundamentis fortissimum construxit. Post hæc secundũ duxit vxorẽ, Annam regis Poloniæ filiã, de qua genuit filios tres, Ludouicũ Bauariæ ducẽ, Rudolphum comitem Palatinum Rheni, & alterum Ludouicum postea Imperatorem Rom. de quibus infra per ordinem dicemus.

*Ludouicus Palatinus secundam ducit vxorem.*

MCCXLVIII.

Anno Volpoldi abbatis 4. dominicæ autem natiuitatis 1248. Conradus archiepiscopus Colonien sis homo diues & magnaminus, magnam illam & insignem ecclesiam Colonien sem maiorem construere cœpit, ponens primum lapidem in vigilia assumptionis beatæ Mariæ semper virginis, quod opus licet quotidie laboribus artificum sumat incrementa, sitque iam per annos ducentos & quinquaginta quatuor, sine intermissione continuatum, tamen adhuc hodie minime est completum, propter ingentem sui magnitudinem & excellentiam.

*Noua ecclesia Coloniensis inchoatur.*

Eodem anno fames maxima Alemaniam oppressit, & multos interfecit.

MCCXLIX.

Anno autem sequenti, qui fuit Volpoldi abbatis quintus, & dominicæ natiuitatis 1249. indictione 7. Siphridus archiepiscopus Moguntinus, 7. iduum Martij obijt: vir magnorum operum, qui ecclesiam suam honore ac rebus magnifice ampliauit, & inter tot mala, tot bella, totq; pericula, quibus imperium nutabat, sapientissime rexit. Huic in archiepiscopatu successit Christianus eius nominis secundus, & præfuit annis duntaxat duobus, vir & ipse bonus.

*Siphridus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

Eodem anno obijt Henricus rex, Landtgranius Hassiæ & Thuringiæ, qui (vt supra diximus) ante paucos annos in regem à quibusdam principibus, iussu Innocentij papæ, fuerat electus: licet non omnes in eum cõsenserint, & ob id ad coronam Imperialem non peruenit. Decessit autem profluuio ventris, in oppido suo Isenach sepultus. Mortuo Henrico Wilhelmus comes Hollandiæ, filius Florentij comitis, apud villam Wornich, à quibusdam principibus in regem Romanorum electus fuit, contra Fridericum Imperatorem & Conradum filium eius, in præsentia Petri Caputij, ad velum aureum diaconi cardinalis Apostolicæ sedis legati. Cum eligeretur, adhuc iuuenis erat annorum 20. & ferme 7. annis regnauit, qui etsi coronam imperij non obtinuit, tamẽ satis magnam obe-

*Henricus rex & Lãdtgranius obijt.*
*Wilhelmus fit rex Romanorum.*

*Aquisgrani coronatur rex.*

dientiam habuit. Vltima vero die mensis Octobris, regiam ciuitatem Aquisgranum cum magna procerum multitudine intrauit, & sequenti die, hoc est in festo omnium sanctorum, per duos episcopos Mindensem & Monasteriensem, benedicendum archiepiscopo Coloniensi in templo præsentatum: duo alij episcopi Traiectensis & Leodiensis, in modum diaconi Dalmatica induerunt, quem præfatus archiepiscopus Conradus, cum magna solennitate, in regem Rom. vnxit & coronauit.

*Archiepiscopus Coloniensis.*

Consecratione autem peracta, idem archiepiscopus locauit eum in sedem regni, dicens: *Super thronum sedis gloriosæ sedeas, & iudicium & iustitiam in terra facias.*

*Archiepiscopus Moguntinus.*

Christianus archiepiscopus Moguntinus cum oleo sanctificato dexteram eius forte inunxit, dicens: *Consecrare te dignetur omnipotens Deus, in regem Romanorum, qui Dauid per manum Samuelis Prophetæ inungi iussit super populum Hebræorum.* Arnoldus archiepiscopus Treuerorum manus super caput eius imposuit, dicens: *Descendat in te spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis & consilij, replearisq; spiritu timoris Domini.*

*Archiepiscopus Treuerensis.*

*Comes Palatinus.*

Ludouicus comes Palatinus Rheni, archidapifer regni, globum aureum in manu illius posuit, dicens: *Accipe globum sphæricum, vt omnes terræ nationes Romano imperio subiectæ, & Augustus gloriosus appellari valeas.*

*Marchio Brandeburgensis.*

Marchio Brandenburgensis Camerarius regis, annulum in manum tradidit, dicens: *Accipe signaculum Monarchiæ, vt Romanum imperium in suo vigore conserues, & inuicta virtute ab omni Barbarorum incursione defendas.*

*Dux Saxoniæ.*

Dux Saxoniç regis ensifer gladium ei dedit, dicens: *Accipe sceptrum regium, vt rebelles grauera correptione potenter affligas, omnesq; benevolos in tranquilla pace gubernes.*

*Rex Bohemiæ.*

Rex autem Bohemiæ pincerna imperij, de consensu archiepiscopi Coloniensis, coronam argenteam capiti regis imposuit, dicens: *Accipe diadema splendidum, vt sis virtuosis actibus adeo coruscus in terris, quatenus merearis coronam æternæ felicitatis habere in cœlis. Amen.* Octauam post hæc ibidem duxit solennem. Omnes autem inferiorum partium principes & nobiles obedientiam ei præstiterunt, præter quosdam castellanos adhuc Friderico fideles.

*Keiserswuerde obsidione cingitur.*

Inter quos fuit castellanus de Keiserswverde, quem rex Wilhelmus obsidione circumcingens superare non potuit, quoniam se fortiter defendit.

MCCL.

*Fridericus Imperator obiit.*

Anno Volpoldi abbatis 6. qui fuit dominicæ natiuitatis 1250. indictione 8. obiit Fridericus Imperator secundus apud Tarentum, anno ætatis suæ 57. relinquens duos filios: alterum, regis Hierosolymorum Conradum nomine, quem dudum Romanorum regem designauerat, licet de Alemania fuerit expulsus. Alterum, ex concubina, Manfredum nomine, qui regnum Apuliæ patre mortuo inuasit, fratre suo renitente, sed non diu regnauit.

*Hermannus episcopus Herbipolensis obiit.*

Eodem anno obiit Hermannus episcopus Herbipolensis, cui successit Eringus de Reinstein, & præfuit annis 16. in multa turbatione & discordia, quam habuit cum ciuibus suis Herbipolensibus.

*Hyems longa.*

Hoc ipso anno hyems fuit asperrima nimisq; diuturna, niuibus & glacie multum abundans: quibus tandem resolutis in aquam, maxima inundatio fuit subsecuta, quæ multa ædificia subuertit.

MCCLI.

*Conradus fit rex in Apulia.*

Anno Volpoldi abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1251. Conradus rex, filius quondam Friderici Imperatoris secundi, regnum Apuliæ suscepit, & proximo deinde anno moritur, veneno (vt creditur) extinctus, Manfredo suo (vt diximus) fratre id procurante.

*Christianus archiep. Moguntinus obiit.*

Eodem anno obiit archiepiscopus Moguntinus, cui successit & præfuit annis nouem, vir magnanimus & multum prouidus, nomine Gerardus, qui partes Wilhelmi regis, vt cæteri, tuebatur.

MCCLII.

*S. Virgo Iutta obiit.*

Anno Volpoldi abbatis octauo, dominicæ autem natiuitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, indictione 10. 14. calendas Aprilis, obiit S. virgo Iutta, olim pedissequa B. Elisabethæ de Marpurg, Landtgrauiæ Thuringiæ & Hassiæ, de qua supra dictum est. Hæc sancta virgo multis signis & miraculis tam in vita quam post mortem claruisse perhibetur, quæ omnium virtutum & operum dominę suæ, cum adhuc in humanis ageret, conscia fuit, & studiosa cooperatrix in omnibus, eamque pro viribus imitari vsque ad mortem constantissime curabat.

Eodem anno 4. calendas Decembris, obiit Ibanus monasterij mei Spanheimensis sex-

sis sextus abbas, cui successit Ioannes de Schonberg cantor, & præfuit annis 12. mensibus 4. diebus 21. *Ihanus abbas Spanheimensis obiit.*

MCCLIII.

Anno Volpoldi abbatis nono qui fuit dominicæ natiuitatis 1253. ventus magnus & horribilis fuit, qui in diuersis locis multa ædificia subuertit, arbores robustissimas cum radicibus de terra plures euulsit, & cum infinitis damnis multos homines oppressit. *Ventus magnus.*

Eodem anno Manfredus, Friderici quondam Imperatoris, ex concubina matre filius, Conrado priori anno (vt ferunt) veneno interempto, regnum Siciliæ occupauit, & annis paucis viuens obtinuit. *Manfredus dux.*

MCCLIIII.

Anno sequenti, qui fuit Volpoldi abbatis 10. dominicæ autem natiuitatis 1254. indictione 12. obijt Innocentius papa quartus, & vacauit sedes Apostolica propter discordiam fratrum annis duobus. *Innocentius papa Sedes vacat.*

Eodem anno, in mense Februario, ciues Wormacienses & Moguntinenses, qui multo tempore in dissensione mutua steterunt, perpetuã inter se pacẽ, concordiã & confœderationẽ sanxerunt. His quoq; temporib. Emicho comes de Limingen, frater Episcopi Spirensis, hostilẽ animũ gerens contra Richardũ episcopum Wormacienſem, eum capere omni studio laborabat: qui ciuiũ suorum auxilio defensus, & in Wormaciam intromissus, quamuis ante hac in discordia cum ciuibus fuerit, minas illius euasit. Magnus istis temporibus in regno tumultus fuit, & variæ dissensiones, quia non omnes Wilhelmi regis Rom. partes sequebantur. Richenstein castellum iuxta Rhenum, non longe à Bacheracho, eodem tempore cum alijs certis munitionib. in vicino per Wilhelmũ regem supra dictum, & suos fautores, obsidione vallatum, captumque fuit. *Moguntini & Wormatienses. Emicho comes de Limingen. Richenstein castrum capitur.*

Anno prænotato, cum ciuitates harum partium cum Wilhelmo rege sentientes, vt Moguntia, Wormacia, Franckofordia, Bopardia, Wetalia, Bingia, Oppenheim, Geilhausen, Fridberg, Frislaria, & quædam aliæ, ipso in partibus inferioribus existente, non haberent contra suos aduersarios defensores: consilio apud Moguntiam in die S. Margarethæ virginis & martyris habito, se mutuo firmissima confœderatione iunxerũt, ad defendendum contra quoscunq;, omnia thelonea quæ habebant pro communi pace deponentes. *Confœderatio ciuitatũ multarum.*

MCCLV.

Anno Volpoldi abbatis 11. dominicæ autem nativitatis 1255. rex Wilhelmus cõuentum quorundam principum habuit in VVormatia, vbi nuncij ac legati complurium ciuitatum missi adfuerunt. Quadam vero die cum regina vxor eius de VVormatia ad castrũ Trifels, quod est modo ducis Alexandri, non procul à Landaugia, cum honesta comitiua pergeret per Hermannum militẽ de castro Rieberg, vna cum comite de Vvaldeck, & quibusdam alijs, capta & ad præfatum castellum Rieberg perducta est, quam captiuam aliquandiu tenuit, postea spoliatam omnibus clenodijs suis & rebus, abire permisit, inscanlum regis & patriæ totius non modicum. *Conuentus principum in Wormatia. Regina capitur.*

Eodem anno postea, quoniam sedes Apostolica per bienniũ fere vacauerat, non sine multarum periculo animarum, tandem electus est in papam à cardinalibus Alexander quartus, natione Campanus, & sedit annis sex, & mensibus totidem, qui sanctam Claram ordinis Minorum canonizauit. *Alexander 4. fit papa.*

MCCLVI.

Anno Volpoldi abbatis 12. qui fuit dominicæ natiuitatis 1256. Vvilhelmus rex Romam pro corona imperiali proficisci statuit, cum ecce subito gens inquietissima Phrysonum, tumultu concitato rebellare cœpit, & fines Hollandiæ ingressa, rapinis & incendio omnia deuastare. Verum cernens rex, eorum ferocitatem non aliter quam ferro domandam, congregato suorum ingenti exercitu contra eos in fine huius anni, hoc est 5. calendas Ianuarij progreditur, & multa eis incommodorum genera ostendens, eos in manu valida superauit contra impetum eorum castro Corenburg constructo. Posthæc vlterius progressurus, cum hyemis asperitas glaciem aquis superduxisset atque paludibus, insidens equo, solus exploraturus omnia hostium (vt putabat) secreta, præcessit exercitum: cum ecce glacie confracta, in paludinoso vado equus mersus hærebat, non valens progredi quoquam. Quod Phrysones, qui in arundinetis latitabant cernentes, concurrunt, ipsumq; regem nescientes interficiunt, anno regni eius 7. comitatus Hollandiæ primo & vicesimo, ætatis autem 27. & in domo quadam sepeliunt. Sed postea corpus eius ad Mittelburg translatum, in quodã cœnobio honorifice tumulatum est. Post eius mortẽ Florentius filius eius, puer sex mensium, comitatum Hollandiæ susceptit, & eum annis ferme 40. gu- *Wilhelmus rex contra Phrysones. Wilhelmus rex in Phrysia occiditur. Florentius comes Hollandiæ 15.*

bernauit, mortemque patris sui vindicauit, multa cum Phrysonibus bella gessit, & plures ex eis cepit & occidit.

MCCLVII.

Anno Volpoldi abbatis 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1257. post mortem Wilhelmi regis Rom. conuenerunt principes ad nouum regem instituendum: ne si diutius negligerent, impedimentum aliquod iuris sui paterentur, discordantes autem ab inuicem duos elegerunt.

*Principes in electione discordant.*

Nam Conradus archiepiscopus Colonien sis, & Gerardus archiepiscopus Moguntinus, Richardum Cornubiæ comitem, fratrem regis Angliæ, in regem elegerunt. Arnoldus autem archiepiscopus Treuerensis, cum cæteris principibus sibi adhærentibus, Alphonsum regem Castellæ in regem Rom. eligens, solennes ad eum nuncios misit, orans, & quantocius pro regni gubernaculis suscipiendis ad Rheni partes venire dignaretur, promittens se consilium & auxilium pro viribus impensurum.

*Alphonsus rex Castellæ eligitur in regem Romanorum.*

*Richardus Cornubiæ comes in regē eligitur.*

At vero rex Alphonsus vel contemnens, vel nō curans Rom. imperiū, donatos magnis muneribus nuncios cum honore remisit. Promittēs se oportuno tempore cum horum exercitu subsecuturum. Verum suo regno contentus, quia Philosophus & Astronomus excellentissimus fuit, ad Alemaniam venire contempsit, nec se in aliquo de Rom. regno gubernando intromisit, præter solum titulum, quē ob eligentium honorem, ad tempus in literis suis retinuit.

*Richardus pro rege susciptur.*

Porro Richardus comes præfatus per Conradum archiepiscopum Colonien sem ex Anglia euocatus, in Alemaniam venit, & in Franckofordia electus, libens imperiū assumpsit, & cum magno suorum tripudio in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis Aquisgrani, ab eodem archiepiscopo in regem consecratus fuit. Deinde fauore & suffragio suorum principum à Colonien sibus, Bopardien sibus, Wesalien sibus, Moguntinen sibus Franckofordien sibus, Wormatien sibus, Spiren sibus, & multis alijs ciuitatibus, pro vero rege cum magno honore fuit susceptus, & cum ingenti pompa in his partibus circumductus: cumque per omnes ciuitates Rheni ascendens iter faceret vsque ad Basileam, & pecuniæ pro adeptione regni nimis prodigaliter expensæ iam iamque deficerent, principes relicto eo omnes ad sua redierunt, tacite innuentes prædam se eatenus secutos fuisse, non regē. Qui cernens se principum auxilio destitutum, nihil amplius proficere posse, commisit Philippo de Falckenstein, cuius sororem ob nimiam pulchritudinem in vxorem duxerat, regnū Wederauiæ, & Philippo de Hoēnfels Bopardiam & Wesaliam cæterasque adiacentes ciuitates imperij, assumptaque vxore in Angliam reuersus est, nec vltra in Alemaniam venit.

*Rex à principibus deseritur.*

*Richardus episcopus Wormatiē sis obiit.*

Anno præscripto, 6. iduum Nouembris, obijt Richardus episcopus Wormacien sis, qui multas cum ciuibus suis dissensiones habuit. Aduersarium habuit Eberhardū de Badenberg, qui in principio à plerisque contra eum fuerat electus, quem Emicho comes de Liningen manu tenuit, qui omnes redditus episcopales extra Wormaciam cedentes, manu violenta leuauit, & multa in illum mala commisit.

*Conradus Wormatiē sis obiit. Euerhardus episcopus.*

Mortuo autem Richardo atque sepulto, electus fuit in episcopum præfatæ ecclesiæ Conradus de Durekem, maioris ecclesiæ Moguntinæ Decanus, qui præfuit 22. diebus tantum, & obijt, in ecclesia Moguntina ante altare sancti Petri sepultus. Post hunc fratres de capitulo, pro pace & vtilitate ecclesiæ vnanimiter elegerunt Euerhardum de Badenberg, præpositum ecclesiæ sancti Cyriaci in Nuhusen, qui præfuit annis ferme 20. qui multa bona fecit Canonicis de Nuhusen, habuitque cum Wormacien sibus contentiones.

MCCLVIII.

*Ecclesia S. Catharinæ in Oppenheim.*

Anno Volpoldi abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1258. Gerardus archiepiscopus Moguntinus ecclesiam S. Catharinæ in Oppenheim, in ecclesiam parochialem erexit & fecit, concedens illi omnia iura quæ aliæ in diœcesi parochiales ecclesiæ habent, suamque diœcesin secundum antiquos terminos à Wormacien si in eodem oppido ex testimonijs seniorum declaratos, coram omnibus clare separauit.

*Rex Aquisgrani coronatur.*

Eodem anno Richardus Cornubiæ comes, priori anno electus per Conradum archiepiscopum Colonien sem, Aquisgrani in regem Rom. coronatus est, præsentibus Gerardo archiepiscopo Moguntino & certis alijs principibus, à quibus post coronationem suam (quemadmodum iam diximus) per omnes imperij ciuitates iuxta Rhenum circumductus, negotia regni tractare cœpit, obedientiam ciuium accipiens, principum concentus celebrauit, quousque tandem desertus ab eis fuit.

Anno

MCCLIX.

Anno Volpoldi abbatis 15. qui fuit dominicæ natiuitatis 1259. monasteriũ sancti Disibodi ordinis nostri in comitatu Spanheimensi Moguntinæ diœcesis, iuxta oppidũ Sobernheim, ab ordine nostro translatum est per Gerardum archiepiscopum & canonicos ecclesiæ Moguntinensis, & datum Cistercienſis ordinis patribus, quorum primus abbas nomine Ioannes, quasi pro gratiarum actione susceptri beneficij, de consensu fratrum suorum centum maldra siliginis annui census perpetuis temporibus ad Moguntiam singulis annis præstanda, ex redditibus eiusdem monasterij canonicis præfatæ ecclesiæ repromisit, vt patet ex literis desuper confectis, quarum datum est pridie nonarum Martij, anno prænotato in Moguntia, coram multis testibus actum. *Cœnobium S. Dysibodi ab ordine transfertur.*

Eodem anno Albertus cognomento Magnus, ordinis Prædicatorum, conuentus Colonienſis, natione Sueuus, vir vndecunq; doctissimus, prouisione Alexandri quarti factus est episcopus Ratisponensis in Bauaria, cum esset ætate annorum 66. sed non diu post ea resignauit. *Albertus Magnus episcopus ordinatur.*

Eodem quoq; anno Arnoldus de Isenburg, archiepiscopus Treuirorum, in oppido Monsthabor dicto, anno pontificatus sui 17. diẽ clausit extremũ, vir per omnia magnificus, qui multa pace belloq; strenue gessit. Thuron castrũ fortissimũ biennio obsessum cepit. Treuericæ vrbis magnã partem muro de nouo pulcherrime muniuit, monasteriũ Meinfeldiæ Confluentiamq; similiter muro cinxit. Quo mortuo, & in maiori ecclesia Treuerensi ante altare S. Trinitatis cum honore sepulto, duo in dissensione à capitulo fuerũt electi, videlicet Arnoldus de Sleyda, & Henricus de Bolandia: quorũ electiones corã se Romæ in consistorio contendentiũ Alexander papa quartus de consilio fratrum cassauit, & Henricũ de Vinstingen decanũ Metensem, per cardinales (vt dicebatur) electum, in archiepiscopum ordinauit, qui Treuerim veniẽs cum pallio & literis apostolicis ab omni clero & populo ciuitatis pro archiepiscopo susceptus est, & præfuit annis 27. vir constans & magnanimus, qui optime rexit ecclesiam suam, dominiaq; & redditus valde ampliauit. *Arnoldus archiepiscopus Treuirensis obiit. Duo eliguntur. Henricus fit Archiepiscopus per papam.*

Anno quoq; prænotato vltima die mensis Aprilis, iterum ciuitas Wormacienſis igne casuali accensa, circa horam Completorij tota nocte arsit, & cum damno multorum quasi pro medio consumpta fuit. *Wormatia igne crematur.*

MCCLX.

Anno Volpoldi abbatis 16. qui fuit dominicæ natiuitatis 1260. indictione 3. obijt Gerardus archiepiscopus Moguntinus: cui succesſit Wernerus de Falckenstein, maioris ecclesiæ præpositus, & præfuit annis 24. mensibus 6. vir excellens ingenio & prudentia, qui ecclesiam suam optime rexit, & prouentibus multum ampliauit. *Gebhardus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

Eodem anno duo militares Iacobus de Lapide & Simon de Guntheim inimicitias aduersus ciuitatem Vangionum publicas gerentes, multa ciuibus incommoda simul & damna intulerunt, alios captiuos abducentes, alios spoliantes, seu etiam mutilantes, donec tandem interueniente pecunia, & captui liberati fuerunt, & inter dissidentes reformata concordia. His enim temporibus cum rex non esset in terris, qui motus prædonum reprimeret, omnia per tumultum, sine lege sine ordine, pro libitu fiebant. *Wormatia. Præda.*

Hoc etiam anno magnæ & nimium periculosæ inundationes aquarũ fuerunt, maxime circa Rhenum, quæ domos & ædificia multa subuertentes nec hominibus pepercerunt, ita vt plures relictis domibus cum filijs & pecoribus ad montes confugerent. *Inundationes aquarum maximæ.*

MCCLXI

Anno Volpoldi abbatis 17. dominicæ natiuitatis 1261. indictione 4. obijt Cõradus de Hoensteden, archiepiscopus Colonienſis, qui multas cum ciuibus suis cõtentiones in suo pontificatu habuit, in maiori ecclesia Colonienſi sepultus, cui Engelbertus secundus de Valkenburg, præpositus S. Gereonis. per electionem capituli succedens, præfuit annis ferme quatuordecim, qui & ipse multas & continuas dissensiones cum Colonienſibus habuit. *Conradus archiepiscopus Coloniensis obiit.*

Eodem anno obijt Alexander papa quartus, cui Vrbanus quartus natione Gallus succedens præfuit annis 3. mense vno, diebus 14. qui festum corporis Domini nostri Iesu Christi quinta feria post octauas pentecostes quotannis celebrandum per totum Christianum orbem instituit, & indulgentias in eius fauorem dedit. Regnum quoq; Siciliæ, quod Manfredus dux Sueuiæ filius quondam Friderici Imperatoris secundi, post Conradi fratris sui obitum (sicut diximus) occupauerat, Carolo comiti Prouinciæ, fratri regis Franco rum contulit, eumque per legatos de Gallia in Italiam euocauit, qui Siciliam fugato Mãfredo, non sine multorum sanguine occupauit. *Alexander papa obiit. Vrbanus papa. Manfredus à Sicilia pellitur.*

MCCLXII.

*Richardus eremita obijt.*

Anno Volpoldi abbatis 18. qui fuit dominicæ natiuitatis 1262. obijt Richardus eremita, sacerdos quondam & monachus nostri ordinis in Alsatia, in eremitorio suo iuxta Paffenborn calendis Nouembris, hoc est in festiuitate omnium sanctorum, qui multis annis duram in arctissima pœnitentia duxerat vitam.

*Philippus Hoenfels excommunicatur.*

Eodem anno Wernerus archiepiscopus Moguntinus Philippū de Hoenfels, quem Richardus rex reuersus in Angliam capitaneum in partibus Rheni constituerat, excommunicauit, supponens terram eius ecclesiastico interdicto, propterea quod curtes & bona clericorum Moguntinensiū in dominio suo sita, nouis & inconsuetis exactionibus & precarijs nimium grauaret, sæpiusque admonitus noluisset desistere. Verum postea mutato proposito, iniustas exactiones cleri præsumptas remisit, factaque inter eos concordia absolutus fuit.

MCCLXIII.

*Archiepiscopus Colonia à ciuibus detinetur.*

Anno autem Volpoldi abbatis 19. qui fuit dominicæ natiuitatis 1263. ciues Colonienses post longas contentiones, bella & damna Engelbertum archiepiscopum suum in ciuitate existentem, nihilque tale suspicantem, vna cum Theoderico de Valckenburg fratre eius, in quadam domo subito concludentes, ad conditiones pacis compulerunt, quanquam nulla fuerit deinceps concordia inter partes illæsa conseruata.

*Comes Iuliacensis.*

Eodem anno inter præfatum archiepiscopum & comitem Iuliacensem magna discordia fuit, quæ vsq; ad arma successit. Ad bellum itaque partium copiæ procedentes, archiepiscopus auxilio Henrici Traiectensis episcopi & Hollandinorum fretus, Iuliacenses superauit multis occisis.

MCCLXIIII.

*Augustinē. fer tutrant Wormatiam.*

Anno sequenti qui fuit Volpoldi abbatis 20. dominicæ natiuitatis 1264. fratres eremitæ regulæ sancti Augustini, quos vulgus Augustinenses appellat, Wormaciam intrantes conuentum & cœnobium sui ordinis, ibidem construxerunt, ep. scopo Euerhardo cōsentiente, ciuibusque auxilia & subsidia conferentibus.

*Ioannes abbas Spanheimensis obiit.*

Eodem anno 11. calendas Maij, obijt Ioannes septimus abbas monasterij mei Spanhemensis, cui successit Petrus abbas octauus, & præfuit annis 25. & mensibus 4. qui ecclesiam in Genzingen, cum iure patronatus, decimis & omnibus prouentibus eius, anno regiminis sui primo donauit canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ, in perpetuam possessionem pro augmento præbendarum eorundem.

*Vrbanus papa obiit.*

Eodem quoq; anno obijt Vrbanus papa quartus & vacauit Apostolica sedes mensibus quinque, vsq; in sequentem annum, propter discordiam fratrum.

MCC. XV.

*Clemēs papa.*

Anno sequenti qui fuit Volpoldi abbatis 21. inchoatus: dominicæ autem natiuitatis 1265. posteaquam sedes Apostolica quinque mensibus vacauerat, in summum pontificem electus fuit Clemens papa quartus, natione Narbonensis, ex villa sancti Ægidij, & præfuit annis 3. mensibus 9. diebus 21. vir sanctæ conuersationis & prophetico spiritu (vt dicebatur) illustratus, qui Hadvvigem quondam ducissam Poloniæ, viduam miræ sanctitatis, canonizatam, sanctorum catalogo cum magno honore ascripsit.

*Volpoldus abbas Hirsaugiensis obiit.*

Eodem anno Volpoldus abbas graui tactus infirmitate, 5. calēdas Martij diem clausit extremum, bona confessione & sacramentis ecclesiasticis salubriter præmunitus, anno regiminis sui 20. cum diebus totidem expleto, vir modestæ cōuersationis, & multum circa statum rei familiaris sollicitus: licet monasterium in vtroque statu suo tempore, etiam sub alijs quibusdam abbatibus non parum creuerit, quemadmodum in sequentibus dicemus.

## *DE IOANNE, HVIVS MONASTERII ABBATE XXII. qui præfuit annis 10. mensibus 3. diebus 4. & varijs gestis illius temporis.*

*Ioannes abbas Hirsaugiensis.*

MORTVO atque sepulto Volpoldo abbate, anno ac die præscriptis, iuxta morem ecclesiasticæ traditionis, fratres huius monasterij, ne viduitatis suę diu cogerentur deplorare incommoda, diem pro noui pastoris electione constituentes, penultimam mēsis Februarij, in ipsa conuenerunt, premissisque orationibus consueris, & reliquis quę in actu electionis fieri consueuerunt, post varios inter se tractatus habitos, tandem maior & sanior pars Ioannem priorem huius cœnobij in abbatem elegit, ceteris in diuersos alios diuisis, qui tamen electioni maiorum cedentes, omnes in eum vnanimiter consenserunt.

Electus

Electus autem, & per episcopum Spirensem Henricum de Liningen confirmatus, ac secũdum laudabilem consuetudinem solenniter ordinatus, præfuit huic monasteriõ Hirsaugiensi in ordine abbatum sextus & vigesimus, annis 10. mensibus 3. & 4. diebus. Hic natione Bauarus erat, qui sub Euerhardo huius cœnobij abbate 23. monachus factus, ac deinde prior sub Volpoldo prædecessore suo constitutus, disciplinam debilem quam reperit, cõtinuauit. Tandem vero abbas ordinatus, regularis obseruantiæ integritatem parũ curauit, sed potius externa sequebatur, pompas imperij & gloriæ vanitatem. Inter abbates sui temporis non erat vltimæ reputationis, propter famam percelebrem monasterij Hirsaugiensis, quam priorum abbatum sanctitas, non facile delebilem dudum multis laboribus & abstinentijs acquisiuit. Ordinis enim nostri sacratissimi patris Benedicti obseruantia, tempore huius abbatis, in omnibus penè monasterijs Germanicæ nationis vsq; adeo defecerat, vt pristinæ institutionis vestigium nullum in moribus cerneretur. Omnia corrupta erant, omnia collapsa, monachi simul cum abbatibus in præcipitium vitiorũ corruerunt. Nemo hanc ordinis nostri deformationem curabat, nemo condoluisse visus est, non rex, non papa, non principes, non denique præsul vllus de monachorum reformatione quippiam cogitauit. Tam enim publicæ fuerunt transgressiones monachorum, vt licitæ putarentur. Vnde factum est, vt abbatum huius monasterij gesta & acta tata, ad nostram memoriam abhinc vsque ad Fridericum abbatem 37. paucissima sint deducta, propter temporum obscuritatem & negligentiam, ignorantiamq; monachorum.

*Vita & origo Ioannis abbatis.*

*Ordinis nostri deformatio.*

*Abbatum gesta inobseruationem acta.*

Anno prænotato, quo Ioannes electus fuit in abbatem, Iringus episcopus Herbipolensis & clerus, multas iniurias à ciuibus sustinuit, pro quibus tandem ipsi ciues in ducentis & duobus millibus argenti marcis satisfacere & ad obedientiam Episcopi redire compulsi sunt.

*Ciuitas Herbipolensis.*

MCCLXVI.

Anno Ioannis abbatis 1. qui fuit dominicæ nativitatis 1266. obijt præfatus Iringus de Reinstein, primus & quadragesimus episcopus Herbipolensis, vir constans & bellicosus & magnanimus, cui successit Bertholdus de Sternberg, & præfuit annis quasi 18.

*Iringus episcopus Herbipolensis obiit.*

Eodem anno Carolus rex Siciliæ ab Vrbano papa constitutus, Manfredum regem & Sueuiæ ducem Friderici Imperatoris secundi filium, non longe à Beneuento superatum, crudeliter interemit. Quo mortuo Conradus quem Itali Conradinum appellabant, Friderici quondam Imperatoris ex Conrado filio nepos, adolescens pulcherrimus, dux Sueuiæ vltimus, regnum Apuliæ iure paternæ hæreditatis repetijt, sed per Clementem papam 4. & Carolum Prouinciæ comitem (de quo supra diximus) cum iniuria repulsus, ad regnum non peruenit, imo post biennium ab ipso Carolo miserabiliter occisus fuit.

*Manfredus rex interimitur. Conradus dux Sueuorum.*

MCCLXVII.

Anno autem Ioannis abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1267. fundatum est in ciuitate Spirensi monasterium fratrum prædicatorum S. Dominici, ex eleemosynis ciuium ac aliorum fidelium, cum consensu Henrici eiusdem ciuitatis episcopi.

*Conuentus prædicatorum Spiræ.*

Eodem anno maxima inter ciues & consulatum Colonienſis ciuitatis seditio fuit exorta. Nam cum rectores ipsius vrbis ciues grauare viderentur intolitis precarijs & exactionibus, ciues prauorum consilio vsi, se consolatui temere opposuerunt, & concitata seditione grauissima, prorumpentesq; ad arma, se mutua congressione in ipsa ciuitate petentes armis vulnerarunt, non paucis vtrobiq; occisis.

*Colonienſium ciuium seditio.*

MCCLXVIII.

Anno Ioannis abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1268. Conradus Friderici Imperatoris ex Conrado filio nepos, dux Sueuiæ vltimus, collecto ex Alemania, & vndecunque potuit auxiliatorum exercitu, Apuliam contra Carolum ingredi statuit, & regnum recuperare paternum. Quem Carolus in finibus Albani agri superatum cepit, & nobilissimum iuuenem crudeliter interfecit. In quo illustrium Sueuiæ ducum genealogia defecit, in qua Romanum imperium plusquam centum & viginti annis tuto quiescens, incrementa sui accepit.

*Conradus dux Sueuorum occiditur.*

Eodem anno pridie nonarum Iunij, obijt Henricus Traiectensis episcopus, anno pontificatus sui 25. cui successit Ioannes de Nassavv. His temporibus milites ad inuicem dimicantes nocturno tempore in partibus Hollandiæ cum armis in aere apparuisse feruntur. Quod prodigium magna gentis illius calamitas subsecuta fuit. Surrexit enim vulgus indomitum contra principes & nobiles terræ, & cõspiratione facta omnes extinguere ac penitus delere nobiles vnanimi cõsensu decreuit, sibique omnimodam vindicare liberta-

*Episcopus Traiectensis. Prodigium. Bellum ruſticanum.*

*Sotularia rusticorum conspiratio.*

tem. Conuenientes igitur in maxima multitudine armati, exercitum ingentem produxerunt: venientesque Traiectum, à ciuibus vt defensores libertatis libenter admissi sunt, qui statim omnes nobiles de ciuitate cum ignominia eiecerunt, bonis eorum in pauperes & egentes distributis. Inde progredientes oppida, castella & munitiones nobilium multas obtinuerunt, & quasdam funditus destruxerunt. Deinde cum oppidum quoddam Hartlem nomine in Gelria situm fortiter obsidione vallarent, oppidani industria cuiusdam militis, auxilioque pontificis Traiectensis præfati & comitis Gelrensis vsi, conspiratos illos Sotulariæ factionis bello vicerunt, multis captis, pluribus occisis. Et sic ad nihilum redacta Sotularia rusticorum societas euanuit.

*Conspirationis Sotularia finis.*

MCCLXIX.

*Bellū apud Kitzingen.*

Anno Ioannis abbatis 4. dominicæ autem natiuitatis 1269. magna inter Bertholdum episcopum Herbipolensem & comites de Henneberg, castello, & Hoenloe, dissensio fuit exorta, qua successiue nimiū crescente, tandē ad arma venerūt, initoq; certamine iuxta oppidum Kitzingen multi ab vtraq; parte vulnerati ceciderunt.

*Proscripti ex Coloniēsibus.*

Eodem anno quidam de ciuitate Colonienſi proscripti, ad Engelbertum archiepiscopum Bonnæ morantem cōfugerūt, à quo benigne sunt recepti, pro eo quod cum Colonienſibus non bene concordaret. Qui consilio accepto Coloniam noctu accedentes per occultum meatum sub terra, per quēdam precio factum intrare volentes, ciuitatem tradere in manus ipsius pontificis laborabant. Sed consilio detecto nihil profecerunt, licet multi hac occasione mala perierunt.

MCCLXX.

*Clemēs papa obiit.*

Anno Ioannis abbatis quinto, dominicæ natiuitatis milleſimo ducēteſimo ſeptuageſimo, Clemens papa quartus moritur, vacuitque sedes fere ad biennium.

Eodem anno inter Engelbertum archiepiscopum Colonienſem & ciues, pax & cōcordia, mediante Alberto Magno Ratisponensi episcopo, facta est.

Hoc ipso anno multæ seditiones in ciuitatibus diuersis, & bella inter principes terræ plura fuerunt, non solum in Alemania, sed in omnibus prouincijs adiacentibus, & multa millia hominum ceciderunt.

MCCLXXI.

*Gregorius papa 10. eligitur.*

Anno sequenti, qui fuit Ioannis abbatis 6. dominicæ autem natiuitatis 1271. indictione 14. post biennalem vacationem sedis apostolicæ, cardinales in pontificem Romanum elegerunt archidiaconum Leodiensem, Theobaldum nomine, eo tempore in Asia cum exercitu Christianorum contra infideles pugnantem: quem Viterbium euocantes papam creauerunt, dictusque est Gregorius decimus, & præfuit annis 4. vir tanto dignus honore, si tamen mortalis homo dignus censeri debeat tenere in terris locum & vicariatum Domini nostri Saluatoris in cœlo præsidentis.

*Cōsilium sit Lugdunēſe.*

Consilium generale Lugduni celebrauit anno pontificatus sui secundo, in quo multi cardinales, archiepiscopi, abbates, aliique diuersi gradus prælati comparuerunt: multa ad electionem summi pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad vnionē Græcæ Latinæq; ecclesiæ, & ad pacem Christianorū pertinentia mature statuentes. Ibi comparuit Palæologus Imperator Constantinopolitanus cum magno comitatu, qui tertiadecima vice in sententiam Romanæ ecclesiæ Græcos suos toties deficientes consilio necessario pertraxit.

MCCLXXII.

*Hēricus Spirensis obiit.*

Anno Ioannis abbatis 7. dominicæ natiuitatis 1272. obijt Henricus de Liningen episcopus Spirensis septimus & quadragesimus, in die S. Priscæ virginis, hoc est 15. cal. Februarij: sepultus in maiori ecclesia Spirensi, sub marmore albo: cui successit Fridericus de Bolandia, ex sorore nepos, 4. nonas Martij, & præfuit annis ferme 30. vir bonus & strenuus, qui bene rexit ecclesiam.

*Engelbertus archiepiscopus Coloniensis obiit.*

Eodem anno obijt Engelbertus secundus, archiepiscopus Colonienſis quinquageſimus primus, Bonnæ in ecclesia sancti Cassij sepultus. Cui successit Siphridus de Westerburg, & præfuit annis 24. mensibus 5. vir laborum patiens & belli non ignarus.

MCCLXXIII.

Anno Ioannis abbatis 8. dominicæ autem natiuitatis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, Gregorius papa 10. audiens dissipationem Rom. imperij, & spolia deprædationesque in Alemania nimias, quæ Imperatore nullo existente fiebant, mandauit principibus, vt infra tempus certum, iuxta facultatem sibi traditā, regē imperio idoneum eligerent: alioquin ipse Romano vellet imperio de rectore prouidere.

Conue-

Conuenientes ergo anno præscripto apud Franckofordiam principes, post multos variosque tractatus, in regem Rom. tandem vnanimiter elegerũt Rudolphum comitem de Habspurg, tunc absentem, & Basileam cum magno exercitu obsidentem. Qui mox vt audiuit se in regem Rom. electum, soluta obsidione, cum magno apparatu ad Franckofordiam venit, descendensque cum principibus ad Aquisgranũ, munus consecrationis ex more susceptum. Ibi principes iurata pace & obedientia in manibus noui regis, sua ab eo feudalia susceperunt, promittentes ei cõtra quoscunque firmã fidelemq; pro viribus assistentiã. *Rudolphus rex Romã. eligitur.*

Rudolphus itaque regno susceptο strenue regnauit annis 18. & mensibus 10. Pacem reformauit in terra, prædones compescuit, & multa eorum præsidia munitionesque destruxit, reparauit collapsum pro viribus imperium, & plura quæ fuerant alienata à regno, in breui suo labore & industria recuperauit. Vxorem habuit Elisabeth filiam Burchardi comitis de Haierloch, de qua genuit filios tres & quatuor filias. *Rudolphus annis 19. regnauit.*

Primus filius fuit Albertus, quem postea ducem Austriæ fecit, qui Adolpho in regno Rom. successit, vt suo loco dicemus: à quo Maximilianus rex noster illustris, cum omnibus Austriæ ducibus qui interea fuerunt, descendit. Secundus filius Hartmannus, non longe à Basilea in Rheno fuit submersus. Tertius filius fuit Rudolphus comes de Habspurg, & dux Sueuiæ, qui filiam Odachari regis Bohemiæ duxit vxorem. *Filii Rudolphi regis.*

Prima autem filiarum nupsit Wenceslao fratri regis Bohemiæ. Secunda nomine Mechtildis, Ludouico comiti Palatino Rheni. Tertia, Alberto duci Saxoniæ. Quarta vero, Carolo regi Apuliæ. Rudolphus itaque rex inclytus de ciuitate in ciuitatem cum exercitu progrediens, vt verus dominus vbiq; suscipitur. *Filiæ regis quatuor.*

Pater autem Rudolphi regis fuit Albertus comes de Habspurg, qui quondam fuit Landtgrauius Alsatiæ, capitaneusque ciuitatis Argentinensis, vir bellicosus, cuius multa feruntur bella fortiter gesta: post cuius mortem in locum eius ipse consurgens, sicut leo in medio pastorum, ita cunctos aduersarios superauit sine timore. Comitatum Kyburg, Baden, & Mersburg, de manu comitis Sabaudiæ, bellico apparatu adhuc comes vendicauit, & Molenberg, Gretzingen, Dutlach, & magnam partem Sueuiæ obtinuit. *Albertus comes pater regis.* *Kyburg comitatus.*

MCCLXXIIII.

Anno Ioannis abbatis 9. qui fuit dominicæ natiuitatis 1274. Euerhardus comes de Wirtenberg, comes de Monsfort, comes de Helffenstain & comes de Dockenberg, cum alijs vndecim comitibus, certisque nobilibus, Rudolphum regem conspiratione facta aut capere, aut interficere summopere laborabant. Contra quos magnum produxit exercitum: omnesque vicit, & ad obedientiam sibi & imperio perpetuo obligauit, pacemque in omni terra circumquaque ab Italia vsque in Angliam itinerantibus firmissimam restituit. Cumque principes ad instantiam Romani pontificis regem sæpe admonerent, quatenus pro corona imperij Romam proficisceretur, respondebat: *Multos Alemanorum reges Italia consumpsit, non ibo Romam, Rex sum, Imperator sum, nec minus pro vtilitate reipub. me facturum cõfido, quam si Romæ fuissem coronatus.* Regnans itaque annis (vt diximus) ferme 19. imperij coronam à summo pontifice non accepit, ex causa quam dixit. *Comites in regẽ conspirant.* *Coronã Imperii quarã Rudolphus non accepit.*

MCCIXXV.

Anno Iohannis Abbatis 10. dominicę autem natiuitatis 1275. Rudolphus rex circa festum assumptionis B. Marię semper virginis, cum magno exercitu profectus est in Bohemiam contra Odacharum regem, terras imperii occupantem. Mortuo enim priori anno sine liberis duce Austriæ, ducatuq; ipso cum comitatibus Thirolis & Carinthiæ, Romano imperio vacante, Bohemorum rex prædictus, terras ipsas quodam iure hęreditario allegato, sine imperij authoritate inuadens occupauit. Rudolphus autem in regem Rom. sublimatus, ipsum per literas admonuit, vt iniuste ablata imperio restitueret, alioquin periculum expectaret. Cuius mandata contemnens, astantibus dixit: Videte rem nouam, comes de Habspurg, qui exercitus nostri capitaneus et seruus maiestatis nostræ fuit, nobis mandata direxit vt dominus. Per coronam nostram, non erimus obedientiarij eius. *Expeditio regis in Bohemiam.* *Ducatus Austriæ imperio vacat.*

Vnde commotus rex Rudolphus, producto in Bohemiã exercitu, cum bello superauit, & ad pacta subiectionis coegit, quem postea (sicut dicemus) promissa violantem, anno regni sui quarto rursus prœlio superans occidit, & ducatum Austriæ filio dedit. *Rudolphus regem Bohemiæ superauit.*

Eodem anno Gregorius Papa 10. obijt, Aretij sepultus: cui in põtificatu successit Innocẽtius 5. & præfuit mensib. tantum sex, vir optimus, de quo omnia bona sperabantur. Hic Petrus de Tarantasia, fuit antea vocatus, ordinis fratrum prædicatorũ S. Dominici, Theologus doctissimus, qui super quatuor libros Sententiarũ, & quædam alia, profundissime scripsit, & papa factus omni studio pacem reformare in Italia studuit. *Gregorius papa obiit.* *Innocentius 5. sedit mensibus 6.*

*Ioannes abbas huius loci obiit.*

Anno quoque dominicæ natiuitatis prænotato, Ioannes huius cœnobij Hirſaugienſis abbas ſextus & vigeſimus, febrium graui moleſtia tactus, tertio die nonarũ Iunij, ab hac mortali vita migrauit ad æternam, anno regiminis ſui decimo, cum tribus menſibus, quatuorq; diebus exacto, cuius corpus in maiori monaſterio eſt humatum.

## *DE VOLANDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXVII. QVI præfuit annis 6. menſibus 8. diebus 14. ac varijs geſtis.*

*Volandus fit abbas huius loci.*

*Origo & vita Volandi abbatis.*

POST mortem Ioannis 26. huius monaſterij abbatis, quæ contigit (ſicut diximus) tertio nonas Iunij, anno dominicæ natiuitatis 1275. eodem die poſt ſepulturam eius, conuenientes ad locum capitularem fratres paſtore carentes, poſt multos variosque tractatus inter ſe habitos, Volandum quendam eiuſdem loci monachum, in abbatem elegerũt: qui mox cõfirmatus & ordinatus à Friderico de Bolandia epiſcopo Spirenſi, præfuit huic monaſterio annis 6. menſibus 8. diebus 14. homo penitus inutilis, diſſipator ſubſtãtiæ monaſterij, qui voluptates ſectabatur & ſolatia carnis: cui de obſeruantia regulari non erat cura, de regimine publicæ honeſtatis & profectus cogitatio nulla. Natione fuit Alſaticus, non longe ab Argentina oriundus, qui de monaſterio Gengenbach, ſub domino Ioanne abbate, neſcio qua occaſione venit ad Hirſaug. ſuſceptusq; à fratribus ad conuentum, vnus ex ipſis factus eſt. Mortuo autem abbate Ioanne, ingenio & arte in eius locum ſuffectus, male rexit, & multa bona monaſterij in paucis annis diſtraxit impignorando, vendidit & alienauit.

Anno nanq; regiminis ſui 2. vti dicemus decimam valde proficuam alienauit iniuſte, ac ſine conſenſu diœceſani & fratrum.

MCCLXXII.

*Odacharus rex Bohemiæ occiditur.*

Anno Volandi abbatis 1. qui fuit dominicæ natiuitatis 1276. cum Odacharus rex Bohemiæ pacta, quæ anno priore Rudolpho regi Rom. promiſerat, non ſeruaret, denuo ipſe rex Rudolphus cum magno exercitu Bohemiam ingreſſus, Odacharum bello ſuperans occidit, & totum regnum ſuæ ditioni ſubiugauit.

*Comites de Habſpurg. fiunt duces Auſtriæ.*

Porro ducatum Auſtriæ, imperio (vt ſupra diximus) vna cum Stiria & Carinthia, filio ſuo primogenito nomine Alberto contulit, ipſumque de conſenſu principum, ex comitum numero in collegium ducum collocauit: & ſic domus Auſtriæ ducatus, ad comites Habſpurg imperiali munificentia deuenit, & penes eos manet vſque in præſentem diẽ. Ab hoc Alberto duces Auſtriæ vſque ad Maximilianum qui hodie regnat, & filium eius Philippum Brabantiæ ducem, omnes per ordinem deſcenderunt, quemadmodum in ſequentibus dicemus.

*Innocentius papa obiit. Adrianus papa.*

Anno prænotato obijt Innocentius papa quintus, ordinis fratrum Prædicatorum, Romæ in eccleſia Lateranenſi ſepultus. Huic in pontificatu ſucceſſit Othobonus patria Genuenſis, S. Hadriani diaconus cardinalis, Innocentij papę nepos, dictus Adrianus quintus, & præfuit menſe vno, diebus decem, & obijt Viterbij ante munus conſecrationis, in cõuentu fratrum Minorũ ibidem ſepultus. Iſte pontifex Rudolphum regem per literas & nuncios in Italiam vocat, ad comprimendam Caroli regis Siciliæ potentiam: qui oblitus beneficiorum Innocentij papæ 4. qui regnum legitimis ablatum hæredibus Conrado & filio eius Conradino, ſibi contulerat, Romæ omnia pro arbitrio agebat, Deo iniuriam illorum vindicante. Verũ Rudolphus Bohemico implicitus bello, pontifici ſatisfacere non potuit. Adriano quoque infra dies 40. mortuo, Petrus epiſcopus Tuſculanus, patria Vlixbonenſis, in pontificatu ſuccedens, Ioannes 21. eſt vocitatus, & præfuit menſibus 8. quo tandem mortuo, Viterbij noua ſuper eum camera ruente, ſedes Apoſtolica ſex menſibus vacat. In medicinis & philoſophia doctiſſimus erat, & multa ſcripſit. E quibus ſummula quædam extat, quam Theſaurum pauperum appellant, opus profecto iucundum, delectabile, & in medicinis non inutile.

*Ioannes papa 21.*

MCCLXXVII.

*Volandus decimam vendidit.*

Anno Volandi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1277. ipſe Volandus abbas conuiuijs & voluptatibus nimium deditus, monaſterij ſubſtantiam prodigaliter amicis ſuis & conſanguineis alijsque inutilibus perſonis diſtribuendo expendens, cum pecuniæ deficerent, res cœnobij immobiles diſtrahere & alienare cœpit. Et in primis quidem decimam cum omni prouentu in Elmendingen & Wyl partem mediam vendidit, in graue & perpetuum huius monaſterij diſpendium: ipſamque pecuniam in vſus ſuorum expendit, nõ ad profectum poſteritatis, quemadmodũ oportuerat. Alia quoque nõnulla monaſterij bo-

rij bona immobilia, tempore sui regiminis alienauit : quorum nomina in obliuionem deduxit nimia intercapedo temporis subsecuti. Enimuero hoc æuum ignauia plenũ erat: neq; curabant monachi, res gestas ad notitiam posteritatis per scripta deducere, sed ignari & carnales effecti, vana & inutilia mundi sectabantur. *Volandus abbas alienauit plura.*

Eodem anno Henricus de Vinstingen archiepiscopus Treuerensis, castrum iuxta Mosellam quod Berncastel nuncupatur, construxit: & villam ipsam muro circumcinxit, quæ montibus alioquin altissimis, ab Oriente, Meridie & Aquilone, ac Mosellæ fluuio ab occidente circumsepta, natura protegente inexpugnabilis poterat videri. *Berncastel iuxta Mosellam.*

Eodem quoq; anno Hartmannus adolescens, filius Rudolphi regis Rom. tertio genitus, non longe à Basilea in Rheno submersus est, & cum genetrice in ipsa Basiliensi ecclesia sepultus. *Hartmannus regis filius submersus.*

Anno etiam prænotato Euerhardus episcopus Wormaciensis in Italia constitutus, obijt, cuius corpus in Alemaniam relatum est, & in monasterio Otterburg Cisterciensis ordinis humatum: cui Fridericus in pontificatu succedens, præfuit annis fere 6. *Euerhardus episcopus Wormat. obiit.*

Eodem anno in die S. Heriberti episcopi Wilhelmus comes Iuliacensis, cum tribus filijs, & 468. nobilibus militibus & armatis Aquisgrani de sero circa nonam horam occulte intrauit, volens ciuitatem capere ac suo dominio subiugare. Quo cognito, ciues ad arma concurrentes, ipsum cum omnibus suis in medio fori, bello aggressi occiderunt, ita vt ne vnus euaderet: pro cuius facti expiatione grauiter postea mulctati sunt. Nam tertiam partem oblationum in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis, ex deuotione peregrinorum, vel vndecunque cedentium, comitibus de Iuliaca dare perpetuo, tandem coacti sunt. Institutionem quoque præpositi Aquensis ecclesiæ, comites Iuliacenses, qui modo sunt duces, ex illo tempore acceperunt vsque in hodiernum diem. Wilhelmo autem comite Iuliacense mortuo, Siphridus archiepiscopus Colonien sis eius dudum inimicus, Aquensibus confœderatus, terram illius destitutam principe armata manu ingreditur, omnia ferro & igne demolitur, oppida capit, obtinet munitiones, rotumq; in suam potestatem redigit comitatum. Contra quem dux Brabantiæ auxilio consanguineorum & amicorum comitis occisi, exercitum duxit, sed parum profecit. Tandem Martino papa quarto vices suas interponente, concordia facta est, & archiepiscopus omnia quæ abstulerat dominia, oppida, castra, & villas restituit. *Comes Iuliacensis Aquisgrani occiditur. Siphridus archiepiscopus Coloniensis. Ioannes dux Brabantiæ.*

Anno quoq; prænotato, posteaquam sedes apostolica vacasset mensibus 6. tandem cardinales elegerunt Ioannẽ Caietanum, patria Romanum, familia Vrsinũ, in summum pontificem, qui Nicolaus tertius appellatus, præfuit annis 3. mensibus 8. diebus 20. *Nicolaus papa 3.*

MCCLXXVIII.

Anno Volandi abbatis 3. dominicæ autem natiuitatis 1278. Henricus comes de Spanheim castrum Bickelnheim, non longe situm à meo monasterio Spanheimẽsi, cum castrẽsibus vendidit Wernero archiepiscopo Moguntino, pro mille & quadringẽtis marcis denariorum Aquensium, quod fratri eius comiti Ioanni in tantum displicuit, vt publicus archiepiscopi hostis factus sit. *Bickelnheim.*

His quoq; temporibus sub Friderico Wormacien si episcopo, fundatum est cœnobium monialium ordinis Prædicatorum in Hocheim iuxta Wormaciam, in honorem B. Mariæ semper virginis, per Dirolphum militem & Agnetem conthoralem eius, qui vnicam filiam cum omnibus bonis mobilibus & immobilibus eidem cœnobio tradiderunt Domino, in sancta virginitate perpetuo inibi seruituram. *Cœnobium monialium in Hocheim.*

MCCLXXIX.

Anno Volandi abbatis 4. dominicæ natiuitatis 1279. inter Wernerum archiepiscopum Moguntinum & Ioannem comitem de Spanheim atrox bellũ in campo iuxta Sprẽdelingen, miliario à Creutzennach geritur, in quo comes cum suis superatur, multis captis, pluribus ex vtraq; parte occisis. Inter præcipuos autem quos de parte ipsius comitis archiepiscopus præfatus duxit captiuos fuerunt comes Rheni, comes Emicho de Liningen, & comes de Velingen, cum multis alijs nobilibus & præstantissimis viris, qui omnes ad bienniũ in captiuitate fuerunt detenti, quousq; inter archiepiscopum & comites prædictos conueniat: tandem per Rudolphum regem Romanorum apud Moguntiam concordia facta est, anno Domini 1281. indictione 9. 12. die Decembris, in qua captiui omnes, facto iureiurando pacis, dimissi fuerunt. *Bellum inter archiepiscopũ Mogunt. & comitem de Spanheim. Comites capti fuerunt.*

Eodem anno Henricus comes Veldentiæ, dapifer ecclesiæ Moguntinæ, fœdus perpetuum pro se & hæredibus suis inijt cum domino Wernero archiepiscopo Moguntino *Henricus comes Veldentia.*

& successoribus eius, in quo sibi mutuo fidelem assistentiam contra quoscunque iniuriatores promiserunt: vt patet in literis eiusdem confœderationis, quæ datæ fuerunt anno præscripto calendas Septembris in Moguntia.

MCCLXXX.

*Albertus Magnus obiit.* Anno Volandi abbatis 5. dominicæ natiuitatis 1280. obijt Albertus Magnus ordinis Prædicatorum, quondam episcopus Ratisponensis in Bauaria, anno ætatis suæ 87. Coloniæ in medio choro conuentus sui sepultus, non sine opinione sanctitatis.

*Cõfirmatio priuilegiorum.* Eodem anno Nicolaus papa tertius, anno pontificatus sui tertio, cõfirmauit omnia priuilegia, libertates & bona huius monasterij Hirsaugiensis, ad instantiam abbatis & conuentus, dans eis bullam sub plumbo in Auinione, vt moris est, 8. calendas Decemb. Alias quoque bullam confirmationis priuilegiorum dedit eisdem Romæ apud S. Petrum, 13. calendas Ianuarij, anno pontificatus sui primo.

MCCLXXXI.

*Rudolphus rex in Bohemia prosperatur.* Anno autem Volandi abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1281. Rudolphus rex Romanorum, rebus in Austria & Bohemia prospere gestis, dataque filia sua in matrimonium Wentzlao filio regis Bohemiæ Odachari, quem vita & regno (sicut supra diximus) priuauit, & assignato illi cum filia regno paterno, ad negotia imperij reuersus est. Et primo quidem in Nurenberga, deinde in Franckofordia cõuentum principum celebrauit: omnia castella & latibula prædonum in circuitu destruxit. Post hæc magnum exercitum duxit in Burgundiam cõtra comitem illius terræ, mandatis suis inobedientem, & Bisuntinam ciuitatem obsidione cingens obtinuit. Comitem quoque ipsum cum maximo exercitu ad bellum occurrentem superauit, & in deditionem coegit. Rediens autem de Burgundia Colmariam, Thurregum, Beronam & Hagenauv, ciuitates in rebellionem coniuratas expugnando cepit, authoritatibus rebellionis partim occisis, partim proscriptis, & silu terra coram eo in pace.

*Rex Burgũdiam subiicit. Colmaria, Thurregũ. Berona. Hagenauu.*

*Nicolaus papa 3. obijt.* Eodem anno obijt Nicolaus papa tertius Romæ, apud S. Petrum, cum honore sepultus, & vacauit sedes Apostolica mensibus quinque, propter discordiam cardinalium: quibus elapsis tandem elegerunt Simonem sanctæ Ceciliæ presbyterum cardinalem, natione Gallum, ex ciuitate Turonẽsi oriundum, qui 10. calendas Aprilis coronatus, & Martinus quartus vocatus, præfuit annis 4. mense vno, vir sanctissimæ cõuersationis, quamiraculis claruisse fertur.

*Martinus papa 4. præsidet.*

MCCLXXXII.

Anno sequenti, qui fuit dominicæ natiuitatis 1282. cum Volandus abbas malo suo regimine, insigni huic monasterio, tam in spiritualibus quam temporalibus damna grauissima intulisset, fratres insolentiam eius & nimiam prodigalitatem diutius ferre nõ valentes, consilijs amicorum vsi, cum tandem ad resignationem abbatiæ, quam vtiliter gubernare & regere non valuit, induxerunt. Resignauit ergo abbatiam ad manus fratrum, duodecimo cal. Februarij anno Domini 1282. indict. 10. posteaquã eam male rexisset annis 6. mensibus 5. diebus 14. non sine damno cœnobij.

*Volandus abbas deponitur.*

## *DE DOMINO CRAFTONE, HVIVS MONASTERII ABBATE 28. qui præfuit annis 11. & de varijs gestis illius temporis in Alemania.*

VACANTE itaque monasterij huius abbatia, per resignationem Volandi quondam abbatis, nẽ damna ex diutina vacatione in aliquo pateretur, conuenientes ad locum capituli fratres, de substituendo pastore maturum cœperunt habere consilium: ne si minus consulte, vt prius contigit, eligerent, grauiora mala sustinerent: post varios itaque tractatus inter se necessario habitos, tãdem elegerunt Craftonem monachum, & maiorem huius monasterij, tunc temporis cellarium, virum maturum, & negotijs temporalibus expertũ, natione Sueuũ, honestisq; parentibus ortũ, & fuit octauus & vicesimus huius monasterij abbas: qui confirmatus à Friderico de Bolandia episcopo Spirensi, & ex more benedictus, præfuit annis 11. & aliquot mensibus: qui cum esset experientia doctus in cura rei familiaris, satis vtiliter & modeste singula disposuit. Veruntamen collapsam regularis disciplinæ obseruantiam, reducere ad pristinum feruorem non potuit.

*Creatio sit abbat. 28.*

*Præfuit annis 11.*

*Richẽstein. Schoneck.* Anno autem prænotato, Rudolphus rex Richenstein & Schonek castra prædonum munitissima, violenter cepit, ac funditus subuertit.

*Iudæorum persecutio.* Eodem quoq; anno secunda feria post festũ dominicæ resurrectionis ciues Moguntini seditione facta in Iudæos, multos interfecerunt, & reliquos omnibus bonis spoliatos de ciuitate eiecerunt, moxq; generalis Iudæorum persecutio in Alemania tota secuta fuit.

MCCLXXXIII.

Anno Craftonis abbatis primo completo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1283. in die S. Potentianæ virginis, comites de Henneberg exercitum contra Bertholdum episcopũ Herbipolensem producentes, fortissimum oppidum Suartzach iuxta Mogonum igne cõbusserunt, & monasterium S. Fœlicitatis nostri ordinis ibidem extra muros situm spoliãtes, omnia quæ inuenerant deportarunt. *Suartzach.*

Eodem anno Martinus papa quartus, legatum de Latere misit in Alemaniam episcopum Tusculanum, qui veniens ad Herbipolim in præsentia Rudolphi regis Roman. & multorum principum, episcoporum, abbatum, ducum, comitum atque nobilium concilium celebrauit: vbi inter alia legatus ipse nomine papæ, contributionem decimi denarij à clero, & rex ab vniuerso populo imperii instantissime exigere cœperunt, multis principibus in eorum sententiam consentientibus. Siphridus autem archiepiscopus Colonien sis & Henricus archiepiscopus Treuirorum, contra insolitam aç nimis grauem exactionem se fortiter opponentes, negotium penitus reuocarunt. *Conuentus principum Herbipoli.*

MCCLXXXIIII.

Anno Craftonis abbatis 2. dominicæ natiuitatis 1284. obiit Fridericus episcopus Wormatiensis: cui successit Simon de Schoneck, & præfuit annis 8. mensibus tribus, diebus 14. vir iustus & miræ probitatis, qui multa bona fecit. *Fridericus Episcopus Wormatiensis obiit.*

Eodem anno secunda die mensis Aprilis obijt Wernerus de Falckenstein archiepiscopus Moguntinus in maiori ecclesia sepultus, & vacauit sedes Moguntina ferme per triennium: duobus in dissensione electis, videlicet Petro canonico Basilien si maioris ecclesiæ præposito, qui fuerat medicus Rudolphi regis Romanorum, & Gerhardo de Epstein archidiacono Treuerensi: quibus apud sedem apostolicam de archiepiscopatu per triennium contendentibus, tandem Honorius papa quartus vtroque abrogato, Henricum Basilien sem episcopum ordinis Minorum, in archiepiscopum ecclesiæ Moguntinæ præfecit, & Petrum præfatum medicum, in episcopum Basilien sis ecclesiæ ordinauit. *Wernerus archiepiscopus Mogunt. obiit. Sedes Moguntina vacat.*

Eodem anno obijt Bertholdus 42. episcopus Herbipolensis, in maiori ecclesia sepultus: cui successit Mangoldus de Nuenburg, & præfuit annis 12. *Bertholdus.*

MCCLXXXV.

Anno Craftonis abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1285. ecclesia beatæ Mariæ semper virginis in Moguntia, dicta ad gradus, cum vna turri maioris ecclesiæ contigua & nouis apothecis crematur. *Moguntia.*

Eodem anno 6. iduum Ianuarij, ciues Herbipolenses, canonicos omnes & clerum omnibus bonis spoliantes de ciuitate expulerunt. *Herbipolis.*

Hoc ipso anno obiit Ludouicus comes Palatinus Rheni & Bauariæ dux, filius Ottonis, qui primus ex ducibus Bauariæ Palatinatum obtinuit, sicuti in præcedentibus dictum est. Sepultus est autem Ludouicus in monasterio Furstenfeld in Bauaria, quod ipse in Bauaria de nouo construxit, in satisfactionem interfectæ vxoris. Duos filios reliquit Rudolphum comitem Palatinum Rheni, qui vxorem duxerat Mechtildem filiam Adolphi regis Roman. de qua genuit Rudolphum, Rupertum & Adolphum, de quibus postea dicemus: & Ludouicum ducem Bauariæ postmodum Imperatorem Rom. qui duxit vxorem Margaretham, sororem Philippi regis Francorum. Alij dicunt ex filia neptem, quæ peperit ei Ludouicum marchionem Brandenburgensem, Stephanum ducem Bauariæ in Landshuta commorantem. Albertum ducem Bauariæ in Straubingen residentem, Wilhelmum comitem Hollandiæ, Selandiæ & Hannoniæ ac Phrysiæ dominum, Ottonem dictum Romanum, quia Romæ natus fuerat, & Ludouicum alium ducem Bauariæ. Mater autem præscriptorum ducum Margaretha, sororis regis Franciæ & Vvilhelmi comitis Hollandiæ filia fuit, quæ patre sine filijs mortuo, comitatum paternum Hollandiæ, Hannoniæ ac Selandiæ obtinuit, cumque Vvilhelmo filio, quemadmodum suo loco dicemus, assignauit. *Ludouicus comes Palatinus obijt. Comites Palatini Ducesq; Bauariæ. Comitatus Hollandiæ, Hannoniæ.*

Eodem quoque anno obiit Martinus papa quartus Perusij, in maiori ecclesia sepultus, ad cuius sepulchrum naulti valetudinarii delati, cæci perducti, muti & claudi pristinam valetudinem receperunt. Huic in pontificatu successit Honorius quartus patria Romanus, Iacobus antea vocitatus, diaconus cardinalis, & præfuit anno vno, diebus vndecim, vir bonus & integer, scientiæ & honestatis verus amator. *Martinus papa quartus obiit. Honorius papa.*

MCCLXXXVI.

Anno Craftonis abbatis 4. dominicæ autem natiuitatis 1286. Honorius papa prædictus, cassata electione canonicorum Moguntinensium, quam fecerant ante biennium

*Henricus fit archiepiscopus Moguntinus.* de Petro Medico & Gerhardo de Epstein, Henricum episcopum Basilienſem (ſicut ſupra diximus) ordinis Minorum in archiepiſcopum eccleſiæ Moguntinæ ordinauit, qui præfuit anno vno, menſibus vndecim, diebus quinque.

*Rudolphi regis fallū turpe.* Eodem anno Rudolphus rex Rom. pecuniæ auidus, rem principe turpem commiſit: cancellarium ſuum in Italiam miſit, qui accepta pecunia populos omnes liberos faceret, eos potiſſimum qui ſe pretio redimerent. Lucenſes ob eā rem duodecim millia nummūm auri perſoluerunt, Florentini vero ſex millia. Qui ſtatim liberi omnino facti, Magiſtratum quem priores artium vocant, addito vexillifero iuſtitiæ creauerunt. In hunc modum & reliquæ ciuitates plærēque ſeſe pecunia interueniente in libertatem contulerunt.

MCCLXXXVII.

*Wernerus à Iudæis occiditur.* Anno Craffonis abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1287. Iudæi quendam puerum Chriſtianum ex villa Wamraid oriundum, nomine Wernerum, furtiue rapientes, ad oppidum Weſalienſe iuxta Rhenum ſecum abducunt, eumque pro recipiendo ſanguine eius, 13. calendas Maij acubus & cultris pungentes poſt longum martyrium crudeliter occidunt, cuius corpuſculum in oppido Bacherach humatum, vſque in præſentem diem in quadam capella oſtenditur incorruptum, & ab incolis loci pro martyre veneratur, ſignifique claruiſſe multis dicitur.

*Bacherach.*

*Honarius papa 4. obyt.* Anno prænotato obijt Honorius papa 4. & vacat Apoſtolica ſedes menſibus 10. Ipſe ordinem Carmelitarum non ſatis in conſilio probatum, mutatis chlamydibus virgulatis in albas, & ordinem eremitarum ſancti Auguſtini apud Pariſios improbatum confirmauit. Sepultus eſt Romæ in eccleſia ſancti Petri.

MCCXXXVIII.

*Diſſenſio capituli in electione.* Anno Craffonis abbatis 6. dominicæ autem natiuitatis 1288. 15. calendas Aprilis obijt frater Henricus ordinis Minorum archiepiſcopus Moguntinus, in maiori eccleſia Moguntiæ ſepultus: poſt quem iterum duo in diſſenſione electi fuerunt, Gerardus de Epſtein canonicus Moguntinus, & archidiaconus Treuerenſis, quem ante Henricum electum contra Petrum fuiſſe diximus, & Emericus de Schoneck ſcholaſticus Moguntinus. Verum dum hæc apud Moguntiam fierent, Apoſtolica ſedes Honorio papa mortuo (ſicut diximus) vacauit: propter quod, cauſa eorum non poterat neque in partibus neque Romę terminari.

*Henricus archiepiſcopus Treuir. obiit.* Interea Henricus archiepiſcopus Treuerenſis moritur, & Gerhardus prædictus contra Bohemundum ab vna parte capituli in archiepiſcopum poſtulatur: qui tandem Nicolao papa quarto creato, Romam cum duplici electione profectus, contra Emericum Moguntinum & Bohemundum Treuerenſem, archiepiſcopus Moguntinus ab ipſo papa ordinatus eſt, & præfuit annis 16. vir prudens & magnanimus, qui bene & vtiliter eccleſiam ſuam rexit, & multa ſtrenue pace belloque geſſit. Bohemundus autem in archiepiſcopum Treuirorum ordinatus, præfuit annis 11. qui & ipſe multa probe geſſit, & iura eccleſiæ defenſauit.

*Gerhardus p. archiep. Moguntinus.*

*Bohemundus Treuerenſis.*

*Dux Limpurgenſis. Dux Brabantiæ ducatum obtinuit.* Anno prænotato obijt dux Limpurgenſis ſine liberis, pro cuius ducatu magna inter Ioannem ducem Brabantiæ & Reinhardum comitem Gelriæ diſſenſio orta fuit. Tandem venitur ad bellum. Dux Brabantiæ habuit in ſua parte Godfridum fratrem ſuum Brabantiæ ducem, Adolphum comitem de Monte, Henricum comitem de Windeck, Walramum comitem de Iuliaco, Gerhardum fratrem eius comitem de Iuliaco, Euerhardum comitem de Marca, & fratrem eius, comitem quoque ſancti Pauli, comitem de Lois, epiſcopum Leodienſem, ciues Colonienſes, alioſque nobiles multos & fortiſſimos. Porro cum Reinaldo comite Gelriæ fuerunt Siphridus archiepiſcopus Colonienſis, Henricus comes Lutzenburgenſis, & frater eius Walramus, Ioannes quoque dominus de Limpurg, Henricus comes de Weſterburg, comes quoque de Falckenburg, & alij complures, conſerto prælio 5 die menſis Iunij, circa villam Woring dictam, in Colonienſi diœceſi, multi ab vtraque parte ceciderunt: tandemque Ioannes dux Brabantiæ victoriam obtinuit. Ibi inter alios nobiles multos ceciderunt Henricus comes de Lutzenburg, & Walramus frater eius, Reinaldus Gelriæ comes à duce Brabantiæ captus, non ſolum iuri ſuo ad ducatū Limpurg cedere, ſed pro ſui etiam liberatione multa caſtra, dominia & ingentem pecuniarum ſummam dare coactus fuit. Siphridus quoque archiepiſcopus Colonienſis, ab Adolpho comite Montenſi captus, per ſeptem annos in cuſtodia detinetur: nec prius dimitti potuit, q̄ ſe pecunijs, caſtris & prouentibus multis, cum graui diſpendio ab eo liberauit. Capti fuerunt & alij multi, plures vero interempti. Sunt qui ſcribant, in eo prælio centena hominum millia ad certamen belli conueniſſe.

*Comes Geldriæ contra Ducē Brabantiæ.*

*Atrox bellū iuxta Woring.*

*Comes Geldriæ Reinaldus captus.*

*Archiepiſcopus Colonienſis capitur.*

Eodem

Eodem anno posteaquam sedes apostolica decem mensibus vacasset, cardinales tandem Perusij congregati, Hieronymum S. Sabinæ presbyterum cardinalem, ordinis fratrum Minorum, in papam elegerunt, qui Nicolaus quartus nuncupatus, præfuit annis 4. mense 1. diebus 8. vir bonus, amator religionis & pacis. *Nicolaus papa 4. eligitur.*

MCCLXXXIX.

Anno Craftonis abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1289. Rudolphus rex iterũ exercitum duxit in Burgundiam, & primo quidem ciuitatem Paterniacum obsidens cepit: postea comitem Burgundiæ rebellem & periurum capiens, ad vincula coniecit. Comitem quoque Sabaudiæ, & comitem montis Bellicardi similiter capiens, in ditionem suam iurare coëgit. *Rex iterum in Burgundiam.*

Eodem anno Emicho comes de Liningen, Dietherus filius Euerhardi comitis de Katzenelenbogen, Walterus comes de Geroldeseck, Gerlacus senior dominus de Limpurg, comes quoque de Welingen, & comes de Reneck, vno tempore apud Nigram syluam misere obierunt. *Comites seu obierunt.*

MCCXC.

Anno Craftonis abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1290. obiit Henricus dux Bauariæ filius Ottonis primi, ex ducibus Bauariæ Palatini comitis, frater Ludouici, de quo supra dictum est: qui habuit vxorem Elisabeth, filiam regis Belæ Vngariæ: quæ peperit ei Ottonem Vngariæ regem, Ludouicum & Stephanum duces Bauariæ: qui duo, mortuo patre, dominium in Lanshuta tenuerunt. *Henricus dux Bauariæ moritur.*

Eodem anno, 6. nonas Maij, obijt Petrus, monasterij mei Spanheimensis abbas octauus, cui successit Ioannes secundus, & præfuit annis 7. mensibus 11. qui omni studio ecclesiam exornare curauit, quam etiam anno suo primo dedicari à nouo cum altaribus fecit. His temporibus Siphrido Colonensis ecclesiæ archiepiscopo, sub custodia comitis de Monte, per septennium (sicut diximus) captiuo, Walramus comes de Iuliaco per terras ecclesiæ Colonensis, ferro debacchatus & igne, multa damnorum incommoda pauperibus intulit. Castrum ecclesiæ fortissimum, Zulph dictum, inter alia cepit, ac funditus destruxit. Simili vesania concitatus Euerhardus comes de Marcha, cum suorum validò exercitu intrauit Westphaliam, & Angariæ ducatum ad dominium ipsius archiepiscopi pertinentem, incendio & rapina deuastauit, & multas munitiones terræ, castra & oppida sibi subiugauit. *Petrus abbas Spanheimensis obiit. Comes Iuliacensis Walramus. Euerhardus comes Marchia.*

MCCXCI.

Anno Craftonis abbatis 9. dominicæ autem natiuitatis 1291. Rudolphus rex Rom. conuentum principum solennem celebrauit in Franckofordia, vbi multis precibus, viis & modis, principes conabatur inducere, vt filium suum Albertum ducem, in regem eligerent: quod tamen obtinere non potuit, licet post mortem Adolphi de Nassauu, idem filius tandem rex fuerit factus, vt suo loco dicemus. Rudolphus igitur cum amicis suis Argentinam se conferens, animi recreandi gratia, in infirmitatem incidit, quæ curari nequiuit. Vnde cum festinatione Spiram se duci fecit, vbi antecessores sui Reges & Imperatores sepulti erant. Quo cum peruenisset, mox anno prænotato, in octaua diuisionis Apostolorum obijt, ibique in maiori ecclesia sepultus fuit, & vacauit imperium quasi anno vno, propter discordiam principum. *Conuentus Principum. Rudolphus rex Spiræ moritur.*

Eodem anno in mense Decembri obijt Nicolaus papa quartus Romæ, in ecclesia S. Mariæ maioris cum honore sepultus, & vacauit sedes Apostolica annis duobus, mensibus 3. diebus 18. *Nicolaus papa 4. obijt.*

MCCXCII.

Anno Craftonis abbatis 10. dominicæ natiuitatis 1292. in principio mensis Maij cõuenerunt principes in Franckofordia, postquam imperium ferme ad annum vacauit, vt Rom. regem eligerent. Qui multis inter se consilijs & tractatibus habitis, Adolphum comitem de Nassau regem decernunt, virum insignem, sed milite ac pecunijs parum abundantem, qui regno suscepto imperauit annis 6. Contra hunc Albertus dux Austriæ filius Rudolphi regis defuncti, se quorundam principum auxilio erexit, dicens imperium ad se pertinere iure paterno, neque alium eligendum quam diu de regali prosapia idoneus aliquis ad regnum potuerit inueniri. Vnde cunctis diebus quibus vixit Adolphus, infensum illum habuit, donec tandem desertus à principibus in agro Wormatiensi ab eo interfectus fuit. *Adolphus comes de Nassau sit rex annis 6. Albertus dux Austriæ. Adol. hunc insequitur.*

Anno præscripto Gerhardus archiepiscopus Moguntinus synodum prouincialem suffraganeis & prælatis suis, in Aschaffenburg celebrandam indixit, vbi conuenerunt *Synodus Mogunt.*

*Episcopus Spirensis capitur in via.*

episcopi Eistetensis, Spirensis, Augustensis, Herbipolensis, Bambergensis, Hildeshemēsis, & Wormatiensis, cum alijs multis abbatibus, præpositis, decanis atque presbyteris, qui multa & varia in negotijs ecclesiasticis vtilia statuerunt. Soluto consilio, cum vnusquisq; suo proficisceretur itinere, Gerhardus præpositus Traiectensis, filius Euerhardi comitis de Katzenelenbogen, Fridericum episcopum Spirensem in via iuxta villulam quæ prope Mogonum sita (Kesterbach nominatur) cœpit, captiuumque abduxit, quousque interueniente concordiæ pacto dimissus ab eo fuit.

MCCXCIII.

*Wormatia concrematur.*

Anno Craftonis 11. dominicæ autem natiuitatis 1293. Wormatiæ ciuitatis magna pars denuo incendio horribili conflagrauit.

*Simon obiit.*

Eodem quoque anno in die sancti Othmari abbatis, obijt Simon episcopus Wormatiensis, & in monasterio Schonaugiensi sepultus est. Quo mortuo in successorem electus fuit Gerhardus filius comitis Hirsuti, vulgariter dicti Rugraff: qui priusquam confirmari posset, Apostolica sede vacante immatura morte præuentus est. Post hunc electus fuit anno sequenti Euerhardus de Stralenberg, qui præfuit decem mensibus duntaxat, & mortuus est.

*Gebhardus fit episcopus.*

*Adolphus rex.*

Eodem quoque anno Adolphus rex Rom. nouus, exercitum duxit contra Marchiones Misnenses, ipsamque marchiam Romano imperio subditam fecit, atq; cum suis principibus obedientem. Inter Philippum regem Gallorum, Eduardumque regem Anglorum, hoc ipso anno bellum quod aliquot annis cum ingenti amborum clade durauit, initium sumpsit, non sine multorum sanguine.

*Euerhardus comes Wirtenberg.*

His etiam temporibus Euerhardus comes de Wirtenberg cum Alberto Austriæ duce sentiens, Adolphum regem Rom. persequitur, multa illa damna inferens, multaque recipiens illata. Comes iste Euerhardus homo quietis impatiens, amator belli, semper in motu, semper inquietus, cum omnibus regibus, qui suo tempore Rom. gubernabant imperium contentiones habuit: omnibus infestus, omnibus rebellis & contrarius fuit. Rudolpho primo confœderatus quatuordecim comitibus (sicut supra diximus) rebellauit. Postea persequenti Adolphum, duci Alberto firmissime adhæsit. Deinde mortuo Adolpho, non minus Alberto contrarius erat, quam alios ante eum reges pro viribus fuerat persequutus.

*Rudolphus rex.*

*Craffto obiit.*

Anno prænotato moritur Crafto huius monasterij Hirsaug. octauus & vigesimus abbas, anno regiminis sui 11. completo, vir quidem suo tempore bonus, sed antiquis patribus zelo & feruore monasticæ integritatis minime comparandus, quippe qui collapsam regularis disciplinæ obseruantiam & reperit & dimisit.

## *DE GODFRIDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXIX. qui præfuit annis 7. & de variis gestis illius temporis in Alemania.*

CRAFTONE venerabili abbate mortuo atque sepulto, ad electionem noui pastoris fratres huius monasterij ad locum capitularem conuenientes, præmissis orationibus consuetis, maturum inter se cœperunt habere tractatum. Qui tandem post multa consilia vnanimiter elegerunt Gotfridum venerabilem senem, qui longo tempore custodis officium tenuit, natione Sueuum, honestis secundum seculum parentibus ortum, qui à Friderico episcopo Spirensi confirmatus, & ex more benedictus, in ordine abbatum huius monasterij nonus & vicesimus, præfuit annis 7. Erat autem homo magnæ staturæ & elegantis personæ, de militari genere procreatus, in agendis promptus & idoneus, ingenio subtilis, consilio cautus & prudens, eloquio disertus, actione præcipuus, vita & conuersatione maturus. Collapsam regularis disciplinæ obseruantiam libenter ad pristinum integritatis suæ statum reduxisset, sed obsistentibus sibi monachis iam dudum in laxitate consuetis, ac malitia temporum reclamante, sanctum reformandi propositum debito mancipare affectui non potuit. Occasione tamen huius voluntatis multas rebelliones & molestias eorum sustinuit, qui cum esset vir prudens, omnes consilio facile superauit.

*Gotfridus abbas 29.*

*Vita & mores Gotfridi abbatis.*

MCCXCIIII.

Anno eius primo currente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1294. posteaquam sedes apostolica biennio, & ferme quatuor mensibus vacasset, diuina tandem (vt credebatur) ordinatione, in papam fuit electus Celestinus quintus, eremita, sub regula S. patris nostri Benedicti professus: à quo Celestinorum ordo sumpsit initium, vir sanctissimæ conuersationis, Petrus ante pontificatum vocatus, qui præfuit mensibus tantum 5. & renunciauit papatui.

*Celestinus 5. fit papa.*

*Celestinus ordo.*

patui. Cui succeſſit Bonifacius 8. & præfuit annis 8. menſibus 9. diebus 17. cuius machinatione Celeſtinus reſignauerat. *Bonifacius 8.*

His quoque temporibus magna inter Philippum regem Franciæ & Eduardum regem Angliæ diſſenſio fuit ſuborta, cuius occaſione atrox bellum inter ipſos committitur. Rex Angliæ Adolphum de Naſſauu, regem Rom. pro centum millibus argenti marcis ea conditione in auxilium vocat, vt diuiſa inter principes imperij pecunia, communi ſuffragio ei contra Francos aſſiſterent. At vero rex Adolphus acceptam pecuniam, in proprios vſus contemptis principibus retinuit. Vnde ab eis quoque ſpretus, ſeruare promiſſa regi Anglorum non potens, magnam confuſionem incurrit. *Rex Francorum. Rex Anglorum. Rex Romanorum.*

MCCXCV.

Anno ſequenti, qui fuit Gotfridi abbatis 2. dominicæ autem natiuitatis 1295. indictione 8. Albertus dux Auſtriæ filius Rudolphi quondam Imperatoris, regnum ambiens Rom. Adolphum regem totis viribus perſequitur, multa inferens ei damna. Quem cum rex priuare ducatu ſtatuiſſet, principum illi adhærentium terrore victus, propoſitum mutare compulſus eſt. *Albertus dux Auſtriæ Adolphum regem perſequitur.*

Eodem anno Siphridus archiepiſcopus Colonienſis poſt ſeptennium ſuæ captiuitatis, multo tamen pretio de manu comitis Montenſis liberatus eſt. Non diu poſtea idem archiepiſcopus arte & induſtria vſus, contra iuramentum fœderis, ipſum comitem nil tale metuentem cœpit, & duro carceri vſque ad mortem mancipauit. Captus autem comes, & in maxima afflictione detentus, omnia ſe redditurum archiepiſcopo quæ ab eo extorſerat, maioraque pro ſua liberatione additurum liberaliter ac ſponte pollicitus eſt: ſed à pōtifice non fuit exauditus, quin potius improperanter tale reſponſum ab illo recepit: Habet S. Petrus, quo ſine tuis rebus, promiſſis ſuos enutriat famulos, ideoque me viuente non dimitteris, ſed mortem in carcere ſubibis, diſceſque quemadmodum archiepiſcopum debeas tenere captiuum. Itaque comes in cuſtodia moritur. *Siphridus. Comes Mōtenſis dolo captus.*

Eodem etiam anno Ioannes dux Brabantiæ in haſtiludio occiſus eſt. *Dux Brabantiæ.*

MCCXCVI.

Anno Gotfridi abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1296. obijt Manegoldus epiſcopus Herbipolenſis, cui Andreas de Gundelſingē ſuccedens, præfuit annis 22. qui & ipſe multas contentiones habuit cum ciuibus ſuis, à quibus varias iniurias ſuſcepit. *Andreas fit epiſcopus Herbipolenſis.*

Eodem anno Florentius, comes Hollandiæ, anno regiminis ſui 42. à ſuis traditus, in manus aduerſariorum crudeliter occiſus eſt, 5. calendas Iulij: cui ſucceſſit Ioannes filius eius, qui in vxorem duxerat Eliſabeth filiam Eduardi regis Anglorum, de qua liberos non ſuſcepit, rexitque Hollandiam duntaxat annis tribus, & menſibus ſex, multaque bella & prælia commiſit. *Florentinus comes Hollandiæ occiditur. Wilhelmus.*

Eodem quoque anno Bonifacius papa 8. Ioannem epiſcopum Traiectenſem ad eccleſiam Tullenſem tranſtulit, & Wilhelmum de Mechlinia natum, cauſarum in Romana curia auditorem, in eius locum pontificem ordinauit, qui præfuit annis 5. in tribulationibus & bellis multis, tandemque in bello fuit occiſus.

MCCXCVII.

Anno Gotfridi abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1297. Ioānes comes Hollādiæ, magno ſuorum ac Selandinorum congregato exercitu, intrauit Phryſiam, & 6. calen. Aprilis conſerto cum Phryſionibus prælio, iuxta Alckmariam, 4. eorum millia interfecit, Phryſiamque ſibi ſubiecit. *Phryſones occiſi.*

His quoque temporibus Adolphus rex Romani imperij, multas in terra calamitates & diſſenſiones inter pacem habentes, eius namque iuſſu Hermannus comes de Geroldeck, & quidam alius comes præfecti prouinciales in Alſatia conſtituti, Conrado de Lichtenberg Argentinenſi epiſcopo, cunctiſque Alſatiæ populis nimium moleſti, multas iniurias, contumelias & damna intulerunt. Vnde ad impatientiam prouocati, prædictus epiſcopus, ciues quoque Argentinenſes, comites de Lichtenberg, comites de Ochſenſtein, Landtgrauius Alſatiæ, comes de Friburgo, comes de Zvveibrucken, & comes de Holoch, cum multis alijs principibus, comitibus, nobilibus ac populis, contra Adolphum regem vnanimiter conſpirarunt: eiuſque mandatis & iuſſionibus contemptis, omnia quæ adhuc uerſus eum potuerunt, vbique terrarum agere cœperunt. Nec deſtiterunt à cœpto propoſito, quouſque multis principibus in eandem ſententiam accedentibus, cum à regno tandem deponentes, vita ſimul & honore priuarunt, vti ſuo loco dicemus. *Adolphus rex Rom. Conſpiratio Principum contra Adolphum.*

MCCXCVIII.

Anno Gotfridi abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1298. obijt Siphridus archi-

*Wichboldus sit archiepiscopus colonien sis.*

episcopus Colonien sis in ecclesia Bonnen si sepultus, cui successit Wichboldus maioris ecclesiæ decanus & præfuit annis ferme 4. quem Bohemundus archiepiscopus Treueren sis senio morboque grauatus, moxin coadiutorem suum assumpsit.

*Albertus dux Austriæ vocatur ad imperium.*

Eodem anno cum rex Adolphus imperium extenuaret, discordias & bella nutriret, populumque tributis insolitis grauaret, foueretque prædones & oppressores pauperum, principesque contemneret: Gerardus archiepiscopus Moguntinus, cum certis aliis principibus, Albertum Austriæ ducem ac comitem de Habspurg, filium Rudolphi quondam regis Rom. ex Austria ad Moguntiam euocauit, promittens eum abrogato Adolpho in regem Rom. eligendum. Quibus cognitis dux Albertus cum maximo suorum exercitu venit ad Rhenum, cui principes Alsatiæ & comites supradicti, vna cum Euerhardo comite de Wirtenberg, cum magno exercitu apud Argentinam occurrentes auxilium contra Adolphum promiserunt. Argentinenses autem quatuor ei millia pugnatorum in auxilium dederunt, tam equitum quam peditum, qui eum apud Friburgum, cum magno honore susci pientes, Argentinam deduxerunt. Audiens hæc Adolphus rex, mox Rubiacum obsidione vallauit, sed infecto negotio discedens, in ciuitatem Spirensem se contulit, rei nouæ præstolaturus euentum. Interea dux Albertus cum exercitu magno ducum, comitum, nobilium & militum ex Austria, Bohemia, Vngaria, Sueuia, & Alsatia congregato, comitantibus eum episcopo Constantien si, episcopo Argentinen si, prouinciali comite Alsatiæ, alijsque prænominatis comitibus, nullo resistente, venit ad Moguntiam: vbi Gerardi archiepiscopum Moguntinum, Wichboldum electum Colonien sem, cum aliis quibusdam principibus congregatos reperit. Ibi ergo in vigilia natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, principes Adolpho rege, propter graues excessus à regno per sententiam deposito, ipsum Albertum ducem, in regem vnanimiter elegerunt, eique fidelitatem, obedientiam & assistentiam contra quoscunque aduersarios promiserunt. Quibus in Moguntia cum magna solennitate peractis, Albertus rex nouus cum vniuerso exercitu suo transiit ad Alzeiam oppidum, in medio itinere à Wormatia ad Creutzennach constitutum, ipsum præter castellum totum destruens, ibidem fixis tentoriis resedit contra Adolphum regem pugnaturus. Interea rex Adolphus audiens se regno priuatum, & Albertum à principibus electum, animo consternatus est, & congregans magnum exercitum pugnatorum ex ciuitatibus sibi fidelibus, Spira, Wormatia, Oppenheim, Franckofordia: vna cum principibus suis, Rudolpho videlicet comite Palatino ac Bauariæ duce genero suo, comite quoque de Isenburg, comite de Spanheim, comite Hirsuto, & multis aliis in Oppenheim se contulit, & diebus decem, auxilia amicorum quibus scripserat expectauit. Verum diebus decem euolutis, anteaquam promissa venirent auxilia amicorum, moræ impatiens, inconsulte & nimis præcipitanter contra Albertum viribus impar, ad bellum inter villam Gillenheim dictam, & cœnobium monialium Rosendal, non procul ab agro Vvormatien si processit: vbi conserto prælio acriter pugnatum est, & multi ab vtraque parte ceciderunt. Ipse quoq; Adolphus rex manu propria fortissime pugnauit, cui cum victoria iam accedere videretur, sui fugere cœperunt, qui desertus in medio aduersariorum, in eodem loco fuit occisus, & filius eius captus, comes quoque de Isenburg, in eius parte capitaneus fortissimus, fuit occisus cum aliis multis. Otto quoque comes de Ochsenstein capitaneus Alberti supremus ibidem cecidit cum sexaginta comitibus, & nobilibus terræ præcipuis. Corpus autem occisi regis Adolphi, in præfato monasterio Rosendal fuit humatum vsque ad tempora Henrici regis de Lutzenburg: cuius præcepto, Spiram cum honore delatum in sepulchris regum locatum est. Sunt qui scribant, omnes eos qui contra Adolphum regem conspirauerunt, mala morte, diuina vlciscente gratia iniuriam eius, periisse. Nam Albertus ipse regni vsurpator, à fratris filio fuit occisus, sicuti suo loco dicemus: comes de Holoch, & comes de Ochsenstein similiter fuerunt occisi. Archiepiscopus Moguntinus super sellam sedens, inopinata morte sublatus est. Comes Gemini pontis, in ripa Gliese dicta, fuit submersus. Conradus episcopus Argentinen sis, ante Friburgum à quodam rustico gladio interemptus. Comes de Liningen phreneticus & variis calamitatibus miser factus est. Cæterique pene omnes simili interitu perierunt. Albertus autem victor euadens cum principibus suis, ad ciuitatem Aquen sem proficiscitur, & ibidem à Wichboldo Colonien si archiepiscopo in regem Rom. coronatur, regnauitque annis 10. vxorem habuit Elisabeth filiam Meinhardi ducis Carinthiæ, de qua genuit filios sex, & filias quinque. Primogenitus fuit Rudolphus rex Bohemiæ. Secundus Fridericus dux Austriæ, qui contra Ludouicum Imperatorem quartum fuit electus, vt infra dicemus. Tertius fuit Lupoldus dux Carinthiæ ac Stiriæ. Quartus fuit Henricus dux, qui habuit vxorem Elisabeth filiam comitis de

*Adolphus rex Rubiacum obsedit.*

*Adolphus deponitur.*

*Albertus eligitur.*

*Alzeia destruitur à rege Alberto.*

*Rudolphus comes Palatinus.*

*Bellum inter duos reges committitur.*

*Adolphus rex in prælio occiditur.*

*Rex in Rosendal sepelitur.*

*Mors conspiratorum pessima.*

*Albertus consecratur in regem.*

*Proles Alberti. Filij regis sex.*

Virnce-

Virnenburg. Quintus fuit Albertus dux, qui fundauit monasterium in Gimeneo, per quem linea ducum continuatur. Vltimus filiorum fuit Otto dux, qui habuit vxorem Elisabeth filiam ducis Bauariæ. Filiarum prima Agnes nupsit Andreæ regi Vngariæ, & post eum duci Vratislauiæ. Secunda, Elisabeth nupsit Friderico duci Lotharingiæ, cui peperit Rudolphum, qui patri in ducatu successit. Tertia, Anna nupsit Hermanno Marchioni Brandenburgensi. Quarta fuit Catharina, quæ desponsata fuit Henrico Lutzenburgensi regi Romanorum, quo ante nuptias mortuo nupsit Ruperto regi Apuliæ. Quintam vero & vltimam eius filiam Guttam nomine, vxorem duxit Vdalricus comes de Oetingen, vir strenuus & bellicosus.

*Filiæ regis Alberti fuerunt quinq;.*

Hoc ipso anno quo Albertus in regem Rom. fuit electus, ciuitas Colonien sis, quæ per annos septem, menses totidem ac dies nouem, excõmunicationi ac interdicto ecclesiastico subiacuerat, propter lites & dissensiones cum Siphrido archiepiscopo habitas, Wichboldo successore eius consentiente: à Bonifacio papa octauo, fuit absoluta, & diuina officia denuo celebrari in ea permissa. Eodem quoque anno 5. calendas Aprilis, obiit Ioannes secundus, monasterij mei Spanheimensis nonus abbas, cui Dietlibus quondam cancellarius Ioannis comitis de Spanheim successit, præfuitque annis 10. & mensibus 6. qui regularis disciplinæ obseruantiam quasi penitus collapsam denuo renouauit.

*Colonienses ab interdicto soluuntur.*

*Ioannes abbas.*

Eodem anno 5. iduum Nouembris, obijt Bohemundus archiepiscopus Treuerensis, qui castrum Numagen, prope Trittenheim villam natiuitatis meæ, circa Mosellam, à fundamentis de nouo construxit: sepultus in Hemelrad, monasterio Cistercien sis ordinis. Post quem Dietherus de Nassauu frater Adolphi quondam regis non electus, neque postulatus, sed in odium regis Alberti à papa Bonifacio octauo in archiepiscopum ordinatus, Treuerim missus fuit, & præfuit annis ferme 8. Fuit autem ordinis Prædicatorum, qui etsi Alberto semper fuerit contrarius, nihil tamen potuit.

*Bohemũdus archiepiscopus Treuirensis obiit.*

Eodem quoque anno, in vigilia sancti Iacobi Apostoli obiit dominus Emicho episcopus Wormatien sis, in maiori ecclesia, sub habitu (vt ferunt) monastico sepultus, cui successit Eberuinus de Kronenberg, præfuitque annis tribus & mensibus 9. qui ad instantiam ciuium suorum consensit, quod de communitate viri sedecim, ad consilium senatus admitterentur, quod antea non fiebat.

*Emicho obijt.*

Eius temporibus cœnobium monialium ordinis Prædicatorum, quod dicitur Lebennauu, extra muros ciuitatis Wormatien sis iuxta Nuhusen, per quendam ciuem nomine Iacobum Engelmari fundatum est, & bonis necessarijs pro sustentatione famularũ Christi abunde prouisum, ipsaque fundatio per eum confirmata est.

*Monasterium Lebennau fundatur.*

MCCXCIX.

Anno Gotfridi abbatis sexto, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus ducentesimus nonagesimus nonus, Bonifacius papa octauus, hæresin eorum qui se Fratricellos appellabant, damnauit, & vbique funditus destruxit.

*Hæresis Fratricellorum damnatur.*

Eodem anno, 4. calendas Nouembris, obijt Ioannes comes Hollandiæ apud Harlem, sine liberis. Quo mortuo, Ioannes comes Hannoniæ filius Adelheidis sororis Willhelmi quondam regis Rom. iure propinquitatis ducatum assumpsit, Hollandiamque totam suo dominio coniunxit: qui vxorem duxerat Philippam comitis Lutzenburgensis filiam, de qua genuit Ioannem primogenitum, Wilhelmum successorem Hollandiæ comitem, Ioannem dominum Bellemontis, Henricum Cameracen sis ecclesiæ canonicũ, Margaretham comitissam Atrebaten sem, Adelheidem comitissam Claremonten sem, Mariam comitissam de Burbon, & Mechtildem comitissam de Nyede. Contra hunc Ioãnem, rex Albertus conuentum principum habuit, asserens comitatum Hollandiæ Romano vacare imperio, quem tamen ei principum consilio in feudum concessit.

*Ioannes comes Hollãdiæ obijt.*

MCCC.

Anno Gotfridi abbatis 7. dom. autem natiuitatis 1300. Bonifacius papa 8. iubileum plenariæ remissionis & indulgentiæ omnium peccatorum à pœna & culpa primus Romę instituit, quem ad annos centum denuo celebrari mandauit. Res prius inaudita & noua, vt pro huiusmodi indulgentiis priori anno per vniuersum orbem denunciatis, tanta populi multitudo ex omni Germania Romam proficisceretur, vt infinita penitus innumerabilisq; videretur. Et ex eo tempore Iubilæi vsus in ecclesia Romana esse cœpit, cuius nulla prius ratio fuit. Inter multos autẽ principes, episcopos, abbates, alioslque prælatos, qui tunc Rom. petebant, etiam Gotfridus huius monasterij Hirsaug. nonus & vigesimus abbas, cum certis fratribus, illo pro gratia Iubilæi profectus est sub spe mercedis æternæ. Tanta autem ipso anno vndiq; multitudo hominum Romam venit, vt vix incedere per vrbem amplam quidem & vastam liceret.

*Annus Iubileus à papa instituitur.*

*Gotfridus abbas Romam proficiscitur.*

*Albertus intrauit Gelriam.*

Eodem anno Albertus rex Rom. in manu valida intrauit inferiores partes Alemaniæ, animo & intentione debellandi Ioannem comitem Hannoniæ, qui Hollandiam (sicut diximus) occupauerat. Cumque ad Nouiomagium Gelriæ oppidum peruenisset, tales per omnem regionem fecit literas diuulgari: *Nouerint vniuersi quod Albertus rex Rom. semper inuictus vacantem Hollandiæ principatum, Romano potenter incorporauit imperio, quem Carolus Imperator olim Magnus Theodorico comiti donauit in feudum.* Audiens autem Ioannes regem contra se cum exercitu venturum, multitudinem armatorum maximam congregauit. Cuius animositatem simul & fortitudinem rex veritus, cum eo pacem iniit, mediante archiepiscopo Colonienſi, & ei Hollandiæ comitatum in feudum ab Imperio semper accipiendum concessit.

*Ioannes comes Hannoniæ clarus.*

*Gotfridus huius loci abbas obiit.*

Anno quoque prænotato, adhuc iubilæo Romæ durante, obijt dominus Gotfridus huius monasterij Hirsaug. abbas 29. anno regiminis sui 7. ætatis autem 68. vir bonus, maturus & prudens, qui honeste satis vtiliterque præfuit.

## *DE HENRICO SECVNDO, HVIVS MONASTERII ABBATE 30. qui præfuit annis 17. & de variis gestis suo tempore.*

*Henricus abbas 30. eligitur.*

MORTVO autem Gotfrido abbate atque sepulto, conuenientes in vnum fratres pastore viduati, in termino adhuc per priorem & seniores constituto, post multa consilia varioſque tractatus, tandem in abbatem huius loci 30. vnanimiter elegerunt Henricũ eius nominis secundum: qui confirmatus & ordinatus (vt moris est) per Fridericum de Bolandia episcopum Spirensem, huic monasterio male præfuit annis 17. tandemque iubente Ludouico Imperatore 4. deponitur, propter vitæ deformitatem, & substantiæ monasterij profusionem, quemadmodum suo loco dicemus. Fuit autem natione Sueuus,

*Ortus & vita huius abbatis.*

honestis parentibus ortus, qui cum esset annorum duodeuiginti, sub Volando abbate monachus factus est, homo quieti & ocio deditus, verbis ad quælibet paratus ac promptulus, opere & actione tardus ineptusque. Ordinatus autem abbas, licentioſe conuersari in omnibus mox cœpit, ocioque & inertiæ deditus, rem familiarem vna cum regulari obseruantia turpiter negligens, pene ad nihilum reduxit. Statum enim huius monasterij temporalem, quem in bonis conditionibus reperit, in malis officio cedens tandem dereliquit.

*Substantia monasterii dilapidatur.*

Multa namq; bona monasterij impignorauit, multa vendidit multaq; sine consensu subditorum occulte alienauit, ac precium suis cõsanguineis leuibusq; personis partim donauit, partim inutiliter consumpsit. Moribus fuit dissolutus, & totus secularis, quippe qui die noctuq; nihil aliud q̃ conuiuia & voluptates in delicijs habere consueuit. Regularis disciplinæ obseruantiam, nec in se habuit, nec reformare in subditis curauit. Deniq; suspicione grauioris criminis non caruit, quia cortina virtorum cortinam trahere consueuit.

MCCCI.

*Cometes apparuit.*

Anno Henrici abbatis 1. qui fuit dominicæ natiuitatis 1301. cometes in cœlo apparuit, & secuta sunt multa mala, seditiones & opiniones bellorum in diuersis regionibus.

*Wilhelmus episcopus Traiectensis occiditur.*

Eodem anno 4. nonas Iulij, Wilhelmus episcopus Traiectensis, in bello ab inimicis suis occisus est: posteaquam Traiectensem ecclesiam annis ferme quinque in multis tribulationis & persecutionis turbinibus gubernasset, cui Guido canonicus & thesaurarius Leodiensis ecclesiæ succedens præfuit annis 16. vir per omnia magnificus: cuius fratres erant carnales, Botzardus episcopus Metensis, Ioannes episcopus Cameracensis, Ioannes comes Hollandiæ, & Florentius princeps Morianensis.

*Henricus comes Lutzenburgensis.*

Eodem quoque anno in die S. Mariæ Magdalenæ, Henricus comes Lutzenburgensis ciuitatem Treuerensem cum magna pugnatorum turba debellaturus exercitum totũ ciuitatem iuxta ecclesiam S. Crucis locauit: omniaque in circuitu, villulas, domos, vineas, torcularia, pomeriaque desolauit. vlterius progressurus, nisi omnipotens Deus meritis sanctorum suorum Treueris quiescentium, in ipsa nocte vndecima, posteaquam aduenerant, spiritum in eos vertiginis misisset, adeo vt sese mutuo percutientes fugerent, nemine persequente.

MCCCII.

*Fridericus episcopus Spirensis obiit. Sibodo in episcopatu successit.*

Anno Henrici abbatis 2. dominicæ autem natiuitatis 1302. quinto calendas Feb. obijt Fridericus de Bolandia episcopus Spirensis, & in monasterio Vterſdal Cistercienſis ordinis sepelitur, cui successit Sibodo de Lichtenberg, & præfuit annis 12.

Eodem anno Gerhardus archiepiscopus Moguntinus, Dietherus archiepiscopus Treuerensis, Henricus archiepiscopus Colonienſis, Rudolphus comes Palatinus Rheni,

Rheni, & quidam alij principes, ligam & confœderationem inter se magnam firmissimamque iurauerunt, quem Albertus Rom. rex, quasi in detrimentum suæ potestatis factam ægerrime tulit. Vnde magnum ex Austria & Sueuia producens armatorum exercitum, primo terras Rudolphi comitis Palatini Rheni intrauit, multaq; pauperibus damna inferens, cum in deditionem venientem cum gratia recepit. Deinde contra archiepiscopum Moguntinum mouens exercitum, inter alia damna quæ illi attulit, etiam Bingium oppidum Rheni obsidione vallauit. Cernens autem archiepiscopus se viribus imparem, gratiam regis petiuit & impetrauit, venienſque Bingium obsidionem precibus soluit, & conditiones pacis à rege propositas admisit, resignatis in manus regis oppidis Bingio & Lonstein cum castellis Clop, Erenfels, Scharffenstein, & quibusdam alijs. Pacatis autem rebus cum archiepiscopo Moguntino rex Albertus contra archiepiscopum Colonienſem ac Treuerenſem producens exercitum, suo vtrunque subiugauit imperio, quos ad postulandam gratiam, non sine damnis eorum fortiter coëgit.

*Expeditio regis contra principes.*

*Bingiū obsidione vallatur.*

Eodem anno concitata apud Gallias multitudine contra suos rectores, opifices & infimæ conditionis homines, à Francis defecerunt: & domini prouinciæ facti, ingentes regis Francorum copias bello superant, & crudelissime interficiunt. Sed non diu eorum durauit immanitas, quin omnes deleti fuerunt.

*Ligurustiorum in Francia.*

MCCCIII.

Anno Henrici abbatis 3. dominicæ autē natiuitatis 1303. indict. 1. Philippus rex Francorum arrogantiam Bonifacij papæ 8. iniquo ferens animo, ipsum Anagniæ in domo paterna dormientem nocte, nil tale metuentem capi fecit, ac Romam sub custodia perduci, qui mœrore animi confectus, 35. die postea obijt, sepultus in ecclesia S. Petri, sepulchro à se antea extructo, cui Benedictus 11. patria Taruisinus, Nicolaus ante vocatus, cardinalis Hostiensis, succedens in pontificatu præfuit mensibus 9. duntaxat.

*Bonifacius papa moritur.*

*Benedictus.*

MCCCIIII.

Anno Henrici abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1304. quinto cal. Martij, obijt Gerhardus archiepiscopus Moguntinus, natus de Epstein. Quo mortuo vacauit sedes Moguntina aliquandiu. Interea eodem anno in principio mensis Iunij obijt Benedictus papa 11. Perusij, in ecclesia fratrum Prædicatorum, cuius ordinis antea professor extitit, cum magna pompa sepultus, non sine opinione sanctitatis, & vacauit sedes Apostolica mensibus 11. vsque in annum sequentem, non sine iactura salutis animarum multarum.

*Gebhardus archiepiscopus obijt.*

*Benedictus papa obijt.*

Anno quoque prænotato, 3. calendas Maij, obijt Euerbinus episcopus Wormatiensis: cui succeſſit Emericus de Kronenberg, & præfuit annis 10. homo pacificus, & deuotus, quem clerus & populus miro colebant affectu, missumque à summo pontifice cum literis & mandatis, pro episcopo suo libenter susceperunt.

*Euerbinus episcopus Wormatiensis obijt.*

Eodem anno inter Guidonem Flandriæ comitem, & Wilhelmum filium Ioannis, Hollandiæ Hannoniæque comitis, magnæ contentiones exortæ fuerunt: quæ vsque ad bella grauissima crescentes, multos strenuos viros ab vtraque parte miserabiliter consumpserunt: & eodem anno 5. iduum Septemb. obijt præfatus Ioannes Hollandiæ Hannoniæque comes: cui Wilhelmus filius eius prædictus, in vtroque comitatu succeſſit, vir per omnia magnificus, qui habuit vxorem Ioannam de Valeiſo, regis Franciæ sororem, de qua genuit Ioannem comitem, Margaretham Imperatricem Rom. Ioannam comitissam Iuliacensem, Philippam reginam Angliæ, Wilhelmum in comitatu susceptō hæredem, Ludouicum infantem, & Elisabeth, quæ adolescens obijt.

*Bella atrox in Hollādia.*

*Wilhelmus comes Hollandiæ.*

MCCCV.

Anno Henrici abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1305. post longam sedis apostolicæ vacationem, cardinales tandem conuenientes Perusij, Bertrandum Burdegalenſem episcopum in papam vnanimiter elegerunt, qui Clemens 5. appellatus, præfuit annis 8. mensibus 10. diebus 15. qui curiam à Roma transtulit in Gallias, non sine maximo Italiæ incommodo, & maxime vrbis Romæ, ibique per annos 74. continue remansit. Ad hunc Clementem papam Henricus comes Lutzenburgenſis Pictauis commorantem, misit Magistrum Petrum de Achtzpalt, medicum suum expertissimum, pro archiepiscopatu Moguntino, qui eo tempore post Gerhardi archiepiscopi obitum vacauit (sicut iam diximus) fratri suo Baldeuino impetrando. Qui cum in Gallias ad pontificem veniſſet, legationem domini sui comitis memorati exposuit, & pro impetrando archiepiscopatu Moguntino fratri domini sui prædicto preces multiplices effudit. Sed papa, cauſſis allegatis complurimis noluit exaudire precantem, & ecclesiam Mog. dare Baldeuino comiti recusauit. Contigit autem interea ipsum pontificem grauiter infirmari, qui arte & inge-

*Clemēs papa 5. eligitur.*

*Petrus Medicus comitis Lutzenburgensis.*

*Clemēs papa infirmus curatur.* *Petrus medicus fit archiepiscopus Mogunt.*

nio eiusdem Petri curatus, de consensu cardinalium, eum in archiepiscopum sæpe dictæ ecclesiæ Mog. ordinauit, datisque literis & prouisionibus necessarijs ipsum cum pallio ad Moguntiam remisit: quem clerus vna cum vniuerso populo mandatis Apostolicis obedientes, cum honore & reuerentia susceperunt, & in possessionem ecclesiæ Moguntinæ pacifice admiserunt. Erat enim vir doctus & magnificus, ipso pontificatu dignus, qui multa in synodis vtilia moribus statuit, præfuitque strenue annis 15. Audiens hæc Henricus comes Lutzenburgensis, qui illum pro suo fratre Baldeuino ad papam miserat, iratus est, quanquam diuina factum ordinatione totum postea confiteretur. Nam procuratione eiusdem magistri, & Baldeuinus postea factus est archiepiscopus Treuerensis, & ipse Henricus rex Rom. sicut dicemus.

*Rex Albertus Spiræ festum agit.*

Eodem anno in die commemorationis sancti Pauli Apostoli Albertus rex Rom. exequias regis Bohemiæ nouiter defuncti, in maiori ecclesia Spirensi cum magna pompa, multis principibus, episcopis & abbatibus astantibus celebrauit, inter quos non infimæ reputationis præsens fuit Henricus huius cœnobij abbas memoratus: vbi inter pulsandum, maior campana cecidit, fractisque duabus testudinibus, cadens ad pauimentum, in duas partes scinditur.

*Confluentia per archiepiscopū capitur.*

His quoque temporibus inter Dietherum archiepiscopum Treuerensem, & oppidanos Confluentinos magna exorta discordia est, pontifice oppidanos exactionib. prementē; illisque obedientiā recusantibus tandē archiepiscopus insolentiam eorum diutius perferre non valens, conductis pecunia pugnatoribus Confluentiam obsedit, cepit, & in deditionem accepit, oppidanis ad obediētiam coactis. Multas in huius victoriæ apparatū pecunias expositi, pro quarum assecutione pene omnia diœcesis suæ prædia obligauit.

MCCCVI.

*Inundatio magna aquarum.*

Anno Henrici abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1306. in die purificationis B. Mariæ semper virginis, glacie ac niuibus resolutis, maxima circa Rhenum & Moganum inundatio aquarum facta est, quæ pene infinita hominibus circummorantibus damna intulit, euertens domos & habitacula multa, hortos & vineas, agrosque & prata incredibili furore deuastans. Pontem super Moganum Francofordiæ nimio suo impetu deiecit, muros Moguntinos in parte subuertit, duas in muro Colonienſi turres, funditus euertit, & multos in diuersis locis homines demersit. His temporibus Hospitalarij S. Ioannis Hierosolymitani, Christianorum copijs adiuti, insulam Rhodis, cum alijs quinque in mari mediterraneo adiacentibus, per annos quatuor continue fortiter oppugnantes tandem obtinuerunt, & interfectis expulsisque Turcis, ipsam vsque in hodiernam diem vsq; ad annos 196. pacifice tenuerunt.

*Insula Rhodi in manus nostrorum deuenit.*

Hoc ipso anno Iudæi per regnum Franciæ bonis omnibus in fiscum importatis occisi sunt, & alij de regno seminudi fuerunt expulsi.

MCCCVII.

*Dietherus archiepiscopus Treuerensis citatur.*

Anno Henrici abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1307. indict. 5. cum Dietherus de Nassauu archiepiscopus Treuerensis, homo inquietus & bellicosus, & bona ecclesiæ propter expensarum apparatus belli multitudinem vt plurimum alienasset, deferentibus eum clericis suis ad examen sedis Apostolicæ in Galliam citatus est. Sed priusquam terminus comparendi aduenisset, morbo correptus est, & 23. die Nouembris ex hac vita migrauit, sepultus in ecclesia Prædicatorum, quorum ordinis & professionis antea fuerat, in ciuitate Treuerensi. Quo mortuo Dominus Petrus archiepiscopus Moguntinus, tantum apud papam Clementem 5. potuit & egit, vt quod Baldeuinum fratrem Henrici comitis de Lutzenburg, iuuenem, 23. annum ætatis agentem, cui Moguntinam ecclesiam ante biennium ob minorennitatem (sicut diximus) denegauerat, in archiepiscopum Treuerensem sublimauit, qui ordinatus, & pro archiepiscopo honorifice ab omni clero & populo Treuerico susceptus, præfuit annis 46. mense vno, diebus 18. vir per omnia strenuus & magnificus, qui ecclesiam suam optime rexit, & omnia alienata reduxit.

*Dietherus obiit.*

*Baldeuinus fit archiepiscopus Treuerensis.*

MCCCVIII.

*Albertus rex Rom. occiditur.*

Anno Henrici abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1308. Albertus rex Rom. cum Rhenum nauigio cum paucis transisset, reliquo exercitu nauigium ab altera parte littoris (vt fieri solet) expectante, Ioannes ex fratre nepos cum socijs conspirationis suæ accedens, ipsum nil tale metuentem occidit, & fuga lapsus euasit. Causa fuit ista: Rudolphus dux Sueuiæ frater Alberti regis moriturus præfatum Ioannem filium suum adhuc puerum cum vniuerso ducatu ipsius tutelæ commisit: qui cum adoleuisset, paternum ducatum à patruo repetijt: se ad regēdum iam sufficientem affirmans. Verum cum Albertus

bonis

bonis illum verbis de die in diem suspendens, reddere commissa dissimularet, nepos malorum vsus consilio interficere ipsum decreuit. Vnde nacta oportunitate, gladio cum transfodit in littore Rheni (sicut diximus) non longe à Schafhusen in die sanctorum Philippi & Iacobi Apostolorũ, qui fuit primus dies Maij, cuius cadauer anno sequenti Spiram relatum in maiori ecclesia, 4. cal. Septemb. cum honore inter reges sepultum est.

Eodem anno in mense Nouembri conuenerunt principes electores ad villam dictã Rense, non longe à Bopardia, iuxta sedem regalem, & procurante domino Petro archiepiscopo Moguntino in regem Rom. vnanimiter elegerunt. Henricum comitem Lutzenburgensem fratrem Baldeuini archiepiscopi Treuerensis, virũ bonum, strenuum, & imperiali honore dignum, cuius electionẽ 27. die Nouemb. deuulgari Franckofordiæ solenniter fecerunt, ac deinde in festo Epiphaniæ Domini anni sequentis Aquisgrani in regem Romanorum vnctus & coronatus est, per manus Henrici archiepiscopi Colonien sis, imperauitque annis quatuor & mensibus nouem. Mox autem vt de Aquisgrano coronatus Spiram ascendit, ossa regum Adolphi & Alberti ad maiorem ecclesiam Spirensem referri, & cum honore sepeliri fecit. Vxorem habuit Margaretham Ioannis ducis Brabantiæ filiã, de qua genuit Ioannem regem Bohemiæ, de quo postea dicemus.

*Henricus in regem eligitur.*

Anno prænotato, sexto iduum Nouemb. obijt in Colonia Ioannes Scotus doctor subtilis, ordinis Minorum, ibidem in suo conuentu ad introitum sacristiæ sepultus, qui quanta scripserit, quam subtilia & profunda in Theologia receptiua, & omnes Theologi nouerunt, & nos in libro nostro de Ecclesiasticis scriptoribus, annotauimus.

*Ioannes Scotus doctor subtilis obijt.*

His quoque temporibus Petrus archiepiscopus Moguntinus cœnobium monachorum Carthusiensis ordinis extra muros Moguntinos, à fundamentis de nouo construxit & magnifice prouidit.

*Carthusia Moguntiæ construitur.*

MCCCIX.

Anno Henrici abbatis 9 dominicæ natiuitatis 1309. in die S. Michaelis archangeli obijt Dietlibus abbas monasterij mei Spanheimensis decimus, vir bonus & regularis observantiæ amator præcipuus, qui vtiliter in vtroque statu præfuit, quia & peculium quod prædecessores eius monachis indulserant, abstulit, & redditus monasterij competenter ampliauit. Huic in abbatia Spanheim. successit dominus Willicho monachus conuentualis, filius comitis de Westeiburg, frater comitissæ de Spanheim, & præfuit strenue annis 27. mensibus 5. diebus 14. de cuius vita, moribus & regimine in Chronica Præfati cœnobij mei Spanheimensis, plenam historiam secundum seriem annorum digessimus.

*Dietlibus abbas Spanheimensis obijt.*

*Willicho.*

Eodem anno mortuo sine liberis rege Vngariæ, proceres terræ & maiores natu Ortonem Bauariæ ducem filium Henrici ducis, in regem Vngariæ tanquam hæredem proximum, quia ex matre nepos Belæ regis fuit, vnanimiter elegerunt, quem de Bauaria euocantes cum magno honore susceperunt. Verum non diu postea mutata sententia, ipsum de Vngaria fugauerunt qui reuersus in Bauariam, non multo postea obijt, relinquens filium vnicum Henricum, infantem dierum quatuordecim, ex vxore filia ducis Poloniæ, qui dictus fuit princeps de Notterberg.

*Otto dux Bauariæ fit rex Vngariæ.*

MCCCX.

Anno Henrici abbatis 10. qui fuit dominicæ natiuitatis 1310. Henricus Rom. rex magnum conuentum principum Spiræ habuit, vbi Elisabeth filia quondam regis Bohemiæ personaliter comparuit, & regno paterno infeudari ab Imperatore se petiuit. Rex autem Henricus principum vsus consilio, eandem filiam cum regno Bohemiæ Ioanni filio suo Lutzenburgensi comiti, de consensu procerum Bohemiæ dedit vxorem, celebratisque ibidem cum magna solennitate nuptijs, cum eum vxore & cum exercitu misit in Bohemiam, adiungens ei Petrum archiepiscopum Moguntinum quondam physicum suum. Veniens autem in Bohemiam Ioannes, ab vniuersis regni incolis pro rege cum honore magno susceptus est; & per eundem Petrum archiepiscopum Mogunt. ad quem iure antiquo id muneris pertinebat, solenniter coronatus. Huic autem coronationi plus quam trecenta hominum millia interfuisse ferebantur. Coronatione facta rex archiepiscopo inter alia munuscula dedit sedem vnam auro gemmisque ornatam, quam Ecclesiæ Moguntinæ illatam, sedem S. Martini vulgus appellare vsque in hunc diem consueuit. Interea dum hæc agerentur in Bohemia, rex Henricus mouens exercitum à conuentu Spirensi, pro suscipienda corona imperiali iter direxit in Italiam, habens inter alios principes multos secum, Baldeuinum archiepiscopum Treuerensem, fratrem suum Rudolphum comitem Palatinum Rheni, & Lupoldum ducem Austriæ. Inter eundem autem multas Italiæ ciuitates, oppida & castella rebellium cepit, & prœlia multa fortiter

*Conuentus principum in Spira.*

*Ioannes Lutzeburgensis comes fit rex Bohemiæ.*

*Sedis aurea S. Martini in Mogunt.*

*Expeditio Henrici regis in Italiã.*

*Henricus rex Imperator Roma benedicitur.* gessit. Et primo quidem Mediolani, corona ferrea, ex more coronatus est: ac deinde Romæ apud S. Ioannem Lateranensem, aurea corona & imperiali benedictione per tres cardinales ad hoc à papa ex Gallia missos, cum magna pompa & solennitate sublimatus est, in die S. Pentecostes. Coronatus autem Rudolphum comitem Palatinum Rheni, & multos alios in eadem Ecclesia milites creauit. Interea vero dum Imperator ferme per biennium moratur in Italia, tertius quem in Alemania reliquerat, exercitus contra Wirtenburgenses comites, imperio à multis annis rebelles dimicando fortiter processit, & ex 80. eorum munitionibus, & castellis 72. obtinuit, & multos eorum in bello interfecit. Imperator autem in Italia multa bella fortissime gerens, Longobardos, Papienses, Taurinenses, Astenses, Veronenses, Placentinos, Ianuenses, Pisanos, Senenses, Florentinos, ipsos quoque Romanos, & reliquos omnes sibi resistentes, in manu valida deuicit ac superauit, in suamque deditionem venire potenter coegit. Fuit autem Henricus Imperator iste, vir sapiens, iustus & gratiosus, in armis strenuus, fidei Christianæ cultor & defensor integerrimus, consilio & animo promptus, amator cleri, & pauperum defensor.

*Bellum Imperii contra Wirtëbergenſem.*

*Bella imperatoris in Italia.*

MCCCXI.

*Concilium Viennense celebratur.* Anno Henrici abbatis 11. dominicæ autem natiuitatis 1311. Clemens papa 5. concilium Viennense celebrandum indixit, quod bienno durauit, in quo liber Clementinarum publicatus fuit, & multa ad ecclesiæ vtilitatem statuta. Ibi ordo Templariorum, qui annis ferme 184. steterat, ab ipso Clemente papa condemnatus fuit, & vno die per vniuersum orbem deletus, ad instantiam Philippi regis Francorum, cuius promotione ipse papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarij, valde diuites, quorum possessiones, vt rex sibi acquireret, crimen eis hæreseos falsum imposuit, vt multi voluerunt, & extingui omnino parauit.

*Ordinis Templariorum destructio.*

Eodem anno Guido episcopus Traiectensis, veniens ad concilium Viennense, à papa Clemente 5 cardinalis factus est, mediante rege Francorum, & quibusdam cardinalibus pro eo loquentibus: quanquam Traiectensi ecclesia sua contentus, se cardinalem non gesserit.

MCCCXII.

*Otto rex Vngariæ moritur,* Anno Henrici abbatis 12. dominicæ natiuitatis 1312. obijt Otto rex Vngariæ ac Bauariæ dux, vnicum relinquens filium 14. dierum ætatis, quem vna cum duobus fratris sui filijs, Henrico annorum octo, & Ottone annorũ sex, ciuibus in Lanshutta, & in Straubingen nutriendos sub tutela commisit. Sed cum post mortẽ eius, Ludouicus dux superioris Bauariæ cum nobilibus terræ huic commissioni contradiceret, pueros eripuit.

*Bopardia ecclesiæ Treuerensium datur.* Eodem anno Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, Bopardiam & Wesaliam oppida cis Rhenana, cum alijs quibusdam, pro impensis, quas ratione imperij in Italia fecit, & extra ab ipso Henrico Imperatore fratre suo accepit in pignus: sicut patet ex literis in castris ante Florentiam datis, anno Domini prænotato 1312. indictione 10. 6. iduum Decembris. Quibus susceptis archiepiscopus, relicto in Italia Imperatore, ad Treuerim reuersus est.

*Ioãnes dux Brabantiæ obiit.* Eodem quoque anno obiit Ioannes dux Brabantiæ, cui eiusdem nominis Ioannes tertius successit, qui habuit vxorem nomine Margaretham, filiam Ludouici regis Francorum, de qua genuit tres filios, qui omnes ante eum sine liberis obierunt, videlicet Ioannem, Gotfridum, & Henricum. Habuit etiam tres filias, quarum prima Ioanna primo nupsit Wilhelmo comiti Hollandiæ. Quo à Phrysonibus occiso, desponsata fuit Wenceslao comiti de Lutzenburgo, fratri Ioannis regis Bohemiæ & Caroli Imperatoris quarti. Secunda fuit Margaretha, quæ nupsit Ludouico Flandriæ comiti. Tertia fuit Maria, quæ nupsit Reinaldo duci Gelrensium.

*Wẽceslaus comes Lutzenburgenſis.*

MCCCXIII.

*Henricus Imperator obiit,* Anno Henrici abbatis 13. dominicæ natiuitatis 1313. indictione 11. Henricus Imperator Rom. 7. in Italia, nouis comparatis exercitibus contra Robertum Apuliæ regulum, processurus in itinere apud Bonconuent dissenteriæ morbo resolutus, in die sancti Bartholomæi obijt, non sine iactura magna totus Imperij Romani, vacauitque imperium anno vno. Sunt qui scribant ipsum veneno periisse, per administrationem fratris Bernardi ordinis Prædicatorum, confessoris & capellani sui, à quo ipsum in die assumptionis B. Mariæ semper virginis communicantem, in hostia consecrata ferunt intoxicatum: & ob id Prædicatores omnes à papa hac pœna notatos, vt vsque in hunc diem ac deinceps, communicantes in altari, eorum sacerdotes sinistra se manu communicent. Sed quoniam hoc omnino cõfictum putamus, idcirco fidem adhibere ista dicentibus, iusta ratione contemnimus.

*Dominicanus intoxicat imperatorem.*

temnimus. Prædictus autem frater Bernhardus, multos innocentiæ suæ testes habuit viros illustres, & literas similiter Ioannis Bohemiæ regis filij Imperatoris, archiepiscoporum quoque atque pontificum, qui in morte Imperatoris ipsum clara voce excusantis, fuêre præsentes, videlicet Mediolanensis, Ianuensis, Perusini, Lucensis, & Argentinensis. Nihilominus Henricus comes Flandriæ, cæteriq; nobiles curiales econtra constanter affirmabant, reum esse Bernardum mortis Imperatoris, & cum in sacramento corporis Christi intoxicasse. Vnde magna in ordinem Prædicatorum persecutio minus iuste fuit exorta, etiam si frater ille innocens à crimine obiecto non fuisset, cum crimen vnius hominis in totum ordinem non fuerit referendū. Magna his temporibus fames in terra fuit vbique, magnaq; pestilentia subsecuta, & in vtroq; periculo multi homines perierunt.

*Opinio Clementis iustè refellitur.*

*Ordo prædicatorum ea lumniatur.*

MCCCXIIII.

Anno Henrici abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1314. obijt Clemens papa 5. anno pontificatus sui 9. nondū completo: & vacauit sedes Petri annis duobus, mensibus tribus, & diebus septemdecim, propter discordiam fratrum.

*Clemēs papa 5. obiit.*

Eodem anno pridie iduum Ianuarij obijt Sibodo de Lichtenberg, episcopus Spirensis: cui Emicho de Liningen succedens præfuit annis 14. non sine dissensione ciuium suorum, vt solent.

*Sibodo obijt.*

Eodem quoque anno, 4. iduum Febr. obijt Emericus episcopus Wormacienſis, cui Henricus filius comitis Sylvestris de Dune, præpositus domus succedens, præfuit annis quinque.

*Emericus obiit.*

Eodem quoque anno 14. calendas Nouembris conuenerunt principes imperij pro electione noui regis apud Franckofordiam, votisq; in diuersa diuisis, Petrus archiepiscopus Moguntinus, Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, Volmarus Marchio Brandenburgensis, & Ioannes Bohemiæ rex, Ludouicum comitem Palatinum Rheni, ducemque Bauariæ in regem Rom. elegerunt. Contra quem Henricus archiepiscopus Colonienſis, Dux quoque Saxoniæ, & Rudolphus comes Palatinus Rheni: duxque Bauariæ frater ipsius Ludouici, non fauens ei honorem, in regem elegerūt Fridericum ducem Austriæ, fratrem Lupoldi ducis, & filium Alberti quondam regis Ro. Quamobrem bellum inter eos exoritur, durauitque annos octo, quo tandem Ludouicus obtinuit & solus regnauit, Fridericū cepit, & in deditionem coegit. Fratrem vero suum Rudolphum comitem Palatinum Rheni cum Friderico pertinaciter sentientem, de patria proscribens, in Angliam vsque ad vitæ terminum relegauit, vbi in magna viuens paupertate tandem mortuus est. Comitatum ergo Palatinū cum cæteris quæ Rudolphi fuerant, aliquandiu tenuit, sed omnia filijs eius postea resignauit. Iste Ludouicus vxorem habuit Margaretham, filiam Wilhelmi Hollandiæ comitis, quæ peperit ei sex filios, Ludouicum marchionem Brandenburgensem, Stephanum ducē Bauariæ in Lanshuta commorantem, Albertum in Straubingen, Wilhelmum ducem Hollandiæ postea comitem, Ludouicum dictum Romanū, quia Romæ natus fuerat, & Ottonem ducem, qui dictus fuit Brandenburgensis.

*Ludouicus dux Bauariæ fit rex.*

*Fridericus dux Austriæ contra eum eligitur.*

*Rudolphus Palatinus à fratre expellitur.*

*Margaretha coniunx Ludouici regis.*

Anno prænotato tres simul lunæ in cœlo apparuerunt, Fulgor etiam quem cometam appellant, tribus mensibus in cœlo emicuit.

*Cometa apparuit.*

MCCCXV.

Anno Henrici abbatis 15. qui fuit dominicæ natiuitatis 1315. maxima fuit per totam Alemaniam fames, in qua multa hominum millia præ inopia perierunt, durauitque biennio. Postea ingens hominum pestilentia vbique secuta est.

*Fames & pestis.*

Eodem anno factum est prælium inter Ludouicum regem Romanorum, & Fridericum Austriæ ducem eius aduersarium: iuxta ciuitatem Spirensem, vbi Lupoldus frater Friderici in circuitu villas complures incendio cremauit, & multa pauperibus intulit damna. Sed tamen Ludouicus victor euasit, & Fridericum aduersarium cum suis fugere turpiter compulit. Fames (vt diximus) erat maxima, sed Baldeuino archiepiscopo Treuerense prouidente, necessaria nihil exercitui defuit.

*Prælium apud Spiram gestum.*

Eodem quoque anno in ciuitate Cremensi Patauiensis diœcesis, in ducatu Austriæ, plures nefandissimi hæretici per fratres Prædicatores inquisiti, inuenti & combusti fuerunt. Articulorum hæreseos eorundem primus erat iste: Missas vanitatem esse dicebāt, & nullius vel reuerentiæ vel vtilitatis. Secundus articulus fuit: Luciferū cū dæmonibus suis, cœlo iniuria pulsum dicebant, tandemq; beatitudini cū omnibus suis restituendum: Michaelem & Angelos omnes, æternis cruciatibus deputandos: hominesque ab eorum secta alienos, similiter esse damnandos. Vnde cum se mutuo salutarent, dicebant, *Salutet te iniuriam passus*, id est Lucifer. Tertius articulus iste nefandissimus fuit: Dicebant enim

*Hæretici combusti in Austria.*

*Errorū ipsorū articuli.*

*Hæresis pessima.*

Maria si virgo mansit post partum, non hominem sed angelum peperit, virgo post partum non fuit. Item dicebant se habere 12. apostolos, qui totum imperium singulis annis perlustrarent: & duos ex eis ordine & professione seniores, singulis annis paradisum intrare, ac potestatem ab Helia & Enoch ligandi & soluendi accipere, quam alijs communicabant in eadem secta constitutis.

*Contra Baptismum.* Sacramentum baptismi irridebant dicentes, Si baptismus est sacramentum, ergo quodlibet balneum est sacramentum, & per consequens quilibet balneator esset Deus.

*Contra pœnitentiam.* Sacramentum pœnitentiæ turpiter vitiabant, confitentes nō sacerdotibus, sed laicis in genere, peccata sua in specie exprimentes: sperantes se ex hac confessione, omnium peccatorum à pœna & à culpa remissionem plenariam recepturos.

*Contra Eucharistiam.* Sacramentum dominici corporis non credebant, hostiam consecratam, Deum ficticium appellantes. Sacramentum quoque matrimonij iuratum meretricium in vulgari nuncupabant.

*Contra vnctionem & matrimonium.* Sacramentum extremæ vnctionis irridebant, & interrogati super eo quid sentirent, vnanimiter responderunt: Nos credimus quod olera quanto fuerint oleo plus condita, tanto esse meliora. Consecrationes ecclesiarum, cœmiteriorumque & benedictiones palmarum, salis, aquæ, & cæterorum quæ in ecclesia fiunt, nihil esse dicebant.

*Error omnium turpissimus.* Item dicebant, Deum nec scire, nec punire mala quæ sub terra fierent. Vnde in speluncis & cauernis subterraneis conuenientes, pater cum filia, frater cum sorore, ac filius cum matre, indifferenter turpitudinem carnis suæ exercebant.

*Contra statuta ecclesiæ.* Romanam ecclesiam non Christi, sed gentium infidelium esse dicebant: omniaque statuta ecclesiæ cum prælatis & ministris eius contemnebant. Ieiunium irridebant, carnibus omni tempore, etiam in sexta feria parasceues vescebantur. Dies festos non seruabāt, sed in die paschæ laborabant. Periurium dicebant non esse peccatum.

*Suffragia sanctorum spernebant.* Merita & intercessiones quorumlibet sanctorum, posse hominibus apud Deum præstare suffragia, negabant. Sed & alios complures articulos profitebantur errores, quorum prolixitas inserta, his tædium lectoribus (vt vereor) generaret. Magnus eorum numerus fuit in Austria, Bohemia, & terris vicinis. Nam sicut quidam ex eis Viennæ crematus, nomine Nouus magister, confitebatur, fuerunt eorum in Austria, Bohemia, & in cōfinibus eius illo tempore plusquam octoginta millia hominum, omnes in eam sectam iurati & professi, præter eos qui in alijs terris erant.

*Bohemorū hæresis initium.* Ex hac fece Bohemia tunc infecta, vsque in præsentem diem eisdem erroribus & turpitudinibus scatet, quemadmodum inferius anno Blasij abbatis 17. plenius dicemus. Multi autem eo tempore in Austria fuerunt in diuersis locis combusti, qui omnes vnanimiter in suis erroribus pertinacissime vsque ad mortem cum magna hilaritate permanserunt.

*Nota fatuitatem.* Inter quos puella vna speciosa nomine Gisla, dum iam esset cremanda, interrogatur à iudice, si adhuc esset virgo. Quæ coram omnibus respondit: Super terram adhuc virgo sum, sub terra vero minime. Credebant enim fatui, virgines sub terra non posse defloRari, etiamsi à mille viris cognoscerentur, neq; tale stuprum esse peccatum.

MCCCXVI.

*Ludouicus pacem reformat.* Anno Henrici abbatis 16. qui fuit dominicæ natiuitatis 1316. Ludouicus rex Romanorum cum omnibus principibus & ciuitatibus sibi consentientibus pacem decreuit in omni regno. Sed Henricus archiepiscopus Coloniēsis cum his qui partes Friderici sequebantur, fœdus hoc pacis non aduertit, & propterea multis se & diœcesim suam calamitatibus subiecit.

*Bellum Ludouici cum Friderico.* Nam eodem anno ipse rex Ludouicus, adiuuantibus Baldeuino Treuirorum, & Petro Moguntino Archiepiscopis, multa contra Friderici partes bella gesserunt. Munitiones quoq; Wisbaden, & Scharpfenstein obsidione vallauit, vbi cum nō proficeret propter locorum firmitatem, infecto negotio ad alia se conuertit.

*Ioannes 22. papa factus est.* Eodem anno posteaquam sedes apostolica vacauerat annis duobus, mensibus tribus, diebusque 17. cardinales tandem Lugduni conuenientes, Iacobum Caturcēsem Portuensem episcopum, quinta die mensis Septembris, in papam elegerunt, qui Ioannes 22. nuncupatus præfuit ecclesiæ Romanæ annis 18. mensibus 4.

*Belli quartum inter Ludouicum & Fridericum.* Eodem quoque anno bellum inter Ludouicum regem Rom. & Fridericum Austriæ ducem, aduersarium eius apud Argentinam factum est, in quo Friderici exercitus à Ludouico fusus & superatus, denuo fugere compulsus est.

Anno

MCCCXVII.

Anno Henrici abbatis 17. & vltimo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1317. Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis castellum imperij Sterrenberg, impignoratum, Ludouico rege consentiente, pecunia redemit, & ecclesiæ suæ Treuerensi coniunxit. Fuit enim vir magnificus, & semper Imperatoribus obsequiosus & gratus, quod Treuerensi ecclesiæ multum profuit. *Castrum Sterrenberg emitur.*

Eodem anno 4. calendas Iunij, Guido episcopus Traiectensis obijt, cui Fridericus de Sirck, maioris ecclesiæ propositus, succedens præfuit annis quinque, in multis aduersitatibus tribulatus. *Guido obiit.*

Eodem quoq; anno Henricus abbas huius cœnobij Hirsaugiensis 30. iubente Ludouico Imp. 4. à sua dignitate abbatiali depositus est, & ad priuatam cõuersationẽ reuocatus. Fuit enim (sicut in principio nos dixisse meminimus) homo otio & inertiæ deditus, qui conuiuijs & solatijs carnis nimium indulgens, omnẽ monasterij statum in temporalibus & spiritualibus turpiter neglexit. Bona monasterij mobilia & immobilia multa distraxit, multa vendidit & alienauit, ac pecuniam omnino male expendit. Vnde à sanioribus sæpe cum reuerentia admonitus, cum emendare mores contemneret, res per fratres ad episcopum, & per illum ad regem deuoluta est, & ex eius mandato deponitur. *H. abbas deponitur.*

## *DE SIGISMVNDO, HVIVS MONASTERII ABBATE 31. QVI præfuit annis 24. & de varijs gestis illius temporis.*

HENRICO autem abbate deposito, ad vitamq; priuatã (sicut diximus) reuocato, magna inter fratres meritorũ discussio subsecuta est, ne si quem minus cõsulte præcipitatoq; consilio in pastorẽ eligerent, similibus aut certe grauioribus periculis & malis subiacerent, & vtrunq; monasterij statũ ad extrema incõmoda perducerent. Matura itaque consultatione prehabita ad electionẽ noui pastoris, tandem procedentes in duos vota direxerunt. Vna pars numero & maturitate consilij potior, Sigismundũ priorem quondam clausralem in abbatem elegit: alia vero pars Gerhardum custodẽ & monachum cœnobio præficere contendebat. Cumq; ambo electi primo ad iudicium episcopi Spirensis, ac deinde ad audiẽtiã Ludouici regis Rom. peruenissent, audito electionis processu Sigismũdus sententia doctorũ in abbatia cõfirmatus est: qui ordinatus ex more, præfuit huic monasterio strenue 24. annis, & satis bene omnia rexit. Fuit autẽ natione Sueuus, nobili prosapia ortus, statura decente, nec breuis, nec nimia proceritate distortus. Morib. erat humanꝰ, ingenio mitis ac subtilis, cõsilio promptus, & singulari prudentia circumspectus, eloquio disertus, & quadam seueritate reuerendus. Res monasterii prudenter & ordinate dispensauit, & multa ab antecessore suo abbate Henrico alienata, ad monasterij possessionem reuocauit. *Dissensio facta est in electione.* *Sigismũdus abb 31.* *Sigismundi Gesta.*

MCCCXVIII.

Anno eius primo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1318. obijt Andreas Herbipolensis episcopus: cui successit Gotfridus de Holoe, & præfuit annis 9. qui post multas cõtentiones cum ciuibus suis habitas, victoriam tandem obtinuit, eosq; ad obedientiam coegit. *Andreas obiit.*

Eodem anno Colonienses, iussu Ludouici Imperatoris, vocatis in auxilium Ioanne rege Bohemiæ, qui Lutzenburgi tum erat cum magno exercitu, Wilhelmo comite Hollandiæ, Ioanne fratre eius comite in Hannonia. Gerhardo comite de Iuliaco, Adolpho comite de Monte, & Ioanne comite de Seyna, cum quibusdam alijs, contra Henricum archiepiscopum Colonienſem pacta & fœdera pacis Ludouici regis violantem, & cũ Friderico duce Austriæ sentientem, ad bellum procedentes, multa ei damna intulerũt: & inter cætera, castrum Bruel nuncupatum, spacio quatuor mensium obsiderũt. Sed tandem pace interposita & satisfactione facta, recesserunt. *Bellum contra archiepiscopũ Colonienſem.*

MCCCXIX.

Anno Sigismundi abbatis 2. dominicæ natiuitatis 1319. obijt Henricus episcopus de Dune, ex comite Sylueſtri, episcopus Wormacienſis, anno pontificatus sui 5. in maiori ecclesia sepultus, & vacauit episcopatus mensibus duobus, & octo diebus. Postea electus fuit Cuno de Schoneck, filius fratris Emerici quondam episcopi Wormacienſis, & præfuit annis 10. Autumant quidam eum diutius præfuisse, sed nobis seriem temporis diligentissime reuoluentibus errare comperti sunt. *Henricus obiit.* *Cuno de Schoneck fit episcopus Wormatiẽſis.*

MCCCXX.

Anno Sigismundi abbatis 3. dom. autẽ natiuit. 1320. pridie nonas Iunij, obijt magi-

*Petrus medicus archiepiscopus Moguntinus obit.*

ster Petrus de Achtzpalt, medicus & archiepiscopus Moguntinus, vir per omnia magnificus: qui Carthusiam extra muros Moguntinos de nouo fundauit, & collegium canonicorum ecclesiæ S. Catharinæ in Oppenheim primus instituit, & satis magnifice dotauit. Quo mortuo, canonici Moguntini Baldeuinum archiepiscopum Treuerensem in suum antistitem postularunt. Sed papa Ioannes 22. recusans eorum postulationi præbere consensum, dedit eis in archiepiscopum dominum Mathiam de Busseck, monachum ordinis S. Benedicti professum, virum optimum, & tali honore dignum: qui per dominum Baldeuinum archiepiscopum Treuerensem cum solennitate Moguntiam introductus, authoritate Apostolica à clero & populo honorifice susceptus est, præfuitque annis 8. Qui statim ipsi Baldeuino confœderatus est: cuius adiutorio & præsentia roboratus, oppidum Giessen dictum, obsidione vallauit & obtinuit.

*Matthias fit archiepiscopus Moguntinus.*

*Giessen capitur.*

*Colonienses ciues contra archiepiscopum bellat.*

Eodem anno ciues Colonienses iterum iussu Ludouici Imperatoris contra Henricum archiepiscopum suum ad bellum procedentes, castellum eius Vrechem cœperunt, ac funditus destruxerunt.

MCCCXXI.

*Fridericus deuastat Bauariam.*

Anno Sigismundi abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1321. Fridericus dux Austriæ cum Lupoldo fratre suo, in manu valida cum magno exercitu intrauit Bauariam cõtra regem Ludouicum, totamq; regionem igne & ferro deuastauit, & multa vbiq; pauperibus damna intulit: Imperatore Ludouico se interea in munitionibus, propter exercitus sui absentiam continente, & fortunæ sortem precibus exorante.

MCCCXXII.

*Hæresiarcha Coloniæ comburitur.*

Anno sequenti, qui fuit 5. Sigismundi abbatis, dominicæ autem natiuitatis 1322. Coloniæ deprehensus fuit Lolhardus quidam nomine Waltherus, magister & princeps scholæ hæreticorum illius sectæ, de qua supra fecimus mentionẽ, anno Henrici abbatis secundi 15. qui in ciuitate Coloniẽsi & extra in multis locis, errores suos occulte inter mulierculas maxime disseminauerat, multosque seduxerat. Libellos erroribus suis conuenientes, in lingua Teuthonica scripsit, in quibus verba sacræ scripturæ male interpretando peruertit, & erroribus suis applicauit, eosque mulieribus legendos distribuit. Comprehensus autem, errores suos acriter defendebat, vnde per sentẽtiam, ad ignem damnatus, combustus fuit: multos relinquens (vt ipse fatebatur) occultos in ciuitate Colonienſi & extra, errorum suorum professores, cultores atq; discipulos.

*Regina Angliæ maritũ suum capit.*

Eodem anno Isabella vxor Eduardi regis Anglorum, filia quondam Philippi quarti regis Frãcorum, ipsum Eduardum maritum suum cepit, & custodiæ mancipauit vsq; ad mortem, propter desolationem (vt dicebat) quam cum seruis fecerat in regno.

MCCCXXIII.

*Bellũ Friderici cõtra Ludouicũ.*

Anno Sigismundi abbatis sexto, dominicæ autem nativitatis millesimo trecentesimo vigesimo tertio, Fridericus Austriæ dux iterum magnum congregauit exercitum, plus quam quinque millia pugnatorum ex Austria & Vngaria, contra Ludouicum Imperatorem pugnaturus, cui Lupoldus dux Austriæ frater cum duobus millibus occurrit, & conductis hinc inde multis denuo Bauariam intrauit, omniaque deuastare moliuntur. Ludouicus vero Imperator maximo adunato exercitu plusquam triginta millium pugnatorũ vna cum Ioanne Bohemorum rege, Baldeuino quoque archiepiscopo Treuerensi, & Mathia archiepiscopo Moguntino, Friderico duci aduersario suo in Bauaria inter Ottingen & Molendorf occurrit: vbi conserto prælio Fridericus dux victus, & per Bohemiæ regem captus est, & Ludouico Imperatori sub vitæ conditionibus præsentatus, quem in quodam castello firmissimo, custodiæ mancipauit. Contigit postea duce Friderico sic in captiuitate detento, quod venit ad Lupoldum fratrem eius in Austria, magus quidam, promittens se sua arte ducem Fridericum de captiuitate saluum & illæsum penitus, ministerio spiritus ad se in vna hora reducturum, si cõdignam vellet ei repromittere ac dare mercedem. Respondit: *Si feceris*, inquiens, *quod promittis, condigno te præmio honorabo.* Itaque Magus hora si-

*Exercituũ pugna iuxta Ottingen in Bauaria.*

*Magus spiritum misit ad ad ducẽ captiuum.*

bi congrua circulum coniurationis vna cum duce ingreditur, vocat spiritum suis obedire mandatis consuetum. Cui in specie humana comparenti, per virtutem suarum coniurationum mandauit, quatenus ducem Fridericum de custodia Imperatoris liberatum ad se in Austriam sine læsione quantocius aduecheret. Cui Spiritus respondens dixit: *Si dux ipse captiuus mecum venire voluerit, mandatis tuis libens obtemperabo.* His dictis auolat mox spiritus in Bauariam, in forma peregrini assumpta peruolat, custodiamque vbi dux Fridericus detinebatur captiuus ingreditur: quo viso missus ad eum spiritus dixit, *Si ex captiuitate liberare volueris, hunc equum ascende, & te sine læsione in Austriam ad fratrem tuum ducem Lupoldum saluũ perducam.*

*perducam.* Cui dux inquit, *Quis enim es tu?* Ad quem spiritus, *Noli interrogare quis sim ego, quia nihil ad rem: sed ascende hunc equum, quem tibi exhibeo, & te saluum & incolumem hinc liberatum ad Austriam reducam.* Quibus auditis horror quidam ducem alioquin audacissimum inuasit: qui mox, vt signo se sanctæ crucis muniuit, spiritus cum nigro quem exhibuerat equo disparuit, & vacuus ad mittentem reuersus est, à quo increpatus quod non adduxisset captiuum, ordinem rei gestæ narrauit. Tandem de custodia emissus dux Fridericus, ita sibi contigisse in captiuitate consignato die confessus est: Post hæc Ludouicus Imperator accepto iuramento & necessarijs cautionibus à duce Friderico, quod se de regno amplius non intromitteret, eum liberum dimisit, & solus imperauit annis ferme 33. homo fortis & audax nimium.

*Dux signū se cruce spiritū missum fugauit.*

Eodem quoque anno Ioannes papa 22. Thomam de Aquino ordinis fratrum Prædicatorum, theologum acutissimum, anno post transitum eius 48. catalogo sanctorum inscripsit.

*Ludouicus imperat annis 33.*

M CCC XXIV.

Anno Sigismundi abbatis 7. dom. autem nat. 1324. Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, & Ioannes rex Bohemiæ ex fratre nepos eius, qui tunc Lutzenburgi morabatur, Dux quoque Lotharingiæ & comes Barensis, cum quibusdā alijs comitibus atq; nobilib. mutuo sese confœderantes cum magno exercitu ciuitatem Merensem obsederunt: quam eum expugnare non possent, omnia in circuitu vastando desolauerunt. His temporibus Ludouicus Imperator cupiens dilatare dominiū suum, vxorē cuiusdam viri potentis violenter abstulit, eamque Ottoni filio suo Brandenburgensi Marchioni matrimonio cum pompa & solennitate copulauit: viro eius, cum quo matrimonialiter vixerat, annis vndecim reclamante, & auxiliū summi pontificis licet frustra inuocante. Dicebat enim Imperator, inter eum & illam impedimentum extare consanguinitatis. Sed alia eum causa mouebat, scilicet desiderium habendi dominiū ducatus Carinthiæ & Tirolis, quod ad ipsam mulierem iure hereditario fuerat reuolutū. Vnde cōmotus papa Ioannes 22. tanta iniquitate, scripsit Ludouico multis vicibus rogando, monendo & cōminando, quatenus vxorē viro suo restitueret, & pro corona imperij suscipienda ad se in Auinionē veniret. Sed Imperator papa contemnens, nec mulierē viro suo restituit, nec venire in Galliā consensit. Quā ob causam iratus pontifex, nimioque furore nō iniuste commotus, ei cōmunionem ecclesiæ interdixit, & varijs censuris eum publice damnauit. Circa hæc tempora Ioannes papa memoratus condemnabat eos qui dicebant, Christum eiusque discipulos & veros imitatores nihil proprij habuisse. Cuius constitutioni cum se Michael de Cesena ordinis fratrū Minorum generalis minister opponeret, ipsum excōmunicauit, & ab officio deposuit. Wilhelmū quoque de Ockā, eiusdem ordinis nationeAnglicū, doctorē acutissimum, ob eandem sententiam excommunicatum declarauit hæreticum. Qui confugiens ad Ludouicum Imperatorem, eius defensionem implorauit dicens: *O Imperator, tu me gladio à papa iniurijs defende, & ego te verbis & scriptis indissolubili ratione defendam.* Susceptus autē à Ludouico multa & varia scripsit contra papam prædictum, asserens eum hæreticum atque schismaticum, eiusque censuras non esse curandas. Mansit itaque excommunicatus cum excommunicato in ciuitate Monacēsi vsque ad mortem, & ibidem moriens sepultus est. Sunt qui dicant, eum circa finem vitę suum recognouisse errorem, & Apostolicæ sedis gratiam impetrasse.

*S. Thomas Aquinas canonizatur.*

*Obsidio Metensis ciuitatis.*

*Improbum Ludouici factum.*

*Causa discordiæ inter papam & regem.*

*Ludouicus Imperator excōmunicatur à papa.*

*Wilhelmus de Ocham venit ad Imperatorē.*

M CCC XXV.

Anno Sigismundi abbatis 8. qui fuit dom. nat. 1325. Colonienses coassumptis secum multis comitibus atque nobilibus, cum magno & valido exercitu intrauerunt Westphaliam cōtra Henricū archiepiscopū Colonien sem: & inter multa mala & damna quæ ei intulerunt, castrum fortissimum Volmerstein longa obsidione captum, solo coæquarunt.

*Colonienses deuastant Westphaliam signe ferro q;.*

Eodem anno Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis castrū Furstenberg, in manu valida obtedit, & in deditionē accepit. Stierberg quoque Lantgrauio de Luchtenberg, seu dum fecit Castrū Richenberg, de nouo construxit, quod comiti de Karzenelenbogen in feudū contulit, & multa pro honore ecclesiæ suæ magnifice fecit, tam ædificando q̄ capiēdo castella. Castrum quoq; Birckenfeld, construere cœpit contra voluntatē comitissæ de Starckenberg, in cuius dominio erat. Vnde orta inter eos dissensione, Balduinus archiepiscopus adunato exercitu terram eius inuadere decreuit, sed per industriam Henrici ex comitibus de Spanheim Aquensis præpositi & Emerici militis de Lapide, pro concordia laborantium treugæ conceſſæ sunt. Non diu postea cum archiepiscopus Confluentiam descensurus in parua quadam nauicula per Mosellæ alueum veheretur, ab ipsa comitissa circa Starckenberg captus est & custodiæ mancipatus. Qui aliquandiu detentus,

*Stierberg. Luchtēberg. Richēberg. Birckifeld.*

*Archiepiscopus Treuerensis capitur.*

ibidem tandem pecunia se redemit, datis literis & cautionibus, quod in diebus suis inchoatum non perficeret castellum in Birckenfeld, pro quo contentio fuit.

*Cuno. Comes Gelriæ dux creatur.*

Eodem quoque anno Cuno de Schoneck episcopus Wormaciēsis præcepit festum corporis Christi, secundum institutionem Vrbani papæ per ciuitatem Wormaciensem & totam diœcesin solenniter celebrari.

MCCCXXVI.

*Fridericus obiit.*

Anno Sigismundi abbatis 9. dominicæ natiuitatis 1326. Ludouicus Imp. 4. Reinhardum comitem Gelriæ in ducem sublimauit, qui patrem suum eiusdem nominis per annos ferme octo vsq; ad mortem in custodia detinuit captiuum. Et abhinc principes terræ Gelrensis duces esse cœperunt, titulo comitatus de Zutphania retento vsq; in hodiernum diem.

Et hoc ipso anno 7. iduum Octob. obijt pater eius in captiuitate. Mortuo Friderico episcopo Traiectensi, duo in dissensione fuerunt nominati Iacobus decanus maioris ecclesiæ à maiore parte capituli fuit electus, Iacobus Sudensis episcopus, ad instantiam Wilhelmi comitis Hollandiæ à minori parte postulatus est.

*Iacobus successit.*

Sed prior Iacobus decanus præualuit, & in episcopum Traiectensem confirmatus fuit: quo in breui mortuo, canonici maioris ecclesiæ vnanimiter elegerunt Ioannem de Bruchorst, ecclesiæ sancti Saluatoris in Traiecto præpositum, virum optimum, qui mox regimen & administrationē totus episcopatus, vt verus pontifex canonice electus, assumpsit. Interea venit ex Auinione Ioannes de Diest Cameracensis præpositus, in episcopum Traiectēsis ecclesiæ à Ioanne papa 22. ad instantiā Ioannis ducis Brabātiæ, Reinhardi ducis Gelriæ, & Wilhelmi comitis Hollandiæ ordinatus & consecratus: qui armata manu cum magno apparatu Traiectum ingressus, pulso Ioanne de Bruchorst electo, pontificatum assumpsit, quem annis ferme 14. gubernauit.

*Ioānes Traiectensis episcopus post Iacobum.*

Anno quoque prænotato Iudæus quidam baptismum in Hannonia suscipiens, à Wilhelmo comite Hollandiæ Hannoniæque de sacro fonte leuatus. Qui transiens & cōuersans inter Christianos, deuotum se fingebat, malitia Iudaica repletus. Nam vice quadam transiens in ecclesia cuiusdam monasterij solus, imaginem B. Mariæ semper virginis pulcherrime depictam indignus conspexit.

*Iudæi baptizati scelus nefandum contra B. virginem.*

Qui veteri mox odio innatoque furore repletus pugionem extraxit, prorumpensq; in verba blasphemiæ contra sanctam Dei genitricem nitidam imaginis faciem configens, turpiter vulnerauit. Et ecce confestim sanguis ab imagine vulnerata copiosus erumpens circumfluere cœpit. Quod cernens infelix, de ecclesia latenter aufugit. Sanguis autem à fidelibus reseruatus, multis ægritudinibus medela fuit.

*Miraculum B. virginis magnum.*

Verum posteaquam tanti sceleris autor aliquandiu latuisset, nec sciri à quoquā potuisset, beatissima Dei genitrix semperq; intacta virgo Maria, cuidam fabro ferrario in somnis apparens quasi vulneribus confossa, autorem ei sceleris ostendit, & eum ad duellum pro veritatis declaratione contra perfidum animauit. Venit ad iudicem faber, sceleris accusat Iudæum, vbi cum testimonia probationis obiecti criminis sufficientia nō adessent, duelli conditio à Christiano petitur & conceditur. Inito certamine duelli, sanctissima Dei genetrice adiutus, vicit perfidum fidelis, impium iustus, Iudæum Christianus. Superatum se cernens blasphemus, veritatem aperuit, sceleris sui immanitatem, & quod animo nunquam fuerit Christianus publice confessus est. Quibus auditis præfectus comitis, laqueo illum suspendi fecit.

*Christianus Iudæum superauit.*

MCCCXXVII.

*Ludouicus Rex Romā proficiscitur.*

Anno Sigismundi abbatis 10. dominicæ natiuitatis 1327. Ludouicus rex Rom. cum multis principibus & magno exercitu pro corona imperij Romam profectus est, & à Romanis cum honore ingenti susceptus est. Papa tunc in Auinione morabatur, quo rex Ludouicus licet sæpius ab ipso inuitatus, ire tutum sibi non credebat. Vnde pontifex per literas tam suas quam Rom. & aliorum principum rogauit, quatenus aut ipse Romā veniret, aut munus imperialis consecrationis alicui cardinalium committere, sicut Clemens papa 5. cum Henrico 7. fecerat, dignaretur, dicens sibi nec conueniens esse, nec de consuetudine Rom. imperij alibi quam Romæ benedici & coronari. Sed papa vtrumque recusauit, mandans ei vt ad se in Auinionem veniret.

*Ludouicus Romæ coronatur.*

Vnde commotus Ludouicus, se à simplici quodam episcopo Romę in ecclesia S. Petri Imperatorem fecit coronari, anno post electionem suam 13. Quo facto consilium suorum Romæ habuit, in quo Ioannem papam 22. propria autoritate (ne dicam temeraria præsumptione) depositum, hæreticum, schismaticum, omniq; pontificio honore priuatum,

tum, denunciari fecit: & Petrum Corbanensem ordinis Minorum, hominem quidem doctum, & ad res agendas idoneum, papam constituens, Nicolaum 5. appellauit, à quo denuo coronam imperij cum maiori solennitate suscepit.

Creatus autem Petrus, non pontifex, sed antipapa, cardinales & episcopos homines suiipsius consimiles creat, seque in omnibus gessit vt verus papa. Verum post reditum Imperatoris in Germaniam, Pisis antipapa relictus, à Bonifacio comite Pisano captus, Auinionem ad Ioannem pontificē perducitur, vbi in carcerem coniectus vitam cum morte permutauit, qui etsi errorem recognouit, liberari tamen non potuit. *Ludouicus rex antipapam facit. Antipapa capitur & incarceratur.*

Eodem anno obijt Gotfridus episcopus Herbipolensis, cui successit Wolframus de Grunbach in ordine episcoporum sextus, & quadragesimus, & præfuit annis sex, homo ad regendum aptissimus, qui ciues suos ad omnimodam subiectionem coegit. *Gotfridus obiit.*

Eodem quoque anno Mathias archiepiscopus Moguntinus synodum prouincialem suffraganeorum, abbatum & prælatorum suorum celebrauit, in qua constitutiones multas pro vtilitate ecclesiæ edidit. *Synodus prouincialis.*

MCCCXXVIII.

Anno Sigismundi abbatis 11. dominicæ autem natiuitatis 1328. indictione 11. 4. Iduū Septembris, obijt Mathias archiepiscopus Moguntinus ordinis sancti Benedicti de Buseck natus, vir integerrimæ conuersationis & omni honore perpetuaq; memoria dignus, & in maiori ecclesia Moguntina sepelitur. Quo mortuo, iterū clerus Baldeuinum archiepiscopum Treuerensem postulauit, qui cum ecclesiam suam Treuerensem, quam locupletem iam reddiderat, noluisset deserere, Ioannes papa 22. ecclesiam Mogunt. Henrico de Virnberg, sine consensu canonicorum dedit, eumque in archiepiscopū ordinatū, Moguntiam cum literis & mandatis Apostolicis destinauit. Canonici autem multa contra eum allegantes crimina, ad sedem Apostolicam appellarunt. Per triennium itaque coram papa in Auinione litigantes, ne Moguntina ecclesia iterū pastore destituta, grauia incurreret damna, papa ad instantiam eorū Baldeuino archiepiscopo præfato ipsam ecclesiam Moguntinam administratorio nomine vsque ad exitum litis commendauit. *Mathias obiit. Contentio Cleri & Henrici archiepiscopi.*

Constitutus autem administrator oppida, castella, & munitiones totius diœcesis in suam potestatem accepit, & omnia ab incursione prauorū, fortiter cum magna industria & sapientia defensauit. Magna his diebus inter clerum & ciues Mogunt. dissensio fuit, propter libertatem ecclesiasticam, illis iura & libertates suas defendentibus, istis autem ex aduerso omnia infringere & violare laborantibus. *Baldeuinus fit administrator ecclesiæ Mogunt.*

Ad reprimendam igitur temeritatem Moguntinensium Baldeuinus administrator castrum Eltuil dictum, duobus à Moguntia miliaribus in descensu Rheni fluminis situm, à fundamentis de nouo construere cœpit, ipsamque villam muro vndique circumcinxit. Interea Moguntinenses Baldeuini obsidionem metuentes, vt dicebant, reuera autem cleri odio prouocati Moguntiam die quadam egrediuntur in manu valida & multitudine magna, ac monasteria ordinis nostri ædificijs & structuris insignia S. Albani martyris, S. Iacobi apostoli in monte Specioso, sanctiq; Victoris canonicorum secularium, vna cum castro in Wissenavv pro magna parte destruxerunt, quemadmodum vestigia in monasterio S. Albani præcipue ostendunt, vsq; in præsentem diem. *Eltuil castrum construitur. Monasteria S. Albani, Iacobi, & Victoris euertuntur.*

Monasterium autem S. Iacobi, quia ciuitati proximū erat, cum insigni ecclesia funditus euerterunt. Pro qua temeritate postea ad cameram Imperatoris citati sunt, & in maxima pecuniarū summa ipsis monasterijs soluenda iudicialiter condemnati. Monasteria vero successu temporis reædificata sunt, sed ad pristinū decorē non venerunt. Ab illo tempore vsq; ad captiuitatē ciuitatis, quæ anno Wignandi abbatis huius cœnobij tertio facta est, Deo iniuriam sanctorum vindicante, fortuna Moguntinensibus semper fuit aduersa, quousq; tandem libertate amissa, in perpetuam seruitutem sunt redacti.

Post annos autem tres, sententia pro Henrico de Virnberg lata fuit, qui confirmatus in Archiepiscopum, denuo ad Moguntiam mittitur, & Baldeuino administrationem in manus eius resignante coram duobus legatis Apostolicis, à clero & omni populo mandatis papæ coactis pro archiepiscopo susceptus, cum solennitate Moguntiam & ecclesiam introducitur. *Henricus archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno feria quarta ante diē sancti Georgij martyris, obijt Emicho de Liningen, 50. episcopus Spirensis, & in maiori ecclesia sua est sepultus, cui successit Bertholdus Burheck ordinis fratrum Teuthonicorum, præfuitque anno vno, translatus ad episcopatum Argentinensem, vt postea dicemus ordine suo. *Emicho obiit.*

Eodem quoque anno Euerhardus comes de Wirtenberg, de consensu Ioannis pa-

*Collegiũ in Stuckgardiũ translatum est.*

pæ 22. collegium canonicorum de Bittelsbach, cum ecclesia in comitum Wirtenbergensium erat, sepultura in Stuckardiam transtulit: cuius translationis hæc fuit occasio.

Cum prioribus annis sub Henrico 7. qui regnare cœpit anno Henrici secundi abbatis 8. (sicut diximus) nobiles & ciues imperij, præcepto regis bellum agerent per annos fere 10. contra præfatum comitem Euerhardum, & ex munitionibus eius octoginta, cepissent ferme septuaginta destruxissentq3, quemadmodum anno præfati abbatis 10. breuiter cõsignauimus: inter quas erat castellum Witelsbach, in quo ecclesia sita fuerat collegiata, in qua comites (vt diximus) habuerant sepulturam, contigit quod dicturi sumus. Imperalcs capta munitione, Deum obliti & propriæ salutis immemores, in cõtumeliam viuentium comitum etiam mortuos sunt persecuti.

*Crudelitas in mortuos acta.*

Nam sarcophagis apertis & confractis, mortuorum ossa comitum extrahentes, inter lapides & cineres dispergere non timuerunt. Hanc iniuriam & contumeliam quiescẽtibus in terra mortuis irrogatam, grauiter ferens comes Euerhardus, ecclesiam cum sepultura de Butelsbach, de consensu Apostolico transtulit. Qui comes eodem anno moritur in die S. Bonifacij archiepiscopi & martyris, filium relinquens decennio superuiuentem.

MCCCXXIX.

*Cuno Wormatiensis episcopus obiit.*

Anno Sigismundi abbatis 12. Domini vero 1329. obijt Cuno de Schoneck episcopus Wormatiensis: post cuius mortem, canonici maioris ecclesiæ Baldeuinũ archiepiscopum Treuerensem vnanimiter in administratorẽ assumpserunt, contra Gerlacum Schenck de Erpach, qui episcopatum ambiendo inuaserat, quem etiam postea obtinuit.

*Episcopus Spirensis fit Argentinẽsis.*

Eodem quoque anno Bertholdus episcopus Spirensis, ad ecclesiam Argentinensis episcopatus, authoritate papæ translatus est: & Baldeuinus præfatus archiepiscopus, in administratorem à capitulo Spirensis ecclesiæ assumitur, iam quatuor ecclesiarum rector.

MCCCXXX.

*Walramus fit episcopus Spirensis.*

Anno Sigismundi abbatis 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1330. Walramus ex comitibus de Veldens, promotione archiepiscopi Treuerẽsis Baldeuini, factus episcopus est Spirensis, & præfuit annis sex, vir & bonus & misericors.

*Gerlacus fit episcopus Wormatiensis.*

Eodem anno Baldeuino archiepiscopo administrationẽ Wormatiensis ecclesiæ resignante, Gerlacus Schenck (de quo præcedenti anno diximus) episcopatum assumpsit, & præfuit annis duobus, non electus, neque postulatus, sed violenter intrusus, auxilio & iuuore amicorum, & (vt dicebatur) non confirmatus ab aliquo.

*Henricus fit Archiepiscopus Moguntinus.*

Hoc ipso anno post longam cõcertationem in curia papali habitã, Henricus de Virenburg, autoritate Ioannis papæ 22. Moguntiã mittitur, & in archiepiscopũ ordinatus, à clero & à populo mãdato Apostolico susc̃ipitur, duobus legatis præsentibus, & præfuit annis fere 15. Baldeuino resignante administrationem, iussu papæ & legatorum Apostolicæ sedis. Iste archiepiscopus Henricus castrum Altauillæ infra Moguntiam iuxta Rhenum, à Baldeuino administratore inceptum, perfecit.

MCCCXXXI.

*Carthusia Treuerensis construitur. Pons Confluentiæ.*

Anno Sigismundi abbatis 14. Domini vero 1331. Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis capellam sancti Albani cum horto latissimo adiacente, precio comparauit à monasterio S. Matthiæ extra muros Treuerẽses, & pro Carthusianis monachis cœnobium construere cœpit: quod in octo annis perficiens, ac magnifice dotans, nouũ consecrauit. Pontem quoque circa Confluentiam lapideum super Mosellam, idem archiepiscopus de nouo multis expensis hoc tempore construxit.

*Ioannes rex Bohemiæ.*

Eodem anno Ioannes ex comite Lucenburgensi, Bohemiæ rex, Italiam cum magno exercitu ingressus, Brixiam, Bergomum, Lucam, Parmam, Regium & Mutinam in suam potestatem accepit.

*Contentio inter duces Bauariæ.*

Hoc ipso quoq3 anno facta est magna dissensio inter Henricum Bauariæ ducem cognomento Probum, ex vna parte, & Ottonẽ fratrem eius, ac Henricum iuniorem filium Ottonis ex Bauariæ ducibus Vngariæ regis ex alia parte pro inferioris Bauariæ ducatu. Ludouicus Imperator pro Ottone & Henrico iuniore, vocatis in auxiliũ Vngaris contra Hẽricum seniorẽ parabat exercitũ: quo cognito Ioannes Bohemiæ rex, socer Henrici senioris, adiunctis sibi quibusdam alijs principibus, conuentum dissentientibus indixit ad Ratisponam circa festum S. Bartholomæi Apostoli: quibus comparentibus concordia tali modo inter eos reformata est. Henricus dux senior in diuisione obtinuit Lanshutã, Strubingen, Scherdingen, & alia circumiacentia castella, munitiones & vicos. Ottoni vero fratri, eius sors contulit Burghusen, Ottingen, Transtein, Halle, & cætera vsque ad Alpes

*Diuisio inferioris Bauariæ.*

Salzbur-

Saltzburgenſes. Porro Henricus iunior in diuiſione accepit Dingelfingē, Landavv, Wilshoffen, Deckendorf, Campurg, Kelhaim, & alia in circuitu poſita.

MCCCXXXII.

Anno Sigiſmundi abbatis 15. dominicæ vero natiuitatis 1332. Henricus dux Bauariæ ſenior, denuo cum fratre ſuo Ottone & Henrico iuniore pro ducatu contendere cœpit: cui cum Ludouicus Imperator pacem indiceret, nec deſiſteret, collecto exercitu cum perſona propria oppidum Strubingen obſidione vallans octo hebdomadibus fortiter impugnauit, quouſq; poſtremo aduenies Ioannes Bohemiæ rex prænominatus, pacem inter eos reformauit. *Strubingen obſidiona vallatur.*

Eodem anno 15. calendas Ianuarij, obijt Gerlacus Schenck, epiſcopus Wormacienſis, cui Salamannus ex Moguntia natus, ſuccedens præfuit annis 23. à Ioanne papa 22. cōfirmatus, ſed ab eius ſucceſſore Benedicto 12. ordinatus. Quem cum Wormacienſes admittere recuſarent, interdicto eccleſiaſtico per papam notati ſunt: pluresque ex canonicis maxime ſancti Cyriaci in Nuhuſen, Apoſtolicis mandatis inobedientes, & Salamanno rebelles, excommunicati fuerunt, quos tandem ſatisfactione præmiſſa ipſe autoritate Apoſtolica reconciliauit. *Salamannus ſit epiſcopus Wormatienſis.*

MCCCXXXIII.

Anno Sigiſmundi abbatis 16. qui fuit dominicæ natiuitatis 1333. obijt Wolframus epiſcopus Herbipolenſis, pridie calendas Iulij: cui ſucceſſit Otto Wolfskel, & præfuit annis 15. promotus & ordinatus Leodij 21. die menſis Iulij, per Ioannem papam 22. contra Hermannum de Lichtenberg, Ludouici Imperatoris cancellarium, in odium Imperatoris, qui eum in epiſcopū ordinari cupiebat. Nam ſicuti prædiximus ſuo loco, Henrico Imperatore ſeptimo in Italia mortuo, Ludouicus comes Palatinus, Bauariæq; dux, frater Rudolphi comitis Palatini Rheni, electione principū, deuicto Friderico Auſtriæ duce, in regē Rom. ſublimatus fuit, anno Domini 1314. qui mox in magnam diſcordiam cum Ioanne papa 22. tali (vt ferebatur) occaſione prolapſus eſt. *Otto ſit epiſcopus Herbipolenſis.*

Habebat quendam cancellarium Vdalricum nomine de Auguſta Rheticorum oriundum, hominem temerarium & ſuperbum, cleri & religionis æmulum, eccleſiaſticeque dignitatis & libertatis maximum oſorem & aduerſarium, qui in literis ad papam nomine Imperatoris, eo inſcio, quædam indigna poſuit, ipſumq; papam inter alia Beſtiam de mari aſcendentem appellauit, multaque in eum opprobria ſcripſit: quibus nō immerito pontifex ad indignationem prouocatus, Ludouicum regem excommunicauit. Hanc malitiam ſuam iam morti proximus Cancellarius coram multis publice confeſſus eſt. Vnde Ludouicus Romam profectus anno domini 1327. papæ recōciliari volens, cum in Auinione moraretur (vt ſupra diximus) anno Sigiſmundi abbatis 9. à quodam ſimplici epiſcopo munus benedictionis accepit, & in diſſenſione papę Ioannis permanſit, aliū pro eo conſtituens Antipapam. Ad hunc Ludouicum Imperatorem excommunicatum venit in Bauariam Wilhelmus de Ockam ordinis Minorum, natione Anglicus, vir quidē doctus in Philoſophia & literis ſacris, ſed temerarius nimium, excommunicatus à papa Ioanne 22. in quem multa blaſphemando conſcripſit, quemadmodum in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, plenius diximus. *Cauſa diſſenſionis papæ & Imperatoris.* *Wilhelmus de Ockam ordinis Minorum.*

Eodem anno obijt Henricus iunior, dux Bauariæ, filius Ottonis regis Vngarorum, anno ætatis ſuæ 21. ſine liberis. Maxima hoc anno vini copia creuit, ita vt vaſa defuerint. *Henricus dux Bauariæ obiit.*

MCCCXXXIIII.

Anno Sigiſmundi abbatis 17. dominicæ autem natiuitatis 1334. obijt Henricus archiepiſcopus Colonienſis, cui Walramus filius Gerardi comitis Iuliacenſis, præpoſitus Leodienſis, & theſaurarius Coloniēſis, in archiepiſcopatu ſuccedens præfuit annis 16. mēſibus 6. diebus 19. vir in vtroque iure doctiſſimus, ſtrenuus atq; pacificus: qui eccleſiam ſibi commiſſam, ſatis ſtrenue, pacifice vtiliterq; in vtroq; ſtatu rexit. Iſte Walramus archiepiſcopus inter multa ædificia quæ tempore ſui pontificatus in diuerſis locis erexit, etiam monaſterium Carthuſienſium in Colonia de nouo conſtruxit, quod pro neceſſaria fratrum ſuſtentatione honeſte abundeq; dotauit. *Walramus ſit archiepiſcopus Colonienſis.* *Carthuſia in Colonia fundatur.*

Eodem anno pridie nonas Decembris, obijt in Auinione Ioannes papa 22. anno ætatis ſuæ 90. inæſtimabilē auri copiam relinquens in theſauris. Cui in Pontificatu ſucceſſit Benedictus 12. Tholoſanus, ordinis Ciſtercienſis, ſacræ Theologiæ doctor, Iacobus de Furno antea vocatus, & præſedit annis 7. menſibus 3. & dieb. 18. vir integerrimæ rectitudinis, qui conſtitutionē ordini noſtro dedit pro ipſius reformatione, quam Benedictinam *Benedictus ſit papa, Ioanne mortuo.*

appellant, cuius verum originale sub plumbo Treueris apud S. Mathiam habetur, & in plerisque alijs monasterijs similiter.

MCCCXXXV.

*Ventus magnus.* Anno Sigismundi abbatis 18, qui fuit dominicæ natiuitatis 1335, in die Apostolorum Simonis & Iudæ, maximus & nimium tempestuosus in partibus Rheni & Sueuiæ ventus efflauit, qui arbores & multa ædificia in diuersis locis euertit.

*Otto dux obiit.* Eodem anno, mortuus est Otto Bauariæ dux (de quo supra fecimus mentionem) filius Stephani ducis, & frater Henrici senioris, sine liberis, cuius ducatus ad fratrem iure deuoluitur.

MCCCXXXVI.

Anno sequente, qui fuit Sigismundi abbatis decimonono, obijt Willichin, siue Wilhelmus, abbas cœnobij mei Spanheim vndecimo, anno regiminis sui 28. 16. calendas Aprilis.

*Gerardus fit episcopus Spirensis.* Eodem anno in die sancti Augustin episcopi obijt Walramus episcopus Spirensis, in ecclesia Prædicatorum ibidem coram summo altari sepultus: cui successit Gerardus de Ercenberg, in die S. Catharinæ electus, & præfuit annis 27. & mense vno, ac diebus 6. At vero

*Henricus.* post Willichionem mei cœnobij Spanheimensis abbas 12. constitutus est Henricus, ex Creutzennach oriundus, qui præfuit annis duobus, & mense vno, diebusque sex, non satis vtiliter, vt tempus postulabat.

MCCCXXXVII.

*Fames & mortalitas. Eduardus rex Angliæ secundus.* Anno Sigismundi abbatis 20 qui fuit dominicæ natiuitatis 1338. magna vbique hominum ac pecorum mortalitas fuit, & frumentum caro vendebatur precio, ita vt pauperes magna premerentur inopia, pluresq; fame & inedia perirent.

MCCCXXXVIII.

Anno sequente, qui fuit Sigismundi abbatis 21. Eduardus secundus rex Angliæ venit ad Ludouicum Imperatorem apud Confluentiam, postulans ab eo contra Philippum regem Franciæ auxilium, cui Ludouicus accepta pecunia multa promisit suffragia, sed promissa seruare non potuit, quia principes ad obediendum inuoluntarios habuit, & rex Angliæ spe sua frustratus, pecuniam sine fructu expositam amisit.

*Bellū inter Leodienses & comitem Gelriæ.* Eodem anno Reinhardus comes Gelriæ, qui postea in ducem sublimatus est, magnum producens exercitum contra Leodienses & Brabantinos bellum indixit, propterea quod anno præterito, ipso existente cum Imperatore, terram eius incendio & præda miserabiliter deuastauerant, secum habentes Adolphum episcopum Leodiensem, quem ciues dudū ignominiose expulerāt. Ceciderunt in hoc bello plusquam nouē millia hominum ex vtraque parte: Victoria cessit Reinaldo comiti, ex qua non solum dies factus, sed famosus in omni terra, cunctisque gratus principibus.

MCCCXXXIX.

*Eclipsis solis.* Anno Sigismundi abbatis vigesimo secundo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1339. in die sancti Kiliani martyris, circa meridiem, solis magna fuit defectio, horis ferme duabus.

*Suitenses Beronæ.* Eodem anno circa autumnum Suitenses in ciuitate Beronæ, plures ex ciuibus dissensione suborta crudeliter occiderunt.

*Comes Gelriæ in ducē creatur.* Eodem quoque anno Ludouicus Imperator conuentum principum solennē apud Franckofordiam celebrauit, vbi inter alia Reinaldum comitem Gelriæ in ducem sublimauit, adijciens ducatui eius comitatum Zutphaniæ, propter singularem prudentiam eius, & res ab eo magnifice gestas. Fuerat enim in ordine comitum Gelrensium ab origine vndecimus, vir prudens, audax, bellicosus, fortunatus, & per omnia magnificus, qui multa strenue pace belloque patrauit.

*Wilhelmus comes Iuliacensis fit Marchio Iuliacensis.* Eodem etiam tempore Wilhelmus comes Iuliacensis, per Ludouicum Imperatorem de cōsensu principum in marchionem creatus est, vir tali dignus honore, quippe qui & ipse multa strenue gessit, consilio simul & operatione.

*Bellū inter reges Franciæ & Angliæ.* Hoc anno bellum atrox fuit inter Philippum Franciæ regem & Angliæ regem Eduardum, propter comitatum Normandiæ, quem vterque ad se iure pertinere contendebat. Conductis enim rex Angliæ magno stipendio copijs, Franciam manu valida ingreditur, præda & incendio cuncta, licet parum sibi profecerit, deuastans, quia Normandiam non obtinuit.

*Comitum Palatinorū descriptio.* Eodem quoque anno feria sexta ante festum S. Osualdi regis & martyris, Ludouicus Imperator post mortem fratris sui Rudolphi comitis Palatini Rheni, quem in Angliam fugauc-

fugauerat) sicut diximus) anno Henrici abbatis 14. conuocatis filijs eius Rudolpho, Adolpho & Ruperto, paternam inter eos hæreditatem diuisit, imo potius ablatam restituit, dicens, *Pater in me peccauit, non filij: æquum igitur non est, alieni eos sceleris pœnam subire.* Rudolphus primogenitus, Rudolphi fratris Ludouici Imperatoris comitis que Palatini Rheni ac Bauariæ ducis, vir non multæ sapientiæ, vxorem habuit regis Vngariæ sororem, ex qua genuit filiã vnicam Margaretham nomine: quam Carolus Bohemiæ rex postea Imperator duxit in vxorem, de qua suscepit Wenceslaum post patrem regem Rom. Ioannem regem Bohemiæ, Sigismundum regem Vngariæ, postea Imperatorem Rom. Helenam, quæ nupsit regi Angliæ, & Margaretham vxorem marchionis antiquæ Marchiæ. Adolphus secũdo genitus Rudolphi senioris Palatini, à quo successio comitum Palatinorum Rheni continuatur, vxorem duxit filiam comitis de Oettingen, quæ peperit ei Rupertum, seu (vt plerique volunt) Adolphum patrem Ruperti postea regis Romanorum, ex Beatrice filia regis Siciliæ, de qua latius suo loco dicemus, cum illò venerimus.

*Rudolphus comes Palatinus Rheni.*

*Adolphus comes Palatinus Rheni.*

Rupertus autem tertio genitus Rudolphi senioris comitis Palatini Rheni, sine liberis obijt, quanquam duas vxores duxerit: quarum prima fuit Mechtildis ducissa Brabantiæ, secunda Beatrix filia ducis Montensis.

*Rupertus comes Palatinus.*

Iste Rupertus gymnasium vniuersale Heidelbergense primus fundauit, quod Benedictus papa 12. confirmauit. Similiter postea Vrbanus papa 6. cuius primus director & moderator fuit Marsilius de Ingen, sacræ Theologiæ doctor, Parisiensis canonicus, & Thesaurarius ecclesiæ S. Andreæ in Colonia, quemadmodum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, nos dudum dixisse meminimus. Ecclesiam quoq; in noua ciuitate Spirensis diœcesis collegiatam, pulchro tabulatu lapideo ex fundamento erexit, fundauit, constructit, & dotauit, in qua & sepultus postea fuit.

*Vniuersitas Heidelbergensis erigitur.*

MCCCXL.

Anno Sigismundi abbatis vigesimotertio, Domini vero 1340. per totam Alemaniam maxima pestilentia fuit, & multa millia hominum prostrauit. Magna quoque fames subsecuta est, & multos egenos & pauperes faciens miserrime afflixit, fuitq; & viuere miseria & mori nimius horror.

*Pestilentia fuit.*

Eodem anno, circa dominicam Lætare in quadragesima, cometa apparuit.

Eodem quoque anno, circa natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, Eduardus rex Angliæ denuo cum valido exercitu intrauit Franciam, & multis ex Francigenis occisis multisque captis glorioſæ triumphauit, prædam Anglis inferens non modicam.

*Rex Angliæ secundo in Franciam mouet exercitum.*

Hoc ipso anno, 6. calendas Maij, obijt Henricus ex Creutzennach, monasterij mei Spanheimensis abbas in ordine 12. cui Willichin secundus ex Spanheim succedens, præfuit anno dun taxat vno, mensibus tribus, & quatuor diebus.

*Willicho abbas.*

Eodẽ quoque anno 12. die mensis Februarij, obijt Rupertus comes Palatinus Rheni & Bauariæ dux, filius Rudolphi fratris Ludouici Imperatoris (de quo supra diximus) in choro ecclesiæ nouæ ciuitatis, quam ipse à fundamentis erexit, sepultus.

MCCCXLI.

Anno Sigismundi abbatis 24. Domini vero 1341. comes quidam in Isenburg, in nũdinis S. Remigij Coloniæ in sociali hastiludio Stephanum militem de Oersbeck præter suam voluntatem publice interfecit, qui fracta ceruice subito expirauit, manẽs nihilominus equo insidens ac si viueret, quo vsque famulorum manibus depositus inueniretur mortuus.

*Miles in hastiludio interficitur.*

MCCCXLII.

Anno Sigismundi abbatis 25. qui fuit dominicæ natiuitatis 1342. obijt Benedictus papa 12. cui Clemens sextus succedens præfuit annis 11, vir pietate & clementia plenus, patria Lemouicensis, professione monachus ordinis sancti Benedicti. Eodem anno 8. idus Augusti obijt Willicho secundus, abbas monasterij mei Spanheimensis 13. cui successit Wilhelmus ex Bickelnheim, ex prosapia S. Hildegardis oriundus, & præfuit annis 9, vir per omnia bonus & magnificus.

*Clemẽs papa 6. eligitur.*

*Wilhelmus abbas Spanheimensis.*

Hoc ipso quoque anno Ioannes dux Brabantiæ & Engelbertus episcopus Leodiensis, magnum producentes exercitum contra Leodienses, multos ex eis occiderunt, ceperuntque, cæteris ad fugam conuersis, quousq; tandem conditiones pacis admiserunt.

Eodem anno 8. calendas Iulij, obijt Sigismundus huius cœnobij Hirsaugiensis abbas 31. anno regiminis sui vigesimoquinto, vir optimus, omnique honore prosequendus, qui in vtroque statu satis vtiliter præfuit, multaque bona fecit.

*Sigismũdus abbas hic moritur.*

## DE WIGHARDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXXII. qui præfuit annis 12. & de varijs gestis illius temporis in Alemania.

POST mortem itaque reuerendissimi abbatis Sigismundi, conuenientes in locum capitularem fratres conuentuales huius monasterij Hirsaugiensis, anno prænotato dominicæ natiuitatis 1342. indictione Romanorum 10. pro eligendo in demortui locũ nouum animarum suarum pastorẽ, præhabita deliberatione necessaria tandẽ vnanimiter elegerunt Wighardum cõuentus sui monachũ, natione Sueuũ, virum in temporalibus nõ sine experientia probatum: qui sub Henrico & Sigismundo abbatibus in monasterio cõuersatus, secundum illius temporis mores aptior & melior inter alios pro necessitate loci videbatur: quanquã pro regularis disciplinæ instauratione, quæ tum in omnib⁹ pene monasterijs nostri ordinis per Alemaniam corruerat, parum congrueret. Eum tamen viuendi ritũ in cœnobio quẽ reperit, seruauit, peculium indulgens monachis, vt antecessores sui fecerunt. Confirmatus autem à Gerhardo Spirensis ecclesiæ antistite, & ordinatus in abbatem solenniter, vt moris est, præfuit annis 12. mensibus 8. diebus 3. vt calculanti patebit.

*Wighardus fit abbas 32.*

*Vita & cõuersatio Wighardi abbatis.*

*Cõfirmatio ab episcopo Spirensi.*

Hic anno suo primo, cõfirmationem priuilegiorum regalium monasterij sui impetrauit à Ludouico Imperatore quarto.

Hoc ipso dominicæ natiuitatis anno 1342. adhuc Sigismundo abbate viuẽte, 23. die mensis Ianuarij, prima noctis hora, suborta nubium tempestate horrenda, audiebantur tonitrua, fulgura, & coruscationes apparuerunt cum grandine & pluuia magna, ita vt media æstate tempestas suborta videretur.

*Maxima in Ianuario tempestas.*

Eodem anno, in vigilia sancti Iacobi Apostoli, Mogonus fluuius contra naturam & consuetudinem suam subito excrescens, tantam aquarum vim Rheno immisit, quantam nullus eo tempore viuens se vidisse meminerat. Multa enim hominibus damna intulit, villasq; integras circa Rhenum constitutas subuertit.

MCCCXLIII.

*Reinardus dux Geldriæ moritur.*

Anno Wighardi abbatis 1. currente adhuc, dominicæ natiuitatis 1343. obijt Reinardus primus dux in Gelria, de quo supra diximus: cuius ducatum Reinardus filius eius puer decem annorum gubernandum suscepit, vxorem postea ducens Mariã Ioannis ducis Brabantiæ filiã, qui ambo sine liberis obierunt. Hunc post aliquot annos frater eius Eduardus cupidine imperij ductus cepit, & per decenniũ in custodia seruauit, ducatumq; Gelriæ pro eo administrans, magnæ inter se futuræ contentionis (vt dicemus) causam dedit.

MCCCXLIIII.

*Vdalricus comes Wirtenbergensis moritur.*

Anno Wighardi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1344. vndecima die mensis Iulij, obijt Vdalricus comes Wirtenbergensis, filius Eberhardi comitis, de quo iam supra diximus, duos relinquens filios, Vdalricum & Eberhardum: quorum primus post annos 26. absque prole mortuus est, vt suo loco dicemus: secundus vero Euerhardus, longo viuẽs tempore, multa cum ciuitatibus imperij & nobilibus bella gessit per annos ferme 46. de cuius gestis & obitu, quantum nobis innotuit, suo loco dicemus.

*Cruciata contra Teucros prædicatur.*

His temporibus Clemens papa 6. missis in Germaniam legatis commune passagium contra infideles Teucros prædicari fecit, promittens in subuentionẽ peregrinorũ de bonis suis ad cistas in ecclesijs ad hoc publice ordinatas contribuentibus, nõ solum consuetas indulgentias, sed etiã quædam insolita: ita vt eis qui sua imposuissent, ad certam quantitatem taxata, esum ouorum sextis ferijs & lacticiniorũ, cæterisq; extra quadragesimam diebus quibuscunq; indulgeret: quod eatenus per Alemaniam fieri non consueuit.

*Ouorũ vsus Treuerensibus & Colonienſibus concessus.*

Baldeuinus Treuerensis, & Walramus Colonienſis archiepiscopi, cum quibusdam alijs, tunc à sede obtinuerunt Apostolica, pecunia ex populo suo collecta non modica, impensa ad cruciatam, vt omnibus in eorũ diœcesibus constitutis, liceat in perpetuum extra quadragesimã, omni tempore vti lacticinijs, butyro & ouis: q⁹ vsque in presentem diem ita seruatur. Nam Treuerenses & Colonienses, per totũ annum, quadragesima sola excepta, lacticinijs ouisq; vtuntur in cunctis sanctorum vigilijs & ieiunijs ecclesiasticis.

*Henricus archiepiscopus Moguntinus.*

Henricus autẽ Moguntinus archiepiscopus, quia Ludouico Imperatori excõmunicato pertinaciter adhæsit, gratiã Apostolicæ sedis non habuit: & ideo nec ad cruciatã contribuere quicquam voluit, nec indulgentias curauit: vnde licitũ non est, vsq; in hodiernã diem, per totam diœcesin Moguntinam ouis vti, tempore cuiuscunq; ieiunij ecclesiastici.

*Expeditio Christianorũ in Teucros.*

Christiani itaq; ex tota ferme Europa coadunati, magna in Teucros classe veniuntur, & Smyrneũ oppidũ in primis capientes, magna deinde vtriusq; gẽtis clade sæpius pugnarũt.

Eodem

Eodem anno, Ludouicus Imperator Ioannem filium regis Bohemiæ, de ducatu Carinthiæ, quem ei accepta pecunia prius donauerat, eiecit: eiusque vxorem, sine iudicio ecclesiæ raptam, suo filio copulauit, in scandalum multorum. Vnde tam pro isto quam pro multis alijs sceleribus, denuo excommunicatus fuit à Clemente papa sexto, tandemque (vt dicemus) ab imperio depositus. *Facinus Imperatoris.*

MCCCXLV.

Anno Wighardi abbatis 3. qui fuit domin. natiu. 1345. Wilhelmus Hannoniæ, Hollandiæ Selandiæque comes, ac Phrysiæ dominus, circa festum natiuitatis B. Mariæ semper virginis, magnum contra Phrysones produxit exercitum, secum habens comitem de Horn, multosque alios nobiles atq; fortissimos. At Phrysones fossatis aquarum plenis circumuniti, obuiam eis in furore magno egressi, solitaque industria vtentes, conclusos inter paludes alios interfecerunt gladio, alios vero emissis subito aquis miserabiliter submerserunt, inter quos & Wilhelmus comes suffocatus, sine liberis mortuus est. Quo mortuo, soror eius Margaretha, vxor Ludouici Imperatoris 4. tanq̃ vicinior hæres, decreto Imperatoris & principum, cum Wilhelmo filio suo, in magno apparatu descendit in Hollãdiam: omnem terram fratris, suo mox subiugauit imperio: quam incolis consentientibus, filio suo Wilhelmo tradidit gubernandam: dispositisque in pace rebus, ad Bauariam cum suis est reuersa. Igitur Wilhelmus dominium auunculi consecutus, talem epistolis suis titulum præscribere solebat: *Wilhelmus, Dei gratia comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæque comes, ac Phrysiæ dominus*, &c. Erat autem homo superbus, inquietus & bellicosus, qui propriæ matri deferre nescivit. Abhinc præscripti comitatus ad Bauariæ duces pertinere cœperunt, à quib. per annos ferme octoginta in possessione quieta gubernati sunt, vsq; ad annum Domini 1425. tunc ad Burgundiæ duces deuoluti fuerunt. *Wilhelmus comes Hollãdiæ in bello occiditur.* *Comitatus Hollandiæ ad Bauariæ duces venit.* *Bauari tenuerũt Hollandiã annis 80.*

Anno prænotato Henricus archiepiscopus Moguntinus citatus à papa Clemente sexto, ad curiam non comparens, excommunicatur. *Henricus deponitur à papa.*

MCCCXLVI.

Anno Vvighardi abbatis 4. Domini vero 1346. Clemens papa 6. Henricum de Vernenburg, archiepiscopum Moguntinum contumacem & rebellem mandatis apostolicis prius (vt diximus) citatum & excommunicatum, in consistorio publico de consensu cardinalium per sententiam deposuit absentem, omnique honore pontificali spoliauit, & Gerlacum de Nassauu in eius locum substituit, qui tamen ad possessionem archiepiscopatus ante mortem Henrici minime peruenit. Henricus enim non aduertens papæ sententiam, fretus auxilio Ludouici Imperatoris, Cunone de Falckenstein, qui postmodum archiepiscopus Treuerensis factus est, in coadiutorem assumpto, se pro archiepiscopo gessit, vtante: contentiones & bella per annos 8. agens cum Gerlaco, non sine magno detrimẽto ecclesiæ Moguntinæ populique subiecti. *Gerlacus archiepiscopus à papa promotus.* *Cuno de Falckẽstein coadiutor.*

Eodem anno inter Eduardum & Reinardum fratres, pro ducatu Gelriæ grauissima contentio suborta est, quæ per annos 16. cum magno ipsorum dispendio & totius terræ desolatione durauit. Nam eis inter se contentiones & bella gerentibus, multa hominum millia fuerunt occisa, villæ sine habitatoribus desertæ, castra quoque destructa, & terra totius ducatus aut interfectis aut fugatis rusticis inculta permanẽte. Verum postremo Eduardus, detruso in custodiam Reinardo, ducatum solus obtinuit, vt suo loco dicemus. *Inter fratres pro ducatu Gelriæ contẽtio longa.*

Eodem quoque anno Clemens papa 6. qui Ludouicum per sententiam ab imperio se deposuisse dicebat, mandauit principibus, vt infra certum terminum, quem eis præfixerat, nisi ius electionis velint amittere, in locum Ludouici alium eligant Imperatorem, qui mandatis ecclesiæ, vt filium decet, pareat: alioquin se necessario curam, vt supremum caput, de imperio habiturum. Conuenientes itaque in Reyns infra Bopardiam iuxta Rhenum, 11. die mensis Iulij, Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, Vvalramus archiepiscopus Colonien̄is, Gerlacus cui papa (vt diximus) prouiderat de ecclesia Moguntinensi, Ioannes rex Bohemiæ & Saxoniæ dux, Carolum Ioannis supra dicti Bohemiæ regis primogenitum, in regem Rom. vnanimiter præsentem elegerunt, quem in Bonna oppido cum magna pompa Colonien̄is archiepiscopus (vt moris est) inunxit. Non enim poterant ad Aquisgranum tuto descendere, propterea quod Aquenses Ludouici partes studiose sequebantur. Adolphus autem comes Palatinus Rheni, Henricus archiepiscopus Moguntinus, licet à papa depositus, marchio Brandenburgensis, ducesque Bauariæ, ac pene omnes ciuitates imperij, partes Ludouici vsque ad mortem eius pro viribus sequentes defendebant. *Mandatum papæ ad principes.* *Carolus ab vna parte eligitur.* *Ludouici partes hi sequebantur.*

Eodem anno Eduardus rex Angliæ cum magno exercitu Franciam denuo ingre-

*Rex Angliæ decreto Francicum bellaturus intrat.*

ditur, habens secum Ioannem Bohemiæ regem, patrem Caroli Imperatoris 4. initoque certamine glorioſe triumphauit. Rex autem Bohemiæ ſagitta cuiuſdam Galli vulneratus, occubuit. Iſte Ioannes filius fuit Henrici Imperatoris 7. & pater Caroli quarti, ſicut ſupra diximus, quondam comes Lutzenburgenſis, qui patre ad imperium ſublimato filiam Wenceslai regis Bohemiæ Eliſabeth, cum regno accepit vxorem, quemadmodum anno 10. Henrici abbatis 2. clarius poſuimus, cum quo ducatus Lutzenburgenſis ad Bohemos deuoluitur. Regnauit autem in Bohemia 36. annis, quo hoc anno mortuo Carolus filius eius paululum antequam eligeretur ad imperium ſucceſſit, regnans cum filio ſuo Wenceslao, annis ferme 32. Vites & botri pendentes in eis hoc ipſo anno, ſub octauis natiuitatis B. Mariæ ſemper virginis, frigore & pruina perierunt in multis locis, maxime in Sueuiæ partibus & in multis alijs.

*Lutzenburgenſis ducatus ad Bohemos trãſfertur.*

*Vini periculum.*

MCCCXLVII.

*Ludouicus Imperator obiit.*

Anno Wighardi abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1347. in die S. Gereonis martyris, obijt Ludouicus Imperator 4. & in eccleſia beatæ Mariæ ſemper virginis in ciuitate ſua Monacenſi cum pompa & honore ſepelitur. Fuerunt qui dicerent eum, cuiuſdam Auſtriæ duciſſæ (quam ob tetram faciei diſpoſitionem Maultaſch, hoc eſt, oris peram, vel ſaccum appellabant) veneno perijſſe: quod verum ſit nec ne, ſatis exploratum non habemus.

*Ludouici Imperatoris ſex filij.*

Reliquit autem filios 6. videlicet Ludouicum (qui & Otto) marchionem Brandenburgenſem natu ſeniorem: Ludouicum ducem, cognomento Romanum, quia Romæ natus fuerat: Ottonem iuniorem ducem, Stephanum ducem, Wilhelmum ducem, & Albertum ducem, quos genuit ex Margaretha filia Wilhelmi comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Selandiæ, vt ſuo loco ſupra dictum. Quomodo hi ſex filij patre mortuo, eius inter ſe ducatum diuiſerint, inferius dicemus anno Wighardi abbatis 7. Mortuo autem Imperatore Ludouico, ſtatim conuenerunt Henricus archiepiſcopus Moguntinus, quanquam (vt prædiximus) à papa depoſitus, Adolphus comes Palatinus Rheni, Otto qui & Ludouicus marchio Brandenburgenſis, & cæteri Bauariæ principes, qui conſilio inter ſe habito Eduardum Angliæ regem ad Romanum imperium contra Carolum vnanimiter elegerunt: quem etiam mox per literas & ſolennes nuncios aduocare ſtuduerunt, promittentes ſecii conſilium & auxilium vſque ad mortem, firmiter præbituros. Quibus ille gratias agens, remandauit ſe in gubernandis regnis Angliæ & Francorum, in tantum occupari, quod imperio Romanorum nequaquam poſſet intendere.

*Eduardus rex Angliæ vocatur ad imperium.*

*Marchio Miſnenſis vocatur ad imperium.*

His cognitis, præfati principes nuncios ad marchionem Miſnenſem generum Ludouici Imperatoris defuncti, cum literis mittentes, ipſum ad imperium vocauerunt. Quibus ille conſentiens cum exercitu, ſe quantocius venturum promiſit, quamuis non venerit, induſtrioſe à Carolo præuentus vel corruptus, vt poſtea dicemus.

MCCCXLVIII.

*Marchio ceſſit Carolo pro pecunia.*

*Comes Gũtherus vocatur ad Imperium.*

Anno Wighardi abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1348. cum intellexiſſet Carolus marchionem Miſnenſem, contra ſe in regem Rom. ſicut prædiximus electum, nihil moratus, ad eum propere mittens, omne ius quod habere ad imperium videbatur, ſibi pro decem millibus argenti libris ab eo vendicauit. Quibus auditis, prædicti principes denuo congregati apud Franckofordiam Guntherum comitem de Suartzburg Thuringum, in regem Romanorum elegerunt.

*Albertus ſit epiſcopus Herbipolenſis.*

Eodem anno obijt Otto epiſcopus Herbipolenſis, cui Albertus de Hoinſoe ſuccedens, præfuit annis 24. qui anno pontificatus ſui 6. ciues Herbipolenſes ſibi rebelles & inobedientes per tres hebdomades firma obſidione cingens, ad obedientiam reduxit.

*Eccleſia Traiectenſis crudeliter deuaſtatur.*

Eodem quoque anno Wilhelmus comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ, comes Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæque & Phryſiæ dominus, cum maximo ſuorum exercitu terras eccleſiæ Traiectenſis intrauit, omniaque ferro & igne miſerabiliter deuaſtans, totam prouinciam annihilauit, qui tandem crudelitatis ſuæ pœnas dedit, factus (Deo vindicante) inſanus.

*Conradus dux de Deck occiditur.*

Eodem quoque anno Conradus de Deck, per quendam militem Suikerum de Gõdelfingen, inſidioſe occiditur in domo propria, quam habuit in ciuitate Monacenſi Bauariæ, ex odio inueterato.

MCCCXLIX.

*Maxima in toto mundo peſtilentia.*

Anno Wighardi abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1349. magna per vniuerſum orbem peſtilentia fuit, ab India incipiens, paſſimque prouincias omnes irrumpens, trium annorum ſpacio vſque in Alemaniam, Galliam, Angliamque & in omnes gentes miſerabiliter

biliter desæuiens, vix mediam hominum partem in humanis agere permisit. Miseranda calamitas, mox enim vt aliquis infectus hac peste fuisset, suo tantum anhelitu etiam alios inficiebat. Tribus hoc tempore plagis humanum genus in Germania maxime affligebatur, Pestilentia videlicet, quæ infinita hominum millia in toto pene orbe prostrauit, cuius calamitatis causa Iudæis fuit adscripta, quod fontes & aërem veneno infecissent.

*Grauissima in Iudæos persecutio.*

Vnde persecutio in eos Christianorum grauissima fuit subsecuta. Nam in diuersis mundi regionibus, cum hæc in eos æstimatio Christianorum esset diuulgata, alij miserabiliter fuerunt suffocati, alij præcipitati, alij submersi, alij capitibus truncati, alij combusti, alij gladijs & lanceis confossi, alij vario tormentorum genere interempti. Nonnulli vero eorum, cernentes in malo se positos, necatis primo liberis & vxoribus, ne in manus crudeliter sæuientium Christianorum traderentur cruciandi, se cum domibus suis igne supposito incendentes voluntarie peremerunt. Hæc in Iudæos persecutio anno prænotato incipiens, biennio durauit, & multa eorum millia in omnibus prouincijs consumpsit. Secunda plaga fuit sanguinis profluuius, qui etiam hominum ingentem multitudinem inaudito genere cruciatus absumpsit. Tertia fuit sacri ignis (sicut enim vulgo is morbus appellari consueuit) adustio, quæ tanta immanitate sæuiebat, vt quemcunque inuasisset, mox carnem vsque ad ossa penitus consumeret, nec viuis tantum infesta, sed etiam mortuorum inuadens cadauera insepulta, carnes antequam sepeliri potuissent, absumeret. Erant hæc tempora calamitatibus plena, tantisque periculis exundantia, vt præter generale diluuium, peiora scripserit nemo.

*Sãguis profluuius grauis.*

*Sacri ignis admiranda plaga.*

*Rex Guntherus Frãcofordiã ex more vallat.*

Anno quoque prænotato Guntherus comes de Suartzburg in regem electus ab his qui Carolum refutabant, cum magno suorum exercitu venit ad Franckofordiam, positisque ante ciuitatem papilionibus & castris (vt moris est) tribus diebus & sex hebdomadibus Caroli expectauit aduentum. Porro ciues Franckofordienses cum Gunthero bene senserunt, eumque vt verum regem Rom. cum maximo honore suscipientes, partes eius sequebantur. Similiter & reliquæ imperij ciuitates superioris Alemaniæ, præter Argentinenses, qui cum Carolo sentiebant.

*Carolus venit contra Guntherũ.*

Audito Carolus quod Franckofordiam venisset Guntherus, coadunato suorum exercitu aduersus eum processit: sed videns eum fortiorem se, industria vsus Baldeuini archiepiscopi Treuerensis, Bauariæ ducem in partem suam multis promissionibus tandem attraxit. Vnde videns se deceptum Guntherus, pro concordia, mediante Ottone marchione Brandenburgensi, cœpit tractare: acceptisque argenti marcis purissimi duobus millibus & ducentis, ac duabus in Thuringia ciuitatibus, ad vitam pro expensis habitis, sigillum & insigna regalia cũ regno in manus Caroli Franckofordię coram principibus resignauit.

*Concordia inter Carolũ & Guntherum.*

Interea dum hæc agerentur apud Franckofordiam, infirmari, & post menses tres ferme, non sine suspicione sumpti veneni, mortuus est. Igitur Gunthero cedente, & parũ postea mortuo, Carolus huius nominis 4. rex Bohemiæ ad imperium adhuc viuente Ludouico (sicut supra diximus) iubente papa, electus: nullo impediente, solus pacifice imperauit annis 31. vir bonus, sapiens & doctus, quinque linguarum scientia perfectus. Habuit autem vxores 4. successiue legitimas. Prima fuit Margaretha, Rudolphi comitis Palatini filia, mater Wenceslai regis Bohemiæ, postea imperatoris. Secunda fuit ex Francia, qua etiam sine liberis mortua, tertiam accepit principis Sueuiæ filiam, de qua genuit filiam, quam dedit marchioni Brandenburgensi vxorem. Quarta vxor fuit Elisabeth, filia ducis Pomeraniæ, & Stetinensis, de qua genuit Sigismundum regem Vngariæ postea Romanorum Imperatorem, & Iohannem ducem.

*Carolus quartus imperat annis 31.*

*Vxores Caroli quatuor.*

*Walramus archiepiscopus Coloniẽsis obiit.*

Anno quoque prænotato Wighardi abbatis 7. in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ semper virginis obijt Walramus archiepiscopus Coloniensis, qui propter multa & continua bella propriis rebus consumptis, ecclesiam suam ære alieno nimis grauatam dereliquit: cui Wilhelmus de Genep canonicus eiusdem ecclesiæ ac Susati præpositus immediate succedens, præfuit annis 12. & mensibus nouem, vir prudens, & in negotijs secularibus multum expertus, qui tempore breui ecclesiam Coloniensem omnibus debitis reddidit liberam, & quæ impignorata redemit, quod tum eo tempore vix credebatur possibile. Sunt qui notent eum auaritiæ vitio, quippe qui subiectum sibi clerum ac populum insolita exactione grauarit.

*Hæresis flagellatorum in Vngaria surrexit.*

Eodem tempore surrexit noua quædam hæresis, in Vngaria sumens exordium, quæ totam in breui Alemaniam suo veneno inficere contendebat. Homines idiotæ, rusticani & imperiti, sub prætextu pœnitentiæ, quam sine sacerdotis iudicio sibimetipsis imponebãt, mares & fœminæ simul mixti seminudi incedẽtes, cruces ligneas in manib. portabãt,

capite caputio & pileo, pudebundis vero lineo velamine tectis, flagellis in acumine tres nodos & aculeos habentibus, semetipsos publice in ecclesia & extra vsque ad sanguinis effusionem verberabant: carmina quædam Christianæ fidei, vt plurimum vel contraria vel suspecta cantantes, sæpiusque se in terram prosternentes in modum crucis, clamabant orantes. Verum considerantes hanc sectam ecclesiarum pontifices non esse synceram, populisq; fidelibus non paruum illaturam fore detrimentum, auctoritate Clementis papæ 6. eam quantocius è medio tollere festinabant, corrigibiles per publicam pœnitentiã, reuocato errore ad viam veritatis reducentes: pertinaces vero seculari iudicio traditos, ignibus comburentes. Et sic tandem cessauit Flagellatorum noua fatuaque præsumptio.

*Hæresis ipsa cito destructa fuit.*

*Ducatus Bauariæ inter filios Ludouici Imperatoris diuisio.*

Anno etiam præscripto facta est diuisio ducatus Bauariæ, inter sex filios Ludouici quondam Imperatoris 4. Ludouicus qui & Otto primogenitus, marchio Brandenburgensis. Ludouicus Romanus dux & iunior Otto dux in sortem acceperunt Bauariam superiorem, cum omnibus ad eam pertinentibus. Stephanus autem, Wilhelmus, & Albertus Bauariam inferiorem, Hollandiamque, Hannoniam, Selandiam ac Phrysiæ dominiũ in possessionem acceperunt, licet postea sit alia diuisio facta.

*Terræmotu ædificia corruerunt.*

Eodem anno magnus in Germania terræmotus fuit, Viliacum vrbem subuertit, & tam in Italiã quam in Germania, ædificia multa ex vehementia ceciderunt huius commotionis.

MCCCL.

*Annus Iubilæus mutatur à papa.*

Anno Wighardi abbatis 8. dominicæ vero natiuitatis 1350. Clemens papa 6. annum indulgentiarum quem Iubilæum, Hebræorum imitatione appellabant, de centesimo, sicut Bonifacius octauus instituerat, constitutione solenni præmissa desuper in quinquagesimum reuocauit: pia consideratione motus, quod ætas hominum breuissima, viuendi in annum centesimum paucissimis tribuit facultatem. Celebratur itaque hoc anno Iubilæus secundus in vrbe Roma, Clemente papa iubente, multis vndique concurrentibus.

*Wilhelmus abbas Spanheimensis resignauit.*

Eodem anno Wilhelmus, 14. in ordine, abbas cœnobij mei Spanheimensis, libere ac sponte resignauit abbatiam in manus sui conuentus, circa festum sancti Laurentij martyris, qui senio & infirmitate grauatus eodem anno obijt, quinto calendas Octobris, in capella beatæ Mariæ semper Virginis, quam ipse à fundamentis in ambitu fundauerat, sepultus.

*Philippus fit abbas 15.*

Post cuius resignationem Philippus Meyvvin abbas 15. fratrum electione succedens præfuit annis 24. mense vno, diebusque 12. confirmatus à Gerlaco Moguntino archiepiscopo, quia Henricus (vt diximus) à papa depositus & excommunicatus fuit, à bonis & religiosis viris non habebatur pro episcopo.

MCCCLI.

*Imperator noua imponit thelonea.*

Anno Wighardi abbatis 9. Domini autem 1351. Carolus Imperator 4. ad complacẽdum principibus suis: quorum auxilio & fauore ad imperium peruenerat, multa thelonea noua circa Rhenum instituens, eis contulit, in dispendium Reipub. grauissimum. Verum cum mercatores per hoc nimium grauati commeatum Rheni deuitantes, ciuitatibus querimoniam attulissent, omnes se Imperatori vnanimiter opposuerunt. Argentinenses quoque Rhenum circa Argentinam cathenis & lignis concluserunt, quod naues neque ascendere neque descendere vllatenus potuerunt. Videntes autem principes se per hoc prouentibus tam veteris quã noui thelonei spoliari, concordiam & pacem cum ciuibus inierunt, & veteribus antiquisque contenti theloneis, nouis renunciauerunt.

*Argentinẽses occludũt Rhenum.*

*Inter matrẽ & filiũ bellum agitur.*

Eodem anno Imperatrix Margaretha, vxor quondam Ludouici Imperatoris 4. magno Bauarorum aliorumque coadunato exercitu contra filium suum Wilhelmum Hollandiæ comitem, pauperes & subditos suos minium crudeliter opprimentem, abincolis vt vnica terræ illius filia inuocata, expeditionem mouit, commisso autem super Mosam nauali prælio, quarta die mensis Iulij, hoc est in festo translationis sancti Martini, mater à filio vincitur, quæ fugiens cum paucis in Angliam descendit.

*Cometes apparuit.*

Eodem quoque anno, mense Decembri, cometes sub ipso Septentrione apparuit, quo extincto graues ventorum æstus subsequuti sunt, & cœlestis trabs à priori parte ardens per cœlum labi visa est.

MCCCLII.

*Duo canonici Colon. occisi.*

Anno Wighardi abbatis 10. qui fuit Domini 1352. Reinardus filius de Spanheim & Ernestus de Molenack, canonici maioris ecclesiæ Colonensis, feria sexta ante palmas, in curia officialis Coloniæ. pro vili causa ex temeritate à primoribus ciuitatis nimis crudeliter fuerunt interfecti.

*Cœlestis flamma.*

Eodem anno cœlestis flamma post solis occasum inter Zephyrum & Austrum latissime

tissime excrescens,terribileque ostentans incendium,cum magno tandem murmure per cœlum dilabitur.

Eodem quoque anno obijt Clemens papa 6. cui Innocentius quoque 6. natione Lemouicensis succedens,præfuit annis 9. & mensibus octo, vir bonus & amator religiosorum,canonista maximus,qui Carolum postea Imperatorem coronauit. *Innocentius fit papa 6.*

MCCCLIII.

Anno Wighardi abbatis 11.Domini vero 1353.in profesto S.Thomæ Apostoli obijt Henricus de Vernenberg,quondam archiepiscopus Moguntinus,à Clemente papa 6. (vt supra diximus)dudum depositus.Hic etiam post depositionem suam,quod sæpe diximus, vt archiepiscopum se gerebat, quamdiu vixit Ludouicus Imperator quartus : licet Gerlacus promotus & ordinatus à papa maiorem haberet obedientiam,plurésque ciuitates,oppida & castella maxima, in Thuringia Erfordiam,& in Hassia pene omnes,qui prima vice mandatis Apostolicis obediebant.Mortuo autem Henrico Gerlacus ecclesiam Moguntinam pacifice obtinuit,& solus annis 16.præsedit. *Henricus quondã archiepiscopus Mogunt.obijt. Gerlacus. Gerlacus archiepiscopus Mog.*

Eodem anno, in die S.Erasmi, Ludouicus Marchio Brandenburgensis, Rupertus qui & Adolphus senior comes palatinus Rheni,& Ioannes Burggrauius Nurenbergensis, tanquam arbitratores electi,diuisionem faciunt vlteriorem terrarum inferioris Bauariæ inter duces,filios Ludouici quondam Imperatoris quarti , Stephanum scilicet , Wilhelmum & Albertum,vt patet in literis. *Bauaria diuisio.*

Anno quoque prænotato,cœlestis flamma longum post se trahens extinctum limitem denuo apparuit,& à Septentrione ad Austrum repente ferebatur.Multa quoque & alia apparuêre stupenda. *Flamma in cœlo.*

MCCCLIIII.

Anno Wighardi abbatis 12. Domini vero 1354. Carolus Rom.rex in mense Ianuario, solennem conuentum principum habuit in Moguntia : vbi inter multa quæ ad reipub.commoditatem statuit,etiam de Romana profectione pro corona imperij adipiscenda,quod sequenti anno contigit,tractauit. *Conuentus principum Moguntiæ.*

Eodem anno calend.Februar.ob jt Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis,vir perpetua memoria dignus,qui ordinarium Breuiarij totius annis emendans & corrigens , in eam formam qua meus est,restituit,& ecclesiam suam multis diuitijs & honoribus supra omnes prædecessores suos magnifice ampliauit. Huic successit Boemundus de Edendorf, & præfuit annis 12. *Baldeuinus archiepiscopus moritur. Boemundus fit archiepiscopus Treuerensis.*

Eodem quoque anno currente, 5. idus Martij, hoc est in profesto S. Gregorij papæ Magni,obijt Wighardus huius nominis primus,præsentis monasterij Hirsaugiensis abbas in ordine,à prima fundatione,32. de cuius vita,conuersatione & gestis, parum huic operi nostro inserere potuimus , propterea quòd paucissima eorum,ad nostram memoriam peruenerunt. Erat enim tempus illud nebulosum,& ignorantiæ tenebris plenum: quando perijt,non solum in hoc monasterio Hirsaugiensi, sed in omnibus quoque monasterijs nostri ordinis,pene in tota Germania obseruantia regularis: & monachi, carnis voluptatibus dediti,studium literarum,quod maiores nostros quondam fecit glorioſos, penitus abiicientes: nihil minus,quam suorum gesta cõscribere prælatorum cogitabant. Hinc factum est, huius quoque insignis cœnobij actuum memorandorum turpe silentium, quia nullus fuit à tempore Euerhardi abbatis, vsque ad Fridericum eius nominis secundum , per annos ferme septuaginta supra ducentos , qui gesta & successiones abbatum clare(vt alij fecerant olim) describeret. Vnde per totum id tempus , breuiter necessario transiuimus. *Wighardus abbas moritur.*

## *DE WIGHARDO SECVNDO, HVIVS MONASTERII Abbate 33. qui præfuit annis 5.mensibus 2.diebus 21.variisque actis.*

MORTVO autem domino Wighardo primo, huius cœnobij abbate 32. traditoque iuxta morem ordinis eius corpusculo ecclesiasticæ sepulturæ , ne oues diu sine pastore,aut animarum suarum aliquod incurrerent periculum,aut in re familiari(vt fieri solet) paterentur detrimentum:præstituta die ad eligendum , prout res postulabat , nouum pastorem,fratres in vnum conuenerunt anno prænotato,dominicæ videlicet natiuitatis 1354. indictione Rom.7. altera die S. Gregorij papæ, quæ fuit sexta feria,& mensis Martij dies 13. habitoque inter se necessariò tractatu de forma electionis , màior pars fratrum elegit(cæteris assentientibus)dominum Wighardum eius nominis secundum , prioris ex

sorore nepotem, virum vtique illo tempore, scientia, moribus, & experientia inter plures meliorem: qui confirmatus & ordinatus à Gerhardo de Errenberg, Spirensis ecclesiæ episcopo, cum magna solennitate, præfuit huic monasterio Hirsaug. annis 5. mensibus 2. diebus 21. qui sexta feria electus, & post mensis spacium confirmatus, benedictionem suam in festo sanctorum Philippi & Iacobi Apostolorum hîc in monasterio suscepit. De cuius gestis, cum aut nihil, aut parum literis sit commendatum, nos etiam pauca huic operi nostro inserta posteritati nota facere potuimus. Causam huius, paulo ante palam consignauimus.

*Salamannus episcopus Wormatiensis obiit.*

Anno prænotato Domini 1354. currente, qui fuit ipsius Vvighardi primus inchoatus, obijt Salamannus episcopus Vvormatiensis: cui successit Theodoricus, filius cuiusdã militis, ex eorum genere, qui vsque in præsentem diem nuncupantur Bauari de Boportdia, genus antiquum & olim priuilegiatum, præfuitque annis nouem, & habuit dissentiones cum ciuibus.

*Theodericus succedit.*

*Innocentius papa confirmat priuilegia.*

Eodem quoque anno octauo, cal. Decemb. Innocentius papa sextus, anno pontificatus sui tertio nondum expleto, ad instantiam Vvighardi abbatis confirmauit omnia & singula huius monasterij bona & priuilegia Romæ apud sanctum Petrum residens.

MCCCLV.

*Carolus quartus Romæ coronatur.*

Anno Vvighardi abbatis 2. qui fuit Domini 1355. Carolus 4. Rom. rex cum magna comitiua, principum, nobilium, equitum & peditum Romam profectus, vna cum regina coronam imperij cum magna solennitate & tranquillitate suscepit. Sunt qui scribant, eũ coronam imperij suscepisse de manu cardinalis Hostiensis, missi ad hoc ab Innocentio papa ex Auinione.

*Terræmotus Basileæ partem subuertit.*

Eodem anno, in mense Septembri, quodam die circa nonam horam, terræ motus ingens circa Basilæam & Argentinam factus est, quo impellente magna Basiliensis ciuitatis pars subuersa est, & multa in circuitu ædificia murique & castra in montibus fortissima corruerunt, hominesque plures misere oppressérant.

*Ioãnes Brabantiæ dux moritur.*

Anno quoque prænotato, Ioannes eius nominis 3. Brabantiæ dux, cum se moriturum ex infirmitate cerneret, monachicum ordinis S. Benedicti habitum assumpsit, munitusque sacramentis salutaribus sexta die mensis Decembr. in Domino deuotissime quieuit, sepultus in Veleer nostri ordinis cœnobio, relinquens duntaxat vnicam filiam, Ioannam nomine, quam Vvenceslaus comes Lutzenburgensis frater Caroli Imperatoris duxerat vxorem, cum qua Brabantiæ ducatum ad ius suum contendebat esse deuolutum.

*Pro ducatu Brabantiæ contentio.*

Vnde inter episcopum & Flandriæ comitem Ludouicum, grauis fuit suborta contentio, qui tandem arbitrantes in Vvilhelmum Hannoniæ, Hollandiæque comitem filium Ludouici quondam Imperatoris concordati fuerunt.

MCCCLVI.

*Conuentus principum Metis habetur.*

Anno Vvighardi abbatis 3. Domini vero 1356. Carolus Imperator ex Italia reuersus, in ciuitate Metensi conuentum habuit solennem principum, vbi omnes totius pene regni principes concurrentes, regalia sua de manu Imperatoris ex more susceperunt. Multi etiam ex Gallia illuc principes ac nobiles conuenerunt, quibus Carolus ipse notus & charus extitit, vtpote qui & diu olim apud Parisios operam literis dederat, & in auxilium regi Francorum cum patre suo rege Bohemiæ aduersus regem Angliæ aliquando pugnaturus erat. Aderat in hoc solenni conuentu principum, quidam archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus, ad confirmandam pacem totius regni, qui ob reuerentiam summi pontificis, solus cum Imperatore in vna mensa cibum sumebat, cæteris principibus, electoribus, iuxta cuiuslibet officij rationem ministrantibus, semel, & postea in locum suum, secundum consuetudinem residentibus. Ibi Vvilhelmus Marchio Iuliacensis, consensu principum, in ducem à Carolo sublimatus est, & Marchionatus eius de Iuliaco in ducatum cum ingẽti pompa commutatur. Vvenceslaus quoque Lutzenburgensis comes, frater Caroli Imperatoris, & gener Ioannis ducis vltimi Brabantiæ, quem anno priore obijsse diximus, in ducem similiter eleuatus est. Iste dux Vvenceslaus filius Ioannis Bohemiæ regis, nepos Henrici Imperatoris 7. & frater (sicut diximus) Caroli 4. homo genere nobilissimus, eruditione literarum doctus, in re militari strenuus, vita & moribus vix alteri secundus, iustitia, clementia & pietate magnificus: nescio quo iudicio diuino semper infortunatus, omnium præcipuorum actuum suorum finem votis suis contrarium frequẽter, & damnis obnoxium habuit. Ducatum Brabantiæ cum vxore obtinuit, quem vna cum Lutzenburgensi per annos ferme 28. gubernauit, de cuius morte anno Domini 1383. postea scribemus. In eodem conuentu principum Metis habito, comitatus terræ Barensis in marchionatum

*Legatus apostolicus.*

*Marchio Iuliacensis fit dux.*

*Comitatus Lutzenburgẽsis fit ducatus.*

*Wenceslaus dux primus Lutzẽburgensis.*

*Comitatus Barensis marchionatus.*

natum sublimatus est, quanquam in vulgo nomen comitatus, apud plærosque etiam hodie per ignorantiam maneat. Bullam dictam auream, quia sigillo sit aureo roborata, de Imperatorum Romanorum delegendo idem Carolus indicta conuentione principum ad vtilitatem reipub. de consensu omnium principum electorum & regni conscribi fecit & confirmauit. His rite peractis conuentu soluto cum vxore transiuit de ciuitate in ciuitatem, & de monasterio ad monasterium, sanctorum reliquias vbique diligentissime inquirens, exinuentisque multas precibus, quas spernere poterat nullus, obtinuit, quas ad gloriam & decorem ecclesiarum gentis suæ Bohemis inuexit.

*Bulla Caroli aurea.*

MCCCLVII.

Anno Vvighardi abbatis 4. Domini autem 1357. Vvilhelmus comes Palatinus Rheni Bauariæque dux & comes Hollandiæ, Hannoniæ, Selandiæ, ac Phrygiæ dominus, filius Ludouici quondam Imperatoris quarti, de quo multa suis locis supra diximus, postcaquam terras illas non sine tyrannide gubernasset annis fere 12. nescio cuius machinatione veneno (vt dicebatur) sumpto, vesanus effectus est: qui custodiæ manciparus, per viginti annos vsque ad mortem ita permansit, & vesanus in carcere obijt, anno (vt infra dicemus) à natiuitate Domini 1377. Et quia filios non habuit, Albertus frater eius comitatus & dominia Hollandiæ, Hannoniæ, Selandiæ ac Phrysiæ post eum suscipiens, per annos 47. strenue gubernauit, eratque in ordine successionis comitum Hollandiæ 21. vxorem habuit Margaretham filiam ducis Brigensis, quæ peperit ei duos filios, Vvilhelmum qui patri successit in comitatibus præscriptis, & Ioannem episcopum Leodiensem, de quibus suis locis rememoratio fiet, & filiam vnicam nomine Catharinam, quæ primo fuit desponsata Eduardo Gelriæ duci, qui frater erat Reinhardi ducis captiui. Sed priusquam nuptiæ celebrarentur, in quodam bello fuit occisus, anno Domini 1371. vt ibi dicemus. quo mortuo, sponsa eius adhuc virgo & iam vidua, nulli deinceps matrimonio iungi consensit, nisi de sanguine ducum esset Gelrensium. Nupsit ergo tandem Wilhelmo filio ducis Iuliacensis, ex Sophia, filia illustris viri Florentij de Mechlinia, prima vxore Reinhardi primi ducis Geltriæ, patris Eduardi prioris sponsi eius, de quo supra diximus.

*Wilhelmus comes Hollandiæ vesanus incarceratur.*

*Albertus post fratrem regit Hollandiam annis fere quadraginta septē.*

*De filiis Alberti.*

*De filia ducis & comitis Alberti.*

MCCCLVIII.

Anno Wighardi abbatis 5. qui fuit Domini 1358. obijt Albertus dux Austriæ, filius Alberti quondam regis Rom. relinquens post se Lupoldum filium & ducem, à quo genealogia Maximiliani regis nostri, qui hodie imperat, continuatur, vt per ordinem in sequentibus patebit. Albertum quoque ducem Austriæ, qui fundauit vniuersitatem Viennensem in Austria. Rudolphum quoque ducem, qui fundauit præpositurā S. Stephani protomartyris in Vienna, & comitatum Tirolis, Austriæ ducatui coniunxit: qui vxorem habuit Catharinam, filiam Caroli Imperatoris quarti: & Fridericum ducem, qui sine liberis obijt. Filias quoque reliquit duas Margaretham Marchionissam Brandeburgensem, & Catharinam abbatissam sanctæ Claræ in Vienna.

*Albertus dux Austriæ moritur.*

Eodem anno magna fuit ab initio Augusti pestilentia vsque ad natalem Domini, per totam fere Alemaniam, & multa millia hominum hoc morbo breuissimo tempore perierunt.

*Pestilentia magna.*

Anno quoque prænotato inter Ludouicum regem Vngariæ & Venetos bella grauissima suborta fuerunt, propter regnum Dalmatiæ, quod Veneti multis annis regibus Vngariæ reclamantibus possederunt. Collecto itaque rex Ludouicus tam suorum quam Teuthonicorum magno exercitu, Dalmatiam cum potentia ingreditur, & primo quidem obtinuit ciuitatem Iadernsem, deinde ciuitates maritimas, postremo Dalmatiam totam. Dehinc etiam fines Venetorum ingreditur, captisque nonnullis eorum munitionibus, magnum eis sui terrorem incussit. Vnde necessitate compulsi, pacem petierunt, quam eis rex non solum concessit, sed etiam munitiones eorum quas iure ceperat bellico, præter ipsum regnum Dalmatiæ, restituit: iuramento ab eis accepto, quod neminem in his terris quas eis restituerat, propter fidelitatem regi antea exhibitam in aliquo offenderent, aut punirent: quod tamen minime seruarunt.

*Inter Vngariæ regē & Venetos bellum agitur.*

MCCCLIX.

Anno Wighardi abbatis 6. Domini vero 1359. Eduardus Angliæ rex Ioannem Frāciæ regem & Philippum filium eius, quos anno priore in bello ceperat, liberos sub certis cōditionibus dimisit, quibus non obseruatis anno sequente armatis supra centum & quinquaginta nauibus ingentem exercitum ducit in Galliam, & Parisium obsidens magna totam prouinciam clade affecit, igne & ferro deuastans omnia.

*Rex Franciæ captiuus liberatur.*

*Wighardus abbas moritur.*

Eodem anno quarto cal. Iunij, quæ fuit quarta feria post festum S. Vrbani papæ & martyris: obijt ipse Wighardus abbas huius nominis secundus, in ordine vero abbatum tertius & tricesimus, anno regiminis sui, VI. currente.

## *DE WIGNANDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XXXIV. qui præfuit annis 20. mensibus 10. diebus 20. variisque actis.*

*Wignandus fit abbas.*

*Annis præfuit ferme viginti.*

IAM vniuersæ carnis domino Wighardo huius nominis secundo, Hirsaugiensis monasterij abbate 33. sicut diximus ingresso, atque cum debita solennitate sepulto, vt moris tunc erat, prior & fratres spirituali pastore orbati, eodem mox anno, vltima die mensis Maij, qui fuit sexta feria post Vrbani, pro electione noui patris ad locum capitularem conuenientes, necessariis inter se consilijs tractatibusque præmissis, Wignandum ex suo collegio monachum, in abbatem huius monasterij 34. præfecerunt, qui ab episcopo Spirensi Gerhardo de Errenberg, confirmatus ex more, & ordinatus, præfuit in abbatia annis viginti, mensibus decem, & diebus viginti: de cuius gestis, pigritia & ignauia monachorum id causante, aut nihil aut parum deducere possumus ad notitiam posteritatis, quia & supra memoriam eorum qui hodie viuunt, acta sunt, & à nullo literis (vt opportuerat) commendata. Nam posteaquam amor & studium literarum à monachis deficere cœpit, vnà cum disciplina obseruantiæ regularis: mirandum non est, si nec monasteriorum suorum conditiones pro tempore sæpius variatas, nec successiones actaque suorum literis mandauerint abbatum: cum ex his qui hodie viuunt, sub reformationis Bursfeldinæ titulo, nec vnum quidem inuenire potuerimus de omnibus, qui veterum exemplo animatus, vel scribere nouam, vel continuare diu inchoatam proprij sui monasterij Chronicam, ad informationem posteritatis aut velit aut possit. Proh pudor, dicere de multis abbatibus qui sanctam obseruantiam regularis vitæ cum suis monachis profitentur, qui historiæ vtilitatem ignorant, quid nobis opponant compellor. Aiunt enim, Quid nobis scire, conducere potest fundationis monasteriorum nostrorum antiquitas? quid abbatum vel successiones vel gesta reducere ad memoriã confert, qui in puluere mortis dormiunt, nec vllis laudibus demulcentur? O iam sepulti, ignaui homines viui, quorum peribit memoria cũ sonitu, quam sitis asinini, ac rudis ingenii, palam ostenditis, qui bonum contemnitis historiarum, quod absequi non potestis. Historia viuis tam præsentibus, quam futuris conscribitur, non mortuis: vos ergo, si viueretis intellectu, historias vtique amaretis. Neque enim si tollatur historia Euangelij sacrosancti memoria, neque martyria & passiones sanctorum, ad nostram scientiam deueniissent. Valeant ergo viui homines ignorantia sepulti, & sibi viuant solis ignauia sua contenti, nulli vtiles, nullique in bonis actionibus vel studijs imitabiles. Nos autem nostra prosequamur.

*Quod monachi non scribant annales conqueritur author.*

*Excusatio vana monachorum ignorantiæ.*

*Sine historia fides euanescit.*

Circa hæc tempora Albertus dux Bauariæ, comesque Hollandiæ, Selandiæ, Hanoniæque ac Frisiæ dominus, obsedit oppidum Hollandiæ Delft nominatum propter inobedientiam & rebellionem ciuium, quo capto muros & portas vsque ad solum euertit. Castrum quoque Heemskirch funditus destruxit.

*Delft oppidum Hollandiæ captum.*

MCCCLX.

*Conuentus principũ in Eslingen.*

Anno Wignandi abbatis 2. currente cum annis Domini 1360. Carolus Imperator in oppido Sueuiæ Eslingen, pro quibusdam causis imperij principes conuocauit, vbi cum die quadam in refectorio conuentus fratrum Minorum sua cum illis tractaret consilia, seditione ciuium orta contra Imperatorem & principes tumultus concitatur, qui mox recedens ab oppido comiti Wirtenbergensium, Euerhardo commisit, quatenus tantam contumeliam sibi illatam compensaret. Qui suorum, & ciuitatum imperialium coadunato exercitu Eslingen obsidione circũuallauit, fortiterq; oppugnare cœpit. Videntes autem in malo se positos ciues, & tantæ multitudini non posse resistere, pacem pecunia interueniente acceptarunt, Imperatori pro satisfactione aureorum sexaginta millia, comitique Euerhardo pro impensis habitis triginta millia pendentes, & sic quassatio tumultus centum millibus empta quieuit. Graues inter Boëmundum Treuirorum archiepiscopum comitesque de Spanheim & Starckenburg discordiæ his fuere subortæ temporibus, propter castella quædam atque dominia. Sed interuenientibus amicis, Valramus comes de Spanheim in concordiam cito cum archiepiscopo redit. Comes autem de Starckenburg, agros, villas & possessiones ecclesiæ Treuerensis ferro & incendio grauiter deuastare cœpit, multaque damna intulit. Archiepiscopus autem collecto exercitu Einkirch villam comitis in littore Mosellæ positam, cum ipsa munitio-

*Eslingẽ obsidione cingitur.*

*Contentio inter archiepiscopum Treuerẽsem & comitem de Spãheim. Einkirch subuertitur.*

munitione quam fecerat sub castello Starckenburg, pro exigendo à nauiganti bus theloneo, ipso, vt principe terræ con radicente cepit, ac funditus destruxit. Quod videns comes, ac deteriora metuens, gratiam pontificis per nuncios postulauit, & cum venia accepit.

His quoque temporibus Carolus Imperator quartus, cum esset vir doctus, quippe qui in gymnasio Paryssiorum multo tempore operam literis dederat, amaretque præ cæteris viros eruditos, vniuersitatem Pragensem pro decore Bohemiæ regni laudabiliter instituit, quæ multis priuilegijs & donationibus ab eo illustrata, in breui tempore vltra omnes totius Germaniæ vniuersitates gloria & numero personarum creuit: quousque tandem post annos ferme quinquaginta, multis commaculata hæresibus, quæ notæ sunt omnibus, in nihilum redigitur. Episcopum quoque Pragensis ecclesiæ, pro honore regni qui eatenus sub archiepiscopo Moguntino fuerat, suffraganeus in archiepiscopum auctoritate apostolica sublimauit, multisque priuilegijs decorauit, subijciens ei suffraganeos & episcopos more aliorum. Multas in Bohemia de nouo fundauit ecclesias, fundatasque tam à se quam ab antecessoribus suis, reliquijs, ornatibus, picturis, clenodijs, & varijs donationibus magnifice honorauit. Aulam villæ Ingelheim, non longe à Moguntia & Rheno, quam Carolus Imperator magnus pro castro residentiæ maiestatis suæ cis Rhenanæ quondam habuit, in quo & natus, & gladium ab angelo contra Saracenos pugnaturus (qui Norinbergæ annue ostenditur) accepisse cœlitus missum, incolarum fide creditur: in monasterium canonicorum regulæ S. Augustini cõmutauit, statuens, neminem in eo ad religionem suscipiendum, nisi in Bohemia natum: ep ita hactenus seruatur, vsq; in præsentem diẽ, per annos non minus centum quadraginta quatuor. Subiecit autẽ ipsum cœnobium abbati monasterij S. Caroli, in Praga pro tempore existenti, ad quẽ eius visitatio debeat pertinere. Festum quoq; lanceæ, clauorum & coronæ Domini nostri Iesu Christi, feria sexta post octauas paschæ singulis annis per vniuersum orbem Christianum, celebrãdum, impetrauit à papa cum magnis indulgentijs, gratijs & remissionibus peccatorum.

*Vniuersitas Pragensis fundatur.*

*Episcopus Pragensis fit archiepiscopus.*

*Cœnobium regulariũ in Ingelheim.*

*Memoria Christi lanceæ instituitur.*

MCCCLXI.

Anno Wignandi abbatis 3. qui fuit Domini natiuitas 1361. mense Feb. quadam die aduesperante cœlum ardere visum est, & ea nocte Wilhelmus primus dux Iuliacensis vir bellicosus magnanimusque moritur.

*Wilhelmus dux Iuliacensis obiit.*

Eodem anno Gerhardus comes Montensis, & Arnoldus comes de Blanckenheim, inueterato ad inuicem laborantes odio, se mutuo interfecerunt in ciuitate Colonienſi acutis lanceis hastiludium agentes, alter ab altero confixus.

*Duo comites se interfecerunt.*

Eodem quoq; anno post longam inter fratres de ducatu Gelriæ concertationem, postq̃ incendia & homicidia multa, tandem Eduardus victor existens fratrem suum Reinardum cepit, quem custodiæ mancipatum vsque ad vitæ finem per annos decem conseruauit, adeptusque ducatum Gelriæ, sine alicuius contradictione regnauit.

*Dux Gelrẽsis fratrem suum capit.*

MCCCLXII.

Anno Wignandi abbatis 4. Domini vero 1362. exeuntes quidam latrunculi de Anglia per Hispaniam & Franciam discurrebant, deprædatione, incendio & ferro, multa incolis terræ damna & incommoda in villis, maxime vbi non erat defensio irrogantes. Qui cum numero simul creuissent & audacia, capitaneum super se constituerunt, quem archipresbyterum communi vocabulo appellarunt. Ipsa autem multitudo latronum, societas magna vel Anglicana dicebatur, habens plusquam 40000. virorum ad pugnam procedentium. Qui peruagatis Hispania & Francia, fines tandem Treuerensium ingrediuntur, omnia incendio & rapina vastantes. Quorum aduentu Boëmundus archiepiscopus audito Cunonem de Falckenstein, coadiutorem suum, Wenceslaum Lutzenburgij & Brabantiæ ducem, Walramum comitem de Spanheim, comitem quoque de Veldentia, & comitem de Starckenburg, cum multis alijs comitibus, baronibus, nobilibus & pugnatoribus misit contra illos: qui mox, vt tot contra se conuenisse principes intellexerunt, terga vertentes, de finibus Treuerorum recesserunt, & Alsatiam intrantes, multa circa Argentinam villanis damna intulerunt, diripientes quicquid vsq; reperissent. Venit ergo nocte maledicta illa societas ad muros Argentinenses, & in circuitu ciuitatis se locauit, Koningshouen, & omnia in vicino situata villagia igne consumpsit. Portæ autem ciuitatis clausæ tenebantur, nec quisquam permittebatur egredi quamdiu illo manserunt. Quoscunque reperissent in agro & viculis affectos, inauditis supplicijs trucidarunt, nisi pecunia se redimerent. Nulli tuto, sine saluo conductu eorum transire licebat, quem cuicunque dedissent, inuiolabili firmitate seruassent. Mulieres & virgines moniales & iuuenculas quotquot inuenissent, insatiabili genere libidinis constuprabant, multasq;

*Magnã societas Anglicana deuastat omnia.*

*A finibus Treuirorũ pulsi sunt.*

*Archipresbyter deuastat Alsatiã terram.*

*Crudeles in pauperes fuere.*

ex eis occiderunt. Masculos iuuenes in seruitutem captiuos seruabant. Verum quia fama eorum præcessit aduentum, quicquid mobile erat, rustici ad ciuitates & loca munita importauerant. Oppida quidem plura obsidione vallabant, sed cum eis deessent machinæ ad expugnationem necessariæ, nullum omnino capere potuerunt. Interea ciues Argentinenses cum Alsaticis, literas & nuncios ad Carolum Imperatorem tunc Franckofordiæ cum principibus existentem, pro auxilio implorando miserunt, quibus in breui venturum se cum exercitu promisit Imperator. Sed sæpe interpellatus, cum aduentum suum semper promitteret, semper differret, magnam de se conspirationis cum societate Anglicana clam initæ Alsatijs dedit, propterea quod desolari tam nobilem prouinciam à vilissimis latrunculis permisit. Tandem verecundia ac necessitate compulsus exercitum in Alsatiam misit, quo appropinquante latronum caterua fugiendo recessit: quos cum nostri persequendos decernerent, tanta velocitate fugientes vsi sunt, vt iter eorum vnius diei, nostri conficere in quatuor diebus non sufficerent. Post recessum vero latronum, exercitus Imperatoris per Alsatiam discurrens, maxima incolis damna fecit, conculcando & annihilando frumenta in agris, quoniam messis proxima erat, in tantum vt grauiora ab amicis quam ab hostibus viderentur incommoda perpessi. Vnde fames magna subsecuta est, quæ totam Alsatiam per annos sex continuos grauiter afflixit.

*Imperator ad auxiliū vocatus est.*

*Fugātur de Alsatia latrones.*

Anno prænotato Bohemundus archiepiscopus Treuirensis podagra senioque grauatus Cunonem de Falckenstein Mogunt. ecclesiæ canonicum Henrici archiepiscopi contra Gerlacum aliquando coadiutorē, in canonicum Treuerensis ecclesiæ creari fecit, & in coadiutorem assumpsit, committens ei totius ecclesiæ ac patriæ negotia tractanda, qui glorioſissime aduersum hostes ecclesiæ præfatæ, vbique triumphans moxin exordio constitutionis suæ miranda perpetrauit. Vnde gauisus Bohemundus ab Innocentio papa sexto, precibus obtinuit consensum archiepiscopatum Treuerensem Cunoni resignandi: quod cum papa libenter annueret, Bohemundus pontificatu abdicato Cunonem habuit successorem, pro sustentatione sui oppidum & arcem Sarburg, cum attinentijs & prouentibus quoad viueret ab eo recipiens, annis quinque superuixit.

*Cuno fit coadiutor Treuirensis.*

*Cuno fit episcopus Treuerensis.*

Anno præscripto obiit Innocentius papa 6. cui successit Vrbanus quintus, Massilienſis abbas, ordinis sancti Benedicti, & præfuit annis 8. vir doctus & sanctissimæ conuersationis, qui crucem prædicari fecit contra Turcos, & multa bona patrauit. Claruit his temporibus deuota Christi famula S. Brigitta, regina quondam Suetiæ, multis illuminata reuelationibus diuinis, quæ regnum contempsit mundanum amore cœlestis, exiensque de terra & cognatione sua, ad limina peregrinabatur sanctorum, ieiunijs, eleemosynis & orationibus vacans continue. Hæc venit in Auinionem ad Vrbanum papam 5. missa à domino nostro Iesu Christo pro confirmatione regulæ suæ quam fecerat.

*S. Brigitta in precio habetur.*

Anno etiam prænotato obiit Wilhelmus de Gennep archiepiscopus Colonienſis, ingentem relinquēs thesaurum in auro & argento vinoque & bladis. Vacauit autem sedes mensibus decem.

*Wilhelmus archiep. Colonienſis obiit.*

## MCCCLXIII.

Anno Wignandi abbatis 5. Domini vero 1363. obiit Gerardus episcopus Spirensis, in maiori ecclesia sepultus, cui Lampertus de Buren abbas monasterij in Gegenbach, ordinis sancti Benedicti Argentinensis diœcesis immediate succedens præfuit annis octodecim, quibus euolutis auctoritate Vrbani papæ sexti, ad episcopatum Bambergensem nobilem & exemptum translatus est.

*Lampertus fit episcopus Spirensis.*

Eodem anno Ioannes de Virnenberg, maioris ecclesiæ decanus, per capitulum in archiepiscopum Colonienſem electus est, qui pro confirmatione sua perrexit in propria persona ad curiam: sed Vrbanus papa 5. eius electionem non solum confirmare noluit, sed etiam penitus cassauit, Adolphumque fratrem comitis de Marcha episcopum Monasterienſem, hominem carnalem iuuenemque, in archiepiscopum Colonienſem contra voluntatem capituli sublimauit, qui mensibus duntaxat præfuit 10. & postea resignauit pontificatum in manus papæ Vrbani sponte, vt anno sequente dicemus.

*Adolphus fit archiepiscopus Colonienſis.*

Anno quoque prænotato obiit Theodoricus Bauarus de Bopardia, episcopus Wormatienſis: cui successit Ioannes dictus Schadland, ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ doctor, prouisione Apostolica: & præfuit annis 13. habuitque multas cum ciuibus dissensiones. Hic nuncius papæ & inquisitor hæreticæ prauitatis, administrauit aliquandiu ecclesias episcopales non vltimæ dignitatis, sicut Hildeshemensem in Saxonia, Augustensem in Vindelicia, Culmensem in Prussia, & Constantiensem in Suevia.

*Ioannes fit episcopus Wormatiēſis.*

MCCCLXIV.

MCCCLXIIII.

Anno Wignandi abbatis sexto, qui fuit Domini millesimo trecentesimo sexagesimoquarto, Adolphus archiepiscopus Colonienſis accusatus apud sedem apostolicam, quod rerum ecclesiasticarum dilapidator, nihil indignum pontificatu haberet, non vi, non metu, sed voluntarie archiepiscoparum resignauit. Engelberto de Marchia episcopo Leodiensi patruo suo, Vrbano papa quinto consentiente, & ei de nouo, vt moris tum erat, de Colonienſi ecclesia prouidente, qui præfuit annis quatuor, non satis vtiliter. Adolphus autem resignato pontificatu, non sine damno ecclesiæ Colonienſis, amore cuiusdam puellæ sororis comitis Montenſis, cum qua sperabat se comitatum Cliuensem consequuturum eam duxit vxorem, quamuis Monasterienſem episcopatum annis 5. & Colonienſem mensibus 10. sine ordinibus sacris vt pontifex gubernasset. Nec eum fefellit opinionis præsumpta fiducia, comitatum enim quem optauerat cum vxore tandem obtinuit, ita quod vterque comitatus, Cliuensis videlicet & de Marcha, vsque in præsentem diem coniuncti permanent: licet Cliuensis postea (vt suo loco dicemus) in ducatum gloriose fuerit sublimatus.

*Adolphus archiepiscopus Colon. deponitur.*

*Engelbertus fit archiepiscopus Colonienſis.*

*Cleuis & Marchia communitio.*

MCCCLXV.

Anno Wignandi abbatis 7. dominicæ vero natiuitatis 1365. Carolus Imperator quartus, denuo Italiam ingreditur, & Vrbano papa Romæ inuento, collatione quorundam arcanorum cum eo habita, in Alemaniam cum suis nobilibus sanus reuersus est.

*Imperator Italiam denuo ingreditur.*

Hyems hoc anno prolixa fuit & asperrima, Rheno per menses fere tres congelato. Fames quoque & pestilentia magna in Alemania, multique homines alij frigore, alij fame, aliique peste perierunt. Claruit his temporibus Ioannes de Rupescissa, ordinis Minorum, nescio quo spiritu seductus, nisi proprio: qui multa prædixit in proximo futura de Antichristo, de generali conculcatione cleri, & de reductione totius orbis ad fidem Christianam, & multa alia quæ sibi reuelata diuinitus à Christo Iesu crucifixo dicebat. Scripsit de his multa & varia ad quendam cardinalem, quæ habentur: sed vtrum euenerint quemadmodum prædixit, iudicent qui libros eius legerint, historiarum periti censores.

*Hyems prolixa, fames & pestis.*

*Ioannes de rupescissa, ordinis Minorum.*

MCCCLXVI.

Anno Wignandi abbatis octauo, Domini vero 1366. inter episcopum & ciues Wormatienſes magna dissensio fuit pro institutione consulatus & sculteti, & quibusdam aliis ad iurisdictionem pertinentibus: quæ tandem per Rupertum comitem Palatinum Rheni, qui & Adolphus, consulatusque Moguntinensem & Spirensem, in die conuersionis sancti Pauli, anno præscripto ad pacem reducta est.

*Wormatiensium cõtentio contra Ioannem episcopum.*

His temporibus magna & firmissima inter ciuitates imperiales & liberas confœderatio facta est, quæ etiam principibus potentissimis in exordio sui formidabilis videbatur, sed diu non durauit. Sæpe tales confœderationes, quas ligas vulgariter Bund appellabant, non solum inter ciuitates, sed etiam inter principes iuratas confirmatasque legimus, & quotidie similiter videmus: sed mobilitas humana, nihil diu inuiolatum conseruat. Vnde conueniens prouerbium est:

*Mobile mouetur semper cum principe vulgus.*

*Confœderatio magna ciuium.*

MCCCLXVII.

Anno Wignandi abbatis 9. qui fuit Domin. natiuitatis 1367. obijt Bohemundus ante Cunonem archiepiscopus Treuerenſis, in maiori ecclesia Treuerenſi sepultus. Post quem ipse Cuno de Falckenstein, & dominus de Mintzenberg, matre natus filia comitis de Saruuerden, Bohemundo (sicut diximus) adhuc viuente, archiepiscopus ordinatus præfuit valde vtiliter annis 21. Hic Cũno archiepiscopus pro seruitijs Carolo Imperatori 4. multipliciter impensis Bopardiam & Weſaliam cum medietate Sterrenberg, quæ Baldeuinus quondam archiepiscopus à fratre suo Henrico Imperatore 7. in pignus expensarum ratione Imperij in Italia habitarum, obtinuerat, impignoratione arctiori pro summa maxima impetrauit, ita quod posterioris impignorationis summa, maior fuerit prioris. Erat n. Cuno vir prudentissimus, qui à natura ad regimen etiã multarum ecclesiarum natus videretur, laboriosus, strenuus, & ingenio acutissimus, & cui nullus suo tempore inueniretur similis.

*Bohemundus archiepiscopus obyt.*

*Bopardia & Weſalia impignoratur Treuerenſibus.*

*Comitũ de Eberſtein & Wirtẽbergenſium grauis diſſenſio.*

Anno prænotato graues discordiæ fuerunt inter Euerhardum comitem Wirtenbergensem, & comites de Ebersteĩ, quæ breui in magnum vtriusque partis detrimentum

succreuerunt. Cum ergo Vvirtenbergensis quodam die in balneo esset naturali, quod Sylvestre vulgariter *Vuilthad* appellamus, comes de Eberstein cum exercitu veniens occulte, locum obsidione cinxit, sperans se comitem intus comprehensurum. Sed inanis eum confidentia fefellit. Nam à quodam rustico noctu conductus per nemora ad loca tutiora manus eius sine læsione euasit, & subsecuta sunt inter eos grauissima bella, incendia & rapinæ. Omnes enim ferme nobiles cum præfato comite de Eberstein, conspirantes aduersus Vvirtenbergensem, præter solos ciues in Eslingen, qui cum Euerardo comite senserunt, sumptis armis prælia suscitauerunt.

*Engelbertus obiit.*

Eodem quoque anno Engelbertus archiepiscopus Colonien sis & maximis oneribus debitorum grauatus, paralysi quoque non immodice dissolutus, sentiens se ob id minus ad regimen pontificatus sufficere, consentiente capitulo suo Cunonem archiepiscopum Treuerensem supra dictum, in coadiutorem assumpsit, cui administrationem ecclesiæ omnimodam in spiritualibus & temporalibus, Vrbano papa 5. approbante, commisit. Engelbertus autem archiepiscopus hac prouisione completa, ad priuatæ vitæ tranquillitatem se contulit, & certis pro vsu vitæ suæ retentis prouentibus, non diu superuixit.

MCCCLXVIII.

*Euerhardus comes Wirtenbergẽsis.*

Anno Vvignandi abbatis decimi, Domini autem millesimo trecentesimo sexagesimo octauo, comes Euerhardus de Vvirtenberg, obijt, duobus filijs relictis, Vdalrico videlicet & Euerhardo, qui & ipsi postea multa prælia commiserunt.

Eodem anno, vigesima prima die mensis Augusti, obiit Engelbertus archiepiscopus Colonien sis: post cuius mortem archiepiscopatus vacauit annis duobus. Cuno enim archiepiscopus Colonien sis, quamuis à capitulo postularetur, esse noluit: sed iussu papæ Vrbani, administratorio nomine ecclesiam illam cum sua Treuirensi, satis strenue & vtiliter gubernauit. Cometes anno prænotato in quadragesima, cœlitus apparuit.

*Engers castrum.*

His quoque temporibus Cuno archiepiscopus Treuerensis sæpe dictus, castrum Engers cum fortalicio suo iuxta Rhenum, inter Confluentiam & Andernachum, satis pulchre construxit, quod ex nomine suo Cunenergers, voluit nuncupari, licet pauci nomen eius apponant.

MCCCLXIX.

Anno Vvignandi abbatis 11. Dominicæ vero natiuitatis 1369. circa festum paschale, Carolus Imperator 4. maximo suorum coadunato exercitu, Longobardiam contra Mediolanenses pugnaturus ingreditur, & vsque ad festum sancti archangeli Michaelis hinc inde discurrens, vincere in munitionibus existentes non potuit. Volebat enim dominium Mediolanense ad imperium armis reducere: & iniurias papæ Vrbani quarti, quas olim à vice comitibus, quum adhuc in minoribus esset, acceperat, qui eum coëgerant literas Apostolicas contra eos allatas comedere, vindicare. Sed quum pestilentia vehementer inuasisset exercitum, magna summa pecuniarum accepta, in signum superioritatis imperij, non sine magna displicentia papæ ad propria remeauit.

Hoc ipso anno ciues Colonienses priuilegia & libertates clericorum conati infringere, ecclesiastico interdicto biennio sunt subacti, & clerus iussu Cunonis administratoris ecclesiæ Colonien sis ciuitatem exiens, mensibus octodecim foris mansit.

Eodem quoque anno Gotfridus comes de Arnspurg, de consensu vxoris suæ comitatum suum Arnspurg, cum omnibus attinentijs suis, castellis, villis & prouentibus, in perpetuum tradidit ecclesiæ Colonien si possidendum, sicut etiam hodie ab archiepiscopo possidetur.

MCCCLXX.

Anno Wignandi abbatis duodecimo, Domini autem millesimo trecentesimo septuagesimo, factum est bellum magnum in vigilia sancti Bartholomæi Apostoli inter Wenceslaum Brabantiæ, & Lutzenburgij ducem fratrem Imperatoris Caroli, & Wilhelmum ducem Iuliacensem, iuxta Bæsuiler, & cæsis ab vtraque parte plusquam octo millibus hominum. Dux ipse Iuliacensis victor extitit, & Wenceslaum ducem cum alijs multis nobilibus captiuum abduxit: quem tandem post menses vndecim, metu Imperatoris, sine exactione liberum dimisit. Ab alijs vero pecuniam infinitam pene, pro eorum liberatione extorsit.

LECTO-

HACTENVS non tantum prior editio Basilienſis, Guilhelmo Radente procurante; ſed etiam ipſum cum illa à nobis collatũ autographũ, & in ſplendidiſſima bibliotheca Palatina conſeruatur, accurata Trithemii manu ad miraculum eleganter deſcriptum. Incertum autem, an auctor opus longius produxerit, & forte ad ætatem vſque ſuam, vt Spanheimenſe. Dubitationem mouet, quod in præfatione Spanheimenſis, ſcripta anno 1506. in eo cœnobio ita ait: *Chronicon Hirſaugienſis cœnobii hic quidem inceptis, ſed apud Herbipolin vrbem Francorum tandem compleui: opus magnum, & in duobus voluminibus partitum.* At in epiſtola ad Rogerium Sicambrum (quæ extat inter epiſtolas eius familiares Haganoã excuſas, pag. 320.) data Herbipoli anno 1507. ita ſcribit: *Ad preces Blaſii abbatis Hirſaugienſis Chronicon eiuſdem cœnobii ſcribere adorſus maiorem partem compleui: ſed illo mortuo editionem intermiſi, incertus qua mercede ſucceſſor eius laborem recompenſare futurus ſit.* Rurſus in Breuiario annalium Francorum, edito Pariſiis fol. 111. *Scripſimus*, ait, *iamdudum ad inſtantiam Blaſii & Ioannis abbatum, duo non paruæ quantitatis volumina Chronicorum ſiue annalium inſignis monaſterii Hirſaugienſis noſtri ordinis, quod ſitum eſt in diœceſi Nemetenſi ſiue Spirenſi: in quorum primo &c.* Et ſane aut ſubito ab indignante abruptam hoc loco ſcriptionem, maiore (vti dixit) parte completa, apparet: aut alterum inſuper paris magnitudinis volumen horum annalium deſiderari, dolendum eſt. Quam tamen (ſi ita eſt) iacturam, ſequens Chronicon Spanheimenſe integrum, ad auctoris vſque ætatem deductum, noſtraque opera nunc primum publicatum, magna ex parte ſarcire poterit.

# EPISTOLA IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPONHEIMENSIS INCHRONICON EIVSDEM COENOBII SVI FELICITER INCIPIT.

*Ad posteritatem Epistola.*

*IOHANNES TRITHEMIVS, ABBAS SPONHEIMENSIS, ORDINIS diui patris Benedicti, charæ posteritati, Deum timere, & à vitæ regularis tramite nunquam recedere.*

*Causa suscepti operis.*

ORIGINEM, fundationem & progressum præsentis monasterij nostri Sponheimensis, simul ac successiones abbatum eiusdem, scribere sæpius mecum statui: sed varijs mundi occupationibus semper impeditus, desiderio satisfacere meo hactenus non potui. Operæ namque mihi videbatur precium fore, si ea producerem ad posteritatis notitiam, quę & multo tempore, & magno labore, diuersis ex monumentis veterum colligere potui, ne per oblivionem à memoria mortalium penitus interirent. Fecerunt hoc ante nos in diuersis cœnobijs abbates & monachi plures, qui ad communem vtilitatem præsentium tunc, & postea futurorum, historias monasteriorum suorum, institutiones quoque, nomina & successiones abbatum eorundem, per ordinem temporis conscripserunt. Quorum ego prouocatus exemplo, quicquid inuenire de præsenti monasterio Sponheimensi vspiam potui, in vnum ordinare codicem, secundum seriem annorum Domini, studiosa meditatione curaui. Enimuero nec defuit laboribus diligentia, nec solicitudo continua nostram inquisitionem vnquam deseruit. Per annos ferme quindecim certis quidem intervallis multum laboraui, priusquam successiones abbatum & seriem in vnum potuerim ordinem comportare. Negligentia etenim illorum qui nos in presenti cœnobio Sponheimensi ex tempore præcesserunt, mihi laborē duplicauit; quoniā nihil aut parum literis cōmendarunt, quod mihi ad intentionem meam conduceret, & hoc ipsum quod literis commendatum exceperunt ab alijs, carie & situ quasi penitus videbatur consumtum. Feci tamen quod potui, & historiam, non qualem omnino volui, comportaui. Incipiens enim à prima fundatione monasterij præsentis, narrationem occurrentium historiarum per annos Dominicæ natiuitatis disposui, ad quorum consonantiam nomina abbatum & successiones, à primo vsque ad me qui sum quintus atque vicesimus per ordinem collocaui. Integritatem veritatis, quantum ego possum scire, seruaui in omnibus, nec sciens quicquam falsitatis inserui. Qui legeris ista me mortuo, dic, precor, mēte fideli: *Miserere DEVS animæ Trithemij, qui ista compilauit.* Simulque rogo lectorem, ne quicquam eorum quæ scripsimus condemnet, priusquam diligenter examinauerit, aut errorem inuenerit manifestum. Detestabile namque genus hominum est, lucubrationes virorum, quas nec imitari possunt nec facere meliores, impio dente corrodere; & quæ recte discernere nequeunt, præsumptuosa temeritate lacerare. Quin potius sicubi manifestum repereris errorem, Corrector beneuolus adesto: quia libenter admitto cum sincera charitate corrigentes. Sed de his iam satis. Cæterum est causa, qua moueor lucubrationum mearum omnium, quas edidi per annos tres atque viginti abbas præsentis monasterij Sponheimensis, per ordinem denotare, vt nouerit posteritas bene me semper voluisse: quamuis Nayatharum præpeditus insolentia, minime potuerim bonum perficere quod volui. In primis edidi opus magnum de vitijs atque virtutibus, libros 2. Item de tentationibus monachorum, lib. 2. In regulam S. Benedicti, lib. 1. Exhortationum ad monachos, lib. 2. De breuitate ac miseria præsentis vitæ, lib. 1. De visitatione claustralium, lib. 1. De modo celebrandi capitulum prouinciale, lib. 1. Statuta quoque prouincialis capituli, lib. 1. Statuta etiam annalis capituli, lib. 1. Chronicon Hirsaugiensis cœnobij hic quidem incepi, sed apud Herbipolim vrbem Francorum tandem compleui: opus magnum, & in duobus voluminibus partitum. Item Chronicon ducum Bauariæ, ad Philippum comitem Palatinum Rheni Bauariæque ducem, librum 1. Chronicon quoque huius cœnobij Sponheimensis, cui hanc Epistolam præposui, lib. 1. De ruina ordinis nostri penthyrum li. 1. De laude scriptorum manualium, lib. 1. Laudes ordinis Carmelitarum, lib. 2. Laudes S. Annæ, lib. 1. De institutione vitæ sacerdotalis, lib. 1. De scriptoribus ecclesiasticis, lib. 1. De illustribus Germaniæ scriptoribus, lib. 1.

*Difficultas susceptæ operis magna fuit.*

*Orationes legentis postulat.*

*Lector non iudicet priusquam examinauerit.*

*Lucubrationes Dn. Ioan. Trithemij.*

lib.1. De illustribus viris ordinis nostri, lib.4. De computo Ecclesiastico, lib.1. De triplici regione claustralium, lib.3. De spirituali exercitio monachorum, lib.1. Eiusdem breuiarium, lib.1. Quæstiones de Euangelio Iohannis, lib.1. Quæstiones de Psalterio, li.1. De continentia & virginitate, lib.1. De viduis, lib.1. De crucibus in hominum vestibus apparentibus, ad archiepiscopum Moguntinum epistolarū libros 4. Sermones multos & varios, cum quibusdam orationibus in capitulis, & alijs. His præmissis Lector vale. Die Octobris vltima, Anno 1506.

# CHRONICON HVIVS MONASTERII SPONHEIMENSIS, AB EXORDIO FVNDATIONIS SVÆ, COMPLECTENS SVCCESSIONES OMNIVM ABBATVM BREVITER, INCIPIT FELICITER.

ANno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MXLIIII. Illustris comes Euerardus, comes de Sponheim Ecclesiam in loco qui mons campi dicebatur antiquitus, fundauit, anno quinto Imperatoris Henrici huius nominis tertij, tempore Benedicti papæ noni, sanctam Ecclesiam Moguntinam gubernante Bardone venerabili episcopo, viro per omnia sanctissimo, qui & eandem Ecclesiam in honorem beatissimæ Dei genetricis & virginis Mariæ consecrauit VIII. calendis Iulij, anno Domini MXLVII. Comes autem Euerardus pro animæ suæ remedio, ad eandem ecclesiam contulit non pauca bona, quorum emolumento viuerent qui altari in eadem deseruirent. In primis decimam villæ Sponheim, cum familia & dominicali terra in agris, vineis, hortis, pratis, pascuis, syluis, cultis, incultis atque colendis, vijs atque inuijs. In Pedersheim quoque duos mansos. In Rudesheim prope Creutznacht tres mansos dominicalis terræ. Ibidem quatuor mansos cum quarta parte, quos coloni possidebant. In Hagenheim duos mansos, & duo iugera vinearum. In Basenheim mansum, & sex iugera. In Dromersheim dimidium mansum, & quatuor vineas. In Mannendal mansum. In Bockenavv duos mansos. In Avven quatuor mansos cum quarta parte. In Moncecha aream cum ædificijs, & XII. iugera vinearum. In Werngisbach duos mansos. In Escelbrun octo maldra tritici, & XVI. siliginis, de manso qui vocatur Eberhardi. Hæc & quædam alia prædictus comes ad ecclesiam à se fundatam contulit, & clericos in eam quosdam qui missas legerent, collocauit. Ius autem instituendi ad beneficia clericos in ipsa ecclesia sibi & hæredibus suis reseruauit. Hanc quoq; donationem solenniter factā sanctus Bardo archiepiscopus præfatus confirmauit. Itaque per annos ferme LXX. stetit ecclesia Sponheimensis, antequam in monasterium erigeretur. Erantq; altaria in ea quatuor, quæ sacerdotibus sibi succedentibus per seniorem comitem de Sponheim ex more conferebantur.

*Comes Euerardus ecclesiam fundauit in Sponheim.*

*Bardo episcopus Moguntinus.*

*Prima datatio huius ecclesiæ facta per Euerardum comitem.*

*Clerici seculares hīc locum primitus inhabitarunt.*

## *QVOMODO ET QVANDO ECCLESIA SPONHEIMENSIS erecta sit in monasterium per Stephanum comitem de Spanheim, & filium eius Megenhardum.*

ANno Domini MCI. Indictione nona, Romanum imperium tenente Henrico Imperatore quarto, ecclesiam quoq; Moguntinam gubernāte Ruthardo venerabili archiepiscopo, Stephanus comes de Sponheim illustris, diuina inspiratione præmonitus, ecclesiam suam in Monte campi á suis progenitoribus dudum (vt diximus) fundatam, erigere in monasterium curauit. Erat vir bonus & timens Deum, pro cuius honore ministris ecclesiæ ac pauperibus multa beneficia impendebat. Cœpit autem ædificare locos & mansiones pro monachis, secundum regulam sancti Benedicti conuenientia, anno prænotato: Sed diuersis occupationibus sese interficientibus præpeditus, inceptum opus non continuauit. Vnde cum tandem se iamiam moriturum cerneret, filium suū Megenhardū, paterne substantiæ hæredē, ad se vocauit, eiq; vt inchoatū procœnobio ædificiū perficeret, cōmisit, & sic in Domino quieuit v. cal. Martij, anno Domini MCXVIII. Megenhardus autē inclytus comes, patre mortuo, opus dudum inceptum fortiter aggressus in paucis annis cōpleuit. In medio ecclesiæ sub turri chorū pro monachis instituit, quē

*Stephanus comes monasterium ædificauit.*

*Stephanus comes de Sponheim moritur.*

*Megenhardus Comes fundatur huius monasterij.*

tabulatu lapideo duodecim Apostolorum Prophetarumque imaginibus pulchre (sicut adhuc cernitur) exornauit. Ad hoc sanctum opus Mechthildis vxor eius, deuotissima mulier, cum magna alacritate multa beneficia contulit; & ipsum comitem, virum suum, cõtinuis precibus pulsare non destitit, monẽdo & obsecrando, vt operi cœpto finem imponere quantocius dignaretur. Timebat enim religiosissima mulier, ne mora, quæ cunctis operibus bonis consueuit esse nociua & periculosa, sanctum viri propositum qualibet occasione mutaret. Rodolphus etiam comes, frater Megenhardi, vna cum Richarde vxore sua, pro consummatione operis non modicos sumtus impendebat.

*Rudolphus comes cooperator in construendo.*

## *DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ ET MONASTERII HVIVS Sponheimensis, per venerabilem antistitem Wormaciensem Boggonem, Vicearchiepiscopum Adelberti.*

COMPLETO igitur tandem incepto ædificio, hoc est, ecclesia in modum crucis formata, claustro & domibus necessarijs, refectorio & dormitorio ad occidentalem plagam, claustro contiguis, magnificus comes Megenhardus, antequam monachis cœnobium ad inhabitandum traderet, voluit ecclesiam, quam in multis reformauerat, de nouo (vt moris est) consecrari. Clericis itaque electis & alibi prouisis, Adelbertum archiepiscopum Moguntinum pro consecratione ecclesiæ adijt, cui & votum cordis sui super introducendis monachis ad Sponheim reuelauit. Qui reuerendissimus præsul bonum comitis propositum plurimum commendauit; & quia per se venire ad consecrationem, vt postulabatur, non potuit, venerabilem Wormacienſis ecclesiæ antistitem Boggonem, eo tempore multis annis à sua sede expulsum, quem apud se honorifice tenuit, loco sui destinauit. Anno igitur Dominicæ incarnationis MCXXIII. in Dominica Quasimodogeniti Buggo venerabilis episcopus Wormacienſis, vice Adelberti archiepiscopi Moguntini ecclesiam & monasterium in Sponheim dedicauit in honorem beatæ Mariæ semper virginis, Dei genitricis, & sancti Martini, quondam episcopi Turonensis in Gallia, cum tribus altaribus, quorum maius in memoriam (vt diximus) Dei parentis & sancti Martini fuit consecratum. Aliud in absside versus meridiem consecrauit in memoriam S. Iohannis Euangelistæ. Tertium in absside versus Aquilonem ad introitum claustri, in honorem sanctorum Petri & Pauli Apostolorum. Reliqua vero altaria successu temporis postea erecta fuerunt.

*Buggo episcopus Wormatia hunc locum consecrauit.*

## *DE PRIMIS DVODECIM MONACHIS, QVI HVNC LOCVM ACCEPTARVNT & primo inhabitare cæperunt, quorum octo fuerunt sacerdotes, & quatuor conuersi.*

ANNO ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCXXIIII. Indictione secunda, sub Henrico Imperatore Quinto, comes Megenhardus, huius loci fundator inclytus, ipsum monasterium cum ecclesia & omnibus pertinentibus eorum, ordini sanctissimi patris nostri Benedicti in perpetuam possessionem tradidit, monachisque ad inhabitandum dedit. Primi autem Monachi, qui hunc ipsum locum primitus inhabitare cœperunt, numero XII. de monasterijs sanctorum Albani & Iacobi prope Mogũtiam, ex imperio Adelberti archiepiscopi, ad instantiam comitis Megenhardi venerũt, anno prænotato, in quarta feria post Dominicam Dominicæ passionis. Quorum octo fuerunt sacerdotes, & quatuor conuersi, viri præclari & insignes, quorum aliqui ante ingressum religionis dudum in seculo militauerant: quorum ista sunt nomina: Bertholdus presbyter, Diemus presbyter, Adelbero presbyter, Anshelmus presbyter, Ergenbaldus presbyter, Herbordus presbyter, Sifridus quoque presbyter: Benno conuersus, Lupoldus conuersus, Hartungus conuersus, & Emicho conuersus. Isti XII. fratres partim ex monasterio S. Albani prope Mogũtiam (sicut diximus) partim vero ex cœnobio S. Iacobi ibidem, sunt assumti. Qui cum venissent ad præsentem locum, honorifice satis à comite Megenhardo & eius vxore suscepti sunt, & cœnobium eis solenniter traditum inhabitare cœperunt. Possessione igitur in Dei nomine adepta, præfati monachi sibi in abbatem & pastorem elegerunt secundum regulam monasticam vnanimiter Bernhelmum monachum præfati cœnobi S. Albani, de quo postea dicemus. Prior claustralis institutus est Bertholdus venerabilis senex, & per annos XIII. strenue officio prioratus in hoc loco præfuit; porro Adelbero Cellarius monasterij factus est, & annis multis præfuit: qui cum esset vir bonus & prudens, multa huic monasterio bona fecit.

*Primi monachi de Moguntia venerũt 12.*

*Nomina monachorũ 12.*

*1. abbas Bernhelmus.*

DE

## DE DONATIONE SOLENNI, QVA COMES MEGENHARDVS ECCLESIAM & monasterium ordini tradidit, coram Adelberto archiepiscopo Moguntinensi.

POST hæc illustris comes Megenhardus, vt institutio monachorũ & ordinis diui patris Benedicti, quam pro Dei amore in hoc loco fecerat, autoritate sumeret firmitatem, Adelbertum archiepiscopum Moguntinum vna cum fratre comite Rudolpho adijt, & corã eo in ecclesia Moguntina, multis præsentibus, ecclesiam hanc coram altari S. Martini, cum omni iure & iustitia quam habuerat ad eam, in manus ipsius archiepiscopi resignauit, sub tali videlicet conditione, vt monachi cunctis diebus seculi, omnipotenti Deo seruiant in ea, sub abbate & regula sancti patris Benedicti, sicut patet in literis confirmationis eiusdem archiepiscopi, quas desuper dedit, & ita sonant.

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Ego Adelbertus Dei misericordia huius sanctæ Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopus, & apostolicæ sedis legatus, notũ esse cupimus omnibus tam futuræ quã præsentis ætatis fidelibus, quomodo Dominus Megenhardus de Sponheim, & vxor eius Machthild, comes Rudolphus & vxor eius Reggat,* *diuinæ inspirationis instinctu, spontanei ad altare sancti Martini accesserunt, & prose, suorumq; incolumitate, & ob spem æternæ retributionis, ecclesiã in Sponheim cũ omni proprietate & iustitia, quam eam hæreditario iure, vsq; in illam diem possederant, pia deuotione ecclesiæ Moguntinæ in perpetuã proprietatem contulerunt: sub hac scilicet conditione, vt monachi secundum regulam S. Benedicti ibidẽ constituerentur, per quos tuges Deo laudes & pro ipsis supplicationes in eadẽ ecclesia frequentarentur. Hæc autem sunt beneficia & prædia ad prædictam ecclesiam pertinentia: Decima eiusdẽ villæ cũ familia & dominicali terra, in agris, vineis, hortis, pratis, pascuis, syluis, cultis, incultis, colendis, viis & inuiis. In Petersheim duo mansi. In Rudersheim tres mansi dominicalis terræ, & quatuor à colonis possessæ & quarta pars. In Hagenheim duo mansi, & duo iugera vinearum. In Dromersheim dimidius mansus, & quatuor vineæ. In Mannendal mansus. In Bogenauu duo, in Avven quatuor & quarta pars. In Montzechaarea cum ædificiis, & XII. iugera vineaꝝ. In Wergesbach duo mansi. In Eselbrunnen VIII. maldra tritici, & XVI. siliginis, de manso qui vocatur Eberhardi. Hæc autẽ sunt quæ prædictus Megenhardus prose & eandem ecclesiã pro beneficio tradidit. Nouem mansi in Husen & in Slirscheit, cum dominicali terra & sylua quam ibi possederat. In Dalen XL. mansi, in agris, areis, vineis, pratis & syluis. Addidit etiã prædictis bonis præfata Domina Riggart pratũ vnum & hortum oleribus plantandum accomodatum, cum duobus agris eidẽ prato contiguis. Facta autẽ à supra nominatis viris sine omni contradictione, nos eam banni nostri obligatione firmauimus. Insuper præfatã ecclesiam eadem libertate, honore & iustitia donauimus, qua & cæteræ in episcopatu nostro vtuntur abbatiæ & monasteria: scilicet vt solũ episcopum respiciat: & vt fratres Deo ibidem militantes, spirituali patre orbati, inter se aliũ (si tantum idoneum inuenerint) eligant. Quod si idoneã ad id officij personam inter se non habuerint, libertatem habeãt eligendi aliũ suæ vitæ & institutionis, de quacunq; voluerint congregatione, intra nostram tamen diœcesin. Præterea solutionẽ eiusdem ecclesiæ, quæ nos contingebat, rogatu Dominorũ iam supra nominatorum in perpetuum eis remisimus: & vt Parochianus presbyter ad abbatem respiceret in hunc modũ, videlicet vt ab ipso beneficia ecclesiæ, à minori vero præposito altaris dono inuestiretur. Statuimus. Hoc etiã vtriq; edictũ vel collaudatum est, vt senior de cognatione illa aduocatus sit eiusdẽ ecclesiæ: qui si nominis & officii sui immemor, ecclesiã vel possessiones eas quibus tutator & conseruator præordinatus est, versa vice dissipauerit, in nostra vel successoris nostri sit potestate eum corrigere ac ad emendationẽ cogere. Vt autẽ hæc omnia rata & inconuulsa sequenti æuo permaneant, hanc chartã conscribi & sigillo nostro insigniri fecimus. Huius rei testes affuerũt Buggo Wormatiensis episcopus, Dudo maior præpositus. Richardꝰ præpositus, Volbertus abbas S. Albani, Werenboldus abbas S. Iacobi, Adelhun abbas S. Disipodi, Henricus præpositus S. Victoris, Cuno Decanus de domo. Thurinbertus magister, Anshelmus præpositus, Hartmannus præpositus. Henricus Bingensis præpositus, Arnoldus præpositus, & alii quamplures, ex clero. De laicis autem, Arnoldus vrbis præfectus, comes Gosvvinus, & filius eius Gerardus, & frater eius Emicho: Arnoldus & frater eius Rupertus de Lurenburck; comes Fridericus Bertolfus, & frater eius Sigefridus Henricus de Catzenelenbogẽ. Roricho & frater eius Gerlach; Vdalricus, Fulcoldus, & alii quamplures de liberis. De ministerialibus autem, Embricho Vicedominus, Ernest Sculletus, Folbertus & Embricho de Binga, Gerardus Embricho comes, & alij complures. Suscepta est autem donatio per manus aduocati comitis Gozvvin. Anno dominicæ incarnationis MCXXIV. Indictione secunda, regnãte Henrico Imperatore huius nominis quarto, Arnoldo vrbis præfecto, Ernesto Sculteto. Data per manus Godescalci Capellani, VII. idus Iunij.*

* Richardus.

Dario primarentum tur.

Nona donatio comitis M. & comitissæ R.

Abbatia hac libertati donatur ab archiepiscop.

De electione noui Abbatis.

Subsidium remittitur de Parochia.

De aduocato huius monasterij.

Testes qui huic donationi interfuerũt.

Clerici.

Laici liberi.

Laici ministri.

Facta igitur solenni hac donatione (vt præmittitur) in ecclesia Moguntina per comitẽ Megenhardum, & monasterio cum omni proprietate, iure & iustitia emancipato, & meræ libertati donato, ea videlicet libertate qua & cæteræ in diœcesi Mogũtina abbatiæ nostri ordinis gaudent, ipse quam diu vixit aduocatiam omni mansuetudine & bonitate te-

nuit, nil penitus exigens & in aliquo grauamen inducens, voluit eum locum & habitatores eius perpetua pace & libertate gaudere, & nullo cuiusquam seruitio grauari. Et ne forte aliquis in posterum ex hæredibus suis, qui aduocati nomen gereret, aliquam in rebus monasterio vel personis molestiam inferret, literis cauere studuit, quas Bernhelmo primo abbate postulante, sub tali forma verborum dedit:

*Copia priuilegii, quod dedit ipse eo mus Megenhardus.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: ego Megenhardus, Dei gratia comes de Sponheim, notum esse cupio omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam & futuris: quod cum genitor noster Stephanus comes de Sponheim ecclesiam suam in Monte campi iuxta villam Sponheim positam in monasterium erigere statuisset, ac morte præuentus, opere imperfecto, mihi illud perficere committeret: Ego accedente ad hoc consensu Mechthildis vxoris meæ, & fratris mei comitis Rodolphi, pro remedio animæ meæ inchoatum à patre opus perfeci, monachos illud secundum regulam S. Benedicti posui, quibus de victu ex patrimonio meo prouidi, ipsumque locum cum omnibus bonis suis liberum, perpetuo in manus domini mei Adelberti archiepiscopi Moguntinensis, legati apostolicæ sedis, tradidi ad altare S. Martini. Aduocatum vero quamdiu vixero eiusdem monasterij non alium quam metipsum esse volui. Post mortem vero meam, senior ex filiis meis, qui Dominus fuerit in Creutzenacht, & post eum semper senior de cognatione mea comes de Sponheim & Dominus de Creutzenacht, aduocatiam præfati monasterii gerat. Qui si nominis & officii sui oblitus, bona monasterii vel personas, quibus tutor & defensor esse debuerat, inuadere, molestare, vel dissipare voluerit, abbas cum fratribus deferat querelam contra eum ad examen archiepiscopi Moguntini, qui habet eum corrigere & emendare. Quod si tertio ab archiepiscopo præmonitus non emendauerit, satisfaciens pro damno & iniuriis monasterio factis, potestatem habeat idem archiepiscopus de consensu ac voluntate abbatis & fratrum, illum amouere, & eis alium dare aduocatum, quem ipsi elegerint. Et hoc totiens faciat, quotiens necessarium abbati & fratribus visum fuerit: semper talem instituens qui potentia & benignitate & tutandi opportunitate magis idoneus est. Caueat autem aduocatus ne ecclesiam in bonis seu familia aliquando grauet: neque seruitia vel exactiones aliquas seu precarias exigat, sed omnino liberos conseruet. Ad placitum publicum interminis monasterii non sedebit, nisi ab abbate fuerit inuitatus: Cum autem inuitatus venerit, sic ei seruatur, vt & honori eius sit congruum, & pati possit à fratribus, ne nimia comitiua aut sumtuũ magnitudine ipsi fratres Deo seruientes contristentur. Ita ergo in omnibus agat, tam pium, benignum & modestum, familiæ & rebus monasterii in omnibus se præbens, vt suo dignus sit nomine, & pro officio propter Deum fideliter impleto, mercedem ab ipso recipiat vitam æternam. Vt autem hæc omniaria & inconuulsa omni æuo permaneant, chartam hanc inde conscribi feci, & eam sigilli mei impressione cõmuniui. Testes huius voluntatis meæ præsentes fuerunt dominus meus Adelbertus Moguntinensis, Bruno episcopus Argentinensis, Berinhelmus abbas præfati monasterii, & tota congregatio: Adelbum abbas Disipodi, Hermannus Præpositus de Schwabenheim, Gosuuinus de Lurburck, Dudo comes, Ernestus vice Dominus, Adelbertus Warmundus Scultetus: Henricus Vdalricus de Stein, & complures alii. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* MCV. *Indictione tertia,* XII. *Calendas Septembris.*

*Qualis debeat esse Aduocatus huius monasterij.*

*Aduocatus si fuerit malus potest deponi.*

*Neque seruitia neque precarias debet exigere.*

*Testes huius constitutionis.*

Denique pro maiori firmitate bonorum & loci huius præfatus comes Megenhardus Henricum Imperatorem huius nominis quartum, regem vero Romanorum quintum adijt, & confirmationem præmissorum impetrauit talem:

*Copia priuilegij & confirmationis.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Henricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi & nostri fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter Megenhardus comes de Sponheim, assentiente & cooperante Mechthilde vxore sua, superna aspiratione motus, pro sua suorumque salute & incolumitate, monasteriũ in suo comitatu fundauit, in honorem sanctæ Mariæ semper virginis, & sancti Martini episcopi, quod de suo patrimonio legitime dotauit, instituens in eo viros religiosos, qui sub regula S. Benedicti, & abbate, omnipotentem Deum perpetuis futurisque temporibus collaudarent, & pro ipso & progenitoribus suis preces funderent deuotas: Ius etiam aduocati, quo eos post mortem suã voluit esse liberos ab omni seruitio, exactione precaria, & quibuslibet aliis oneribus & grauaminibus, fecit conscribi & suo sigillo communiri: traditaq; abbati & fratribus eiusdem monasterii, quod etiam dicitur Sponheim. Quæ omnia Adelbertus archiepiscopus Moguntinus, in cuius parochia monasterium ipsum constructum est, banno suo confirmauit. Vnde præfatus comes Megenhardus ad maioris stabilitatis augmentum à nobis postulauit, opus tam sanctum & pium, nostra imperiali autoritate confirmari, ne qua maleuolentia posterorum quod infirmari: eo quod sæpe benefacta maiorum mutantur, succedentium iuniorum prauitate, si non fuerint imperiali maiestate confirmata. Et quia nos diuina miseratio ad regni solium prouexit, vt ecclesias ac monasteriis in regno nostro constitutis, regali prouisione consulamus, eorumque iura & possessiones ab omni iniuria tueamur: eandem ecclesiam seu monasterium in Sponheim cum omnibus rebus, possessionibus, iuribus ac proprietatibus, sub tutela ac protectione regiæ defensionis nostræ & Romani imperij*

*Monasteriũ Sponheim sub imperiali tutela recipitur.*

perpetua

perpetuæ ſuſcipimus: diſtrictè inhibentes tam præſentibus quam futuris, ſub pœna criminis læſæ maieſtatis imperialis, ne quis moleſtiam, iniuriam vel damnum aliquod inferat dictæ abbatiæ de Sponheim, quam omni libertate gaudere volumus, qua & cæteræ abbatiæ in regno noſtro gaudere noſcuntur, in rebus, perſonis, familia, proprietate, donationibus factis, ſeu in futuris, ritè faciendis. Aduocatus autem qui pro tempore fuerit, ſi legem ſibi à ſæpe dicto comite Megenhardo conſtitutam, temere tranſgreſſus fuerit, vſque tertio admonitus per archiepiſcopum Moguntinum, abbate querelam contra eum faciente, ſi non emendauerit, tali honore priuetur, & alius qui vtilis ſit eccleſiæ, de conſilio & aſſenſu abbatis fratrum ſubrogetur in locum eius. Vt autem hæc charta perpetuo inconuulſa permaneat, neque cuiuſdam temeritas labefactare præſumat, imperiali autoritate & banno noſtro eam roborauimus, ma-
10 nuque noſtra notatam ſigilli noſtri impreſſione muniuimus. Datum VI. calend. Martij, anno Dominicæ incarnationis MCCXXV. Indictione tertia, Anno XXVI. ordinationis Domini Henrici Quintiregis Romanorum, regni autem XIX. Imperij vero eius XV. Actum eſt Moguntiæ. In nomine Domini Amen.

Bernhelmus quoq; abbas, anno inſtitutionis ſuę tertio omnium præmiſſorum confirmationem, cum certis quibuſdam alijs priuilegijs à ſede apoſtolica impetrauit, quorum copiam & reſcriptum, quoniam id ſeries expoſtulat ordinis, præſentibus inſeremus.

*Honorius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Bernhelmo abbati monaſterij S. Martini in Sponheim, ordinis ſancti Benedicti, Moguntinenſis diœceſis, eiuſque ſucceſſoribus regulariter inſti-*
20 *tuendis in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum. Ea propter, dilecte fili, tuis fratrumque tuorum iuſtis poſtulationibus annuentes, præfatum monaſterium Sponheimenſe, cui (autore Deo) præſides, ſub apoſtolicæ ſedis tutela & protectione ſuſcipimus, atque præſentis ſcripti pagina communiuimus, decernentes & ſtatuentes, vt regularis vita in eodem loco tam nouiter inſtituta ſecundum regulam ſancti Benedicti, futuris temporibus inuiolabiter conſeruetur. Nulli etiam facultas ſit, poſt factam apud nos profeſſionem ſine abbatis licentia maioris vel minoris religionis obtentu ad alium locum tranſmeare. Quod ſi quis contra hanc prohibitionem noſtram quocunque tempore in futurum diſceſſerit, nullus abbas vel quilibet audeat eum retinere. Quoties abbate abeunte, de ſucceſſore fuerit inter fratres ipſius loci tractandum, nullus inibi qualibet ſurreptionis aſtutia, ſeu violen-*
30 *tia cuiuſuis poteſtatis ſiue eccleſiaſticæ ſiue temporalis, intrudatur, niſi quem fratres communi conſenſu, aut pars conſilij ſanioris, ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam de eodem collegio vel de alio (ſi quod abſit) idoneum inter ſe non inuenerint, duxerint eligendum. Porro altarium conſecrationem, chriſma, oleum ſanctum, benedictionem abbatum & ordinationem Monachorum à diœceſano eiuſdem parochiæ archiepiſcopo, ſiquidem gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habuit, etſi ea gratis & abſque prauitate aliqua voluerit exhibere ſuſcipiatur. Alioquin liceat vobis & poſteris veſtris, catholicum quem volueritis adire antiſtitem, & ab eo conſecrationes & ſacramenta ſuſcipere. Se-*
*pulturam quoque iſtius loci liberam eſſe omnino cenſemus, vt eorum qui illic ſepeliri deſiderauerint (niſi forte excommunicati fuerint) deuotioni & voluntati nemo obſiſtat. Poſſeſſiones quoque omnes, quas iuſto titulo poſſidetis, & in futurum quorumcunque oblatione vel deuotione acquiretis, autoritate apo-*
40 *ſtolica cõfirmamus, decernentes, quod nulli omnino hominũ liceat præfatũ cœnobium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel quomodolibet ablatas retinere, minuere aut aliquib. vexationibus perturbare, ſed omnia integra veſtris & pauperum vſibus conſeruentur profutura. Si quis autem in poſterum archiepiſcopus, epiſcopus, Rex, Dux, vel Comes, aut cuiuslibet ordinis Princeps, ſeu quælibet eccleſiaſtica ſecularis ſue perſona, hanc conſtitutionis noſtræ paginam ſciens, contra eam temere venire tentauerit, & ſi non ſubito ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honorisque ſui careat dignitate, reumque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Domini Dei noſtri redemptoris Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vl-*
*tioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Data per manus Diaconi ſanctæ ſedis apoſtolicæ, X. cal. April. Indictione quinta, Incarna-*
50 *tionis Dominicæ MCXXVII. Pontificatus noſtri anno III.*

Copia cõfirmationis Honorij ſecundi papæ.

Papa monaſterium ſub tutela ſedis Apoſtolicæ ſuſcipit.

Ne monachi diſcedant.

Ne quis abbas non electus canonicè inuadat.

Sepultura ſit hic libera.

Confirmat papa omnes poſſeſſiones huius cœnobij.

Fundatione & inſtitutione præſentis monaſterij tam per ſedem apoſtolicam, quam per autoritatem imperialem ſufficienter confirmatis, monachi qui venerant de Moguntia locum cœperunt incolere, & manſiones ſecundum regulam ſibi neceſſarias ordinare. Mechthildis autẽ vxor fundatoris Megenhardi, mulier Chriſto deuotiſſima, omnia monachis vitæ neceſſaria præſtitit, & in conſummandis ædificijs cœnobij, cooperatrix fideliſſima occurrit. Sed iam nunc ad ſequentia proceſſuri de primo abbate ſumamus initium.

Locus inhabitatur à monachis.

Mechthildis comitiſſa.

## DE BERNHELMO, ABBATE HVIVS COENOBII PRIMO; QVI PRÆFUIT ANNIS XXVI. MENSIBUS IX. DIEBUS XVII. & GESTIS ILLIUS TEMPORIS.

ANNO igitur Dominicæ natiuitatis MCXXIIII. Indictione Romanorum secunda, die mensis Iunij octauo, Bernhelmus monachus sancti Albani prope Moguntiã, huc missus cum alijs, primus huius monasterij abbas institutus est, tam electione fratrum, quam iussione Adelberti archiepiscopi Moguntini, qui ab eodem ordinatus, præfuit annis XXVI. mensibus IX. diebus XVII. Fuit autem Moguntiæ ordinatus in monasterio sancti Albani, astantibus sibi quatuor abbatibus, videlicet sancti Albani, sancti Iacobi, sancti Disipodi, & sancti Ferrucij in Blidenstat, cum alijs multis, tam de clero quam de populo, anno prænotato in natiuitate sancti Iohannis Baptistæ. Bernhelmus iste noster abbas primus, ex comitatu Sponheimensi fuit oriundus, honestis parentibus procreatus, cuius pater nomine Eberhardus, Stephano comiti de Sponheim, pluribus annis strenue militauit. Mater vero nomine Hiltrudis, mulier Christo deuota exstitit, quorum habitatio in vico Sponheimensi sub castello fuit. Igitur Bernhelmus puer ingenio promptus & docilis imbuendus literis ad scholas mittitur, & præceptores assequutus bonos, non solum in scripturarum scientia probe instituitur, sed moribus etiam optimis decoratur. In vtroque valde profecit cum tempore & virtutibus euasit clarus, simul & eruditione: quãtumque ætatis augmento progreditur, tanto amplius scientia illustratur. Post hæc nutu diuino monasterium sancti martyris Albani prope Moguntiam ingreditur, & comã depositã, monachum iuxta regulam ordinis profitetur. Qui cum adhuc iuuenis esset, ac studijs literarum satis idoneus, præcepto abbatis magistro scholarum instituendus altiora committitur, & cum ætate proficiens in omni varietate scripturarum doctissimus habebatur. Denique moribus suis tranquillus & placidus, cunctis in congregatione fuit amabilis, & nulli vnquam in aliquo vel tenuiter molestus. Vnde proficientibus meritis propter omnimodam scientiam scripturarum, Magister scholarum in eodem monasterio, tandem Presbyter factus, institutus est, ipsumque docendi munus, non secus scriptis quam lectionibus quotidianis magnifice per annos decem adimpleuit. Scripsit autem imprimis de institutione puerorum librum I. Introductorios quoque in septem liberales artes lib. I. Contra quendam Sophistam libr. I. Contra Simoniacos lib. II. In Ecclesiasticen Salomonis opus edidit pulcherrimum, lib. 10. Contra ludæos lib. I. Et alia nonnulla quæ in obliuionem perduxit negligentia.

*Bernhelmus fit monachus S. Albani.*

*Bernhelmi lucubrationes.*

*Bertholdus Prior I.*

Hoc ipso anno Bertholdus monachus hic primus Prior instituitur, homo doctus & religiosissimus, qui edidit Commentaria in Euangelium Marci libr. I. In Cantica Canticorum libr. II. De humilitate monachorum lib. I. Sermones multos & homelias. Præfuit in Prioratu annis XIII. & multa bona fecit.

*Adelbero fit Cellarius.*

Eodem anno maior Cellerarius institutus est Adelbero, monachus quondam vnus de primis huc missis, vir bonus ac religiosæ conuersationis, in rebus temporalibus ordinandis disponendisque sagax & multum expertus, qui pluribus annis officium sibi commissum strenue gubernauit. Cœpit autem illi eo fama bonæ ac religiosæ conuersationis fratrum circumquaque diffundi, & in notitiam omnium vicinorum paulatim deuenire. Vnde cum nouella plantatio necdum satis abunde videretur pro sustentatione monachorum prouisa, multi tam nobiles quam ignobiles propter opinionem bonæ famæ, & sanctæ conuersationis fratrum hic Deo seruientium, multas eleemosynas & beneficia donare cœperunt.

*Monasterium in Ballestatt fundatur.*

Hoc ipso anno monasteriorum in Ballenstæten nostri ordinis, per Ottonem eiusdem loci comitem fundatum est in Saxonia, & satis honorifice ab eo dotatum.

*Hodie Rudenheim.*

Obijt etiam Bruno archiepiscopus Treuerensis, qui monasterium in Odenheim nostri ordinis fundauit in diœcesi Spirensi, quod multis prædijs & possessionibus dotauit.

Magnæ quoque molis grando IX. calend. Augusti cecidit. Et III. Idus Augusti eclipsis fuit.

### MCXXV.

*Ecclesia S. Georgij in Dalen consecratur.*

Anno MCXXV. Bernhelmi abbatis secundo, XIII. calend. Septembris consecrata fuit Ecclesia villæ Dalen, in honorẽ S. Georgij martyris, per Brunonẽ Argentinensem Episcopũ, rogatu Adelberti archiepiscopi Mogũtini, ad instantiã ipsius Bernhelmi abbatis, & Megenhardi

genhardi comitis. Villa autem prænominata Dalen non procul à monasterio inter orientem & septentrionem posita in planicie ad montis radices, qui lingua vulgari Gauvvesberg nuncupatur. Antiquissima fuit eo tempore ecclesia parochialis & longe antequam Sponheim & Bockenavv essent constituta. In hac fuit eo tempore ecclesia parochialis, quæ nimia fuerat vetustate collapsa: vnde comes Megenhardus eam de nouo instauravit, & per Brunonem episcopum præfatum, à sua ecclesia Argentinensi tunc per violentiam Imperatoris expulsum, consecrari fecit: quam Capellam esse voluit, & Parochiam in eo loco, vbi nunc, circa monasterium, consentiente Adelberto archiepiscopo sæpe dicto, translocauit. Porro Capellam in Dalen cum villa, areis, vineis, patris, agris & cæteris possessionibus abbatis Bernhelmo & eius monasterio in perpetuum donauit, Parochialis ecclesiæ collationem abbati assignauit.

*Hodie Gauxberg vel Gauchsberg.*

*Parochialis ecclesia in Dalen sit Capella.*

Eodem quoque anno & die idem Bruno episcopus altare ante chorũ huius ecclesiæ monasterij consecrauit, in honorem sanctæ & vnicæ crucis Domini nostri Iesu Christi, ad instantiam Bernhelmi abbatis.

*Altare S. crucis consecratur.*

Hoc ipso quoque anno Bernhelmus abbas, Mechtilden sororem suam apud sanctum Albanum pro Dei amore inclusam, de consensu archiepiscopi Adelberti & Volberti abbatis eiusdem loci inde transtulit, & in cellam nouam quam ei circa monasterium in decliuo montis, ad plagam occidentalem (qui locus vsque in præsens dicitur Clusa) pro inclusione aptam fundauerat, collocauit. Erat autem virgo monialis deuotissima, quæ multos suo exemplo ad Christum timendum amandumque prouocauit, de qua latius erit suo loco dicendum inferius, quando obijt, sub Crafftone abbate huius loci secundo. Attulit autem secum & aliam quandam, Sophiam nomine, sanctæ conuersationis virginem, quæ & ipsa multis annis hic cum illa inclusa stans, Domino seruiuit, locum etiam post mortem eius inhabitans.

*Clausa fundatur pro Mechtilde sorore Bernheimi, & Sophia quadam.*

His etiam temporibus comes de Lurburg monasterium nostri ordinis fundauit in finibus Treuerensis diœcesis, quod Sconaugia vocatur, cui primum præfecit Hildelinum, religiosissimæ conuersationis abbatem, cui postea successit Ecgebertus, in scripturis tam diuinis quam secularibus eruditissimus, frater sanctæ Helizabeth monialis monasterij Schonaugiensis & Magistræ, quod præfatus abbas Hildelinus, pro Christi virginibus prope monasterium suum præfatum in campis versus meridiem construxit. Huius monasterij fundationem Adelbertus archiepiscopus Moguntinus, cognatus ipsius comitis de Lurburg ecclesiæ Moguntinæ oblatam confirmauit: sicut patet ex literis eiusdem, quæ sequuntur, & sunt tales:

*Monasterium Schonaugiense fundatur.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adelbertus Moguntinæ sedis archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, notum facio omnibus fidelibus in Christo tam futuris quam præsentibus: qualiter cognatus noster de Lurenburg, monasterium Sconau in proprio prædio fundatum, & monasticæ conuersationi sub constituto abbate Hildelino attitulatum, pro remedio animæ suæ & parentum suorum beato Martino contradidit, & cum omnib, ad ipsum pertinẽtibus, familiis, ecclesiis, agris, vineis, cultis & incultis, syluis, pratis, pascuis, molendinis, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, viis & inuiis, introitibus exitibusque, ecclesiæ Moguntinæ in perpetuã possessionẽ delegauit: præsenti quoq; priuilegio nostro ad posterorũ quoq; notitiam transire curauit. Quam liberã ab omni seruitio, absolutamque hanc abbatiã permanere obtinuerit. Mortuo vero loci abbate, fratres eiusdẽ cœnobij, quem inter se idoneũ inuenerint, libere eligant. Si vero (quod absit) in eiusdem collegio nullus aptus inuentus fuerit, facultatem habeant in aliud monasteriũ transire, quod constat eorũ religioni & disciplinæ concordare. Electus autẽ à nobis siue à posteris nostris inuestiatur & à proprio archiepiscopo suo consecretur: qui annuatim in festo beati Martini mundũ corporale repræsentabit super ipsum altare, in memoriã & argumentũ quod eius cœnobiũ de patrimonio sit beati Martini. Placuit quoq; abbati & fratribus vt diẽ ordinationis nostræ dum viueremus celebrare, & post obitũ nostrũ tam nostrum q̃ successorũ nostrorũ archiepiscoporũ anniuersarium solennib. obsequiis peragerent. Ipse vero comes aduocatiã de manu nostra suscepit, hoc pacto; vt quicunq; successorũ eius, prædiũ de Mullene cũ eius ministralib. & familia tenuerit, & Dominus in castro Lurenburg fuerit, hæreditarius, & legitimus aduocatus eiusdẽ sit monasterij; ita tamen vt ipse sit, & non habeat facultatẽ secundũ vel tertium aduocatum post se ordinandi. Et vt omnibus eius huius traditionis firmus & inconuulsus permaneat, præsentis chirographi paginam inde conscripsimus, & sigilli nostri impressione muniuimus, authoritate omnipotentis Dei patris & filij & Spiritus sancti, & beati Petri apostolorum principis, & nostra, sub perpetuo anathemate interdicentes, ne quis contra eam venire, impetrare, demoliri, seu in aliquo incrustare præsumat. Quod si quis fecerit, sciat se reseruari tremendo iudicio Spiritus sancti, & in extremo examine portionem habiturum cum Diabolo authore totius iniquitatis. Testes quoque huius rei hic annotamus, quorum hæc*

*Copia literarum fundationis monasterij Schonaugiensis.*

*Abbatia hæc ab omni seruitio libera est.*

*De Aduocato monasterij Schonaugiensis.*

*sunt nomina: Henricus maioris ecclesiæ & S. Victoris præpositus & alii complures. Actum dominicæ incarnationis anno* MCXXX. *Indictione octaua, regnante Lotario Imperatore. Data per manus Henrici Notarii & Præpositi in Moguntia.*

*Abbatia Schonauu fuit præpositura in Liburna.*

Et nota quod præfatum monasterium antea fuit præpositura constructa in eo loco, qui Lipron dicitur, vbi nunc parochialis ecclesia cum villula ad distantiam vnius medij milliaris, fuitque monasterio & abbati sancti Saluatoris in Scoffhausen, Constantiensis diœcesis iure subiecta.

MCXXVI.

*Puteus monasterii Spõheimensis foditur.*

Anno MCXXVI. Bernhelmus abbas puteum huius monasterij qui adhuc hodie firmus perseuerat, fodere & construere cœpit, eumque in breui confecit. Antea enim non erat aqua hic in monasterio, sed de pede montis, vbi nunc est maior piscina, non sine labore adducebatur. Sed & alia diuersa ædificia inchoata consummauit, quæ comes Megenhardus ex toto nondum compleuerat.

*Henricus Imperator 4. moritur, Lotharius succedit.*

Hoc anno Henricus Imperator IIII. sed Rex V. obijt sine liberis apud Traiectum, Spiræ sepultus: cui Lotharius secundus, dux Saxoniæ, principum electione successit.

MCXXVII.

Anno MCXXVII. quidam nobilis de Sponheim, cognatus Bernhelmi abbatis, vna cum vxore sua nomine Iuditha pro remedio animæ suæ huic monasterio contradidit omne patrimonium suum quod in Bockenavv & in Genzingen habuit, ecclesiam videlicet cum decimationibus & omnibus appendicibus suis, mancipijs, agris, vineis, syluis, cultis & incultis, pascuis, pratis, molendinis, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, ad altare S. Martini in hoc cœnobio in Sponheim, coram multis testibus: sicut patet in litera Domini Adelberti senioris archiepiscopi Moguntini, qui eandem donationem confirmauit, vt sequitur:

*Copia donationis Bockenauu & Gentzingen per Vdonem facta.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Ego Adelbertus Dei gratia Moguntinus archiepiscopus apostolicæ sedis legatus: notificamus Christi & ecclesiæ fidelibus tam futuris quã præsentibus, quod alter quidam nobilis Vdo nomine, libertate præcipuus, & vxor eius Iuditha, cum adhuc integru corporis & animi viribus fruerentur, pro remedio animæ suæ ac parentum suorum, omne patrimonium suum in Buckenau & in Gentzingen, ecclesiã cum decimationibus & omnibus appendicibus suis, mancipijs, agris, vineis, syluis, cultis & incultis, pratis, pascuis, molendinis, piscationibus, aquis, aquarumq; decursibus, ad altare beati Martini cœnobij Sponheim, abbati & fratribus ibidem sub regula monastica viuentibus, absque vllius refragatione, per manus aduocati, comitis Megenhardi de castro Sponheim, potestatiue delegauerunt. Placuit etiam supradictis duobus, videlicet Vdoni & vxori eius quoniam in mancipiis quosdam præstantiores, quosdam inferiores habebat, quatenus illos quos natura industria & sua probitas extulerat, ministrales abbati & fratribus constituerent, nulli aduocato in eos ius concederent, sed potius inter priores & meliores cæterorũ abbatum nostri episcopatus ministros, paritate & qualitatem omnis iustitiæ obtinerent. Reliqua vero familia in fiscalina iustitia permaneret, ita videlicet, vt recto numorum censum ad altare supradicti cœnobij quotannis persolueret. Vt hæc autem traditio firma & inconuulsa permaneat, hanc chartam conscribi fecimus, & sigilli nostri impressione signatam, has anathematis claue roborauimus; vt si quis peruersa machinatione (quod absit) eam de traditione auferre & euacuare præsumpserit, banno nostro subiaceat, & ipsius veritatis testimonio mulctetur, & Dei omnipotentis & S. Martini offensam se incurrisse experiatur. Huius rei testes sunt abbas Volbertus S. Albani, Werimboldus abbas S. Iacobi: Adelhun abbas S. Disipodi, Berinhelmus abbas prænominatæ nobij, & vniuersa congregatio, Richardus beati Martini de domo archidiaconus & alii multi. Acta sunt autem hæc* VIII. *calen. Ianuarij, anno Dominicæ incarnationis* MCXXVII. *Indictione quinta, regnante Lothario Romanorum rege Augusto, anno secundo regni eius.*

*Ministeriales abbatu omnino sunt liberi optimates.*

*Cõfirmatio donationis Vdonis.*

*Ecclesia in Gẽtzingen per abbatẽ fuit acceptata.*

Hac autem solenni donatione facta coram multis testibus, abbas Bernhelmus oblatorum bonorum possessionem in Buckenauv & Gentzingen pacifice adeptus est: ex quibus ecclesiã in Gentzingen cum decimationibus post annos CXXXVIII. Petrus huius loci abbas canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ in perpetuum contulit in augmentum præbendarum suarum, sicut dicemus cum ad ea tempora venerimus. Curtes autem, census & reditus, quos adhuc in eadem villa possidemus, tam ex donatione præfati Vdonis, quam ex prima fundatione comitum obtinemus. In Buckenavv autem illa curtis, quam vulgus Præsentiæ nuncupãt (eo quod ad præsentiam fratrum postea fuerit deputata) cum censibus, seruitijs & optimatibus cunctis, ex hac donatione Vdonis prouenit. Alia vero curtis, quæ nuncupatur abbatis, post annos CCV. Wilhelmus abbas de Bickelheim defuncto patrimonio, beato Martino & fratribus eius in præsenti cœnobio tradidit, de quo etiam suo tempore inferius dicemus.

*In Buckenauu curia præsentiæ. Curia abbatis.*

Hoc

Hoc ipso anno Bernhelmus abbas, Anshelmum monachum (qui post Bertholdum Prior postea factus est) Romam misit ad sedem apostolicam, ad impetrandum à papa Honorio priuilegium apostolicæ defensionis huius monasterij Sponheimensis, qui reuersus priuilegium ab ipso papa obtinuit, cuius copia superius posita est. *Anselmus Bickelheimensis Romam mittitur.*

MCXXVIII.

Anno MCXXVIII. Bernhelmus abbas, anno prælationis suæ 5. posteaquam omnia quæ pro pace fratrum videbantur oportuna, prudentissime ordinauerat, se totum ad interna contulit, & quieti & lectioni scripturarum frequentius intendit. Sciens autem preces multorum non facile posse contemni, inito cum fratribus suis consilio, multorum in circuitu monasteriorũ confraternitatem impetrauit. Et primo quidẽ cum fratribus monasterij S. Disipodi, qui viciniores erant, societatẽ spiritualem iniit, cuius tenor sequitur & est talis. *Bernhelmus cum monasteriis multis confraternitatem contrahit.*

*Hæc est fraternitas societatis & familiaritatis inter fratres S. Disipodi & Sponheim certa exhibitio & stabilis confirmatio, vt cum breuis alicuius fratris defuncti vtrimq; aduenerit, xxx. vigiliæ cũ totidem missis in conuentu agantur; tertius dies, septimus & vicesimus festiue celebretur, videlicet tribus luminibus ante altare maius accensis & cõclangentibus omnib. signis. Ad missas pro defunctis infra xxx. dies tractus, de profundis, canatur. Post matutinas Psalmus, Verba mea, per eosdẽ triginta dies cum aliis consuetis recitetur. Commendatio post capitulum per idẽ tempus frequentetur. Quilibet presbyterorum decẽ missas cantet, literati tria psalteria, hoc nescientes cccc l. Pater noster ruminent. Nomina defunctorum fratrum in regula hic illicq; cõscribantur, & anniuersarij dies cum vigilia, missa & signorum compulsatione concludantur. Fratres vtrobiq; aduenientes capitulum adeant, nec id nisi cum licentia dimittunt.* *Fraternitas cũ fratribus S. Disibodi.* *Suffragiorũ quantitas ista vtrinq; fiebat.*

Hæc fraternæ societatis gratia exhibetur per omnia fratribus de S. Iacobo, de S. Albano Moguntiæ, quia ex illorum religionis radice hæc duo claustra noscuntur pullulasse. Excipitur quidem consuetudo fratribus Barbatis exhibita, quorũ apud illos vita non est visitata. Cum aliis quoq; multis fraternitatis societatem fratres huius cœnobii, tam sub Berinhelmo abbate, quam etiam sub alijs contraxerunt, quorũ ista sunt nomina. Ad sanctũ Eucharium Treueris: ad S. Martinum Treueris; ad S. Mariam ad martyres ibidem: ad S. Maximinum ibidem: In Selgenstatt: In Schonaugia: In Blidenstatt: In monte S. Petri Erphordiæ: In Bischoffsberg: In monte S. Iohannis in Rinckauia: In Hasungen: In Gerode: In Schoffhausen: In Clingemonster: In Lacu: In Morhart: in Reuengirsburg regulariũ: in Winclo: in Halle: in Vernesvviler: in Schlauchtera nostri ordinis: in Vravve similiter: in monte S. Ruperti monialiũ. S. Petri prope Creutznacht monialiũ, & aliorũ complurium. Quam cito obitus alicuius & hic & in aliis locis in fraternitate denunciatus fuisset confœderatis, mox pro eo fiebant VII. officia mortuorũ, cum vigiliis & missis: & insuper quilibet Presbyter vnã missam, subsacerdotes L. Psalmos, illiterati toties orationẽ dominicam legere non tardabant. Fuitq; inter eos maxima charitas, quæ (proh pudor) misere postea refriguit, nec vnquam resurgere curauit. *Fraternitas cũ aliis multis cõtracta.* *Suffragia quæ pro his fiebant.*

MCXXX.

Anno MCXXX. qui fuit VI. abbatis Bernhelmi, comes de Sponheim fundator noster Megenhardus monasterium canonicorum in Schabenheim fundarum ecclesiæ Moguntinæ in perpetuũ obtulit, in manus Adelberti senioris archiepiscopi Moguntini, quam donationem idem pontifex confirmauit, vt sequitur: *Fundatio monasterij Regularium in Schabenheim.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitat. Ego Adelbertus Dei misericordia archiepiscopus Moguntinus & apostolicæ sedis Legatus, notum facio omnibus Christi fidelibus, tam posteris quã præsentibus, qualiter comes Megenhardus de Sponheim, pro remedio animæ suæ & vxoris suæ Mechthildis, parentumq. suorũ, monasteriũ quod comes Eberhardus cum domina Hadvvige matre sua, primitus fundauerat, quodq, iure hæreditatis eidẽ Mechthildi vxori suæ ab antecessoribus prouenerat, cum ecclesiis in villa quæ vocatur Schabenheim cum vniuersis decimationib. & nona parte dominicaliũ, mancipiis, villis, agris, vineis, syluis, pratis, cultis & incultis, colonos quoq, cum mansis quibusdã, & omni iustitia eorũ (exceptis his quibus ministrales suos inbeneficiauerat) beato Martino contradidit. Quod factũ est hac conditione, vt ibidem de omnibus supradictis bonis, fratres secundum regulam S. Augustini degentes ordinaremus, & ne decalescentes à rigore regulam & institutionẽ vnquã præuaricarentur, tam nos quam successores nostri diligentissime prouideremus. Concedimus ato, confirmamus quotiescunq, eisdẽ fratribus Pater monasterii ordinandus fuerit, is tantũ quem cõmuni consilio & assensu, dictante spiritu sancto elegerint vnanimiter, ab episcopo inuestiatur. Si vero intra claustrũ de persona non consenserint, liceat eis in nomine Domini personã assumere ciusdem professionis atq, propositi, quemcunq, magis idoneũ inuenerint. Parochianus quoq, presbyter à fratribus & eorũ patre de eorũ collegio constituatur, vt omni remota inquietudine secura libertate, perseueret in Dei laudibus. Eadẽ etiam libertate qua cæteræ congregationes nostri episcopatus funguntur, præfatũ monasteriũ & ecclesiam donauimus, vt præ-* *Copia literarum fundationis.* *Regulares in Schabenheim.* *Parochialis ecclesia priuilegium.*

dicare, baptisare, sepelire potestatẽ habeat; soliq; archiepiscopo subiecta sit, & de omnib. respondeat, & tã à seruitio nostro quam archidiaconi, quod bisextili anno persoluitur (vulgariter gulose dicitur) consensu eiusdem archidiaconi, libera permaneat. Inter cætera & hoc adijciendum putauimus, vt quamdiu-

*Castellanus in Dill Aduocatus eorum.*

dem comes Megenhardus vixerit, ipse aduocatiæ ius super eos obineat: quo defuncto, si hæreditas eius sorte duali hæredum personis distributa fuerit, is qui prædia illa pertinentia ad castrũ videlicet Dille, nõ vsurpatiue sed hæreditario iure possederit, à nobis siue ab aliquo successorum nostrorũ inuestitus, absque vlla contradictione aduocatus eorum existat. Huius itaque paginæ seriem stabilientes sigilli nostri impressione signauimus, præcipientes & sub perpetuo anathemate omnibus interdicentes Christianis, ne quis contra eam venire, impetrare, siue destruere præsumat, sed firma & inconuulsa permaneat omnibus eius authoritas, authoritate omnipotentis Dei & beati Petri apostolorum principis. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MCXXX. Indictione VIII. Regnante Domino Lothario glorioso Romanorum Rege secundo, anno eius quinto.

*Abbatia Ringauiensis fundatur.*

Eodem quoq; tempore præpositura montis S. Iohãnis Baptistæ in Ringauia ordinis diui patris nostri Benedicti, quam Ruthardus archiepiscopus Moguntinus paulo antecõstruens, abbati monasterij S. Albani martyris extra Moguntiam decreuit esse subiectam, per eius successorem Adelbertum seniorem, archiepiscopum Moguntinum in abbatiam sublimata est, sicut patet in literis desuper confectis, vt sequitur:

*Copia literarum fundationis.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adelbertus Dei gratia Moguntin⁹ archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus, omnibus Christi fidelibus tam futuris q̃ præsentibus notum esse cupio, Dominum Ruthardum beatæ memoriæ antecessorem nostrum ecclesiæ S. Albani montem quendã in Ringauia qui vocatur Bischoffsberg, potestiua manu tradidisse, ea videlicet ratione vt fidelium circumpositorumque positorum auxilio, monasticæ ibidem vitæ institueretur religio. Cumque ex parte monasterium in eodem loco constructum fuisset, & ad dedicandum altare prædictus antecessor noster vocatus fuisset, volens laboris eorum, qui ad locum eundem excolendum manum porrexerant, particeps existere; circumpositi nemoris aliquantam partem, vsq; ad alueum qui dicitur Hunenklingen, & ita deorsum vsque ad locum qui dicitur Kalenberg, in septentrionali montis plaga, & in aliis tribus plagis vsque ad vrualta loca, in dotem supra sacras reliquias delegauit. Insuper & censum dimidii mansi in Winckela, qui ad ius episcopale pertinebant, addidit: quem eidem monasterio Ruthardus, filius Regesonis, & quidã Rabodo & Damburg, ibidẽ recluſi, pro remedio animæ contulerunt. Statutum est etiam a prædicto archiepiscopo, vt singulis annis à mercatoribus tam Moguntinis q̃ prouincialibus, nundinæ in nativitate S. Iohannis Baptistæ ibi habeantur, omnem q; vtilitatem, quæ episcopo inde prouenire posset, fratribus eiusdem loci contradidit. Præterea Richolfus comes in Ringauia, & vxor eius Clanckmodis, & filius eorum Ludouicus, communi consensu, bona inferius descripta S. Iohanni, in cuius honore principale altare supradicti monasterii dedicatum est, solenniter & sine omni cõtradictione donauerũt: videlicet curtim quæ è regione montis proxima adiacet cum appendente sibi prædiolo, vineis scilicet atque arentibus, molendino, viuario, pratis & hortis. Item vineam vnam iuxta Winckelam, quæ vocatur Ezzinis, alteram in campo, tertiam iuxta curtim, quartam in Culersberg, quintam in eiusde montis latere orientali, sextam ad radicem montis, iuxta aquæ ductũ: & arabilis terræ partes quatuor. Obtulerunt etiã filiũ suum & filiã in eodem loco ad seruiendũ Deo & S. Iohanni, quibus prædicta bona iure hæreditario prouenissent, si in seculo remansissent. Nostris itaque temporibus cum facultas eiusdem ecclesiæ diuina operante clementia excresceret, & ipsa sibi sufficiens proprium pastorem expeteret; visum est nobis, eius statum ipsius in melius verteremus, & de adipiscenda ei libertate ageremus. Adhibito igitur nobiscum Henrico, maioris ecclesiæ præposito, & aliis quamplurib. personis religiosis & sapientib. Domũ abbatẽ S. Albani adiuimus, eiusq; & fratrũ suorum omniũ assensu & voluntate obtinuimus, vt prænotata S. Iohannis ecclesia à priori subiectione libera, deinceps liberũ de eligendo sibi abbate arbitriũ retineret, libereq; & canonice electũ nobis vel successorib. nostris, baculũ de manu episcopi suscepturũ & consecrãdum præsentaret. Hac ergo à prædicto Wernhero abbate & eius fratrib. concessione impetrata, posq; de manu & potestate eorum præmissam ecclesiã, abbatũ, archidiaconorũ, & aliarum personarũ nostrarum consilio & approbatione absoluimus, bona quædã in Lorcha prædictorum fratrum vsib. antea tributa, partẽ quoq; decimæ in Burnheim, ab eisdem fratribus iam multis annis possessam, abbati & fratribus S. Albani iusta & legitima recompensatione absolute & nullo contradicente donauimus. Insuper filia Richolfi comitis, iuxta monasterium S. Albani recluſa, de Culersberg singulis annis vitæ suæ Carratã vini & marcã argenti donari & post ipsius obitũ idem beneficium ad S. Iohannis ecclesiã referri statuimus. Concessimus etiam ipsorũ fratrum rogatu, vt quicunq; fideliũ ibidem baptizari aut sepeliri voluerint, omni contradictione Presbyteri suæ parochiani cessante baptismũ & sepulturã illic quietã inuenient. Præterea colonos prædictorũ fratrum in eodẽ monte sub eis cõmanentes, ea libertate donauimus, vt supra statuimus q̃ vel de capitibus suis, vel de prædiorũ episcopalium reditibus persoluere debent, nullo officiatũ nostrorũ respondere habeãt, qui potius ab omni exactione & pulsatione liberi, soli abbati placidã & quã seruã-*

*Donatio Ruthardi archiepiscopi Moguntini.*

*Richolphus comes Ringauii, Clanckmodis vxor eius.*

*Comes isthic fit monachus.*

*Abbatiæ titulus denuo erigitur.*

*Sepulturam dat liberã.*

*seruitutem exhibeant. Item etiam à prædicto loco omnes aduocatos excluſimus, ſoliuſque Archiepiſcopi patrocinio eum tutandum & defenſandum reliquimus. Poſthæc omnia competenti ordine obſeruato, Abbatem eidem loco Dominum Eigelvuardum ſolenniter conſecratum, præfecimus, concedentes atque confirmantes, vt quotieſcunque eiuſdem fratribus pater monaſterii ordinandus fuerit, is tantum quem communi conſilio & aſſenſu, dictante Spiritu ſancto vnanimiter elegerint, ab archiepiſcopo inueſtiatur. Huius autem rei ſeries vt ſtabilis & inconuulſa perſeueret, paginam hanc imaginis noſtræ impreſſione ſignauimus. Si quis vero, quod tam legitime factum eſt, infringere conabitur, eum anathematis gladio, donec reſipiſcat, percutimus. Teſtes ſunt Wernboldus Abbas S. Iacobi, Henricus maioris eccleſiæ præpoſitus, Cuno cuſtos & Decanus, * & alii complures. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione Domini* MCXXX. *indictione* VIII. *Regnante Lothario Romanorum Rege glorioſiſſimo; Anno regni ſui* IV.

*Eigelvuardus primus abbas.*

*Teſtes.*

Ad occidentalem eccleſiæ præfatæ S. Iohannis partem, recluſoriũm fuit conſtructum, in quo virgines Chriſto omnipotenti Deo in puritate mentis & corporis ſeruire cupientes, ſub obedientia abbatis & regula S. Patris noſtri Benedicti recipiebantur, quæ die ac nocte orationi & contemplationi vacabant, quibus Abbas loci de neceſſarijs in victu & amictu prouidebat: vbi & præfati Richolfi comitis Ringauienſis filia, ſicut in priuilegio archiepiſcopi notatum eſt, recluſa cum alijs virginibus fuit. Verum poſt annos plures, ſacræ moniales virgines his per ordinem ſuccedentes, propter quietem tam earum quam & Fratrum, de monte in vallem translatæ ſunt, conſtructo eis antea monaſterio, cum mansionibus neceſſarijs, quod Cluſa vocatur vſque in præſentem diem, pro eo quod virgines ibi recluderentur.

*Recluſoriũ monialiũ.*

*Ringauia comitatus.*

Circa iſta quoque tempora monaſterium noſtri ordinis, quod Gronavv vocatur, in confinibus Treuerenſis diœceſis, non procul à Schonavv (de quo iam diximus antea) per Comitem de Lurenburg fundatum eſt, in quo caput S. Sebaſtiani martyris oſtenditur, quod allatum per Comitem perhibetur.

MCXXXIII.

Anno MCXXXIII. Bernhelmi IX. monaſterium Ciſtercienſis ordinis in Ringau, quod Eberbach nominatur, duobus ferme miliaribus à Moguntia diſtans ꝺ Adelberto ſeniore Archiepiſcopo Moguntino conſtruitur.

*Gronauu monaſterii noſtri ordinis fundatur.*

His etiam temporibus Bernhelmus Abbas ſingulari prouidentia ductis donum & curiã in Moguntia pro vtilitate huius monaſterij comparauit, vt ſi forte contingeret neceſſarium, pro bonorum conſeruatione ea vteremur.

MCXXXV.

Anno MCXXXV. Bernhelmus abbas precibus obtinuit à Comite Megenhardo ripam circa caſtrum Spanheim præfluentem, & omnem vſum piſcandi, cum ipſo & hæredibus eius communem, ab ipſo caſtro deorſum, vſque ad medium iter verſus Wimesheim, ita vt nullus miniſterialium circumhabitantium ſeu quorumlibet aliorum præter miniſteriales domeſticos ſolos comitis & abbatis in ea debeat piſcari. A caſtro ſurſum vſque ad nemoris principium, vbi marchia caſtrenſium terminatur, piſcatio comitis eſt, & deinceps vſque ad Buggenavv vlterius, & deinceps conſequenter vſque ad nouam Eccleſiam, piſcatio abbati ex donatione Vdonis ſupradicti pertinet.

*Piſcationes monaſterij noſtri.*

*Hodie Naunkirch.*

His temporibus monaſterium canonicorum regularium in Franckendal, non lõge à Wormacia, ab Erckenberto quodam ciue Wormatienſi, vito magnarum virtutum & operationum, ſub normula diui Auguſtini fundatur, vbi primus præpoſitus fuit conſtitutus Bertholfus, Canonicus in Sprengersbach: quo poſt aliquot annos reſignante ipſe Erckenbertus adhuc Laicus in præpoſitum à fratribus electus eſt, & per Buggonem epiſcopum presbyter ordinatus. Cœnobium quoque pro ſacris virginibus in eodem loco conſtruxit, quibus Richlindem quondam vxorem ſuam, matronam deuotiſſimam, in Magiſtram præfecit, amboque miraculis claruerunt.

*Franckenthal monaſteriũ fundatur.*

MCXXXVI.

Anno MCXXXVI. Iutta virgo caſtiſſima, filia Stephani comitis de Spanheim, ſororque comitis Megenhardi fundatoris noſtri, II. calend. Ianuarij in Domino quieuit, in monaſterio S. Diſibodi, iuxta maius altare verſus meridiem ſepulta, vbi propter cœleſtis regni amorem cum quibuſdam alijs virginibus incluſa XXIIII. annis Domino in arcta religione ſeruiuit. Fuit autem incluſa patre Stephano comite adhuc viuente, anno videlicet MCXII. indictione V. cum aliis tribus virginibus, Hildegardi de Bickelnheim, quæ poſt obitum eius ad Bingiam tranſiens, ibi monaſterium in monte S. Ruperti fundauit, vt ſuo loco dicetur. Iutta quædam alia nobilis virgo: & altera eiuſdem nominis æque mo-

*S. Hildegardis de Bickelnheim.*

*Moniales plures in monte S. Disibodi.*

nialis Christo deuotissima. Sancta autem Iutta Stephani comitis filia, Magistra Christi virginum in præfato monte S. Disibodi fuit, quarum numerus sub ea valde augmentatus est, multique nobiles in circuitu filias suas sub eius magisterio Domino nostro Iesu Christo ad seruiendum obtulerunt, quæ omnes sub regula S. Patris nostri Benedicti & obedientia abbatis militabant, recluſæ seorsim in arcta & bene murata custodia, ad quas præter abbatem nulli virorum patebat accessus. Fuit enim ista consuetudo pene in omnibus nostris & regularium tunc celeberrima Christi monasterijs, vt quanto viris essent viciniores, tanto facilius eorum vigilantiâ moniales ab antiqui hostis insidijs tuerentur. Sic fuit in præfato monasterio S. Disibodi; sic in monasterio S. Ioannis in Ringauia, sic in Schonau, sic apud S. Albanum, sic apud S. Iacobum, sic in Hirsavv sub abbate S. Wilhelmo: Similiter in Franckendal. Nonne circa monasterium Limpurg tria ordinis nostri cœnobia fuere monialibus constituta, videlicet Sebach, Hausen, & Schonfeld, quorum primũ adhuc viget, sanctis virginibus aptum, reliqua duo desolata sunt. Et apud monasterium S. Martini Treuiris, iuxta muros, supra littus Mosellæ, versus Aquilonem cœnobium fuit S. Symphoriani, in quo multæ nostri ordinis moniales sanctissimæ claruerunt, cuius nullum hodie appꝛret vestigium præter vnam columnam solam, qua ecclesia quondam fuit sustentata. Et Bernhelmus primus huius loci abbas supradictus in pede montis deciuii ad occidentalem huius monasterij plagam, cœnobium paruum constꝛuxit, (sicut iam prædiximus) in quo Mechthilden sororem suam, apud S. Albanum prius inclusam, propter amorem vitæ cœlestis, cum alia quadam Sophia nomine recluſit. Fueruntque in eodem recluſoꝛio multis annis sibi inuicem succedentes virgines complures, sanctæ atque deuotissimæ, quarum nomina scripta in cœlo non dubitamus. Verum posteaquam moniales propter locorum cohærentiam, viris in laqueum & in scandalum esse ceperunt, & vtrimque non spiritu (vt ante) sed carne ambularent, pene omnia cœnobia monialium viris contigua; aut monasterijs virorum prouidentia episcoporum incorporata, monialibus eficientibus, vel etiam pulsis, videmus vt ex incuria seu qualibet alia occasione totaliter sint destructa. Nam hodie apud nos præter nomen loci, quod Clausa abinclusione virgnum olim ibidem habitantium appellatur, nullum cœnobij aut structuræ vestigium cernitur. Sed ad historiam reuertamur. Sancta igitur Christi virgo, de qua diximus, Iutta miltis in hac vita miraculis claruit: aquam inter cætera mutauit in vinum, & liquidas Glaii fluminis vndas sicco pede compluries pertransiuit, vnde non sine magnæ opinione sanctitatis ex hoc mundo transiuit ad cœlum, cuius vita & conuersatio sanctissima satis diligenter conscripta habetur. Post cuius mortem S. virgo Hildegardis Magistra sororum constituta est, sub Cunone præfati cœnobij abbate: quæ paucis annis euolutis, cum vniuersa sororum congregatione, permissu abbatis, transiuit ad Bingen, diuina reuelatione præmonita, ibique cœnobium, quod hodie manet, in monte S. confessoris Ruperti pro se & sororibus suis ex fidelium eleemosynis constꝛuxit.

*Antiquitus iuxta monasteria virorũ etiam moniales fuerunt. Exempla.*

*Inclusorium monialium hic fuit iuxta monasterium Sponhemense.*

*Causa cur abrogata sint monialium reclusoria iuxta monasteria virorum.*

*Clausa Sinna unde dicatur.*

*Iutta miracula.*

*Glanus fluuius.*

*S. Hildegardis fit Magistra sororum.*

MCXXXVII.

*Bertholdus Prior moritur.*

Anno MCXXXVII. Anno Bernhelmi Abbatis XIII. Bertholdus prior huius monasterij obijt 12. calend. Iulij, vir per omnia religiosissimus, & diuinarum scripturarum cultor & amator præcipuus, cui nihil vnquam dulcius fuit, quam aut scribere libros aut legere. Tam vero in diuino cultu sedulus fuit, vt primus esset semper in choro, & vltimus post omnes egrederetur. Nemo illum vnquam vidit ociosum, nemo tristem aut dissolutum: semper enim aliquid boni faciebat, aut legit, aut scripsit, aut certe orationi vacabat. Tam frequens in oratione fuit, vt nihil eum aliud quam orationem potuisse cogitare putasses: rursusque tam feruens in lectione scripturarum & opere manuali, vt nihil minus quam orationem amare videretur. Huic in prioratu successit Anshelmus, quondam monachus S. Iacobi Moguntinensis, qui inter primos 12. huc missus fuit, vir bonus, mitis, dulcis & mansuetus, de militari genere natus in Bickelnheim, præfuitque in officio prioratus annos XLIII. sub tribus abbatibus, Bernhelmo, Crafftone & Adelgero, sub cuius directione multum profecit disciplina regularis, merito virtutum & numero personarum. Vestigijs quoque prædecessoris sui fideliter inhærens Bibliothecam huius cœnobij, per tempus officij sui non modicum ampliauit. Magnum enim circa hæc tempora monachis huius cœnobij & S. Disibodi studium fuit scripturarum, & libros sacræ lectionis cum omni alacritate scribebant.

*Anshelmus fit secundus Prior.*

*Adelbertus senior archiepiscopus Moguntius moritur.*

*Adelbertus iunior succedit.*

Hoc anno Adelbertus senior archiepiscopus Moguntinensis IX. cal. Iulij moritur, & in monasterio Erbacẽsi, quod ipse fundauerat, sepelitur. Cui Adelbert' iunior, nepos eius, præpositus Erphordensis succedens, præfuit annis quatuor, cuius pauca memorabilia leguntur gesta, propter pontificatus sui breuitatem.

His

His temporibus monasterium sanctimonialium in Lobenfeld ordinis nostri, Wormacien-sis diœcesis in pago qui dicitur Kreichavv, duobus ferme ab Heidelberga miliaribus, fundatum est, sub Buggone Wormacien-si venerabili episcopo. *Lobenfeld fundatur.*

Eodem quoque tempore comes de Liningen fundauit monasterium S. Petri Dumetense, vulgariter Hugen, in eadem Wormacien-si parochia; cuius ecclesiam supradictus episcopus Buggo consecrauit, & fratres canonicos sub regula diui Augustini ibidem instituit, quibus Hartungum, virum valde venerabilem, in primum patrem & præpositum præfecit. Consecratio autem huiusmodi facta est anno Dominicæ incarnationis MCXLI. in festo S. Petri, quod appellatur ad vincula. *Heyne fundatur.*

Hoc ipso anno Moguntia crematur cum maiori monasterio: Spira quoque & Goslaria vno eodemque die pro maiori parte incendio perierunt. *Moguntia crematur.*

Lotharius quoque Imperator obijt in Bauaria, pridie nonas Decembris. Iste Imperator Lotharius monasterium nostri ordinis in Saxonia fundauit, quod Lutera Regalis seu Konigsluttern dicitur, vbi translatis monialibus ad alium locum, abbatem, & monachos constituit, & mortuus in eodem sepultus est. Cui Conradus tertius succedens annis 14. imperauit. *Lotharius Imperator fundator Luteræ regalis in Saxonia moritur. Conradus 3. Imperator.*

Hoc anno in nocte Paraseues, corpus S. Disibodi sub abbate Cunone de veteri monasterio, vbi quondam per Willigisum Archiepiscopum in altari positum fuerat, ad nouum monasterium, quod Ruthardus archiepiscopus & post eum Adelbertus senior in monte, vbi nunc est, construxerant, cum maxima deuotione translatum est, & post maius altare in nouo sarcophago marmoreo honorifice collatum. Huic translationi Bernhelmus abbas cum tota huius cœnobij congregatione interfuit, & scapulam eiusdem S. pontificis impetrauit. *Corpus S. Disibodi transfertur.*

MCXL.

Anno MCXL. Bernhelmus abbas, cum Adelberto iuniore archiepiscopo Moguntino, & Gotfrido comite de Sponheim filio Megenhardi Romam perrexit, & à papa Innocentio multas & pretiosas reliquias per præfati archiepiscopi preces obtinuit: inter quas erat dens vnus S. Apostoli Pauli. Itē de capite S. Hippolyti martyris: de capillis quoq; S. Apostoli Petri: de ligno S. crucis: de camisia S. patris nostri Benedicti abbatis, de cruce S. Andreæ Apostoli, Mariæ Magdalenæ, & Mariæ Ægyptiacæ, cum alijs multis.

Hoc anno Embrycho episcopus Herbipolensis in suburbio eiusdem ciuitatis, monasterium S. Iacobi Apostoli, pro receptione Scotorum nostri ordinis fundauit: & Macarium virum sanctum, natione Scotum, primum abbatem nominauit & instituit, qui inter cætera sanctitatis suæ miracula (sicut idem episcopus in litera fundationis perhibet) cum amore cœlestis regni abstineret à vino, nec aliud in mensa quod biberet haberet, coram multis vinum appositum in aquam mutauit, & bibit. *Cœnobium Scotorum Herbipolis nostri ordinis fundatur. Miraculum Macarij.*

Hoc anno S. Otto episcopus Bambergensis ex monacho nostri ordinis, prid. calend. Octobris moritur, & in ecclesia montis monachorum ibidem, vbi ante Episcopatum monachus fuerat, sepelitur. Hic monasterium Vrauu Herbipolensis diœcesis nostri ordinis construxit, in quo primum abbatem ordinauit Ecgardum, virum religiosum atque doctissimum, qui multa pulcræ lectionis opuscula composuit, iacetque in eiusdem ecclesiæ medio sepultus, non sine opinione sanctitatis. Alia quoque nonnulla monasteria de nouo fundauit, & plura nimia vetustate collapsa magnifice instauravit, quorum nomina memoriæ non occurrunt. Cœnobium vero prædictum Vraugiense in honore S. Laurentij martyris consecratum est, & satis magnifice ab eo dotatum. *Otto episcopus Bambergēsis moritur. Vrauu monasterium fundatur.*

His quoque temporibus Buggo Wormacien-sis episcopus, non longe ab Heidelberga monasterium Cistercien-se ordinis fundauit, quod Schonauu dicitur, in quo abbatem & conuentum de Claraualle à S. Bernhardo impetrauit. *Schonauu monasterium fundatur.*

MCXLI.

Anno MCXLI. Bernhelmi abbatis huius monasterij XVII. Adelbertus iunior archiepiscopus Moguntinus, 12. calend. Augusti moritur, cui successit Marcolfus præpositus Aschaffenburgen-sis, præfuitque anno vno, mensibus 11. *Marcolfus fit archiepiscopus Moguntinus.*

MCXLIII.

Anno MCXLIII. Bernhelmus abbas duo corpora de collegio vndecim millium virginum & martyrum, per interuentum Megenhardi comitis, ab Arnoldo archiepiscopo Colonien-si impetrauit, quæ cum ingenti honore accipiens, huc ad monasterium portauit, & in duobus scriniis ligneis deauratis collocauit: capita vero confracta fuerunt, sed singulæ partes cum suo corpore dispositæ. *Duo corpora sanctorum huc portantur.*

*Henricus sit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno Marcolfus Archiepiscopus Moguntinus idib. Iulij obijt, cui Henricus maioris ecclesiæ Præpositus successit, & præfuit annis 10. mensibus VIII.

*Monachi S. Maximini expelluntur ab archiepiscopo.*

Eodem anno Adelbero archiepiscopus Treuirensis Gerardum abbatem & omnes monachos S. Maximini propter inordinatā vitā eorum expulit, & alios monachos, qui secundum regulam S. Benedicti viuerent, introduxit: quibus præfecit in abbatem Sigerum virum religiosum & doctum. Sunt qui dicunt eum hoc non amore disciplinæ regularis fecisse, sed propter auaritiam suam: constat enim quod multa de cœnobio S. Matthiæ violenter in vsum suum diripuit, ipsamque abbatiam S. Maximini de manu Imperatoris obtinuit; Gerardum abbatem fugauit, qui multo tempore in monte sancti Disibodi & hîc cum Domino Bernhelmo & fratribus nostris exulans permansit: Quo sic fugato fratres S. Maximini, comitem Namercensem, nunc Lutzenburg, in auxilium contra episcopum vocauerunt, venditis clenodijs & ornamentis, quorum precio eum conduxerunt. Archiepiscopus autem Rudolsberg castrum eius, ipso intus existente obsedit, qui fugiens occulte, castrum episcopo dimisit. Capto autem castello cum multis captiuis Episcopus reuertitur, Manderscheit, Colubrium, Barlandiam & triginta comitum munitiones & castella destruxit, ipsumque Comitem venire ad gratiam coëgit, vnde fratres omni auxilio destituti ab eo fuerunt expulsi.

*Archiepiscopus miles.*

MCXLVIII.

*S. Hildegardis fundatrix monasterii S. Ruperti.*

Anno MCXLVIII. Bernhelmi abbatis nostri XXIIII. S. virgo Hildegardis, Magistra sponsarum Christi in monte S. Disibodi, post mortem beatæ Iuttæ (sicut diximus) constituta, diuinitus admonita, cum decem & octo sanctis virginibus ad Bingos transiuit, & monasterium in monte, trans Naham fluuium, iuxta sepulchrum S. Ruperti Ducis & cōfessoris ædificauit, ipsumque locum cum omnibus rebus & possessionibus, partim precio de manu Comitis Hildenheimensis, in Treuerensi parochia manentis, partim commutatione, partimque donatione comitis de Spanheim & aliorum fidelium in ius proprietatis redigens, defensioni ecclesiæ Moguntinæ temporibus perpetuis, Apostolico interueniente priuilegio, commendauit. Fuit autem hæc virgo sanctissima ex comitatu nostro Spanheim oriunda, in vico qui Bickelnheim dicitur, patre genita Hildeberto, Stephani Comitis nobilissimo milite, matre vero Mechthilde æque nobili & honestissima fœmina, quæ etiam cum ferme octo annorum esset, magisterio beatæ Iuttæ in monte S. Disibodi imbuenda in timore Domini tradita à parentibus fuit. Mortua autem S. Iutta, ipsa Hildegardis perfectior omnibus Magistra sororum vnanimi voto constituta est, quæ tum diuino spiritu inspirata, miranda quædam scribere compulsa est, quæ ad examen summi Pontificis Eugenij, apud Treuiros tunc cum XVIII. Cardinalibus existentis, per Henricum episcopum Moguntinum & S. Bernhardum Claræuallis Abbatem delata, & publice coram omnibus lecta, ab ipso summo Pontifice confirmata sunt. Verum cum multi in circuitu nobiles filias suas magisterio eius traderent, & fieret eis locus ad manendum angustus; de licentia tam summi Pontificis quam Abbatis sui, ad montem S. Ruperti (sicut diximus) cum XVIII. sacris monialibus transiuit, inter quas vna erat Hiltrudis, filia comitis Megenhardi, virgo sanctissimæ conuersationis, & beatæ Hildegardi multum familiaris, ob cuius intuitum Comes pater multa eidem loco beneficia impendit, de qua suo loco plenius referemus.

*S. Hildegardis origo.*

*Educatio.*

*Magistratus & efficium.*

*Eruditio & scripta Hildegardis per papam confirmata.*

*Eugenius papa Treuiris moratur.*

Hoc ipso anno Adelbero Treuirorum archiepiscopus Eugenium Papam Treuirim vocauit, quem cum decem & octo Cardinalibus, archiepiscopis & episcopis multis, tribus mensibus cum omni eorum familia in suis expensis copiosissime tenuit & fouit.

*Profectio ad terram sanctam.*

Magnus hoc anno Christianorum concursus ex omni Europa factus est vltra mare, ad recuperandum sepulcrum Domini & terram sanctam: inter quos fuerunt Cunradus rex Romanorum & Ludouicus rex Franciæ, cum multis Ducibus, Comitibus, Principibus, Episcopis & Abbatibus, monachis, clericis, nobilibus & ignobilibus, qui tamen parū ad principale eorum propositum profecerunt.

MCXLIX.

*Crafto comes Spanheimēsis fit monachus Sponheim cum sponsa sua Clementia.*

** Hohēberg.*

Anno MCXLIX. Bernhelmi abbatis nostri XXV. Craffto, filius Megenhardi comitis de Spanheim, fundatoris nostri, diuino spiritu inflammatus, vanam mundi pompam & amplas diuitiarum possessiones pro Christi amore contemnens, annuente patre, sub abbate Bernhelmo monachus in præsenti cœnobio nostro Sponheimensi factus est, quod ita contigit. Clementiam, filiam Adolphi, comitis Altimontensis, * virginem pulcherrimam prudentissimamque, sibi ante paucos annos in sponsam pro futura vxore accepit, quam nimio dilexit amore: quæ cum votum virginitatis haberet, multis tandem precibus ab

bus ab eo licentiam Christo seruiendi in perpetua virginitate obtinuit, parentibus ambo-
rum nescientibus: Postremo patri votum virginis & suum iuuenis aperuit, & ne fieret co-
trarius, humiliter rogauit: qui cum esset vir bonus & in Christi religione deuotissimus, fa-
cilem precibus filij dedit consensum. Itaque sponsam filij sui praefatam Clementiam vir-
ginem, Christo deuotissime seruituram, in beatae Hirminae monasterio, quod in ciuitate
Treuirensi à Dagoberto Rege Francorum quondam constructum (Horreum Dagoberti,
vulgariter Oeren appellatum est) tradidit: in quo multis annis vsque ad finem vitae suae
Domino in magna deuotione, sanctitate, & puritate mentis & corporis seruiuit. Crasso
autem sponsus S. virginis ad amorem & votum perpetuae castitatis per eam conuersus, in
praesenti (sicut diximus) coenobio monachus factus est.

MCL.

His diebus cum S. Hildegardis, deuotissima Christi famula, in monte S. Ruperti a- *S. Bernhardus S. Hildegardin visitat.*
pud Bingas cum sacris virginibus suis, constructis (sicut diximus) habitaculis necessarijs &
coenobio moraretur, contigit sanctum Bernhardum abbatem Claraevallis, in descensu
Rheni fluminis à Francfordia ad Coloniam descendere, & eam, quam fama & scriptis no-
uerat, personaliter visitare. Ad quam cum venisset, post orationes consuetas & salutatio-
nis obsequia, iussit ipse volumina, quae ipsa Spiritu sancto inspirata conscripserat, exhibe-
re: quibus diligenter reuisis, vltra quam dici potest admirans, ad circumstantes fertur di-
xisse: *Haec scripta non sunt humanitus adinuenta, sed per Spiritum sanctum diuinitus inspirata; nec* *S. Bernhardus scripta Hildegardis cōmendat.*
*potest ea mortalis homo intelligere, nisi ad Dei similitudinem intus in anima fuerit reformatus.* Ad
haec praepositus virginum, monachus satis eruditus & deuotissimae conuersationis re-
spondit: *Reuerende pater, vera quidem sunt quae dixisti, sed multi homines non solum seculares*
*idiotae, verum etiam religiosi ac docti, animum famulae Christi quotidianis oblocutionibus cruciant,*
*dum haec non diuinitus inspirata, sed aut somnia muliebria, & destructi cerebri phantasmata, aut fal-*
*laciter per Daemonas immissa esse confirmant.* Cui vir Dei, *Non miramur*, inquit, *frater chariss-*
*me, si dormientes in peccatis diuinas reuelationes somnia existiment, scientes verum quod Apos-*
*tolus dixit: Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest*
*intelligere, quia spiritualiter examinatur. Omnibus enim in peccatis superbiae, auaritiae, & luxuriae*
*quasi dormiendo iacentibus, diuinae admonitiones somnia videri consueuerunt, quoniam si vigila-*
*rent in timore Domini, signa diuinarum reuelationum vera proculdubio agnoscerent. Qui au-*
*tem immitti haec à Daemonibus dicunt, diuinarum inspirationum occulta & mystica signa non no-*
*uerunt. Similes illis iudicandi sunt, qui Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum ejice-*
*re daemonia in Beelzebub potestate tumidi dixerunt.* Ad S. quoque Hildegardin dixit: *Et tu,*
*filia charissima, ne metuas opprobria hominum imperitorum, Deum protectorem cum habeas,*
*quoniam illa sicut stipula peribunt, veritas autem Domini manet in aeternum. Nos quoque*
*ob Dei omnipotentis honorem, dabimus operam, vt haec tua scripta per Dominum nostrum papam*
*legantur, sicut & illa quae Treuirim misisti comprobanda.* Dedit autem sancta Hildegardis vi-
ro Dei postulanti particulam reliquiarum sancti Ruperti, Ducis Bingionum & confesso-
ris. Deinde valedicentes sibi inuicem S. Bernhardus coeptum iter continuat, vbique co-
ruscans miraculis.

Hoc ipso anno Bernhelmus abbas, interuentu comitis Megenhardi fundatoris, ab *Crus S. Ruperti transfertur in Sponheim.*
Henrico Archiepiscopo Moguntino & sancta Hildegarde dextrum crus beati Ruperti co-
fessoris & Ducis supradicti, à genu infra vsque ad pedem seu talum, cum pelle, carne, & ossi-
bus integrum obtinuit, quod cum magna reuerentia & honore huic monasterio suo Spō-
heimensi aduexit.

Deniq; circa haec tempora Constantinopoli à Latinis capta, Hildebertus nepos Do- *Reliquiae de Ierusalem huc apportantur.*
mini Bernhelmi abbatis nostri, miles fortissimus, qui mare cū aliis Christianis transierat,
rediens per Graeciam, tā ab Hierosolymis, quam à Byzantio, multas sanctorum reliquias
reportauit, quas omnes pene huic monasterio contulit. Nam receptas de ecclesia S. Basilii
istas attulit: de S. Laurentio martyre de S. Marco & Marcellino martyribus; de Innocenti-
bus tres particulas; de S. Basilio, de S. Iohanne Chrysostomo, & alias multas. At vero de
terra sancta quas portauit istae sunt: de sepulcro Domini: de lapide in quo stetit Dominus
quando coelos ascendit: de lapide in quo stetit Angelus, quādo Mariae annunciauit incar-
nationem: de cunabulis Domini: de ianua per quam causam Dominus post resurrectio-
nem intrauit: de oleo S. Catharinae: de S. Stephano prothomartyre: de monte quoque
Oliueti: de sepulcro sanctae Mariae semper virginis: de calvariae lapide in quo Dominus
crucifixus est: de petra Domini: de Golgatha lapide qui sanguine Domini tinctus est: de
mensa Domini: de lecto Domini: de loco passionis Domini: commixtio quoq; omnium

sacrorum locorum Ieroſolymis;& multæ aliæ reliquiæ per præfatum militem Hildebertum huic monaſterio de tranſmarinis partibus eodem tempore allatæ fuerunt.

Henricus quoque de Vlmena miles, in Treuirenſi diœceſi natus, Conſtantinopoli expugnata eodem tempore inter alias reliquias ſanctorum, magnam particulam ſancti crucis deportauit, qua in tres partes diuiſa vnam monaſterio ſancti Matthiæ iuxta Treuirim,aliam cœnobio cuidam monialium ordinis ſancti Auguſtini (quod Stuba dicitur) in eadem diœceſi Treuirũm;& tertiam monaſterio ſancti Pantaleonis in Colonia,cum capite eiuſdem S. martyris tradidit; cæteraſque reliquias ad Lacum aliaſque eccleſias diſtribuit.

MCLI.

*Vdo nobilis fit monachus.*

Vdo vir nobilis de Sponheim, qui huic monaſterio ſolennem illam ſuper bonis Bugenavv & in Gentzigen donationem,ante XXIIII.annos coram Adelberto ſeniore archiepiſcopo Moguntino,& alijs compluribus fecerat,Iudith vxore mortua,ad conuerſionem venit in ſenio ſuo; & hoc anno ſub domino Bernhelmo in hoc noſtro cœnobio monachus factus eſt, qui per annos tres in magna deuotione viuens, tandem ſub Crafftone primo,v I.idus Iunij in Domino quieuit,vir manſuetus & deuotiſſimus.

*Bernhelmus abbas moritur.*

Hoc anno Bernhelmus abbas,ſenio & labore grauatus plus ſolito infirmari cœpit; qui dum diem mortis appropinquare ſibi ſentiret, ſumptis Sacramentis eccleſiaſticis cum ſumma deuotione,ordinatiſque rebus monaſterij prudentiſſime, non ſine triſtitia fratrum,quorum iam numerus vltra X X.aſcenderat,vt V I. calendas Aprilis ad Dominum præſcripto anno migrauit,anno paſtoralis officij X X V I I. nondum completo,ætatis vero LXXIIII.ſepultus cum magno honore, multiſque lacrymis fratrum in medio Chori, vir æterna memoria dignus, Deo & hominibus dilectus; qui gregem ſibi commiſſum in omni religione & ſanctitate verbo & exemplo quam optime inſtituit,& multos ab iniquitate ad ſemitam iuſtitiæ ac rectitudinis vitæ conuertit.

*DE CRAFFTONE PRIMO, HVIVS MONASTERII SECVNdo abbate,qui præfuit annis 24. menſibus duobus, diebus quinque, feliciter.*

ANNO Domini ſupra notato MCLI. indictione quarta decima, domino Bernhelmo primo huius monaſterij abbate mortuo,(ſicut dictum eſt) atque ſepulto;eodem die,videlicet 6.calen.April. fratres in vnum conuenientes vnanimiter,nullo penitus contradicente,in abbatem elegerunt Dominum Crafftonem, huius cœnobij monachum (de quo ſupra diximus) filium Megenhardi comitis de Spanheim,in ordine adhuc nouellum,ſed maturum,religioſum atque prudentem, qui huic monaſterio multa bona fecit, non minus humilitate quam nobilitate ſanguinis venerabilem. Electus autem inuitus conſenſit, malens pro Dei amore abiectus habitare monachus inter monachos, quam honoribus huius ſeculi periclitari. Victus tamen precibus & lacrymis fratrum, diutius reluctari non potuit,ſed lacrymans & indignum ſe proclamans conſenſum dedit. Poſthæ nonis Iunij, quæ fuit dies S. Bonifacij martyris, ab Henrico archiepiſcopo Moguntino cum magna ſolennitate & honore conſecratus fuit, in maiori eccleſia Moguntinenſi, abbatibus, Clero & multis de nobilium numero aſtantibus. Erat ſane vir magnæ prudentiæ,competenter doctus, qui ea quæ ad ſtatum ſuum pertinebant optime intellexit: in timore Domini plene fundatus fuit,in conuerſatione quoque cum frattribus maturus, non turbulentus,& qui omnium bonorum facile in ſe traxit amorem. Manſuetus enim, mitis & humilis,neminem offendere neque lædere,ſed prodeſſe omnibus nouit. Ordinatus abbas, omni ſtudio dignum & vtilem paſtorem fratribus ſibi commiſſis ſe exhibere curauit,& eos in omni religione & humilitate ſemper verbo & exemplo præceſſit. Præfuit huic monaſterio vtiliter & ſtrenue annis 23. menſibus duobus & diebus 5. ſicut per ordinem dicemus.

*Crafto eligitur abbas.*

*Crafto confirmatur.*

MCLII.

Hoc anno Adelbero Treuirorum archiepiſcopus moritur, cui ſucceſſit Hillinus, maior eccleſiæ Decanus,annis XVIII.ab hoc archiepiſcopo Hillino, Craffto ſecundus huius monaſterij abbas (de quo dictum eſt) multis precibus impetrauit caput S. Irminæ virginis,filiæ quondam Dagoberti Regis Francorum,quę fuit prima abbatiſſa monaſterij in horreo Treuirenſi;qꝑ ipſa cooperante S. Willibrordo epiſcopo fundamẽtis de nouo fundauerat,cuius feſtum in vigilia natiuitatis Dominicæ agitur. Hoc ſacratiſſimum caput ab ipſo Archiepiſcopo & congregatione præfati loci vniuerſa, tam intuitu precum ſuarum, quam

*Caput S. Irminæ venit in Spõheim.*

quam amore sanctæ virginis quondam sponsæ ipsius Clementiæ, quæ Domino in eodem cœnobio militabat, impetratum cum magno honore & reuerentia susceperit, & huc ad monasterium suum tota congregatione in occursum eius cum laudibus & hymnis extra portam procedente portauit, quod integrum cum pelle, carne & capillis vsque in præsentem diem veneramur.

Hoc ipso anno Conradus Rex moritur, cui successit Fridericus huius nominis primus, & annis 38. imperauit.

MCLIII.

Almeinda pro pauperibus cõstituitur.

Craffto abbas pro vsu pauperum omnium vndecunque aduentantium, maxime illorum qui comiti & monasterio cum vectionibus suis seruiunt, Almeindam quæ est iuxta hortum olerum, quem Richart Comitissa quondam in prima fundatione monasterio contulit, versus orientem, at à dextro viæ latere ad Mannede cum omni iure & proprietate impetrauit à patre comite Megenhardo, quam tali moderatione in perpetuum voluit confirmari, vt videlicet ius & omnis proprietas huius, ad monasterium in omne pertineat æuum, & vsusfructus tam monasterio quam familiæ villarum Sponheim & in Dalen, ac omnium pauperum cum iumentis aduentantiũ, eaque ibi pascere & manere volentium sit communis, nisi comes cum abbate reuocare voluerit.

Arnoldus in episcopatu Moguntino succedit Hẽrico.

Hoc anno Henricus archiepiscopus Moguntinus, ex mandato Eugenii Papæ à duobus Cardinalibus Gregorio & Bernhardo deponitur, qui mœrore consumtus, eodem anno calendis Septemb. obijt. Cui Arnoldus Præpositus Aquensis, Cancellarius Imperatoris Friderici, auxilio eius promotus & adiutus successit.

MCLIIII.

Machtildit monialis hic moritur.

Anno Crafftonis tertio obijt Machthildis sanctimonialis virgo, soror quondam Bernhelmi abbatis, hic iuxta monasterium nostrum in principio suæ institutionis recluſa, sicut suo loco in præcedentibus dictum est. Obiit autem in inclusorio suo 4. calend. Martij, in cuius transitu Angelorum concentus & laudes auditæ, ac visiones quædam ostensæ ferebantur. Sepulta est in choro fratrum ante gradus presbyteri, non sine opinione sanctitatis.

Sorores in Clusa nostra.

Reliquit post se in eadem cella quinque sorores virgines, Christo consecratas atque deuotas, quarum ista sunt nomina: Sophia, quæ cum ea de sancto Albano venerat, quæ & eodem anno pridie calendas Maij obiit: Gerlindis, Demodis, Luigardis & Gertrudis, quæ Domino in sanctæ virginitatis proposito, vsque ad vitæ terminum seruierunt; quibus per successum temporis & aliæ nonnullæ ad seruiendum Domino coniunctæ sunt, sed paucarum vocabula apud nos remanserunt. Nam post annos ferme septuaginta defecerunt in eodem loco sorores, & recluſorium per successum temporis desolatum est, ædificia diruta & penitus destructa: tandem post multos annos Dieterus abbas, deportatis lapidibus, locum purgari fecit, & vineam in eo plantari, quæ ibidem continuata perseuerat vsque in præsens.

Clausa diruta.

MCLV.

Comes Megenhardus obiit.

Anno Crafftonis abbatis quarto, obijt pater eius Megenhardus comes de Sponheim, fundator huius monasterij, pridie cal. Martij, vir per omnia magnificus, & pater pauperum, pro cuius anima Craffto multa bona fieri fecit. Denique tota congregatione huius monasterij consentiente & approbante constituit, quod dies eius anniuersarius quotannis cum vigilijs & missis agatur, in quo quilibet sacerdos legat vnam missam; non sacerdotes quinquaginta Psalmos, nescientes illos tot Pater noster & Aue Maria: 12. pauperes eo die in memoriã 12. Apostolorum Christi reficiantur. Gotfridus comes filius Megenhardi, mortuo patre comitatum Sponheimensem adeptus, satis strenue gubernauit. Hic ad instantiã Domini Crafftonis abbatis fratris sui, castrum quod dicitur Coppenstein, cum nemore viculisq; adiacentibus pro portione hæreditatis legitima huic monasterio perpetuo iure tradidit possidendum, cum omnibus proprietatibus & pertinentijs suis. Verũ post annos ferme 170. sub Willichone abbate primo, cõmutatio quædam per comitẽ Iohannem & fratrem eius Simonem de Sponheim facta est, & pro castello Coppenstein cum attinẽtijs suis curtis in Bosenheim huic monasterio data, sicut ibidem dicetur.

Gotfridus parenti succedit.

Coppenstein castrum venit ad ius monasterij & rursus amittitur.

Bellum Moguntinum archiepiscopus cum Comite Palatino gerit.

Hermãnus Palatinus Rheni.

Hoc ipso anno graue bellum fuit inter Arnoldum archiepiscopum Moguntinum & Hermannum comitẽ Palatinum Rheni, qui Hermannus in sua parte habuit Gotfridũ comitẽ de Sponheim, Emichonem comitẽ de Liningen, Tericum comitẽ de Catzenelẽbogen, Conradũ comitem de Birgberg, Henricum comitẽ de Dedesheim, & quãplurimos alios. Iste Hermãnus comes Palatinus ecclesiã in Lainstein cũ tertia parte decimarum nõ modicæ vtilitatis mensæ archiepiscopali Tret erensis tradidit, & multa benẽficia eidẽ ecclesiæ præstitit. Fuit enim vir magnificus & per omnia gloriosus.

MCLVI.

*Hospitale cũ ecclesia parochiali crematur.*

Anno Crafftonis Abbatis quinto, 12. cal. Nouembris, hospitale pauperum cum annexa Capella, in q̃ parochialis ecclesiæ ius dudum ex Dalen fuit translatum, igne consumtum est & totaliter perijt. Denuo igitur translata est parochialis ecclesia in eum locum monasterio contiguum, vbi adhuc hodie cernitur à cunctis hominum mansionibus segregata, ne de facili per ignem perire queat. Prima enim parochialis ecclesia fuit in Dalen à tempore S. Bonifacij archiepiscopi Moguntini per annos ferme CCLXXVIII. Et tum sub Adelberto seniore Archiepiscopo ad instantiam comitis Megenhardi ius parochianũ in Capellam hospitalis, quæ ad meridionalem plagam prope monasterium sita fuerat, translatum est. Postremo cum anno Crafftonis prænotato ipsa Ecclesia cum hospitali fuisset exusta, noua Ecclesia in decliui montis iuxta monasterium construi cœpit, in quam ius matricis ecclesiæ omne transfertur. Hospitale autẽ non fuit reædificatum, tũ propter monasterium, tum q̃ Comes Gottfridus parum de pauperum sustentatione curare illo tempore videretur. Sepulcra quoq; mortuorum cum ossibus eorum maiori ex parte, primo de Dalen ad hospitale, deinde ad nouum cœmiterium fuêre translata; quanquã vtrobique remanserint plura, quæ illo tempore non fuerunt inuenta. Nam frequenter interea tam in Dalen, quam in loco hospitalis fodiendo & arando mortuorum inueniuntur ossa.

*Noua ecclesia parochialis constructia.*

Hoc anno obijt Hermannus comes Palatinus Rheni, &c.

MCLX.

*Parochialis ecclesia cõsecratur.*

Hoc anno, qui fuit Crafftonis Abbatis nonus, tertio nonas Nouembr. indict. 8. ecclesia Parochialis in pede montis circa monasterium nouiter constructa (de qua iam diximus) per Henricum episcopum, vicarium Arnoldi archiepiscopi Moguntini consecrata est in honorẽ S. & indiuiduæ Trinitatis, S. crucis & S. Ægidij abbatis & confessoris, qui altari reclusit reliquias, de S. Ægidio, de S. Vito, de S. Mauritio, de sanctis Mauris, de S. Alexãdra martyre, de S. Egricio archiepiscopo Treuirorum, de S. Bonifacio episcopo, de S. Emerentiana virgine, de S. Irmina virgine, & de vndecim mille Virginibus. Baptisterium vero in ecclesiam monasterij ab initio fuerat positum, & propterea in ecclesia parochiali aliud non fuit constructum; quia quod prius erat, toti familiæ parochiali sufficere potest.

MCLXIII.

*Corpora vndecim mille virginũ inuenta.*

His temporibus per nouem continuos annos corpora sanctarum vndecim mille Virginum, & aliorum sanctorum qui cum eis passi sunt, in suburbio Colonienſis ciuitatis inuenta & de terra leuata sunt, quorum multa in sarcophagis posita, nomina, titulos & dignitates eorũ ostendebant, multa etiã sine nominibus inuẽta fuerunt; è quibus S. Helizabeth monialis & Magistra in Schonavv multorũ nomina & merita & dignitates, angelica reuelatione didicit, & ad Gerlacũ Tuicienſis monasterij abbatem nostri ordinis scripsit.

MCLXIIII.

*S. Helizabeth moritur.*

Anno Crafftonis abbatis huius cœnobij 13 S. Helizabeth, virgo monialis nostri ordinis & Magistra in Schonauu, transiuit ex hoc mundo ad Dominum Iesum, quem puro semper corde amauit, 14. cal. Iulij, anno ætatis suæ 36. visitationis autem superni luminis in reuelationibus sanctis 13. feria sexta, hora nona de mane. Hæc sancta virgo anno ætatis suæ 23. angelica visitatione & allocutione meruit consolari, & exinde multas reuelationes diuinitus habuit, quas partim Latino, partim Teutonico sermone digessit. Sed frater eius, monachus in Schonau & postea abbas omnia scripta & reuelationes sanctæ sororis, ornatiori stylo in eam formam, qua nunc leguntur, redegit: fueruntque vno & eodem tempore hæc duo preciosa lumina mundi, Hildegardis apud Bingas in monte sancti Ruperti, & Helizabeth in Schonau, quæ ambæ diuinis reuelationibus crebro visitatæ, multa pro Dei voluntate arcana ad hominum notitiam deduxerunt.

MCLXVII.

*Crux aurea.*

Craffto abbas anno suo 16. particulam magnam de ligno crucis Dominicæ impetrauit à papa Alexandro tertio, per medium cuiusdam Cardinalis Benedicti, quam auro & gẽmis præciosis pulcre satis ornatam, suo monasterio intulit, eamque in sanctuario cum cæteris reliquijs collocauit: hanc tamen post multos annos Philippus abbas secundus, de præsenti cœnobio alienauit. Denique ipse Craffto ecclesiam nostram satis bene ornauit, in

*Ecclesia hac ornatur.*

clenodijs, crucibus, reliquijs & ornamentis, quæ tamen omnia cum tempore defecerunt; præter infulã preciosam, quæ etsi sub multis Abbatib. sæpe impignorata fuerit semper ramẽ volente Deo ad monasteriũ reducta fuit. Hanc autẽ mitram ipse Craffto in primo anno promotionis suæ, auxilio & impensis pro magna parte matris suæ, fieri fecit ex argento puro, desuper deaurato, per totum cum margaritis & lapidibus preciosis, quorum multi sublati sunt.

*Infula.*

MCLXVIII.

MCLXVIII.

Anno Crafftonis abbatis 17. Arnoldus archiepiscopus Moguntinus in monasterio S.Iacobi prope Moguntiam,à ciuibus suis crudeliter occisus fuit,in die S. Iohannis Baptistæ,8.videlicet Iulij,huius conspirationis principes fuerunt,ex clero Gotfridus abbas sancti Iacobi & præpositus S.Petri,cum alijs multis. Cæde peracta Gotfridus abbas cum cæteris impietatis suæ complicibus sese in ciuitatem mox receperunt,qui clero compulso Rodolphum filium Conradi Ducis de Zeringen in archiepiscopum elegerunt;qui cum Imperatorem placare muneribus vellet, ecclesiam omni ornatu suo spoliauit: sed Imperator & eum & munera eius contempsit. Verum Conradus Palatinus Rheni, ex vno parente frater Imperatoris, fugato Rodolpho Christianum quendam in archiepiscopum sublimauit, qui tamen ea vice ad Episcopatum non peruenit. Imperator enim vtroque refutato Conradum fratrem Ottonis comitis Palatini de Wittelsbach in archiepiscopum sublimauit;quem etiam post biennium (sicut ibi dicetur) expulit, & Christianum in locum eius ordinari fecit.Porro interfecto Arnoldo (sicut dictum est)in monasterio S.Iacobi, locus ipse fuit destructus,& mansiones monachorum omnes euersæ,monachi fugati, & abbas de patria proscriptus:itaq; per annos 12.diuina obsequia nulla sunt ibidem celebrata. Monachi autē fugati ad diuersa monasteria se contulerunt, è quibus quatuor hic multo tempore fuerunt ex fraterna charitate sustentati:sex in monasterio S.Disibodi, atque alij in alijs locis suscepti. Murus etiam ciuitatis Moguntinæ, Imperatore iubente, destructus fuit in circuitu,ita quod Moguntia per annos 36.sine muro stetit. Ciues autem omnes ante reditum Imperatoris ex Italia,qui in mortem archiepiscopi consenserant, præter pauperes & mendicos,fugerunt.

*Arnoldus archiepiscopus occiditur.*

*Rodolphus ar. hiepiscopus pellitur.*

*Christianus archiepiscopus sine fructu.*

*Conradus fit archiepiscopus.*

*Monasterium S.Iacobi destruitur.*

*Mœnia Moguntinensia destruuntur.*

MCLXX.

Anno Crafftonis abbatis XIX. Conradus archiepiscopus Moguntinus confœderauit se iuramento Alexandro papæ. Vnde commotus Imperator de archiepiscopatu & patria eum expulit,& confugere ad papam coegit: cui papa dedit Sabinensem Episcopatū. Vnde quamdiu postea vixit se Moguntinum Archiepiscopum & Sabinensem episcopum scripsit. Illo autem expulso Imperator Christianum,qui ante eum fuerat electus (sicut diximus)in archiepiscopum sublimauit;qui præfuit annis 11. quo mortuo Conradus ad ecclesiam Moguntinam reuersus est,vt suo loco inferius dicemus.

*Conradus archiepiscopus expellitur.*

*Christianus fit archiepiscopus.*

MCLXXIII.

Anno suo XXII.Dominus Crafto abbas S.Irminæ virginis caput,quod in principio promotionis suæ ab Hillino archiepiscopo Treuirorum impetrauerat, pulcro receptaculo argenteo vestiuit, & preciosis in circuitu lapidib. exornauit,ad ecclesiæ decorē. Verum post multos annos,cum status rerum temporalium per malum regimen abbatum & improbam vitam monachorum nimium esset collapsus,sub Crafftone huius nominis secūdo,argenteum per eum caput venditū est,& cupreum (quod hodie cernitur) substitutum.

*Caput Irminæ vestitur argentea cassa.*

MCLXXV.

Craffto abbas secundus huius monasterij Sponheimensis,filius Megenhardi comitis & fundatoris nostri,hoc anno 5.cal.Iunij obiit, & in eodem sepulcro cum Bernhelmo prædecessore suo sepultus fuit in medio chori:vir per omnia religiosus atque sanctissimus, qui multa bona huic monasterio fecit, & multas possessiones pro fratrum sustentatione comparauit. Super eius tumulum versus excisi videntur,qui amborum præmissis nominibus in prosa,sic sonant:

*Craffto abbas moritur.*

*Abbates clari,quibus accidit hoc tumulari,*
*Ambo Deo chari,sunt modo pace pari.*

Hos versiculos Anselmus Prior fecisse creditur,quia homo studiosus & doctus fuit. Moritur autem abbas Craffto morbo dysenteriæ solutus, anno ætatis suæ LVIII. Abbatiæ vero XXIV.& mense secundo.

## *DE ADELGERO, TERTIO HVIVS MONASTERII ABBATE; qui præfuit annis 6. mense 1. diebus 3. & de gestis eius,aliisque ad præsens opus occurrentibus.*

MORTVO reuerendissimo abbate domino Crafftone,& non sine multis fratrum lacrumis tradito ecclesiasticæ sepulturæ in medio chori(sicut diximus) pro electione noui pastoris ijdē fratres ad locum capitularē 4. cal.Iunij conuenerunt,inuocatoq; Spiritus S.munere, & multa inter se deliberatione præhabita, tandem vnanimiter elegerunt Adelgerum venerabilem monachum,ecclesiæ nostræ custodem,virum maturum, & tam

in spiritualibus quam in temporalibus peritissimum; qui à Christiano archiepiscopo Moguntino solenniter ordinatus fuit. Præfuit huic monasterio satis prouide annis 6. mense 1. & diebus 3. Iste Adelgerus natus patre Theodone, matre vero Amalberga ciuibus Moguntinis, honestis & Christo deuotis: in pueritia sua literis traditus ab ipsis parentibus in ciuitate Moguntina fuit, qui præceptorum diligentia cum ætate non parum in scripturis maxime secularibus profecit, & multos coætaneos suos moribus & scientia superauit. Deinde cum esset annorum viginti, amore sapientiæ ad Gymnasium toto tum orbe famosissimũ Parisiorum se contulit, & per septennium in eo commorando in omni scientia, tam diuina quam humana, magnifice profecit. Elapso autem septennio Moguntiam reuertitur, & propter famã eruditionis suæ Scholasticus ibidem ordinatur, vbi multos ingeniosos iuuenes in discipulos accepit. Tandem vero parentibus iam defunctis, cernens multos per abrupta vitiorum in perditionem ire, mundum cum vanitatibus suis pro Dei amore deseruit, & veniens huc sub Crafftone abbate monachus factus est. Eius cõuersatio sine reprehensione inter fratres fuit, humilis & quieta, nulli grauis, nulli vnquam molesta. Denique ordinatus in abbatem omni studio & solicitudine curauit se fratribus vtilem pastorem exhibere, & non minus exemplo quam sermone ad bene viuendum instruere. Sub eius enim regimine disciplina monastica laudabiliter hic viguit.

*Adelgeri natiuitas. Pueritia.*

*Iuuentus. Studia.*

*Adelgerus fit Scholasticus.*

*Fit monachus.*

MCLXXVI.

Anno MCLXXVI. Adelgerus Abbas Sacristiam iuxta summum altare ad læuam construxit propter maiorem commoditatem; quæ prius fuerat iuxta absidem Aquilonarem, vbi nunc est locus capitularis, inter refectorium & ecclesiam constituta.

Hoc ipso anno moritur Clementia virgo monialis in horreo Treuirensi, 12. calend. Aprilis, quondam sponsa domini Crafftonis comitis, & abbatis secundi huius monasterij, filia comitis de Hochenberg. Hæc deuotissima virgo, Christi amatrix feruentissima fuit, quæ diebus & noctibus intenta orationi & contemplationi, nihil amplius quam Deo placere in omnibus cupiebat. Denique non sine opinione magnæ sanctitatis decessit anno ætatis suæ XLVIII. conuersionis autem ad ordinem nostrum 27. indictione nona. Sepulta in ecclesia S. Irminæ.

*Clementia moritur.*

MCLXXVII.

Anno MCLXXVII. Adelbero Cellerarius primus huius cœnobij, monachus quondam sancti Albani Moguntinensis, qui cum primis monachis fuit huc missus, obijt hoc ipso anno 3. idus Nouembris, anno ætatis suæ LXXXVI. qui officium Cellerarij strenue gessit, annis ferme tribus & quinquaginta, & cum magna diligentia & charitate necessariam rebus domesticis semper curam impendit.

*Adelbero Cellarius moritur.*

Sancta etiam Hiltrudis virgo & monialis apud Bingatẽs, filia Megenhardi Comitis de Spõheim, soror Crafftonis abbatis nostri secũdi supradicti, hoc ipso anno 15. cal. Decẽb. in Domino quieuit: cui beata Hildegardis, Magistra eius, testimoniũ sanctitatis perhibuit.

*Hiltrudis moritur.*

MCLXXVIII.

Adelgerus abbas anno regiminis sui tertio Erenfridum monachum suum misit ad Romam, pro quibusdam negotijs huius monasterij expediendis, qui inde reuertens, inter alias reliquias notabilem particulam de S. Johanne Baptista apportauit, quæ cum magna reuerentia & honore susceptra est. Ipse etiam Adelgerus abbas pro decore ecclesiæ & reuerentia reliquiarum paruas capsas fieri fecit, alias de ebore albo, alias de lignis superductis laminis æreis deauratis, quas reliquijs sanctorum diuersis impleuit & ornauit. Inter multa quoq; sacrę lectionis volumina, quæ ad vsum & vtilitatẽ fratrum cõparauit, conscribi fecit Nouũ & Vetus Testamentum pulcro charactere, in tribus magnis voluminibus, per manus Godescalci monachi huius cœnobij, qui fuit optimus scriptor, & librorum sacræ scripturæ reparator vigilantissimus. Hoc ipso anno monasteriũ S. Iacobi in mõte speciosõ prope Moguntiã ante aliquot annos propter necẽ Arnoldi archiepiscopi dirutũ reædificari cœpit; permissione Imperatoris Friderici primi, & auxilio Christiani archiepiscopi. Hoc cœnobiũ Lineboldus archiepiscopus Moguntinus fundauit anno Domini MLIIII.

MCLXXIX.

Anselmus de Bickelnheim cognatus S. Hildegardis, secundus Prior huius monasterij 12. cal. Ianuarij obijt, anno Prioratus sui 43. qui fuit inter primos 12. de monasterio S. Iacobi huc missus, vt supra dictum est: Erat enim vir bonus & regularis disciplinæ amator præcipuus; qui moriẽs 20. monachos post se in hoc cœnobio bene institutos reliquit. Ipse Bibliothecã non mediocriter auxit & scriptores optimos quamplures instituit. Post cuius discessum Adelgerus tertiũ Priorẽ instituit Eberoldum nomine, monachũ satis eruditum,

*Anselmus Prior moritur.*

*Eberoldus fit Prior tertius.*

qui

qui sex annis Prioris officium gessit, & postea sub Baldemaro abbate depositus fuit, causam depositionis non aliam habens nisi quod nimium in obseruantia monastica videretur remissus, sæpiusque admonitus emendare contempsit, quæ causa plus quam sufficiens fuit ab omnibus comprobata.

Hoc anno S. Hildegardis virgo Christi, monialis nostri ordinis, fundatrix & Magistra cœnobij sancti Ruperti iuxta Bingen 15. calend. Octobris moritur, anno ætatis suæ LXXXII. indictione XIII. sepulta cũ magno honore ante maius altare præfatæ ecclesiæ, astantibus multis honorabilib. personis & tota congregatione. Hæc sancta virgo diuinis reuelationibus visitari à iuuentute sua meruit, ex quibus multa iussione diuina ad vtilitatem posterorum conscripsit. Verum cum esset Latini sermonis ignara, & præter simplicem psalmodiam nihil ab homine didicisset, interno Spiritus sancti magisterio edocta, omnem scripturam positionem seu constructionem orationis perfecte intellexit. Reuelationes autem suas & visiones cœlestes partim Latino partim Teutonico protulit eloquio; quas Gotfridus monachus S. Disibodi, capellanus & confessor eius, fecit latinas & cõgruas; redigens in eum ordinẽ & formam in qua hodie leguntur. Inter cætera vero eius volumina, magnum in codẽ loco volumen, cp epistolas eius ad diuersos, Homilias, vitas sanctorum, & alia quæ diuinitus edocta edidit, continet: quod moniales istius loci eam propria manu scripsisse falso confirmant, cum & latini sermonis fuerit ignara, & ad scribendum propter crebras infirmitates & humidum caput penitus indisposita. Nihil enim eorum, quæ ibi ostenduntur hodie, propria manu scripsisse credendum est; quippe cum nesciret scribere: sed præfatus monachus omnia vel scripsit vel scribi procurauit.

*S. Hildegardis moritur.*

*S. Hildegardis eruditio.*

MCLXXXI.

Hoc anno Adelgerus abbas huius monasterij tertius, obijt 6. nonas Iulij circa horam XII. in media nocte sepultus in choro fratrum ante gradus presbyterij: sub cuius abbatis regimine satis bona fuit disciplina regularis in præsenti loco, & summa charitas inter fratres ac religiosa deuotio; qua fama circumquaque laudabiliter diffusa, magnam fidelium populorum reuerentiam promeruit: Vnde quamplures largas huic loco eleemosynas cõferentes, fratrum se orationibus commendarunt: nec solum in vicino consistentes beneficijs suis fratrum inopiam releuare studebant: verum etiam de remotis locis homines fratrum deuotione prouocati huc suas eleemosynas transmiserunt. Inter multos autem ponemus vel vnum, vt dictorum veritas comprobetur. Sic enim inter cætera fratres cuidã largienti sua huic monasterio scripserunt: *Beatæ memoriæ Wernerus pastor S. Columbæ in Colonia, decem marcas dedit pro vinea in Monacha emenda, vt annuatim ei vel cognato suo Wilhelmo, abbas in Sponheim carratam vini persolueret. Post discessum autem auunculi sui Wilhelmus vineam supra memoratæ villæ (acceptaplena fraternitate) ad vsus fratrum obtulit, vt in anniuersario Domini sui in pane & vino macrisque piscibus plenam charitatem habentes, gaudeant in Domino, gratias ei pro hoc beneficio agentes. Quod vt ratum semper habeatur, præsentis paginæ attestatione sub abbatis anathemate firmatum est, vt si quis hoc cassare voluerit, vel cassauerit, deleatur de libro viuentium, & cum iustis non scribatur, nisi per pœnitentiam & satisfactionem respuerit.* Cæteras autem donationes fidelium huic monasterio sub Adelgero abbate factas, cum plures fuerint, ad tollendum fastidium recensere hoc loco non voluimus.

*Adelgerus abbas tertius moritur.*

*Multa beneficia huic loco collocata.*

## *DE BALDEMARO, HVIVS LOCI QVARTO ABBATE; QVI præfuit annis 17. mensibus 11. diebus 17. & de gestis illius circa præsens monasterium.*

ADELGERO autem tertio huius monasterij abbate (sicut diximus) mortuo atque sepulto, duo ex fratribus non fuerunt præsentes, quorum expectato aduentu, & tertia demum comparentibus, hoc est, 3. nonas Iulij, prior Eberoldus vna cum fratribus conuẽtualibus de noui abbatis electione cœpit habere tractatum, & post multos tandem tractatus, à saniore parte conuentus Baldemarus monachus huius loci, qui cantoris & armarij officium multis annis gesserat, fuit in abbatem electus, in quem & cæteri omnes vnanimiter prębuere consensum. Qui ordinatus à Christiano archiepiscopo Moguntino huic monasterio præfuit annis XVII. mensib. XI. diebus 17. vir satis religiosus & expertus in vtroq; statu rerum claustralium. Hic fuit è comitatu Sponheimensi oriundus, in villa Creutzenacht, parentibus secundum seculum honoratis progenitus: qui sub Crafftone abbate ad monasterium veniens monachus factus est, cum annorum esset 18. iuuenis bonæ indolis, & iam non mediocriter in principijs literariæ institutionis eruditus. Sororem habuit hic in Clausa cum alijs sacris virginibus pro Christi amore recluſam, quæ conuersionis

*Baldemarus abbas quartus.*

*Creutzenacht villa.*

*Clausa ampliatur.*

illius ad religionem vel magna occasio fuit, cuius nomen erat Vdegeba, monialis valde deuota & sanctæ conuersationis, quæ illum suis admonitionibus dulcissimis conuertit. Factus autem abbas precibus & amore victus sororis, inclusorium nimis angustum ampliauit, & vsque ad duodenarium numerum sorores in eo, Christo seruientes cōgregauit, quæ omnes de portione paternarum hæreditatum suarum & de laboribus manuum, sine huius monasterij incommodo, in communi viuebant.

MCLXXXIII.

*Christianus archiepiscopus moritur.*

*Conradus archiepiscopus restituitur.*

Christianus Archiepiscopus Moguntinus obijt, & Conradus restituitur, quem Imperator Fridericus propter adhæsionem sedis Apostolicæ expulerat, præfuitque annis 17, & scripsit titulum sic: *Conradus Dei gratia Sabinensis episcopus, sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus: Postquam nos diuina clementia post longum exilium nostrum Moguntinæ regimini Ecclesiæ restituit: ex officio nobis à Deo iniuncto, quia tenebamur & tenemur vniuersaliter nostræ in cunctis ecclesiæ prouidere, omnia quæ ad rectitudinis statum & iustitiæ vigorem benigne reformare, &c.* Retinuit autem hunc titulum cum Episcopatu Sabinensi, quem fugato sibi (sicut supra dictum est) Alexander papa contulerat, quamdiu vixit.

*Creutznacht villa concrematur.*

Hoc anno 13. cal. Augusti in villa Creutznacht magnum incendium fuit exortum, per quod multæ domus combustæ sunt, & magna illata damna.

MCLXXXIIII.

Hoc anno Baldemarus abbas magnam domum ad orientalem plagam (quæ modo est Refectorium inferius) & dormitorium fratrum superius ædificauit, pro susceptione hospitum, à domo Abbatiali, in qua diuersas mansiones more veterum construxit, quæ omnes postea in aliam formam mutatæ sunt.

*Lugardis monachus moritur.*

Hoc ipso anno Lugardis virgo monialis inclusa hic, valde deuota, filia quondā Euerhardi militis de Sobernheim, 8. cal. Nouembris obiit, & in claustro huius cœnobij sepulta fuit; de qua ferebatur, quod etiam visiones & reuelationes angelicas sæpe habuerit.

MCLXXXVII.

*Eberoldus deponitur.*

*Rupertus Prior quartus.*

Hoc anno Eberoldus tertius Prior huius cœnobij per Baldemarum abbatem deponitur, propterea quod nimis remissus in obseruantia disciplinæ regularis videretur. Huic in Prioratu quartus successit Rupertus monachus valde venerabilis & obseruantiæ regularis amator, cultor & seruator strenuus, qui mortuo Baldemaro in eius locum postea abbas electus est. Hic fuit natione Thuringus, honestis parentibus exortus, in scripturis tā diuinis quam humanis multum eruditus, de quo suo loco dicemus. Bibliothecam pro viribus suis multum ampliauit, & multa volumina scripsit, & scribi fecit.

MCLXXXVIII.

*Murus huius monasterii in circuitu absoluitur.*

Baldemarus abbas murum in circuitu monasterij huius construxit & perfecit, quem Craffto abbas dudum incipiens & morte præuentus non consummauerat; quia non omnia in principio necessaria poterant compleri.

*S. Hildegūdis moritur.*

*Virgo virilem habitū sumpsit.*

** cap 40.*

Hoc ipso anno moritur Hildegundis virgo 12. cal. Maii in monasterio Schonaugiensi, Cisterciensis ordinis in diœcesi Wormatiensi, quæ sub habitu virili sexum muliebrem occultans, inter nouitios ibidem fuerat suscepta & nomine suo tacito se Iosephum appellauerat; cuius historiam Cæsarius monachus Heisterbacensis in prima dialogorum suorum distinctione * conscripsit.

MCLXXXIX.

*Ida comitissa fit monialis.*

Hoc anno Ida comitissa de Sponheim monialis facta est in cœnobio S. Ruperti apud Bingas, mirabili visione sibi facta cœlitus inducta, vbi in sancta conuersatione arctissimaque pœnitentia viuens omnibus castimoniæ & sanctitatis exemplar fuit. Soror eius fuit virgo illa sanctissima Margaretha de Hohenfels, in eodem cœnobio Priorissa multis annis, quæ miraculis claruisse in vita perhibetur, & festum commemorationis eius in 4. calend. Nouemb. peragitur.

MCXC.

*Eclipsis.*

Hoc anno in vigilia S. Iohannis Baptistæ fuit generalis & magna Eclipsis.

MCXCIII.

*Discordia inter abbatem & villanos.*

Baldemarus abbas, anno regiminis sui 12. quandam discordiam cum villanis de Sponheim ratione pascuorum & nemorum habuit, quæ tamen per comitem Gerlacum & alios bonos amicos de consensu partium sedata est.

*Albertus Magnus nascitur.*

Hoc ipso anno Albertus, Magnus postea dictus, in Laugingen Sueuiæ nascitur.

*Visio Ruperti Prioris.*

Etiā hoc anno Rupertus Prior huius loci mirabilē visionem vidit, tā pœnarum infernalium, quam etiam gaudiorum Paradisi, quā cum minus consulte reuelasset, paralysi

grauiter

grauiter percussus, quasi ad anni spatium diuinitus pro pœnitentia ægrotauit.

MCXCV.

Hoc anno Baldemarus abbas villam, quæ dicitur Argenschvvang, cum omni iurisdictione, iustitia & proprietate eius comparauit pro xx. marcis argenti à comite de Sponheim, cuius aduocatiam in fœdus* dedit Erinfrido de Sponheim militi. *Argenschvvang emitur.* *f. feudum.*

Hoc ipso quoque anno Conradus comes Palatinus Rheni, dux in Heidelberg & Irmengardis vxor eius, præposituram cœnobij monachorum nostri ordinis in Nuvvenburg Wormaciensis diœcesis, in monasterium sanctimonialium eiusdem ordinis commutauit, primam abbatissam instituens Cunegundem religiosam valde virginem, consentiente ad omnia Sigenhardo abbate monasterij Lautissensis, ad quem ipsa præpositura Nuvvenburgensis pleno iure & sine aliquo medio pertinebat. *Nuvvenburg fit cœnobium monialium.*

MCXCVII.

Hoc anno Vdegeba soror Baldemari abbatis, monialis hic apud nos inclusa obijt IV. idus Iulij, virgo sanctæ conuersationis, quæ multis annis omnipotenti Deo in magna deuotione seruiuit: Obierunt & aliæ quinque sorores non diu post eam successiue, quarum ista sunt nomina: soror Walpurgis VIII. calend. Augusti, Gertrudis III. idus Augusti, Adelheidis XIII. calen. Septembris, Lucardis VIII. calend. Septembris, & Otilia XVI. calend. Decembris in nocte circa horam vndecimam, quę fuit filia Henrici militis de Creutzenacht, virgo speciosissima, & non minus conuersatione quam sanguine clara, quæ multis virtutibus enituit. Remanserunt autem sex vel septem numero, quæ etiam in breui successiue obierunt, nec fuerunt in locum earum tanto numero recollectæ, quanto prius, sed multo pauciores. *Sex monniales moriuntur. Vdegeba. Walpurgis. Gertrudis. Adelheidis. Lucardis. Otilia.*

MCXCVIII.

Hoc anno villula quæ dicitur Bockenau, XV. calend. Ianuarij fuit incensa per quendam profugum rusticum, & ex toto fuit igne consumpta. Ipse autem deprehensus postea pro facto tam nefario iudicialiter fuit combustus.

Eodem anno Drutvvinus Scultetus in villa Sponheim per comitem Gerlacum captus & decollatus fuit pridie cal. Iunij propter homicidij crimen.

MCXCIX.

Baldemarus abbas huius cœnobij Sponheimensis quartus hoc anno moritur X. calend. Iunij, & in claustro ante ianuam ecclesiæ sepelitur, anno ætatis suæ LIIII. nondum completo. Vir bonus & religiosus, qui huic monasterio tam in spiritualibus quam in corporalibus vtiliter præfuit, & multa bona fecit. Huic in abbatia successit Rupertus Prior huius loci.

## *DE RVPERTO ABBATE HVIVS MONASTERII QVINTO, QVI præfuit annis XIIII. mensibus II. & de gestis circa præsens monasterium.*

ANNO Dominicæ incarnationis MCXCIX. Indictione secunda, post mortem Domini Baldemari abbatis biduo, hoc est, VIII. calen. Iulij conuenerunt in vnum fratres pro noui pastoris electione celebranda, & inuocata ex more gratia spiritus sancti, vnanimiter in abbatem loci quintum, virum doctum super se cõstituerunt, dominum Rupertum Priorem huius loci quartum, virum doctum & valde religiosum, non minus in consilio prudentem, quam in actione maturum: qui post diutinam humilemque sui excusationem, victus instantia fratrum regimen pastoralis curæ suscepit, in quo huic monasterio annis XIII. mensibusque III. strenue præfuit. Fuit autem in abbatem ordinatus anno sequente à Sifrido archiepiscopo Moguntino in ecclesia sancti Albani; quia Conradus archiepiscopus à Ierotolymis rediens, aliquandiu in Italia se constituit, propter dissensionem inter Philippum & Otronem de imperio contendentium. Posteaque ad Moguntiam reuersus moritur anno sequenti, sicut dicemus. Rupertus autem iste abbas ex prouincia Thuringorum oriundus fuit, parentibus honestis, mediocris fortunæ, qui literis ab infantia (vt ita dixerim) traditus, in omni scientia tam seculari quam diuina ætate proficiens eruditissimus euasit. Et primo quidem in patria sua rudimenta iuuenilium studiorum percepit: deinde in Galliam se cõtulit, indeque reuertens post aliquot annos, cuiusdam patriotæ sui admonitione hic detentus monachus factus est sub Adelgero venerabili abbate, cum esset annorum fere XXIIII. Postea vero quam sanctæ conuersationis habitum assumpsit, tam deuote, tam religiose & inculpate in medio fratrum cõuersatus fuit, vt magister omniũ in obseruantia regulari videretur & esset. Vnde post aliquot *Discordant hæc à titulo.* *Ruperti vita anteacta.*

annos propter feruentissimum zelum disciplinæ regularis Prior sub abbate Baldemaro constitutus, verbo & exemplo se cunctis immutabilem exhibuit, & monasticæ conuersationis integritatem inuiolabilem custodiuit. Omne tempus quo Prior exstitit, per annos videlicet XIII. aut in scripturis sanctis quantum potuit, aut in orationibus cultuque diuinæ laudis expendit. Otium summopere semper fugiebat, sciens scriptum: *Quoniam in desideriis est omnis anima eius &c.* Propterea se vtiliter omni tempore consuecuit ne per otium vitijs aditus patesceret. Erat autem (sicut diximus) in scripturis vtriusq; scientiæ valde eruditus, & semper naturali subleuatus ingenio cum exercitatione continua doctior quotidie fiebat, suoque exemplo & instituto etiam fratres, qui videbantur ad discendum magis idonei, ad amorem & studium literarum prouocabat. Ordinatus autem abbas cum & temporalium rerum & spiritualium iam cogeretur habere rationem, ita se vtrobique diligentem & solicitum exhibuit, vt eum ad vtrumlibet natum iurares.

*Dissensio inter episcopū & ciues Wormatiēs.*

Hoc ipso anno quo Rupertus abbas electus est, graues dissensiones fuere exortæ inter episcopum Wormacien sem ciuesque suos super diuersis negotijs & libertatibus ecclesiasticis. His se immiscuerunt Emicho comes de Liningen, & Wernherus de Bolandia, cum sequacibus suis, quibus & comes de Sponheim præbuit auxilia sua.

MCC.

*Conradus archiepiscopus moritur.*

Cunradus archiepiscopus Moguntinus Vngariam intrauit, ad reformandā pacem inter duos fratres Hemmeradum & Andream de regno contendentes: qui facta concordia inter eos cum remeare disponeret, in partibus Austriæ in territorio Patauiensi carnis debitum soluit, cuius cadauer celebratis exsequiis Wolferus eiusdem loci episcopus ad Moguntiam honorifice deuexit, & ibidem sepeliri fecit.

*Dissensio propter archiepiscopatū inter Lupoldum & Sifridum.*

Interea grauis dissensio in Moguntia exorta est; quidam enim Lupoldum Wormacien sem episcopum in archiepiscopum elegerunt; alii Sifridum maioris ecclesiæ præpositum prætulerunt, qui exeuntes ciuitatem venerunt ad Bingen, & electionem quam cœperant de præposito Sifrido ibidem confirmauerunt. Quod audiens Lupoldus venit in manu valida ex præcepto & fauore Philippi regis, & Sifridum cum electoribus eius exturbauit de Bingen. Cernens autem Sifridus & sui quod minus proficerent, ad Ottonem regem se cum suis contulit, à quo clementer susceptus, ab eo regalia suscepit, & fretus autoritate eius cum exercitu & copijs ad Bingen regreditur, & Lupoldo vix elapso per fugam, multos ex parte eius cœpit cum oppido. Et sic confirmatus in sede Moguntina Sifridus archiepiscopus præfuit annis fere XXV. Hic Sifridus archiepiscopus in primo pontificatus sui anno Rupertum abbatem nostrum, de quo nobis est sermo, ordinauit Moguntiæ in ecclesia sancti Albani, III. Idus Nouembris, qui fuit dies sancti Martini patroni nostri. Alibi reperi quod munus benedictionis à Guidone cardinali Prænestino, apostolicæ sedis legato, apud sanctum Pantaleonem Coloniæ susceperit, quod & verius esse credo, maxime cum Sifridus pallium necdum habuerit.

*Sifridus bello & autoritate auxilioq; superior fit archiepiscopus.*

*Rupertus abbas ordinatur Moguntiæ, sed (vt alij) Coloniæ.*

*Passagium multorum ad Ierusalē, inter quos Bertholdus comes de Nuenburg.*

Hoc ipso anno multi principes, episcopi & abbates cum infinita multitudine cruce signati ad terram sanctam in seruitium Dominici sepulchri profecti sunt. Inter quos fuit Bertholdus comes de Nuenburg in Brisgavv: qui accepta pecunia comitatum suum ecclesiæ Argentinensi tradidit in perpetuam possessionem, cum omnibus attinentijs suis, & ipse cum filio suo profectus est Ierosolymam, ibi in seruitio sepulchri Dominici vsque ad mortem perseuerauit; cuius exemplo prouocati multi nobiles & potentes, prædia sua vendentes cum vxoribus & liberis perpetuo seruitio sancti sepulchri se deuouerunt. Lutholdus quoque Basilien sis episcopus similiter profectus est.

*Lutholdus episcopus Basilien sis.*

MCCI.

*Adelbertus comes de Sponheim. Balduuinus comes Flandriæ.*

Adelbertus comes de Sponheim cum multis aliis ad terram sanctam profectus est, & per biennium ibidem Christo militauit. Eodem anno Baldevvinus comes Flandriæ cum multo apparatu Ierosolymam tendit. Rupertus quoque abbas cœnobij, cum esset vir sapiens & prudentissimus, Rector comitatus Sponheimen sis cum quibusdam alijs ab Adelberto comite constitutus, prouinciam vsque ad eius reditum satis prouide gubernauit.

MCCII.

*Erenfridus fit Prior sextus.*

Rupertus abbas Petrū monachū de Bingen, quem ante trienniū priorē loco suo ordinauerat, depositum nescio ob quam causam, præpositum sanctimonialium in monte sancti Ruperti fecit, ad instantiam Sifridi archiepiscopi Moguntini, & Magistræ totiusque conuentus ipsius monasterij. In cuius locum Priorem constituit sexrum in ordine à principio fundationis, monachum senem quendam nomine Erenfridum venerabilem virū,

qui

qui prioratus officium strenue gessit annis v. & bonam disciplinam seruauit.

Eodem anno Conradus episcopus Herbipolensis imperialis aulæ Cancellarius, cum vitia impiorum constantius argueret, à Bodone & Henrico militibus de Rabenspurg & seruitoribus eorum Heraldo & Conrado, in ciuitate Herbipolensi in via publica IV. Non. Decembris crudeliter occisus est, cui Henricus (dictus *Caseus*, propterea quod caseum in delicijs habebat) successit. Homicidæ Romam petentes, durissimam ab Innocentio tertio Papa pœnitentiam susceperunt, quæ in bulla eiusdem papæ continetur.

*Conradus episcopus Herbipolensis occiditur. Et succedit Henricus Kæse.*

MCCIII.

Adelbertus comes Sponheimensis de transmarinis partibus reuersus, multorum sanctorum reliquias ad nos detulit; & Rupertus abbatem', quem interea procuratorem suum deputauerat, multis xenijs donauit: per cuius munificentiam Auvven villulam, non longe à Monzecha, cum familia, terra, iurisdictione, iustitia, pascuis, syluis, aquis, piscationibus, venationibus, & omnibus prouentibus seu attinentijs suis in ius & proprietatem huius monasterij perpetuam donauit, cum Sculteto, Scabinis & optimatibus.

*Adelbertus comes reuertitur. Villa Auvven obuenit nobis.*

MCCVI.

Hoc anno pridie calend. Martij, hora diei x. eclipsis solis fuit satis horrenda. Nam plures humanum caput in sole se tunc vidisse testabantur. Alia quoque multa signa in sole, & stellis, & aere isto tempore plures apparuerunt.

*Eclipsis solis.*

Rupertus abbas considerans magnum sæpius oriri monachis periculum animarum ex cohabitatione mulierum etiam Deo consecratarum, de consilio fratrum suorum statuit, quod nulla deinceps soror ad inclusorium iuxta præsens cœnobium nostrum reciperetur, ne qualibet occasione posteris fierẽt in ruinam animarum, & sic nulla deinceps fuit susceptа. Erant enim eo tempore adhuc sex in inclusorio, quarum duæ post aliquot annos obierunt, & quatuor reliquæ sub Iuano abbate ad montem sancti Ruperti transierunt, sicut infra suo tempore dicemus, cum ad annum XI. Iuani abbatis peruenerimus.

*Clausa nostra dificare cœpit.*

MCCVIII.

Erenfridus sextus Prior huius monasterij hoc anno moritur in die sancti Andreæ apostoli, vir bonus & regularis disciplinæ amator præcipuus, qui verbo & exemplo fratribus suis monita salutis studiosissime impendebat: Post quem Iuanus monachus huius cœnobij, non infime natus, Prior septimus in ordine cõstitutus est per Rupertum abbatem, cui & in abbatia successit. Fuit autem Prior annis ferme v. vsque ad mortem abbatis Ruperti.

*Erenfridus Prior 6. moritur. Iuanus Prior 7.*

Hoc anno Philippus rex Romanorum occiditur apud Babenberg, per Ottonem Palatinum comitem de Wittelsbach, cui Otto dux Brunonisuici, immediate per electionem Principum in imperio succedens, paucis annis, vtpote tribus, regnauit.

*Philippus rex occiditur. Otto eligitur.*

MCCX.

Cœnobium nostri ordinis sanctimonialium diui Ruperti iuxta Bingen ab altera parte, per dissensionem duarum pro magisterio contendentium, magnam hoc tempore iacturam sustinuit. Fuerunt enim duæ in dissensione electæ, quarum altera Gertrudis filia Emelrici militis de Moguntia, altera vero Beatrix filia comitis de Hohensels fuit. Tandem concordia inter eas facta per Rupertum abbatem nostrum, abbatem quoq; S. Disibodi ex iussione Sifridi archiepiscopi Moguntini, ambæ cesserunt, & tertia in earum locum surrogata est.

*Dissensio monialium S. Ruperti.*

Eodem tempore Hermannus Lantgrauius Thuringiæ, Friderici regis quondam filium eligi procurauit in regem Romanorum contra Ottonem, & secuta sunt multa mala, seditiones, incendia & bella, quæ vsq; ad mortem Ottonis durauerunt.

*Fridericus 2.*

MCCXI.

Hoc anno Sifridus archiepiscopus Moguntinus, iussu & imperio papæ Innocentij tertij Ottonem Imperatorem per totam Alemanniam vbique denunciauit excommunicatum.

*Otto Imperator excõmunicatur.*

Vnde commotus Henricus comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris, cum duce Brabantiæ, comite in Sponheim, & cæteris nobilibus Lotharingiæ ac istarum partium, totum episcopatum Moguntinensem circa festum sancti Michaelis incendio & rapina vastauit, nihil præter ciuitates & castra intactum relinquens, sed omnia destruens.

*Hẽricus comes Palatinus Rheni vastat archiepiscopatũ Moguntinum.*

MCCXII.

Hoc anno IV. calend. Martij magnum contigit miraculum in villa, quæ Vallis vir-

*Mortuus revixit & miranda prædicauit.*

rum, vulgariter Mannendal, non procul abhinc sita, nuncupatur. Fuit in ea vir quidam bonus & honestus, nomine Adelbertus, habens vxorem & liberos, quos labore manuum suarum nutriebat. Is cum esset annorum LXII. febres acutissimas incidit, quibus paulatim sese augmentantibus, morti videbatur esse vicinus. Confessus igitur & Sacramentis præmunitus ecclesiasticis ad extrema deuenit, & die præfata iam sole occidente, rebus humanis excessit. Mortuus itaque sic iacuit tota nocte, amicis circa corpus exanime funeralia cum lacrumis ex more peragentibus. Mane autem facto, oriente iam sole, cum paratis omnibus quæ ad sepulturam necessaria videbantur, iamiam esset sepeliendus, subito coram omnibus qui aderant viuus resedit, cumque fugerent omnes, surrexit etiam ipse de loco in quo iacebat, festinoque cursu ad ecclesiam pergens, vsque ad nonam horam dici, fixus in oratione permansit, nec vllum interrogantibus dare responsum voluit. Cum autem ab oratione tandem se eleuasset, circumspiciens multitudinem vidit astantē, mirantemque & interrogantem quid circa eum ageretur: Et respondit: *Hoc Deus bene fecit. Væ stultitiæ hominum! væ impietati! quam acerba sunt quæ manent eos post hanc vitam!* Accedens autem interea Pastor ecclesiæ ipsius Vdo nomine, qui & Archipresbyter fuit, vir doctus, religiosus ac timens Deum dixit: *Quid est Adelbertē fuistine mortuus? Mortuus eram*, inquit, *& per misericordiam Dei sum viuens, sicut antea fui: sed aliter mihi deinceps viuendum quam antea erit.* Cui Pastor: *Vidistine aliquid de futura vitā? Vidi*, inquit, *& multa & horrenda.* Cumque rogaretur vt visa ediceret, respondit: *Lex mihi imposita, sine qua nec dicere nec facere aliquid possum.* Reductus autem in domū Pastoris, dixit ad eum: *Domine Pastor iussus sum vobis aperire & dicere omnia, quæ vidi & audiui & non possum omni populo: ne magnalia & secreta Dei veniant in derisum his qui secundū carnem sapiunt.* Misit ergo Pastor nuncium huc ad monasteriū, & intimauit omnia Ruperto abbati nostro, rogans illum, quatenus ad Mandal venire sine mora, & magnalia Dei dignaretur audire. Qui secum assumpto Iuano Priore, illuc concitus perrexit, aduocatisque paucis ex villanis, quot Pastor ibidem iudicabat idoneos, coram eo qui fuerat mortuus, audituri quid diceret, residebant. Qui aperiens os suum dixit: *Cum grauissima infirmitate vrgerer ad mortem, & obtenebratis omnibus sensibus meis sic iacerem, videbatur mihi quasi terræ motus fieret maximus, in quo cælo & terra concussis fortiter. subito anima mea extra corpus facta quasi ex tenebris ad lucem, nescio quomodo, omnem mundum simul & semel videre quam liquidissime potuerit. O bone Deus quam remota est mortalium opinio à veritate vitæ illius, quæ sequitur post præsentem. Anima mea, tunc quidem extra corpus posita, tam lucida fuit, vt omnia quæ in mundo sunt prouincias omnes, ciuitates, castra, villas, gentes, homines, regna, terras, montes, colles, & aquas siue maria, ipsum situm totius vniuersi tam clare conspiceret, omniaque proprie & distincte simul & semel intelligeret, vt nihil vnquam in hoc mūdo tam bene me intellexisse viderer. Et mirabile est super omnia quod dicturus sum: Cum enim scirem me nec corpus habere, nec oculos, & tamē omnia videre, quæ sunt in toto mundo, non possum iam satis admirari ignorantiam meam, qua non amplius intelligo quæ tunc intellexi, anima enim spiritus est, & omnia in spiritu mecum sunt actā: & iam nihil eorum amplius aliter intelligere possum, quam si mihi per sensibilia fuissent ostensa.* Ad hoc interrumpens verba illius abbas Rupertus dixit: *Quæ dicis vera intelligimus, nec opus est hic diutius immorari, cum ratione constet & fide, nihil eorum quæ substantiis separatis aguntur aut patiuntur, ad nostrum intellectū absque sensuum ministerio seu comparatione posse peruenire. Sed perge dicturus quæ dicere instituisti.* Continuauit ergo dicendo: *Cū autem in maxima admiratione ita in me consisterem, vidi subito, quasi à dextris & sinistris, spiritus innumerabiles cum impetu venire ad me: quorum hi qui à dextris venerāt, boni spiritus erant, qui vero à sinistris, mali & peruersi. Assumentes autem angeli boni sursum in aera leuabant subito & quasi in momento & ictu oculi. Videbatur autem mihi quod totus aer esset repletus Dæmonibus, qui tanquam scintillæ in modum densē niuis volantes omnia replebant. In circuitu autem quocunque respiciebam ignis erat & horribilis flamma, quæ me intantum cruciare videbatur, vt nulla huius mundi pœna vnquam mihi grauior fuerit visa. Insuper & spiritus illi maligni me rapere nitebantur, Angelis defendētibus, & grauissimas mihi flammas cum accusationibus peccatorum meorum obuias posuerunt. Ductus igitur ad iudicium omnipotentis Dei, cuius sine horrore nequeo reminisci, quæ vidi & audiui, nec ego possum dicere, nec mortalis quispiam, qui non ea vidit, credere. Ibi erant omnibus tam malis quam bonis spiritibus nuda, manifesta & aperta, omnia peccata mea, quæcunque vel cogitatione etiam paruissima vel operatione feci in omni vita mea, pro quibus me durissime accusabant. Sed & ipsa peccata quæ feci, subito ad memoriam mihi venerunt, & nescio quomodo ipsa vltro me tam grauiter accusabant, vt Dæmonum accusatio leuior esse videretur. Ea quæ non æstimabam esse peccata, quam grauiter ibi ponderentur & puniantur, non est mihi possibile vt dicam. Dicam vnum de me, per quod cætera æstimentur. Contigit annos XX. eunti mihi ad Creutzenacht pauperem quendā fœnerdicum obuiare, qui cum interrogasset me de via, nescio ad quem locum, dixi: Hæc est via recta ad locum*

tum quo tendis. Progressus ille ad biuium à recta via per ignorãtiam ad aliud declinauit iter, & per aliquot horas in nemore oberrauit. Quam grauiter fuerim accusatus & afflictus pro eo quod eum de biuio non auisauerim, etiam minime inquirentem, si linguas haberem centum eloqui non possem. Aliud quoque multo grauius mihi Dæmones obiciebant: Cum aliquando in decimando fruges meo in agro (sicut moris est) debitũ ordinem nõ obseruassem, & vnũ manipulum ecclesiæ debitũ mihi vsurpassem, reposito in locum alio qui videbatur aliquantũ vilior, fuissemq; ipsum reatum meũ sacerdoti meo confessus & absolutus ab eo, credebam me iam omnino securum. Sed heu quam misere decepit me confidentia mea. Nam propterea quod illatum damnum ecclesiæ (quod vix erat quatuor denariorum) etiam absolutus non restitui, proferenda contra me iam fuerat æternæ damnationis sententia, nisi beatissima Dei genitrix & S. Maximinus, vna cum sanctis Angelis misericordiã iudicis interpellassent. Veruntamen ineffabili flammarum incendio fui cruciatus, inycientibus super me Dæmonibus quasi quosdam manipulos frugũ, mihiq; cũ cachinno insultantibus. Visum autem mihi fuit quod plus quã CCCC. annis in illo pænalissimo incendio cruciarer, & omnes manipuli totius mundi super me proticerentur: cum tamen postea didici, vix ad vnius horæ spatium in ipsa tortura fuerim constitutus. Inde per misericordiam Dei liberatus ductus fui per Angelum ad loca pœnarum, vbi tam horrenda, tam immania & metuenda vidi tormenta, vt ea nullus intellectus mortalium capere, nullaque lingua cuiusquam in mundo dicere possit. Nulla comparatio pœnarum huius Mundi esse potest ad illas pœnas æternæ damnationis, quas vidi apud inferos. Tanta quoque multitudo animarum per illud spatium, quo ego corpore fui exsutus, descendit ad infernum, vt antea non credidissem tot homines in centum annis mori potuisse. Ibi erant episcopi, abbates, Presbyteri, Monachi, & Moniales, cum innumeris vtriusque sexus Christianis, quantos vix esse in toto mundo credidissem. Porro Ethnicorum & infidelium multitudo infinita fuit sicut nix de cælo, ita cadebant in infernum. O quanta miseria infelicium animarum quam miserabilis eorum gemitus & clamor, quæ nunquam cessant ab eiulatu, semper vociferantes, Væ Væ Væ mihi, ad quid fui natus super terram? venire in hunc locum æternæ damnationis? Vidi interea cuiusdam episcopi animam per Dæmones trahi in infernum, cum tanto eorum tripudio, vt sit dictu difficile: quæ miserabiliter clamabat eiulans sine fine. Tanta autem Dæmonum multitudo circa miseram animam illam diffuderat, vt tot esse Dæmones nunquam credidissem. Ibi clarissime vidi & cognoui vnius cuiusque animæ peccata, quantumcunque parua quæ gessit in corpore, & sine confessione transiuit. Sed & mea delicta & peccata, quæ aut neglexi cofiteri, aut fui oblitus, omnia subito ad memoriã mihi sunt redacta, vt mihi magnam confusionem coram aliis & in metipso generarent. Omnibus enim, sicut mihi, notissima erant tam bona quam mala quæ feci, nec quicquam abscondi potest. Multa etiam (sicut dixi) esse peccata grauissima cognoui, quæ prius in hac vita nescii esse delicta. O si scirent homines agricolæ & vinitores, cum quanta districtione & horrendissimis pœnis puniatur dolosa decimatio, & censuum ecclesiarum & monasteriorum subtractio: potius duplicem decimam soluerent, quam vnius denarii valorẽ ministris ecclesiæ subtraherent. Vidi ibi Monachos & Moniales propter paruã vel inobedientiam, vel contra superiores dispicentiã seu murmurationẽ, horrendas sustinere pœnas, quas mihi nõ est possibile eloqui. Episcoporũ & prælatorũ ecclesiæ innumeram multitudinem ibi conspexi, quorum statim peccata cognoui, pro quibus cruciabantur, esse Simoniam, auaritiam, superbiam, fastum, contemptum pauperũ, negligentiã curæ pastoralis, luxum, & delicias carnis. Clericorũ quoque pro iisdem criminibus pœnæ inæstimabiles pene fuerunt, & alter grauius altero puniebatur pro diuersitate peccatorum. Ibi complures vidi, quos dudum in hac vita cognoui, qui miseras ad me voces pro suffragio emittebant: è quibus alii purgabantur, spem liberationis & futuræ salutis certam habentes, alii magis cruciabantur ob id quod nullam liberationis suæ certitudinem habebant. Maiorem simplicium & rusticorum multitudinem damnari dicebat propterea, quod fraudem sibi mutuo & maxime ministris ecclesiæ in decimationibus, in frugibus, in pascuis, in agris & in aliis faciunt, & illata damna non restituunt, & quod pauci eorum vere & pure confiteantur peccata sua cum vera contritione & firmo emendationis proposito. Sed & hoc asserebat graue subditorum esse peccatum, facta Prælatorum seu ministrorum ecclesiæ temere diiudicare, reprehendere, vel eis obloqui, quos DEVS ipse iudicabit. Videbatur autem mihi (dicebat) quod in medio terræ magnus & profundissimus esset puteus, plenus animabus, sp̃umãtibus flammis, vsque ad nubes in altum: ad quem ductus ab Angelo iussus fui introspicere. O bone Deus? quantus me horror inuasit! cuius, si mille annos vixero, nunquam potero obliuisci, cum introspexissem, si tot linguas haberem, quot sunt in mari magno guttulæ aquarum, minimam eorum pœnam, qui ibi torquebantur, non possem edicere. Vidi enim infinitas animas hominum ibi horribiliter cruciari, & Dæmones innumerabiles illis commixtos, eosque crudelissime lacerantes. Nihil ibi audiebatur, quam lamentum, & Væ sine intermissione, cum tanta blasphemia in Deum & in omnem creaturam, quod illius rei nisi absque horrore non possim. Tantus erat ibi tumultus, tantus fragor, tanta tempestas, vt si mille orbes simul colliderentur, tam horribiliter strepitum nequaquam efficerent. Plures ibi cognoui quos in hac vita dudum noueram, qui se damnatos in æternum clamauerũt. Erat enim puteus

Decimationes fraudulentæ.

ille (sicut ab Angelo didiceram) locus inferni, in quem qui semel descendit, nequaquam in æternum exibit. Posthac iterum circumduxit me Angelus per omnia loca pœnarum, in quibus animæ torquebantur (vt asserebat) purgandæ: & erat multitudo earum innumerabilis, quæ in diuersis locis vario tormentorum genere puniebantur, secundum qualitatem delictorum suorum pro quibus in vita non satisfecerunt. O quanta miseria, quanta calamitas infelicium animarum? quas ibi patientes pœnas acerbissimas vidi, etiam pro culpis quas in hac vita leuissimas confiteri & diluere lacrumis neglexerunt. Postea veni ad quandam profundissimam vallem (vt mihi videbatur) in qua erat flumẽ quoddam magnum & valde fœtidum, eratque pons tenuis, lubricus & subtilis nimium supra fluuium, de vno monte altissimo ad alium extensus in tanta altitudine, vt quatuor turres castri in Creutzenacht non potuissent pontem illum suppositi contingere: tam vero angustus erat vt vix duos pedes caperet, & ab vnoquoque latere versus medium eleuabatur paulatim, ita vt cum maxima difficultate posset ascendere. Vidi multas animas super hunc pontem transire cupientes, quarum aliæ statim in principio, aliæ circa medium, atque aliæ circa finem cadebant in illud horrendum flumen, quod erat plenum draconibus & serpentibus maximis, qui capita sua sursum extendebant, quasi ad deuorandum cadentes: eratque miserabile spectaculum. Cadentes autem in flumen mergebantur, aliæ vsque ad caput, aliæ vsque ad collum, aliæ vsque ad genua, atque aliæ aliter, vel ex toto vel ex parte, secundum demerita sua: & laborabant natando & mergendo sæpius cum maxima instantia peruenire ad littus fluminis: & aliquæ citius, aliquæ vero tardius peruenerunt. Statim vero vt littus peruenissent, multo pulcriores quam antea fuerant, a sanctis Angelis cum maxima exsultatione susceptæ, ad palatium cœlestis regni introducebantur. Vidi quosdam ibi, onustos auro vel argento, aut quibuslibet aliis oneribus curarum temporalium rerum granatos, transire volentes, qui statim in principio cadebant, & post multos labores vix tandem ad littus peruenire potuerunt, quanto enim quis sæpius de ponte cadebat, tanto diutius in flumine permansit, retro cedendi non erat facultas, sed procedere: omnes autem mergi in profundum vrgebantur. Aliqui autem multis annis in illo fœtore voluti, quasi vsque ad defectionem virium laborauerunt. Interea vidi animam vnam nudam sed pulcherrimam ad pontem venire, & cum tanta velocitate securitateq; transire, vt nec in aliquo vel modicum trepidaret. Interrogaui angelum quæ esset anima illa, & dixit ad me: Hæc est anima Theoderti monachi, qui præter Deum nihil in vita amauit, propterea secure graditur. Nam cum esset Canonicus ecclesiæ Moguntinæ dives, iuuenis, & potens, omnia pro Dei amore contempsit, & monachus in monasterio S. Ferrucij (quod Blidenstatt nominatur) factus est, vbi vsque ad mortem Domino in omni puritate & simplicitate mentis, & tranquillitate cordis seruiuit. Et qua propter Deum contempsit omnia, donauit cum hoc priuilegio Deus vt secure transiens pontem non caderet. Eadem omnes securitate transibunt, qui in monasterio Deo in vera conuersatione regulari sine occupatione mundanarum rerum deseruiunt. Multa & alia ibi vidi & audiui, quæ dicere non valeo pro hac vice. Deinde arripiens manum meam Angelus duxit me ad loca beatorum spirituum, tanta felicitate & iocunditate exsultantium, vt nulla mens hæc gaudia capere valeat, nullius q. hominis lingua exprimere. Quæ ibi vidi & audiui dicere nõ valeo; nec si dicere pergerẽ, caperetis. Ibi vidi nonnullos quos antea in carne nouerã, inter quos erat Dominus meus Hildebertus quondã Pastor in Sponheim, & postea monachus ibidem, qui supra pectus suum auream stellam fulgentem sicut sol habebat, propter scientiæ & doctrinæ lumen, quo multos in hac vita docendo & admonendo ad iustitiæ cultum reuocauit. Ah quam dulcissimas cantilenas ibi audiui? quam pulchra & amœna vidi? quæ præparata sunt his qui Deum in veritate diligunt, quæ nemo intelligit, nisi qui accipit. Per omnes choros Angelorum nescio qualiter ductus fui, & vidi secreta quæ dicere nec debeo nec possum. Cumq; ad illos priores splendidissimos beatorum spiritus veniss:m, inuitabant me vt manerem cum eis, quibus Angelus Domini respondit: Ad corpus ei redeundum est, qui si transacta mala per pœnitentiam diluerit, si peccare deinceps cauerit, si operibus iustitiæ studium impenderit, ad nos felicior post annos paucos remeabit. Audito hoc verbo, quod mihi redeundum esset ad corpus, contremui; & totus quasi præ amaritudine defeci: tam mœstus ab illa beatorum societate poteram separari. Dixitq; Angelus Domini ad me: Fixum est Dei cõsilium nec potest mutari, ad corpus tuum iamiam reuerteris, omnia quæ vidisti & audisti, Pastori tuo nota facies, & quæ iusserit ille publicari timentibus Deũ, prædica; quæ prohibuerit, perpetuo noueris silentio tegenda. His dictis mox fui ad corpus meum reductus & iussus ingredi. O bone Deus! quam fœdum & turpe mihi corpus ipsum videbatur, quam inuitus in illud redii. Maior enim pœna mihi fuerat denuo ad corpus ingredi, quam fuerat antea mori. Et ecce subito me viuum inuento, nec scire possum modum. His dictis siluit & fleuit. Cui Pastor dixit: Mira sunt quæ dicis, sed scire velim, vtrũ ea quæ vidisti ita videris in veritate, aut in aliqua similitudine sensibili, quasi per sensum, an in sensu, an spiritu. Cui ille respondit: Domine Pastor, nulla vos traditio seducat. Quãtum ego scire possum, imo quãtum dicere audeo, omnia quæ ibi sunt, aguntur vel patiuntur, spiritualia sunt, & tanto maiora & sublimiora mortalibus cunctis, quanto corpore subtilior est spiritus. Mihi autem (sicut ab Angelo sum edoctus) propterea in similitudine sensibilium & materialium cognitorum ostensa sunt, quia ad corpus eram

*eram reuersus: nec potuissem illa spiritualiter sicuti sunt, iam in carne aut retinuisse aut vobis reuelasse, si ea vidissem sine adminiculo similitudinem sensus inducente. Impossibile est enim vt homo mortalis illa videat sicut sunt, veruntamen non satis intelligo nunc in corpore quæ extra corpus positus tunc intellexi, sed sum quasi post lucem magnam in densissimas ignorantiæ tenebras proiectus.* Multa dixit & alia horrenda de pœnis inferni & purgatorij, simul & de gaudijs regni cœlorum, quæ omnia scribere nimis esset prolixum: Occulta etiam quorundam hominum peccata, iubente Angelo, vt pœnitentiam agerent, eis indicauit, & futura nonnulla, quæ postea euenerunt, prædixit. Hæc autem quæ signauimus Vdo Archipresbyter, Pastor in Mandal cõscripsit ad notitiam posteritatis. Porro ipse Adelbertus qui fuerat mortuus & reuixit, tam arduum iter pœnitentiæ assumpsit, vt dubium non fuerit, maiora illum vidisse tormenta, quam dixit. Nam vitam solitariam in nemore non procul à Dalen assumpsit, vbi paruam casam fabricauit ex lignis & luto, in qua vsque ad mortem Domino in magna abstinentia seruiuit per septem annos, quibus superuixit.

MCCXIII.

Hoc anno XVII. cal. Septemb. obijt Rupertus quintus huius monasterii abbas, ante gradus presbyterij in thoro sepultus: vir per omnia magnificus, qui obseruantiam regularis disciplinæ tam in se quam in alijs strenue custodiuit, & multos verbo & exemplo ad iustitiam conuertit. Fuit enim (quemadmodum supra diximus) tam in diuinis scripturis quã secularibus literis eruditissimus, & prædicator diuini sermonis egregius, & non minus ad regimen temporalium rerum quam spiritualium idoneus, ac prudentissimus in omnibus quæ agenda erant. Non eum sine multis lacrumis fratres sui sepelierunt, cuius maximo tenebantur amore. Multa enim bona huic monasterio fecit, ampliauit census, & varias comparauit possessiones, & (quod omnibus est maius) spiritualis vitæ sanctimoniam vsq; mortem inuiolabiliter custodiuit. *Rupertus abbas 5. moritur.*

Hoc etiam anno S. Maria de ægmes in Leodiensi parochia obijt, mulier sanctissimæ vitæ & conuersationis, quæ multis miraculis in vita sua claruit. Cuius gesta Iacobus de Vitriaco, postea episcopus Achonensis, & postremo Tusculanus sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui crucem contra infideles in diœcesi Leodiensi prædicauerat, luculento sermone conscripsit.

## *DE IVANO, ABBATE HVIVS MONASTERII SPONHEIMENsis sexto; qui præfuit annis* XXXIX. *mensibus tribus, & de variis gestis illius temporis.*

RVPERTO venerabili abbate mortuo (sicut diximus) atq; sepulto, conuenientes in vnum fratres huius monasterij Sponheimensis anno Domini MCCXIII. Indictione prima. XV. cal. Septembris in abbatem vnanimiter elegerunt Iuanum, Priorem huius loci septimum, virum satis idoneum ad regimen animarum, qui præfuit in abbatia annis XXXIX. & mensibus tribus: fuitque eodem anno ordinatus à domino Sifrido archiepiscopo Moguntino. S. ecclesiæ Romanæ Cardinali & legato, Moguntiæ in monasterio S. Iacobi in festo S. Michaelis Archangeli. Fuit autem iste Iuanus filius Gotfridi militis de Sponheim, qui in iuuentute sua sub Adelgero abbate ad seruiendum omnipotenti Deo in hoc monasterio à parentibus traditus fuit, cum esset annorum x. vel XI. vltimo videlicet anno Adelgeri abbatis. Crescentibus annis creuit in eo sapientia & scientia scripturarum, in qua adeo profecit, vt omnes pene coætaneos suos longe superauerit. Tandem sub abbate Ruperto factus est Prior, & annis fere quinque in ipso officio ministrauit, quo mortuo (sicut dictum est) ei in abbatia successit: & erat homo satis peritus tam ad spiritualia quã ad temporalia pertractanda, cuius fama sapientiæ longe in prouincia hinc inde fuit diuulgata. Priorem post se instituit octauũ, monachum quendã Iohannem, qui præsedit in Prioratu annis tantũ tribus, fuitq; nescio q̃ ob causam depositus, quemadmodũ suo loco dicemus. *Iuanus eligitur. Ordinatur. Eius parentes. Iuuentus. Ioannes fit Prior octauus.*

MCCXIV.

Iuanus abbas anno suo primo impetrauit priuilegium à domino Sifrido archiepiscopo Moguntino, sedis apostolicæ legato, quod posset benedicere vestes & ornamenta ecclesiastica pro vsu monasterij & ecclesiarum sibi subiectarum.

Eodem anno ad religionem venit Marquardus, frater Iohannis comitis de Sponheim, qui multa huic monasterio donaria attulit. vixitq; pacifice inter fratres, humiliter & religiose sine querela: sed vtroque pede claudo ita quod difficulter ambulare poterat, & ob id non fuit multum vtilis mundo, ideoq; monachizauit. *Comes fit monachus.*

*Conradus de Marpurg prædicator & inquisitor hæreticæ pravitatis.*

Hoc ipso anno cœpit in Alemannia prædicare frater Conradus de Marpurg, ordinis prædicatorum, autoritate apostolica, & per annos XIX. continuauit, multosque & quasi innumerabiles tanquam hæreticos comburi fecit, ipseq; tandem occiditur.

MCCXV.

*Fridericus secũdus Imperator vngitur.*

Hoc anno, qui secũdus annus fuit domini Iuani abbatis, multi principes apud Aquisgranum conuenientes, Fridericum regem Siciliæ, nepotem Friderici Imperatoris primi, regem vnxerunt Romanorum, per Sifridum archiepiscopum Moguntinum, apostolicæ sedis legatum, eumq; in sede regali posuerunt, Ottone Imper. deserto & ab omnibus pene derelicto. Consecratione peracta mox Iohannes Scholasticus Xantensis crucem in sublevationẽ terræ sanctæ ibidem prædicauit: vnde mox cruce signantur, ipse Fridericus rex, Sifridus archiepiscopus Moguntinus & legatus, episcopi quoq; Leodiensis, Bambergensis, Pictauiensis & Argentinensis, dux quoq; Morauiæ, dux Brabantiæ, Henricus dux de Limpurg, dux de Ancei, comes Palatinus de Tubingen, Marchio de Baden, comes de Los, comes de Iuliaco, comes de Seyne, comes de Monte, Iohannes quoque comes de Sponheim, & alij multi nobiles, clerici & laici, magnusque equestrium & pedestrium signabatur exercitus.

*Exercitus deducitur ad terram sanctam.*

*Terræmotus.*

Eodem anno V. cal. Septembris circa I. horam diei terræ motus fuit.

MCCXVII.

*Iuanus proficiscitur ad terram sanctam.*

Hoc anno Iuanus abbas cum domino Iohãne comite de Sponheim & multis alijs peregrinis cruce signatis mare transiens perrexit ad terram sanctam. Iuerunt etiã eodem tempore cum ipsis Wilhelmus comes Hollandiæ, & Georgius comes Widensis, cum magna turba crucesignatorũ. Andreas quoq; rex Vngariæ, & Lupoldus dux Austriæ, cũ episcopis & comitibus, copiosaq; multitudine signatorũ mare transeuntes eodẽ tempore ad terræ sanctæ subuentionẽ exierunt. Porro Iuanus gubernacula monasterij commisit Riginfrido Priori, quẽ anno præcedente depositio Iohanne substituerat: qui fuit prudens vir & nobilis, rexitq; officium Prioratus strenue annis XXII. bonamque disciplinam seruauit.

*Reginfridus Prior 9.*

MCCXVIII.

*Iuanus reuertitur & reliquias sanctorum apportat.*

Hoc anno Iuanus abbas & Iohannes comes de Sponheim de transmarinis partibus reuersi VIII. cal. Aprilis monasteriũ intrauerunt. Dominus vero Iuanus abbas multas particulas reliquiarum sanctorum Martyrum secum attulit: & maxime de locis illis quæ Dominus Iesus Christus sua corporali præsentia sanctificauit, lapides & petras excisas, quæ omnia sanctuario fabricato inclusit.

*Monasteriũ S. Catharinæ fundatur.*

His temporib. mõasteriũ monialiũ Cisterciẽsis ordinis in valle S. Catharinæ virginis & martyris, iuxta Mandal construitur, & dotatur per munificentiã Vdonis Pastoris in Mandal archipresbyteri sociorumq; eius, qui visione supra memorati defuncti resuscitati præmonitus, omnia quæ habere potuit ad eundem locum dedit, cuius fundationis copia sequitur, & est talis.

*Copia literarum fundationis.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Sifridus Dei gratia Moguntinæ sedis archiepiscopus, tenore præsentiũ omnibus Christi fidelibus innotescat, quod dilecti filii Gotfridus præpositus de Creutzenacht, Vdo archipresbyter de Mannendal, Fridericus Decanus de Hilbersheim, & eorum confratres, habentes in cordibus suis zelum Dei, proprietates suas contulerunt in vnum, & ecclesiam S. Catharinæ Cisterciensis ordinis exinde fundauerũt. Proinde disponentes, q̃ bona eadẽ ab omni onere aduocatorũ & cuiuslibet præstatione seruitii sint exsuta, renunciantib. iuri suo, si q̃ in illis tenuerũt aduocati. Cum autẽ hanc proprietatis donationẽ nostra autoritate roborare teneamur, ita vt liceat inhabitantib. hæc quæ ad ea pertinent iuste & legitime possidere, autoritate qua fungimur confirmantes statuimus, quatenus monasticæ religionis ordo, secundum regulam beati patris Benedicti & institutionem Cisterciensium fratrum, ab ibidem commorantibus semper & inuiolabiter seruetur. Illud quoq; ipsis firmiter statuentes & stabilientes, q̃ & ipsis & omnib. suæ religionis & professionis a domino Papa Alexandro, pluribusq; Romanæ sedis pontificib. indultũ & concessum esse dignoscitur, videlicet vt de noualibus & locis inculti suo labore, propriisq; impensis ad culturam redactis, nec non de hortis, animaliumq; suorũ nutrimentis, nemini decimas aliquas exsoluant: sed hæc sibi concessa gaudeant indulgentia. Instituimus etiam, vt præfatus præuisor cœnobii in vendendis vel emendis ecclesiæ rebus, siue in sororibus, siue in conuersis suscipiendis, sine consensu abbatissæ conuentusq; consilio ædificia vel erigat vel destruat. Oblationes quoque quæ ad manus sacerdotũ offeruntur, & quæ de remotis aut vicinis partib. ecclesiæ sæpedictæ deferuntur vel mittãtur, in loco ad hoc deputato sub abbatissæ, præpositi & seruorũ custodia reseruentur. Domus vtensilia cũ appendiciis, lana scilicet & lacticiniis sub dominarũ custodia teneantur. abbatissa & conuentus sinè præpositi consilio nihil in prædictis ordinẽt: Præpositus vero sine illis nihil disponat. Obeunte autẽ abbatissa siue præposito, nũ ibi quacunque surreptionis astutia vel violentia abbatissa*

*Priuilegia cœnobij.*

*batissa seu Præpositus instituatur, nisi quam aut quem conuentus communi consensu, vel pars sanioris consilii, secundum Dei timorem & regulam beati Benedicti elegerint. Statuimus etiam vt non nisi de illarum ordine abbas ab eodem conuentu, pro rigore ordinis conseruando, aut quæstionibus ad quas sibi videbitur conuentus non sufficere decidendis, eligatur; & ille iuxta mandatum nostræ institutionis non debet electioni in eum factæ contradicere. Conuersi Præposito, sorores vero Abbatissæ obedientiam promittant, & secundum beati Benedicti regulam sine murmuratione persoluant. Præcipimus item ne conuersi à prædicto loco sine licentia debita exeuntes, in aliquo locorum recipiantur. Quicunque igitur contra constitutionis nostræ hanc paginam aliquo temerario ausu (quod absit) venire attẽtauerit, & ordinationem supra notatam sigillig, nostri impressione munitam & corroboratã infringere aut perturbare studuerit, indignatione Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli apostolorũ eius, per eum damnatus anathemate, autoritate domini papæ Honorii & nostra, se incursurum, nisi resipuerit, recognoscat. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* MCCXIX. *Indictione* VIII. *domino Honorio tertio apostolicæ sedi præsidente, regnante domino Friderico* II. *gloriosissimo Romanorum rege semper Augusto, & rege Siciliæ: sub his testibus, Henrico maiore Præposito, Poppone Decano, Gotfrido custode, Christiano Cantore, Henrico Burgensi Præposito, Alberto de Cogelenberg, Friderico de Firnenberg, canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ: Iuano de Sponheim, Hartvvino de monte S. Disibodi, abbatibus, Henrico Præposito de Shvvabenheim: Laicis quoq; Iohanne filio comitis de Sponheim, cum fratribus suis, Godeboldo de Wierbach, & Michone fratre suo, Wulframo de Lapide, Marquardo & Bartholdo de Strumberg militibus, aliisque quamplurimis tam clericis quam laicis fide dignis: Diepoldo etiam de Eberbach, Eustachio de Hennenrode, Philippo de Oterburg abbatibus, Mechthilde eiusdem loci abbatissa, anno quo incepit Cisterciensis ordo* CXXI. XII. *calend. Iunii, anno quo initiata est domus in valle beatæ Catharinæ secundo, x. calen. Nouembris. Datum Moguntiæ* XVII. *cal. Nouembris. Pontificatus nostri anno* XIX.

*Testes confirmationis.*

Multa hoc anno cum Saracenis bella gesserunt Christiani.

MCCXX.

Hoc anno comes Siluester Conradus, vulgariter Wiltgraff de Duna, per Sifridum archiepiscopum Moguntinum excommunicatur, & terra eius interdicto supponitur, propter aduocatiam in Heimbach, quam violenter inuaserat cõtra voluntatem Henrici maioris Præpositi & canonicorum ecclesiæ Moguntinæ. Tandem concordia inter eos facta, receptis à canonicis centum marcis comes aduocatiam ecclesiæ resignauit, & à sententia excommunicationis & interdicti absolutus fuit.

*Conradus Wiltgrauius excõmunicatur.*

Eodem quoq; anno Fridericus rex habito cõuentu Principum apud Franckenfort, Romam proficiscitur, & ab Honorio III. Papa in Imperatorem consecratur.

*Fridericus ẽngitur Imperator.*

MCCXXI.

Iuanus abbas anno regiminis sui VIII. curtim in Nosbach pro XXV. marcis argenti cõparauit à quodam milite de Beckelnheim, qui dicebatur Henricus Spon, quam Crafftο abbas III. postea alienauit à monasterio pro CL. florenis Rhenensibus redimibilem, vt suo loco dicetur.

*Henricus Spon vendit abbati curtim Nosbach.*

Eodem anno Wormacia in die sancti Margarethæ virginis fuit incensa, & multæ domus circa forum maxime & in plateis contiguis combustæ sunt. His diebus fuit ibidem episcopus Henricus, filius comitis de Satbrucken. Eodem quoq; anno Minores intrauerunt Wormaciam & construxerunt cœnobium.

*Wormatia incenditur sub Henrico episcopo. Monorita Wormatiã ẽnerunt.*

MCCXXII.

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis IX. Conradus episcopus Spirensis, audiens moniales nostri ordinis in cœnobio Hausen dicto, iuxta monasteriũ Limpurgense in sua diœcesi, tũ miũ à tramite regularis disciplinæ prolapsas, & non minus in temporalibus, & necessarijs bonis q̃ in spirituali conuersatione defecisse, vsq; adeo vt inopiã suam turpi cõmercio releuare cogerentur, statuit cum cõsensu Sifridi archiepiscopi Moguntini, vt nulla deinceps ad ordinem susciperetur: & incorporauit ipsum cœnobium cum omnibus prouentibus monasterio Limpurgensi, vt mortuis cunctis monialibus eiusdem loci, abbas Limpurgensis per monachos suos diuina ibidem faceret celebrari.

*Moniales Hausen ẽcorporatur Limpurgo.*

MCCXXIV.

Anno Iuani XI. fuerunt adhuc quatuor moniales sorores in inclusorio nostro tantũ, cæteris per successũm temporis omnib. defunctis, nec aliqua susciperetur amplius, secundum q̃ abbas Rupertus ante annos ferme XVIII. statuerat, sicut supra dictũ est. Vnde cũ licentia & authoritate Iuani abbatis hę quatuor relictæ ad monasteriũ S. Ruperti iuxta Bingas transierunt, cũ omnibus rebus suis, & ibidẽ ad conuentũ fuerunt susceptæ, quarũ ista sunt nomina: Agatha, Radegundis, Helvvigis, & Margaretha. Et sic locus monialiũ nostra-

*Moniales nostræ desiciunt, & transierunt ad montem S. Ruperti.*

rum vacare cœpit & vacat vsq; in præsentē diē, nihilque pristinæ vel mansionis vel ædificij continens, præter solū nomen, quo Clausa dicitur, ꝙ antiquitus fuit. Vnde moniales præfati cœnobij S. Ruperti tali adinuentione vel occasione audentiores factæ, apud archiepiscopū Moguntinū Sifridum impetrauerūt, vt ipsarū cœnobium supra dictū, abbati huius cœnobij perpetuis futuris temporibus cōmitteretur, ꝙ à principio fundationis abbati S. Disibodi fuerat cōmissum: sed quia religio nimiū in eodē monasterio Disibodensi repuerat, facile ab archiepiscopo poterant consequi ꝙ pro animarū salute postulabant. Erat enim in isto nostro cœnobio adhuc illo tempore laudabilis obseruātia disciplinæ. Cōmisit ergo dominus Sifridus archiepiscop. prędictus monasteriū & moniales cœnobij S. Ruperti Iuano abbati huius cœnobij Sponheimensis, quod multis annis ita commissum permansit, quousque tandem disciplina regularis vtrobique quasi ex toto perijt, & moniales libertatem aucupantes nullum abbatem deinceps aduerterunt.

*Mons S. Ruperti committitur abbati nostro.*

MCCXXV.

Sifridus archiepiscopus Moguntinus idib. Septembris obijt, cui alter huius nominis Sifridus tertius successit, præfuitq; annis XXIV. vir magnarū actionū, tantæq; autoritatis & cōstantiæ, vt Fridericū Imper. excōmunicaret intrepide & expugnaret, iussu domini Papæ.

*Sifridus archiepiscopus moritur & succedit Sifridus 3.*

Eodem anno VII. idus Nouemb. Engelbertus archiepiscopus Colonien sis, cum altero die dedicaturus esset ecclesiā in villa quadā, aduesperascente iam die, à Friderico comite de Eisenberg fratris sui filio crudeliter occisus est XXXVIII. vulneribus seu plagis cōfossus, propter iustitiā, qui in ecclesia Coloniēsi sepult⁹ infinitis cœpit miraculis coruscare. At vero comes Fridericus impius parricida, cum sicarijs suis numero XXV. mox se ad castrū Eisenberg recepit, sed munitioni non confidens inde fugit, totoq; anno profugus latitans & excōmunicatus à Conrado Portuensi episcopo & legato sedis apostolicæ, tandem reuoluto anno à quodā milite inuentus & captus, pro centū & duobus millibus marcis Henrico archiepiscopo qui Engelberto successerat, venditur, & vinctus XVIII. calen. Decembris extra muros Colonienses eductus rotatur, matre eius sub rota assistente & clamente: *Heu mihi, hæc sunt viscera mea deuoranda à coruis, sicut per somnium vidi, cum te fili, adhuc portarem in vtero.* Friderico autem sic rotato, mox signa fieri ad tumbam Engelberti cessauerunt.

*Engelbertus archiepiscopus Colonensis à nepote suo occiditur.*

MCCXXVI.

Iohannes monachus huius cœnobij, qui fuit ante Reginfridum Prior, vir sagax, religiosus & valde deuotus, mortuo Petro Præposito S. Ruperti apud Bingas, per Iuanum abbatem præpositus ibidem constitutus est, qui regularis disciplinæ obseruantiam tam in se quam in alijs pro sua virili semper inuiolate custodiuit.

*Ioannes monachus noster fit Præpositus S. Ruperti.*

His temporibus Henricus episcopus Wormaciēsis, filius comitis de Saræponte, fundauit cœnobiū monialiū in Kirschgartē, extra muros ciuitatis Wormacien sis, posuitque inibi moniales Cistercien sis ordinis, quæ ipsum locū per annos fere CC. sub eadē religione inhabitarunt, vsq; ad tempora Friderici episcopi, qui anno MCCCCXLIII. monialibus expulsis, canonicos regulares de bona obseruantia reformatos introduxit. Henricus præfatus episcopus in dissensione fuit cum ciuibus Wormacien sibus pro libertate ecclesiastica, qui cum eius mandato nollent obtemperare, posuit super eos interdictum, quo cum non proficeret, iussit exire clerum omnē præter plebanos sacerdotes, quibus cura erat cōmissa animarum, qui nihilominus dare corpus Christi infirmis non audebant, nisi promitterēt se velle obedire episcopo si conualescerent, neque sepelire corpora mortuorum ad sancta loca permittebantur. Cumque hæc ad anni spacium durassent, quidam è ciuibus horum tædio affecti ad partē episcopi declinantes, partialitatē in ciuitate suscitarunt. Vnde consulatus necessitate compulsus, ne deteriora experiretur, pacem cum episcopo & concordiam inierunt & absoluti sunt.

*Monasteriū in Kirsgarten fundatur.*

*Clerus Wormatia exit.*

MCCXXVII.

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis XIV. obijt Marquardus monachus huius monasterij filius comitis de Sponheim, anno conuersionis suæ XIII. vir bonus & singulari deuotione prædītus, qui nobis plurima bona fecit.

*Comes Marquardus monachus moritur.*

Eodem anno Gregorius papa IX. Fridericum Imperatorem secundum excommunicauit, propterea quod iuxta promissum transire ad terræ sanctæ recuperationem neglexit: & omnis exercitus ad hoc iterà diuersis Europæ partibus cōgregatus dissipatur, vnde multa mala sunt secuta.

*Fridericus 2 Imperator excommunicatur.*

Eodem quoq; anno III. idus Septemb. obijt in Sicilia in ciuitate quadā, quæ dicitur Ortrant, Ludouicus Pius Thuringorum Lantgrauius quintus, & primus Marchio Misnēsis, maritus S. Elizabeth, cuius ossa in Thuringiam relata sepulta sunt in monasterio Reinhartsbornensi ordinis nostri.

*Ludouicus Lantgrauius Thuringiæ moritur.*

MCCXXVIII.

MCCXXVIII.

Hoc anno Odocharus & Wentzlaus Bohemiorum reges inclyti, tale priuilegium dederunt ecclesiæ Moguntinæ, quod archiepiscopus Moguntinus & nullus alius tam eos quam successores eorum debet reges inungere & coronare, vt patet in his literis: *Reges Bohemiæ à solo archiepiscopo Moguntino inungi & coronari debent. Copia Priuilegij.*

*In nomine Domini Amen. Odocharus & Wentzlaus reges inclyti vniuersis Christi fidelibus, præsens scriptum intuentibus, salutem perpetuam: Confitemur & publice protestamur, quod tam nos q̃ omnes successores nostri consecrationem regalem & diadematis impositionem de sacrosanctæ sedis Moguntinæ archiepiscopo, terræ nostræ Metropolitano, in perpetuum tenemur recipere. Si vero idem archiepiscopus requisitus, se pro motu animi sui subtraxerit, alteri episcopo, quem nos vel successores nostri postulauerint, vicem suam ad id exsequendum committat. Vt autem hoc ratum & inconuulsum permaneat, hanc paginam de consensu Venerabilium Pragensis & Olmucensis episcoporum, sigillorum nostrorum appensione firmauimus. Data Pragæ anno Dominicæ incarnationis* MCCXXVIII. *Indictione prima.*

Eodem anno Fridericus Imperator mare transiuit, Ierosolymam recuperauit, cum parte terræ sanctæ, & ad certum tempus treugas fecit cum Saracenis ibidem. *Ierusalem recuperatur.*

MCCXXIX.

Anno Iuani abbatis XVI. villa dicta Wimesheim fuit igne casuali incensa & quasi ex toto combusta, perierunt que illo incendio tres pueri infantes ex simili infortunio, videlicet XII. cal. Septembris, & plures vsq; ad mendicitatem depauperati sunt. *Wimesheim comburitur.*

Eodem anno Fridericus Imperator de transmarinis partibus reuertitur, & inueniens terram suam in Italia per papam tribulationibus vexatam, & quasdam iniurias sustinuisse, grauiter omnia vindicauit. *Friderici Imperatoris ex Iudæa reuertitur.*

MCCXXX.

Grauis hoc anno inter ciues & consulatum oppidi Bingen controuersia & dissensio fuit exorta, quæ vsque adeo excreuit, quod duo ex consulatu per seditionem vulgarium in foro publice fuerunt trucidati, aliqui vulnerati, cæteri per fugam vix euadentes se saluare curabant. Verum non diu postea grauis vltio in autores seditionis subsecuta est. Nam alij capite cæsi sunt, alij membris truncati, & reliqui extra patriæ limites proscripti perpetuum portauerunt exilium. *Seditio Bingensis.*

Eodem quoque anno Imperator à papa absoluitur, mediante duce Austriæ Lupoldo, qui tractatu pacis peracto inter papam & Imperatorem apud S. Germanum in Campania moritur, cuius viscera & carnes in domo capitulari monasterij sanctissimi patris nostri Benedicti in Monte Cassino tumulantur, ossibus in Austriam relatis. *Imperator absoluitur. Lupoldus Austriæ dux moritur.*

Eodem quoq; anno oritur dissensio inter archiepiscopum Colonien sem & ducē de Limpurg super aduocatia monasterij Sigebergensis nostri ordinis in eadem diœcesi Colonien si. *Dissensio inter episcopū Coloniēsem & ducē de Limpurg.*

MCCXXXI.

Anno Iuani abbatis nostri XVIII. obijt S. Helizabeth filia quondā regis Vngariæ, Ludouici Pij quinti Lantgrauij Thoringiæ relicta vidua, mulier multarū virtutū & sanctissimæ conuersationis, sepulta in Marpurg, quod est oppidum Hassiæ, quæ statim infinitis claruisse cœpit miraculis. *S. Helizabeth moritur.*

Eodem anno in mense Iulio in ciuitate Wormacien si ignis à casu in domo Herbordi militis exortus magnam vrbis partem cum templo S. Pauli consumpsit. *Incendium Wormaciense.*

Eodem quoq; anno Ludouicus dux Bauariæ, cum iuisset ad terrā sanctā cum exercitu magno, in reditu à quodā Saraceno, nuncio Vetuli de Montanis, præsente familia sua in Kelheim cultro fuit occisus, Friderico Imperatore hoc nefas procurante, sicut postea fuit confessus. Ipse autem Saracenus mox à familiaribus ducis in frusta fuit concisus. Corpus ducis amplo honore prosequutū in monasterio Schirensi in Bauaria est sepultū. Cui Otto filius in ducatu successit: qui duxit in vxorē Gertrudē filiam vnicā Henrici comitis Palatini Rheni, qui Heidelbergæ morabatur, cum qua totū illud dominium obtinuit, & sic ducatus Bauariæ & comitatus Palatinus in vnū coniuncta sunt. Genuit autē iste Otto ex Gertrude præfata vxore sua duos filios Henricū & Ludouicū, de quib. suo loco dicemus. Iste dux Otto oppidum Brubach cum castello adiacente & omnibus attinentijs suis in feudum dedit comiti de Katzenelenbogen: quod hodie possidet Lantgrauius Hassiæ, nullo ex comitibus illis amplius viuente. *Ludouicus dux Bauariæ occiditur. Otto dux Bauariæ ducit Gertrudem Palatinam. Bauariæ & Palatinatus Rheni coniunctio. Brubach feudum.*

Eodem anno Vdalricus abbas Limpurgensis nostri ordinis, in diœcesi Spirensi, de conuentus sui consensu, dedit capitulo ecclesiæ Moguntinæ pastoralē ecclesiā in Heldenberg cum decimationibus & prouentibus suis, in augmentū præbendarum ecclesiæ Moguntinæ, sicut patet ex literis eorundem, vt sequitur. *Parochia in Heldenberg donatur capitulo Moguntino.*

Copia donationis.

*In nomine Domini Amen. Vdalricus miseratione diuina abbas, Henricus Prior cum vniuerso conuentu Limpurgensi, vniuersis hoc scriptum visuris salutem in omnium saluatore. Ne ea quæ geruntur in tempore cum tempore labantur & pereant, labili humanæ memoriæ salubriter est prouisum, vt quæque acta scripturæ testimonio roborentur. Ea propter vniuersis, præsentis æui & futuri, fidelibus fieri volumus manifestum, quod matura deliberatione præhabita, & consensu vnanimi & communi, libere & absolute, ecclesiam in Heldenberg, cuius ad nos ius patronatus noscitur pertinere, ecclesiæ maiori Moguntinæ tradidimus perpetuo possidendam, ita videlicet, vt cum pastor qui nunc est, cesserit vel decesserit, quemcunque ad dictæ ecclesiæ regimen elegerit capitulum Moguntinum, cum literis ipsius capituli, abbati, vel Priori si abbas non fuerit, præsentetur, qui in signum recognitionis accepti beneficii ab ecclesia Limpurgensi domum postulet ab ipso, & absq; difficultate qualibet assequatur, ita videlicet, vt idem clericus cum literis abbatis vel Prioris archidiacono præsentetur, vt ab ipso curam recipiat animarum, & idē in cæteris obseruabitur subrogandis. Quod si vel abbas vel Prior (quod tamē absit) aliqua occasione denegare voluerit, nihil exinde subrogato præiudicii vel ipsi capitulo Mōguntino generetur. Itaq; ordinato ipsi sacerdoti competenti & sufficienti stipendio, vnde tam Diœcesano quā archidiacono loci valeat de eorum iustitiis respondere, & nihilominus plebanus ipse congrue sustentari, & residuum fuerit de prouentibus, quos pastores huc vsq; tantum percipere consueuerunt, ad melioratione proficiat præbendarum capituli Moguntini, saluo in omnibus iure ecclesiæ Limpurgensis. Præterea vt firmiore vinculo charitatis Moguntinensis & Limpurgensis ecclesiæ inuicem constringantur, salubriter & prouide est statutum, vt quicunq; de fratribus nostris viam vniuersæ carnis ingressus Moguntinæ ecclesiæ denunciatur, tanquam vni ex ipsis inuigilius & exequiis defuncti memoria peragatur. Et nos similiter more solito pro ipsorum fratribus defunctis Domino preces & hostias offeremus. Verum illud prætereundum non est, quod in omnibus ecclesiæ nostræ Agēdis, sæpe fata ecclesia Moguntina auxilium & consilium bona fide, tanquam in propriis, quantum potuerit & debuerit, feret amicabiliter & benigne. Acta sunt hæc anno gratiæ* MCCXXXI. *mense Octobri, indictione quarta.*

Fraternitas inter Canonicos Mogunt. & Limpurg.

Conradus quoq; Spirensis ecclesiæ episcopus vna cum suo capitulo in prefatam donationem abbatis Limpurgensis cōsensum præbuit, ad instātiam Præpositi, Decani & totius capituli Moguntini, asserens eam non in dispendium monasterij Limpurgensis, sed ad commodum potius & honorem eiusdem esse factam, vt patet in literis desuper confectis ab ipso, quas inserere huic historiæ nostræ superfluum iudicauimus. Dominus etiam Sifridus archiepiscopus Moguntinus eandem donationem suo capitulo factam per literas confirmauit.

MCCXXXII.

Dissensio inter abbatem & villanos Sponheimenses. Compositio litis.

Iuanus abbas anno regiminis sui xix. grauē habuit dissensionē & cōtrouersiam cum villanis villæ Sponheim, ratione nemorum, & pascuorum, & Almeyndæ iuxta hortum olerum Dominæ Richardis Comitissæ Spōheimensis, quē in prima fundatione huic monasterio donauerat. Vnde post multas contentiones concordia tandem inter eos per Dominum Iohannem comitem de Sponheim facta est, tali modo: Inprimis nemora & syluæ fuerunt diuisa in signis ab inuicē distincta, ita vt abbas seorsim & villani etiam seorsim nemora sua deinceps quiete possiderent, nec vna pars alteri damnum in syluis aut alibi deinceps quomodolibet inferre vel impedire præsumeret, pascua autem per totam marcham tam abbati quam villanis debent esse communia, exceptis quibusdam districtibus abbatis in quibus villam nullam pascendi habeant potestatem. Almeynda debet esse communis, manere communis in omni forma, monasterio, villanis, & Dalensibus, & cæteris in comitatu pauperibus, sicut ante annos ferme Lxxx. à comite Megenhardo & filio eius Crafftone huius monasterij secundo abbate dignoscitur instituta, nec aliquid vendi ex ea licebit cuiquam, neq; de fundo ipsius, quoniam ad monasterium pertinet, neq; de vsufructu, quem villanis & pauperibus comitatus comes & abbas indulserunt.

Bellum Moguntino archiepiscopo infert Lādgranius.

Hoc anno Conradus Lantgrauius Thuringorum propter quædam dominia contra Dominum Sifridum archiepiscopum Moguntinum inimicitias gerens & bellum, multa ei damna fecit. Nam oppidum Frislarienſe cepit & funditus pene destruxit, cum quibusdam alijs. Tandem inter eos concordatum fuit tali modo, vt sequitur:

Concordiæ forma.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Super destructione Frislariæ & Wicenhar sen oppidis & aliis damnis, q̄ dominus Sifridus archiepiscopus Moguntinus, & dominus Conradus Iunior Lātgrauius hinc inde senserunt, cum guerrā haberent ad inuicē, talis compositio interuenit: antiqua compositio sicut ordinata est à Domino Sifrido quondā archiepiscopo, & Domino Ludouico pię memoriæ quōdam Lantgrauio modis omnibus in perpetuū incōuulsa seruetur. Itē oppidū in Wolffheim concessit archiepiscopus in feudū Conrado Lantgrauio memorato, & concedit hæredibus suis, legitimis etiā filiabus, non existentibus filiis, post mortē iure hæreditario successuris. Et si idē Conradus rogauerit in vita sua, vt concedat fratri suo aut filio fratris idem oppidum, hoc ei nullatenus denegabitur, &c.*

Multos continet hæc compositio & alios articulos de iure partium allegato, quos nõ opus est nunc inserere. Huic aũt compositioni inter præfatos Dominos Sifridũ archiepiscopũ Moguntinũ & Cõradum Lantgrauiũ factæ, interfuit Magister Cõradus de Marpurg ordinis prædicatorũ, vir in S. Scripturis magnæ eruditionis & auctoritatis, qui generalis inquisitor hæreticæ prauitatis à sancta sede Apostolica constitutus; hoc ipso anno 3. nonas Maij quatuor hæreticos in ciuitate Erphordensi, condemnatos ad ignẽ fecit comburi. Multos, & pene innumerabiles, per totam fere Alemanniã, qui diu latuerant hæreticos, in lucẽ productos, examinatos condemnauit, seculariq; tradidit curiæ comburendos. Sunt qui dicunt eũ nimis procliuẽ & promtum in condemnationem simplicium fuisse, vsque adeo vt multos necari fecerit innoxios; quippe qui mox vt aliquis corã eo delatus fuisset, non examinata delationis causa, neq; meritis deferentis, promulgauerit sententiã clamãdo: *Tollite, tollite impium hæreticum, igneq; comburendum.* Vnde anno sequenti, qui fuit Dominicæ incarnationis MCCXXXIII. cõtigit Comitẽ Seynensem apud eum de hæresi falso accusari, pro cuius excusatione seu purgatione Henricus Friderici Imperatoris secundi filius conuentum multorũ Principum, episcoporum & abbatũ in Moguntia habuit, qui omnes vno ore comiti iniuste delato testimoniũ catholicæ fidei & vnitatis ferebant; vtpote qui non sine graui suorũ & hominum & rerum dispendio, paucos ante annos, in subsidiũ Dominici sepulcri mare transierat, & ecclesiam Dei cum ministris semper honorauerat. Deniq; ipse Comes stans corã omnibus suam innocentiã cum lacrumis, lęsam nimis iniuriose publice proclamauit. Quapropter frater Conradus tam nobilibus q̃ ignobilibus omnibus odiosus factus, quippe qui propter veras hæreses & fictas multos nobiles & ignobiles, clericos, monachos & moniales inclusas, burgenses & rusticos, ignis supplicio, per diuersas Alemanniæ prouincias (si dici fas est) nimis præcipiti sentencia condemnãs, crudeliter fecit occidi. Nam eodem die quo quis accusatus est, siue iuste siue iniuste, nullius appellationis, nullius defensionis seu excusationis, vel etiam (quod impium fuit) reuocationis sibi refugio proficiente, damnatus est, & flammis crudelibus iniectus, intantum vt multitudine damnatorum potius lætari videretur, quam innocentum. Cernens ergo se contra comitem Seynensem præualere non posse, confusus & odio multorum expositus, à Moguntia versus Marpurg ire statuit, saluumque conductum tam Regis quam Archiepiscopi Moguntini, quoniam timebat insidias, accepit. Cumque venisset non procul à Marpurg, à quibusdam nobilibus fuit occisus; qui cum veniam & misericordiam cum lacrumis & suspiriis postulasset, exauditus non fuit. Sepultus est iuxta S. Elizabeth.

*Frater Conradus de Marpurg inquisitor hæreticæ prauitatis & eius Tyrannis.*

*Comes Seynensis accusatur hæreseos coram Conrado de Marpurg.*

*Conradus occiditur.*

Eodem anno Soldanus Babyloniæ Imperatori tentorium misit, mirifica arte constructum, in quo imagines Solis & Lunæ artificialiter motæ cursum suum certis debitisq; spacijs peragrabant, horas quoque diei ac noctis infallibiliter indicabant, cuius precium valoris viginti millium marcarum pondus excedebat.

*Tentorium miri artificij Imperatori donatũ à Soldano.*

Eclipsis solis fuit.

Eodem quoque anno Fridericus Imperator secundus principatũ monasterij nostri ordinis non longe ab Heidelberga, quod dicitur Laurissa, cum omni honore, vasallis, ministerialibus, castris, oppidis, prouentibus, iuribus & pertinentiis suis, quem abbas eiusdem cœnobij semper hucusq; habuit, abstulit ab eodem monasterio, & donauit eum Sifrido archiepiscopo Moguntino & ecclesiæ eius, vt patet ex literis quæ sequuntur:

*Principatus monasterij Lors aufertur ab eo.*

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Fridericus secũdus diuina fauente clementia Romanorũ Imperator semper Augustus, Ierusalem & Siciliæ Rex. Romani principis decus extollitur, & augusta sedes Imperii decoratur, cũ principatus (in quibus consistit & viget Imperium in sua dignitate) congrua prouisione reparat & conservat, & illas ad eorum reparationem & conseruationem personas eligit & præponit, quæ cum prærogatiua commissarum sibi animarum cum suæ merito dignitatis, sufficientes adid & acceptæ fore censentur. Vniuersis igitur Imperii fidelibus tam modernis quam posteris volumus esse notum, quod nos considerantes tenuem statum Ecclesiæ Laurissensis, ab honore & nomine principatus processu temporis collabentem, vt non minus Imperio quam sibi deficere videatur: attendentes insuper, quod per dilectum Principem nostrum Sifridum venerabilem Archiepiscopum Moguntinum, cuius grata seruitia quotidie Imperio præstita, nostro conspectui multa gratitudine se præsentat, & non per eandem sedem Moguntinam, velut obsequiosam semper Imperio & nostris honoribus efficacem, seruitium eiusdem principatus Imperio debitum, quod propter eiusdem Ecclesiæ impotentiam nobis hactenus est subtractum, integre potuerit exhiberi: assistentes nobis & appropinquante dilecto filio nostro, Henrico illustri Rege Romanorum semper Augusto, super his prouidere volentes, vna cum deliberatione & consilio principum, de innata prouidentia & nostræ gratia maiestatis, eundem principatum Ecclesiæ Laurissensis cum omni honore, vasallis, ministerialibus,*

*Copia donationis.*

*castris, oppidis, prouentibus, juribus, & pertinentiis suis, sicut ad nos & Imperium noscitur pertinere, eidem Moguntinæ ecclesiæ, dicto Moguntino archiepiscopo & suis successoribus, imperiali auctoritate in perpetuum donauimus & concessimus, & nominatum Principem nostrum venerabilem archiepiscopum Moguntinum, præsentibus principib. solenniter innestiuimus, vt eadē ecclesia Mogūtina, idē archiepiscopus Mogūtinus, & successores eius amodo principatū ipsum teneāt & possideant, & ad honorem nostrum & Imperii illum foueant & conseruent, saluo iure quod inde debetur Imperio: Præsentis priuilegij auctoritate mandantes quatenus nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, scultetus, aduocatus, ministerialis, nulla persona sublemis vel humilis, Ecclesiastica seu mundana, contra præsentis donationis & concessionis nostræ paginam ausu temerario venire præsumat. Quod qui præsumserit, sciat se præter indignationem nostram (cui se nouerit subiacere) in suæ temeritatis vindictam, centum libras puri auri compositurum, quarum medietas Curiæ nostræ, & reliqua parti passæ iniuriam persoluetur. Ad huius itaque donationis & concessionis nostræ memoriam & stabilem firmitatem præsens priuilegium fieri fecimus, aureo typario nostræ maiestatis impressa iussimus communiri. Cuius rei testes sunt, B. patriarcha Aquilegiensis, & cæteri. Signum Domini Friderici Secundi Dei gratia inuictissimi Romani Imperatoris semper Augusti, Ierusalem & Siciliæ regis, &c. Ego Siphridus Ratisponensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice prædicti Sifridi Archiepiscopi Moguntini in Germania Archicancellarij recognoui. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* MCCXXXII. *mense Aprili, indictione quinta: Imperante Domino nostro Friderico* II. *Dei gratia inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, Ierusalem, & Siciliæ Rege gloriosissimo, anno Imperii eius* XII. *regni Ierusalem* VII. *regni vero Siciliæ* XXXIV. *feliciter Amen. datum Aquilegiæ.*

*Henricus rex confirmat donationē patris. Copia confirmationis.*

Hanc donationem seu alienationem principatus à monasterio Laurisensi, tunc adhuc ordinis nostri, per Fridericum Imperatorem factam Rex Henricus filius eius sic confirmauit:

*Henricus Romanorum rex, Dei gratia, semper Augustus, vniuersis imperij fidelibus, paginam hanc visuris, gratiam suam & omne bonum. Regali munificentiæ cedit ad gloriam, si dignis extollitur honoribus, si rerum amplificat incrementis sui cultores lateris, & suorum conscios secretorum. Hinc enim deuotio pullulat in subiectis, & augetur numerus in deuotis, multiplicante munificentia per exemplum, quicquid potuit per gratiam contulisse. Inde est quod notum esse volumus vniuersis nostris fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod constitutus in præsentia nostra dilectus Princeps noster Sifridus archiepiscopus Moguntinus, celsitudini nostræ supplicauit attente, donationem & concessionem principatus Laurissensis Ecclesiæ cum omni honore, vasallis, ministerialibus, castris, oppidis, prouentibus, iuribus & pertinentiis suis à Domino & patre nostro Friderico, inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, Ierusalem & Siciliæ Rege, nobis præsentibus & consentientibus laudabiliter sibi factam, & ecclesiæ Moguntinæ, denuo ratam habere & conseruare inuiolabiliter deberemus. Nos igitur attendentes grata exsequia quæ dicta ecclesia Moguntina nobis & progenitoribus nostris noscitur impendisse, considerantes etiam seruitia debita Imperio, quæ per impotentiam monasterij memorati ei hactenus sunt subtracta, per dictum Archiepiscopum & successores eius posse congrue exhiberi, concessionem & donationem prædictam, tanquam de assensu nostro factam, ratam habentes, præsentis regalis paginæ sensimus edicto, quatenus nulla persona, alta vel humilis, Ecclesiastica vel mundana ei ausu temerario contra ire præsumat. Quod si quis attentauerit, præter indignationem, quam ex hoc incidet, quinquaginta libras auri se nouerit compositurum, quarum medietatem Curiæ nostræ, alteram vero parti passæ iniuriam volumus applicari. Testes huius confirmationis nostræ sunt B. patriarcha Aquilegiensis. Datum apud Chindacum, anno Domini* MCCXXXII. *quinto Calendas Maij indictione* V.

*Archiepiscopus dolis inducit monachos Laurissenses vt pacē scribant.*

Huiusmodi donatione Imperiali, simul & regali confirmatione principatus prædicti monasterij Laurissensis susceptis, Sifridus archiepiscopus Moguntinus, quo sibi & successoribus suis eundem principatum perpetua firmitate stabiliret, monachos ipsius cœnobij callida persuasione induxit, magna promittens, vt literas summo Pontifici Gregorio nono dirigerent, & monasterium suum vniri cum ecclesia Moguntina postularent. Igitur monachi de sua expulsione nullam suspicionem habentes, firmiter autem sperantes se cum monasterio suo per archiepiscopum in statum pristinum quantocius reformandos, ita scripserunt:

*Copia literarum.*

*Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, D. Gregorio, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici. Decanus cum deuoto fratrum collegio quamuis paruo, & ministerialium ecclesiæ Laurissensis,*

*Petunt cum ecclesia Moguntina vniri.*

*continuas orationes ad Christum cum subiectione filiali. Ad Apostolatus vestri gratiam referendum duximus, quod cum ad mandatum examen iudicum à sede Apostolica delegatorum, dominus Conradus quondam abbas noster sententialiter fuisset depositus, pro dilapidatione & aliis enormitatibus suis quas commiserat: Nos sentientes, tam dictæ ecclesiæ nostræ reformationem, in alio non posse consistere, sicut nec re vera potuit nec potest, memoratos iudices nostros, de benignitate vestra confisi, de consilio & consensu*

*consensu Principum, qui tunc Imperium gubernabant, petiuimus, Ecclesiæ Moguntinæ eandem ecclesiam nostrã vniri, præsertim cum ecclesia nostra sine adiutorio ecclesiæ Mogũtinæ (quæ hactenus nos fouit) nõ posset aliquatenus resurgere; cum etiã iam dictã ecclesiam nostram in multis reformauerit, redimendo castrũ ipsius ecclesiæ prouide de manu fortiorũ, in quo castro multa pars ecclesiæ nostræ consistit, præterea multas alias possessiones eiusdem Ecclesiæ nostræ per potentiã suã recuperauit. Cum igitur pater pie & clemens, hoc deliberatione & prouidẽtia prudentium virorum factũ esse sit manifestũ, sanctitatis vestræ pedib. prouoluti, humiliter & attente supplicamus, quatenus nostram necessitatẽ vtiliter respicientes, factũ nostrum & vnionẽ nostram circa sæpe dictam ecclesiam Moguntinam ratam habentes, autoritate & misericordia sedis Apostolicæ dignemini confirmare, &c.*

Quibus quidem literis Gregorius Papa susceptis, Sifrido Archiepiscopo Moguntino sic incontinenti pro hac caussã rescripsit, vt sequitur. *Copia literarum Papalium ad archiepiscopũ Moguntinum.*

*Gregorius seruus seruorũ Dei venerabili fratri archiepiscopo Moguntino salutẽ & Apostolicã benedictionẽ. Insinuantibus nobis dilectis filiis Decano & conuentu Laurissensis Ecclesiæ & monasterij, innotuit, q̃ cum abbas de Wernwveiler ac eius collega, eidẽ monasterio de mãdato Apostolico visitationis officiũ impendentes, abbatẽ ipsius ab eius regimine amouissent, procurationẽ, defensionem & reformationem ipsius, eum adeo in spiritualibus & temporalibus lapsum esset, q̃ vix posse resurgere, nisi per tuũ auxilium crederetur, tibi in cuius consistit diœcesi cõmiserunt: Tu vero eam circa reformationem ipsius solicitudinẽ impendisti, q̃ præter alia grata cõmoda, q̃ tua diligentia iam suscepit, castrũ quoddã nõ modica summa pecuniæ reuocasti. Nos ergo prudentiã tuã super hoc in Domino recommendantes, firmitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus circa cõmissam tibi procurationẽ, defensionem & reformationem ipsius, sicut laudabiliter incepisti, inuigilans, sic illud foueas, manuteneas & defendas, quod per tuum studium ad statum debitum reducatur, & exinde recipere à Domino retributionem, & à nobis debeas commendari. Datum Perusii, 4. nonas Maij, Pontificatus nostri anno sexto.* Bulla prima.

His literis Apostolicis receptis Archiepiscopus Sifridus Moguntinus, nõ solum principatum monasterij Laurissensis, dominia, castra, oppida, vasallos & mancipia, ecclesię suæ Moguntinæ cum auctoritate mancipauit, sed vitam monachorum ipsius cœnobij reformare ad obseruantiam regularis disciplinæ laborabat. Verum cum monachi cernerent omnẽ sibi libertatẽ ademtam, ipsumq; monasterium non sibi sed ecclesiæ Moguntinę cum omni honore & dominio relictũ; sero mysterium intelligentes & nõ parum se circumuẽtos conspicientes, doluerunt, seq; auxilio quorundã nobilium archiepiscopi mãdatis cœperunt opponere. Quod cernẽs Sifridus præfatus archiepiscopus, impetrauit à summo Põtifice denuo fieri visitationis & inquisitionis officiũ per episcopum Hildesheimẽsem, qui visitatione peracta Põtificem Romanũ informauit, q̃ in monachis ipsius monasterij, qui erant ordinis S. Benedicti, non esset aliqua spes emendationis, eo q̃ loci status nunq̃ posset resurgere, nisi alterius ordinis introducerentur. Sunt autem qui dicant, ipsum archiepiscopum monachos ordinis sancti Benedicti vehementer habuisse suspectos, ne forte in futurum sibi assignatum principatum dicti monasterij, tanquam iniuste ablatum, aut iure, aut potentia repeterent amicorum; & ob id omni laborasse studio, vt expulsis monachis loci alterius professionis viri, qui dominia & principatũ non curarent, reponerentur. Egit ergo modis quibus potuit apud sedem Apostolicam quatenus expellerentur monachi sancti Benedicti; & Cistercienses (quibus principatum & dominia temporalia habere statuta eorum non permittunt) in locum quantocius introducerentur. Vnde post biennium sic Papa scripsit ad eundem archiepiscopum Moguntinum. *Archiepiscopus & monachi discordare incipiunt.* *Monachos S. Benedicti archiepiscopus suspectos habuit.*

*Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Moguntino salutẽ & Apostolicã benedictionem. Laurissensis monasterij vinea diutius exspectata vt vuas faceret, ecce in medium dicitur produxisse labruscas, dum monasterium ipsum, in quo Mariæ officium per contemplationis speciẽ florere consueuerat, & in rerum affluẽtia temporalium Marthæ officiosa solicitudo vigebat, malitia inhabitantium faciente, adeo in vtroq; (venerabili fratre nostro Hildesheimensi episcopo, cuius prouidentiæ super hoc cõmissimus inquisitionem referente) didicimus esse collapsum, q̃ loco Mariæ Iezabela, ac loco Marthæ prodigalitate succedentibus nulla spes est vlterius, vt in suo possit ordine reformari. Monachi enim eiusdem monasterij exteriori & interiori nigredine demigrati, adeo se mundi delitiis inuoluerunt, substantiam monasterii cum filio prodigo dissipantes, quod eorum siculnea immissis fœrcoribus diutius exspectata, non solum fructibus sed etiam foliis dicitur aruisse: quod nil aliud expetit & exspectat, nisi radices ficus fatuæ, quæ terram inutiliter occupant, abscindantur. Sane sicut medici periti solertia, vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, abscindenda censentur, vt exclusa putredine vinum & oleum infundamur vulneribus, & tandem sanetur ægrotus. Ne vero fideles, qui bona eidem Monasterio contulerunt, orationum sperantes suffragiis mihi habitantium releuari, spe præconcepta frustrentur; iuxta episcopi præfati consilium, quod suis nobis literis tunotuit, te, qui loci Diœcesanus exsistis, decet & expedit, maxime cum tempus messis adue-* Secũda bulla, qua monachi iubẽtur expelli Lauriſſa.

*nerit, zizania monachorum exsistentium in eodem sarculis correptionis euellere, ac triticum in horreâ congregare. Compatiatur igitur tua fraternitas, quia & nos compatimur, monasterio sic collapso, & ad ipsum personaliter accedens, omnino virtutibus destitutum, Cisterciensem ordinem plantes in ipso: vt ordo, de nigro conuersus in album, purgetur vitiis, & virtutibus augeatur, & sic in architriclim nuptiis aqua in vinum summi artificis operatione conuersa, florem honoris & honestatis educet, & fructum boni operis non relinquet: ex quo spes fidelium reuiuiscet, & irrigando tanti nominis & religionis de nouo plantatæ plantulam sui roris dulcedine deuotius & libentius confouebunt. Si quos autem de monachis inuenies, quos amor Cisterciensis ordinis accendat, illos ibidem retinere poteris, dum tamen de illis nulla opinio sinistra apud bonos & graues facile oriatur. Alios vero per diuersa loca sui ordinis in tua diœcesi adeo caute disponas, ne ouis morbida gregem commaculet; sed deperdita potius reducatur ad caulas: prouisurus attentius ne possessiones & bona, quæ idem monasterium quondam noscitur habuisse, à plantatione nouella aliquatenus excludantur.*

*Monachi S. Benedicti de Lauriſſa expelluntur. Ciſtertienſes introducuntur.*

His itaque literis summi Pontificis acceptis Sifridus archiepiscopus omnes monachos sancti Benedicti de præfato monasterio Lauriſſensi contra eorum voluntatem eiecit, & conuentum cum abbate Cistercienſis ordinis iuxta mandatum Apostolicum introduxit. Quod factum in circuitu nobilibus non parum displicuit, licet obsistere tantæ auctoritati penitus nequirent. Introducti autem monachi Cistercienses, possessiones monasterii, quæ relictæ fuerant, archiepiscopo tradente, præter vasallos, ministeriales, castra, oppida, prædia, quæ pertinebant ad honorem principatus, arripiunt, & fructus earum in suum vsum vnde viuerent conuertunt. Interea monachi priores grauiter dolentes se expulsos, & in suo monasterio alterius ordinis professores collocatos, statuunt tantam iniuriam nullatenus esse sine vltione ferendam. Conuenientes igitur quadam nocte, cum auxilio quorundam amicorum suorum, monasterium suum Lors violenter cum potentia intrant, abbatem cum monachis conuersis & tota familia inuadentes eijciunt, quosdam capiunt & locum abiurare compellunt, alios percutientes vulnerant, omnesque simul de monasterio fugant. Expulsi autem monachi ordinis Cistercienſis querelam ad archiepiscopum Moguntinum deferunt, se manere in tantis periculis non posse profitentes. Interea monachi priores monasterium recuperatum possidentes, quæ sibi vtiliora videbantur, inter amicos consultant. Verum non post multum temporis cum archiepiscopum cum potentia venturum audissent, locum deserentes non sine spoliis ad tutiora sese recipiunt; & quid agere velit episcopus, latentes exspectant. Itaque Cistercienſis ordinis monachi, qui expulsi fuerant, persuasione episcopi animati ad monasterium Lauriſſensis religionis sunt reuersi, & inceptum viuendi modum continuant. Et ecce non post multum temporis cum se Cistercienses in Lauriſſa constituti iam crederent esse securos; antiqui monachi cum amicis suis nocte monasterium cum potentia ingressi eos aggrediuntur, cædunt, percutiunt, & denuo expellunt, protestantes se omnes interemturos si denuo ad monasterium Lauriſſense fuerint reuersi. Vnde ab hac die non amplius Cistercienses potetant induci, vt ad Lauriſſam mansuri inibi, reuerterentur. Vacat ergo aliquandiu cœnobium, dum nec isti nec illi tuto se in illo cernerēt posse consistere. Tandē Sifridus archiepiscopus negociū ad examē sedis Apostolicæ, cui tum præerat Innocētius Papa IV. renunciat, à quo tale respōsum per literas recepit super ordinatione ipsi⁹ monasterij Lauriſsēsis, vt sequitur:

*Antiqui monachi nouos de Lauriſſa fugant.*

*Ciſtertienſes iterum Lauriſſa petunt.*

*Ciſtertienſes nouant redire Lauriſſam.*

*Lauriſſa vacua aliquādiu monachis.*

*Papa permittit archiepiscopo vt collocet Lauriſſenſes quos vult monachos.*

*Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri Sifrido archiepiscopo Moguntino salutem & Apostolicam benedictionem. Cum (sicut nobis exponere curauisti) felicis recordationis Gregorius Papa, prædecessor noster, intellecto, quod monasterium Lauriſſense, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, erat in spiritualibus & temporalibus non modicum diminutum propter malitiam inhabitantium, in eodem tibi dedisset suis literis in mandatis, vt monachis prorsus ab eo amotis, illud de Cistercienſi ordine reformares; tu mandatorum ipsius diligens exsequutor, in eo conuentum Cistercienſem introduxisti. Sed nonnulli perditionis filij, qui in reprobum sensum dati Dei filios eo ferocibres persequuntur, quo magis habentur dissimiles actibus eorundem, prædictos Cistercienses à præfato monasterio semel & secundo per violentiam eiecerunt: ex quo monasterio ipso (non sine iniuria Iesu Christi) dato pene in vastitatem, penitus in eo laudis non resonat vox diuinæ. Quia vero nostræ solicitudinis dignoscitur interesse in ecclesiis, quarum vastitatem peruersorum immanitas procurauit, festino remedio, ne pereant totaliter, succurramus; instituendi in eodem monasterio Conuentum regularium, seu etiam Canonicos seculares, prout tua prouidentia magis loco & patriæ nouerit expedire, eis prioris conuentus reditibus assignatis, liberam tibi, auctoritate præsentium, concedimus facultatem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Lugduni, 3. nonas Maij, Pontificatus nostri anno* 11.

*Narrat binam expulsionem Ciſtertienſiū.*

Harum auctoritate literarum præmunitus archiepiscopus Moguntinus Præmonſtratenſes

stratenses de monasterio omnium sanctorum, Argentinensis diœcesis, assumsit, & conuentum in præfato cœnobio instituit, præficiens eis non abbatem sed Præpositum, præfecitque post eum Priorem, secundum illius ordinis consuetudinem. Hanc autem institutionem Præmonstratensis ordinis in sæpe dicto monasterio Lauriſſensi literis suis confirmauit, quarum Datum est anno Domini MCCXLVIII. sexto idus Ianuarij, Pontificatus sui anno XVIII. quæ quoniam nimis sunt prolixæ, nec proposito nostro conducunt, copiam earum rationabiliter obmisimus. Introducti autem Præmonstratenses in Lauriſſam, ad instantiam archiepiscopi renunciauerunt omni iuri principatus dicti monasterij, vt patet in his literis:

*Præmonstratenses Lauriſſam introducuntur.*

*Vniuersis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris: Præpositus & Conuentus monasterii Lauriſſensis, Præmonstratensis ordinis, Moguntinensis diœcesis, deuotas orationes in Christo. Quoniam venerabilis Pater dominus Sifridus Moguntinæ sedis Archiepiscopus, de consilio & consensu Capituli Moguntini, autoritate Apostolica nos instituit in monasterio Lauriſſensi, assignatis nobis prouentibus competentibus & honestis, quibus & contenti sumus, videlicet prioris conuentus reditibus vniuersis & officiorum eiusdem: Ratione institutionis huiusmodi, ac ideo quia locus noster in diœcesi Moguntina consistit, nos, & locum nostrum subiicimus & subiectos recognoscimus ecclesiæ Moguntinæ, dicto domino archiepiscopo & suis successoribus vniuersis, iuxta quod institutionis nostræ priuilegio continetur. Porro cum Imperialis autoritas, pariter & Regalis de consilio & assensu Principum, Lauriſſensis ecclesiæ principatum cum omni honore, vasallis, ministerialibus, castris, oppidis, prouentibus, iuribus & pertinentiis suis, ecclesiæ Moguntinæ ex certis & legitimis caussis duxerit vnendum, secundum in Imperiali & Regali priuilegiis prospexerimus contineri: Nos in principatu ipso & cunctis pertinentiis recognoscimus ecclesiam Moguntinam, dominum Sifridum archiepiscopum & successores eiusdem, ius firmum & stabile obtinere, & super his nunquam mouebimus vel alii successores nostri mouebunt aliquatenus quæstionem. Sin autem ex institutione nostra, ratione monasterii Lauriſſensis, nobis vel successoribus nostris in principatu ipso vel præscriptis bonis & iuribus attinentibus Abbatiæ essei iuris aliquid atquisitum, illi renunciauimus, & damus & concedimus id idem ecclesiæ Moguntinæ archiepiscopis, qui cum tempore fuerint, obtinendum: cum ad reformandum & manutenendum principatum eundem in suis iuribus & honore simus penitus impotentes, nosq. talia possidere ordinis nostri prohibeant instituta. In cuius facti memoriam & perpetuam firmitatem præsentes literas conscribi fecimus, & ecclesiarum S. Petri & S. Stephani Moguntinensium, nostroque & de omnibus sanctis Argentinensis diœcesis sigillorum munimine roborari. Actum Moguntiæ, anno Domini* MCCXLVII.

*Præpositus & conuentus Lauriſſensis recognoscunt se subiectos ecclesiæ Moguntinæ, & principatu renunciant.*

Et sic nobilis illa Lauriſſensis monasterij quondam famosa & potentissima abbatia sacro Ordini nostro ablata, in manus aliorum data est, & principatus eius minus iuste (vt multis visum fuit) Moguntinæ Ecclesiæ mancipatus; cum bene fuissent inuenti nostri ordinis viri prudentes & religiosi, nobiles ac potentes, qui ipsum cœnobium in vtroque statu reformassent. Hoc monasterium Dux Bauariæ Tassilo, tempore Caroli Imperatoris Magni circa annum Domini CCLXX. construxit, ac magnifice dotauit, in quo & postea monachus factus, cum Theodone filio suo in magna religione vitam finiuit.

*Quis fundauerit Lauriſſam.*

Nunc autem postquam excidium Lauriſſensis cœnobii lamentabile descripsimus, quod in 16. annis peractum est, ad nostrum propositum nobis est redeundum.

MCCXXXIII.

Anno præscripto qui fuit Iuani abbatis nostri XX. inter episcopum Wormatiensem & ciues concordia facta est Franckfordiæ 3. calend. Martij per Sifridum archiepiscopum Moguntinum, Conradum episcopum Spirensem, & Marchionem Badensem. Eodem anno multa incendia per diuersa loca contigerunt.

*Concordia inter episcopū & ciues Wormatienses.*

*Incendia multa.*

Hoc ipso anno frater Conradus de Marpurg (sicut anno præcedente supra iam diximus) à militibus illorum de Dornbach iuxta Marpurg fuit interemtus.

*Frater Conradus de Marpurg occiditur.*

MCCXXXIV.

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis XXI. villa nostra in Dalen XV. calend. Martij casuali igne noctu incensa combusta fuit, & penitus desolata vsque in hodiernum diem. Nam dominicalia huc in villam iuxta monasterium translata fuerunt, ita vt villæ pristinæ in Dalen hodie non appareat vestigium. Ecclesia quoque dudum in honorem sancti Gregorii constructa, eodem incendio perijt, sicque desolata iacuit per annos ferme LXII. ita quod arbores creuerunt in ea, vsque ad tempora Iohannis Abbatis, quando per Hadwigem viduam denuo fuit restaurata, sicut suo loco inferius dicemus. Et ita villa circa monasterium creuit & augmentata fuit multitudine hominum & domorum.

*Dalen conflagrat & desolatur.*

Eodem anno Papa Gregorius nonus crucem fecit prædicari contra Stadingenses populos, in confinio Frisiæ & Saxoniæ sitos, paludibus inuiis, & fluminibus circum-

*Crux prædicatur cōtra Stadingos.*

cinctos, qui pro suis excessibus & subtractionibus decimarum multis annis excommunicati, contemtores clauium ecclesiasticorum exstiterant; & pluries cum Episcopis, comitibus & alijs nobilibus confligentes frequenter victores, & raro victi fuerunt. Verum exercitu cruce signatorum contra eos veniente victi sunt, & plures quam duo millia occisi, reliqui ad vicinos Frisones fugerunt.

*Comes Hollandia occiditur.*

Eodem anno Comes Hollandiæ in torneamento quodam apud Corbiam in diœcesi Ambianensi occisus est.

*Wormatia incenditur.*

Eodem quoque anno 10. Calend. Iulij in nocte, ciuitas Wormatiensis fuit incensa igni & magna pars eius non sine maximo damno multorum combusta.

*Henricus episcopus Wormatiensis moritur: cui Landolfus succedit.*

Eodem anno obijt Henricus de Saræponte episcopus Wormatiensis, cui Landolfus successit, annis fere XIII. Iste Landolfus episcop⁹ moniales ordinis nostri de monasterio in suburbio ciuitatis Wormatiensis, (quod vulgari vocabulo Nonnenmunster appellatur) propter inordinatam vitam earum expulit, & moniales Cistercienses ordinis illuc introduxit quæ locum ipsum inhabitant vsque in præsens.

*Nonnenmunster reformatur.*

Eodem quoque anno Henricus Rex Bopardiæ conuentum quorundam principum habuit, vbi à quibusdam nefarijs consilium accepit vt se opponeret patri suo Friderico, quod & fecit. Nam ex tunc cœpit solicitare quoscunque potuit, minis, prece, precio, vt sibi assisterent contra patrem: & non paucos inuenit.

*Henricus rex se patri Friderico opponit & male perit.*

MCCXXXV.

Anno Iuani abbatis XXII. Fridericus Imperator ex Italia rediens in Germaniam cum multis thesauris, 6 nonas Iulij consilium in Wormatia habuit, vbi filium suum Henricum in gratiam recepit. Verum cum promissa non seruaret, & castrum Dreifels contra voluntatem eius occuparet, iussu patris capitur, & primo quadam in domo firmissima lapidea circa sanctum Andream Wormatiæ includitur, deinde ad Heidelbergam perducitur. Postea denique Alzeiam, & postremo in Siciliam missus, vsque ad mortem captiuus detinetur, & anno 5. exilij & captiuitatis suæ ibidem in custodia mortuus fuit.

MCCXXXVI.

*Monstrum in Gebrad nascitur.*

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis XXIII. in villa Gebrad natus est puer masculus biceps, monstrosus valde, vixitque mensibus 6. & nouem diebus, cuius duo erant capita à parte posteriori sibi opposita, vnum vero corpus, duo ventres confusi, & inferius mirabiliter in vnum redacti, pedes duo.

*S. Helizabeth canonizatur.*

Eodem anno sancta Helizabeth de Marpurg canonizata est à Papa Gregorio. Fridericus Imperator cum innumerabili multitudine populi præsens fuit in Marpurg, quando sacratissimum corpus de tumba leuabatur: & primus ipse lapidem de sarcophago eius leuauit, & sancto capiti coronam auream donauit. Aderant ibi Commissarij Apostolici, Siphridus archiepiscopus Moguntinus, Theodoricus archiepiscopus Treuirensis, & episcopus Hildesheimensis; cum multis alijs Episcopis & Principibus. Sunt qui scribant illuc tum conuenisse plures quam duodecies centena millia hominum. Acta sunt hæc anno à transitu sanctæ Helizabet 9. in die Philippi Iacobi, vbi inter alia signa oleum de corpore eius fluxit sacro.

MCCXXXVII.

*Curtis Gauvvershausen. Hodie Gesberg vel Gauxberg.*

Anno Iuani abbatis XXIV. curtis monasterij nostri in monte circa Dalen sita, quæ Gauvvershausen dicta fuit, cum omnibus domibus circumstantibus, numero 5. aut 6. exusta fuit, nec deinceps restaurata. Fuit enim in ipso monte, qui Gauiæ mons, vulgariter Gauvversberg dictus, olim paua villula; quæ paulatim deficiens, hoc anno ex toto consumta in tantumque desolata, vt hodie nullum vestigium illius in loco appareat.

*Episcopus Spirensis moritur.*

Eodem anno obijt Conradus de Than episcopus Spirensis, cui Conradus de Eberstein successit in festo sanctæ Agnetis virginis; præfuitque annis 8.

MCCXXXIX.

*Reginfridus Prior 9. moritur.*

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis XXV. obijt Reginfridus Prior huius monasterij nonus in die S. Cæciliæ virginis & martyris, vir bonus & integer, cui similis in zelo & feruore obseruantiæ regularis & monasticæ disciplinæ custodia postea in multis annis in isto monasterio non surrexit. Quo mortuo Iuanus abbas cum consilio fratrum suorum decimum huius loci Priorem ordinauit Iohannem venerabilem senem; qui præfuit in officio suo tantum vno anno, diebus 6. & obiit.

*Ioannes fit Prior 10.*

Eodem anno maior ecclesia Moguntina per Sifridum archiepiscopum consecrata est.

MCCXL.

MCCXL.

Hoc anno, qui fuit Iuani Abbatis nostri XXVII. Iohannes X. Prior huius monasterij in vigilia S. Andreæ Apostoli obiit, senio grauatus & apostemate: post quem Sifridus monachus, natus de Treuiri in Priorem XI. fuit ordinatus, & præfuit in officio suo annis 4. fuitque depositus. *Ioannes 10. Prior obiit. Sifridus Prior 11.*

MCCXLI.

Anno XXVIII. Iuani abbatis, Pastor ecclesiæ in Roxheim Dauid à rusticis in Sommerloch prope Waldenhausen crudelissime occisus est, propter defensionem iurium & libertatem ecclesiæ suæ. Vnde à Sifrido archiepiscopo Moguntino excommunicati & maledicti grauissimas impietatis suæ pœnas dederunt. Omnes enim qui huius sceleris contagione polluerunt cõscientias suas, quidam peregrinatione, alii rotati, alii per fugam elapsi in mendicitate & inopia magna huius vitæ perierunt. *Pastor in Roxheim occiditur.*

Eodem anno episcopus Spirensis Conradus, vna cum Capellanõ suo vendidit cõmiti de Seyna omne ius proprietatis & possessiones quas habuerunt ipse & Canonici ecclesiæ Spirensis in Creutznacht, pro mille & centum marcis puri argenti, pro qua pecunia sibi conuenientiora bona comparauerunt. *Creutznacht venditur Comiti Seynensi.*

MCCXLII.

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis XXIX. obiit Iohannes Præpositus monialium cœnobii S. Ruperti prope Bingen, monachus huius monasterii & quondam Prior in ordine VIII. vir bonus & integer. Post quem ordinauit Iuanus abbas in Præpositum dicti monasterii Roricum monachum, qui quamdiu præfuerit non inueni. *Iohannes Præpositus S. Ruperti moritur. Roricus succedit.*

Eodem anno idib. Aprilis hora vesperarum ciuitas Wormatiensis supra medietatem incẽdio consumta est, & plus quam CCC. homines in ipso incendio perierunt, fuitque damnum hoc penitus irrecuperabile. *Wormatia crematur.*

MCCXLIIII.

Fridericus Imperator II. dudum excommunicatus in consilio Lugdunensi ab Innocentio Papa 4. ab Imperio deponitur, sed nõ curauit: mandauitque Papa principibus vt alium pro Imperatore contra Fridericum eligerent. Et sic tandem fuit electus Henricus Lantgrauius Hassiæ, filius S. Elizabeth, qui circa Franckfordiam bellum habuit cum Cõrado rege, filio Imperatoris Friderici, quem & superauit. Annis quinque ferme nomen regimus habens nihil memoriæ dignum patrauit, obiitque non diu postea. *Fridericus Imperator deponitur à papa. Henricus Lantgrauius eligitur.*

Hoc anno Papa Innocentius Decano maioris ecclesiæ Moguntinæ vsum mitræ seu infulæ in præcipuis festiuitatibus concessit, vt patet in Bulla quæ sequitur: *Infula vsus Decano Moguntinensi conceditur.*

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio, Decano Moguntinensi, Capellano nostro salutem & Apostolicam benedictionem. Nostram & Apostolicæ sedis gratiam obsequiosa puritate fidei dudum multipliciter meruisti, ad hoc semper inuigilans, omnem à te propellendo formidinem, quod sub experientia laborum grauium eiusdem sedis ampliare posses honorem. Vt autem ex huiusmodi meritis cordi tuo gaudium, & aliis deuotionis producatur exemplum, tibi & successoribus tuis, quod in ecclesia Moguntina in præcipuis solẽnitatibus in celebratione diuinorum vti perpetuo mitra possitis, qua Præpositus & cantor eiusdem Ecclesiæ, vti dicuntur, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere. Datum Lugduni, 4. nonas Augusti, Pontificatus nostri anno 3.* Et hi tres Præpositus, Decanus & Cantor præfatæ Moguntinæ ecclesiæ, vigore indulti priuilegij infula vtuntur in summis festis vsque in præsens.

MCCXLV.

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis XXXII. Sifridus Prior huius monasterii Sponheimensis XI. depositus est. Causam vero depositionis eius non potui inuenire. Quo deposito XII. Prior constitutus est Petrus, & præfuit in ipso officio Prioratus annis ferme XIII. & per Iohannem Abbatem ex Priore tandem Cellarius factus est, & postremo ipso iam mortuo, in eius locum successit. *Sifridus Prior 11. deponitur. Petrus Prior 12. eligitur.*

Eodem anno in nocte sancti Andreæ Apostoli obiit Otto Comes Palatinus Rheni, primus ex Bauariæ Ducibus, qui in principio sui regiminis pius, iustus & strenuus Princeps fuit. Tandem propter Fridericum Imperatorem & Henricum filium eius Conradum, ab Innocentio Papa fuit excommunicatus, & persequi cœpit Clerum. Vnde cum in vigilia sancti Andreæ lætus cum vxore & familia fuisset, in ipsa nocte subitanee obiit. Reliquit autem duos filios Ludouicum & Henricum qui per annos decem principatum patris communiter tenuerunt. Verum postea anno Domini MCCLVI. cum discordarent ab inuicem, terras & patrimonium diuiserunt. Ludouicus qui maior natu erat, Palatinatum cum certis aliis in Bauaria superiori pro sua portione accepit: Et Henricus *Otto comes Palatinus moritur. Reliquit duos filios. Bauariæ & Palatinatus diuisio. Ludouicus Palatinatus.*

*Henricus Bauariam accepit. Ludouicus procurat necẽ vxoris.*

Landtshutam cum inferiori Bauaria obtinuit. Ipse Ludouicus Comes Palatinus primo duxit vxorem Mariam filiam Ducis Brabantiæ, quam habens suspectam de adulterio in Werdea Sueuiæ fecit postea decollari, nec liberos ex ea habuit. Pro satisfactione huius sceleris monasterium Furstenfeld postea fundauit, in quo & sepultus est, vt suo loco postea dicemus.

*Conradus episcopus Spirensis obijt: Hẽricus succedit. * Bergstras.*

Eodem anno obiit Conradus episcopus Spirensis, cui Henricus comes de Leiningen, Imperialis aulæ Cancellarius, feria sexta ante festum omnium sanctorum succedens præfuit annis XXVII. Iste Henricus electus & nondum confirmatus, vna cum fratre suo Comite de Leiningen, castrum quoddam in Stratamontense * dictum Starckenberg in diœcesi Wormatiensi, quod pertinebat ad principatum monasterii Lauriſſensis, armata manu inuadens cepit. Vnde archiepiscopus Moguntinus commotus iudices, qui eos ad restitutionem compellerent, à papa impetrauit.

MCCXLVI.

*Henricus Lãdgrauius Imperator.*

Anno Iuani abbatis nostri XXXIII. Henricus Lantgrauius in Regem Romanorum (sicut paulo ante dictum est) per Principes Friderico depositio electus, cum Conrado filio Imperatoris pugnans apud Francfordiam eum vicit, & in Italiam fugere compulit.

*Landolfus episcopus Wormatiẽsis moritur.*

Eodem anno obiit Landolfus episcopus Wormatiensis, & in monasterio Nonnenmunster, quod ordini nostro abstulerat, sepultus est: cui Cuno Decanus Moguntinus successit, quo infra tres hebdomadas mortuo, Richardus de Treuiri subrogatus præfuit annis ferme XI.

MCCXLVII.

*Castrũ Fridburg extruitur.*

Hoc anno qui fuit Iuani abbatis XXXIV. Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ (de quo supra dictum est) pro defensione Bauariæ contra episcopum Augustensem castrum, quod Fridburg appellari voluit, construxit.

*Discordia Crucennacensis.*

Eodem anno consulatus Crucennacensis in magna cum ciuibus dissensione fuit, propter quasdam libertates & priuilegia ciuitatis non seruata pauperibus, vt multis eo tempore visum fuit: verum postea inter eos concordia facta.

MCCXLVIII.

*Templum Coloniense extruitur.*

Hoc anno qui fuit Iuani abbatis XXXV. Conradus episcopus Colonienſis, homo diues & magnanimus, magnam illam & insignem ecclesiam Coloniensem construere cœpit, ponens lapidem primum in vigilia beatæ Mariæ semper virginis. Quod opus, licet quotidie sumat labore artificum incrementa, & sic iam per annos CCLIII. sine intermissione continuatum; tamen vix media pars concepti ædificii consummata nunc cernitur.

*Ecclesia Cuniberti Coloniensis.*

Idem Conradus archiepiscopus ecclesiam S. Clementis papæ & martyris collapsam, quã S. Cunibertus Archiepiscopus Colonienſis olim fundauerat, à fundamentis nouam construxerat, quæ amisso pristino nomine Clementis hodie S. Cuniberti vocabulo nuncupatur. Multa construxit alia, & multa Ecclesiæ contulit.

*Annona caritas.*

Eodem anno maxima fames totam Alemanniam oppressit & multos interfecit.

MCCXLIX.

*Sifridus archiepiscopus moritur.*

Anno Iuani abbatis XXXVI. obiit Sifridus archiepiscopus Moguntinus VII. idus Martij, cui successit Christianus huius nominis secundus; & præfuit ecclesiæ Moguntinæ annis XI. vir quidem bonus & amator cleri.

*Henricus Lãdgrauius Thuringiæ moritur.*

Eodem anno obiit Henricus Lantgrauius Thuringiæ, qui ante paucos annos in Regem Romanorum fuerat electus, licet non omnes principes in eum consenserint, neque ad Imperii coronam peruenit. Quo mortuo Wilhelmus Dux siue Comes Hollandiæ in regem Romanorum fuit electus, Friderico Imperatore adhuc cum filio suo Conrado viuente: sed ad coronam Imperii non peruenit, nec diu vixit: veruntamen satis magnam obedientiam habuit, tam hic quam in partibus inferioribus.

*Wilhelmus dux Hollãdiæ rex Romanorum eligitur.*

*Fridericus Imperator moritur.*

MCCL.

Hoc anno qui fuit Iuani abbatis XXXVII. Fridericus Imperator secundus apud Tarentum moritur, anno ætatis suæ LVII.

*Episcopus Herbipolensis moritur.*

Eodem anno obiit Hermannus Episcopus Herbipolensis, cui Iringus Reinstein successit.

*Hyems asperrima.*

Eodem quoque anno hyems fuit asperrima & nimis diuturna niue, glacieque nimis abundans, quibus tandem resolutis in vnum, maxima inundatio aquarum fuit subsequuta, quæ tanta fuit vt multa ædificia circumquaque subuerteret.

MCCLI.

MCCLI.

Anno suo XXXVIII. Iuanus abbas huius monasterij Ecclesiam S. Gregorij martyris reædificare cœpit, missoque Priore suo cum certis fratribus ad Hugonem Cardinalem, Presbyterum S. Sabinæ, Apostolicæ sedis Legatum, qui tunc apud Bingas morabatur, huiusmodi ab eo indulgentias obtinuit. *Templi S. Georgij reædificatur.*

*Vniuersis Christi fidelibus per Alemanniã constitutis, ad quos istæ literæ peruenerint, frater Hugo, miseratione diuina, tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus salutẽ in Domino. Quoniam (vt ait Apostolus) omnes stabimus ante tribunal Christi, percepturi prout in corpere gessimus, siue bonum fuerit siue malum; oportet nos extremæ diem messionis misericordiæ operibus præuenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod (reddente Domino) cum multiplicato fructu, recolligere debemus in cælis. firmam spem fiduciamq; tenentes, quoniam qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus etiam metet vitam æternam. Cum igitur (sicut dilecti filij Prior & conuentus monasterii S. Martini in Sponheim, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, nobis intimare curauerunt) iidem capellam suam S. Georgii in Dalen nimia vetustate consumtam reædificare inceperunt opere sumtuoso: & ad id propriæ sibi non suppetant facultates; omnes vos Christi fideles monemus & exhortamur in Domino, ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus de bonis, vobis à Deo collatis, pias eleemosynas & grata eis charitatis subsidia erogetis, vt per subuentionem vestram dictum opus consummari valeat, & vos per hæc & per alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia peruenire. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eis ad hoc manum perrexerint adiutricem, XL. dies de iniunctа pœnitentia misericorditer relaxamus, quas multi * per quæstuarios districtius inhibemus; eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Datum Pingiæ 12. calend. Augusti: Pontificatus Domini Innocentij Papæ 4. anno 9.* Indulgentiã ad S. Georgij templũ.

Itaque ecclesia S. Georgij, hoc anno reædificari cœpta non fuit consummata. Nam solus chorus, vbi est altare, tectus fuit, cætera pars ecclesiæ imperfecta remansit vsque ad tempora Iohannis abbatis, sicut supra dictum est anno Iuani XXI.

Eodem quoque anno Christianus Archiepiscopus Moguntinus obijt, cui Gerardus successit annis nouem. Eodem anno Iuanus Abbas infirmari cœpit ad mortem. *Christianus archiepiscopus Moguntinus moritur, cui Gerardus succedit.*

MCCLII.

Hoc anno, qui fuit Iuani abbatis XXXIX. & vltimus, obijt deuotissima Christi virgo Iutta 14. calend. Aprilis, quæ olim fuerat pedissequa beatæ Helizabeth Lantgrauiæ Thuringorum, de qua supra dictum est. Hæc sancta virgo multis & signis & miraculis tam in vita quam post mortem claruit, & omnium virtutum Dominæ suæ dum adhuc viueret conscia & cooperatrix semper fidelissima fuit, eiusque sanctissimam conuersationem, qua in tantum præualuit, in omnibus imitari studuit, pauperumq; singularis aduocatrix fuit. *Iutta pedissequa S. Helizabeth moritur.*

Eodem anno Iuanus, abbas huius monasterij Sponheimensis VI. senio & diuturna infirmitate grauatus diem clausit extremum, & obijt 4. calend. Decembris: Sepultus in claustro monasterij cum fratribus suis, sub cuius regimine obseruantia regularis disciplinę vltimis annis deficere cœpit. *Iuanus abbas moritur. Obseruãtia disciplinæ deficit.*

*DE IOHANNE, SEPTIMO HVIVS MONASTERII ABBATE; qui præfuit annis 12. mensibus 4. diebus 21. & gestis illius temporis circa hunc locum.*

MORTVO atque sepulto Iuano huius monasterij Sponheimensis 6. abbate, post maturam inter se habitam deliberationem fratres in vnum conuenerunt, animo & intentione nouum super se constituendi Pastorem: inuocatoque auxilio Spiritus Sancti anno prænotato Dominicæ incarnationis MCCLII. indictione X. in vigilia S. Andreæ Apostoli, hoc est, 3. Calend. Decembris in abbatem vnanimiter elegerunt Iohannem monachum, huius cœnobij Cantorem; qui præfuit annis 12. mensibus 4. diebus XXI. vir bonus & simplex, filius cuiusdam nobilis de Schonberg: qui in pueritia sua sub Iuano præfato Abbate parentum instantia & oblatione ad religionem venit, & multo tempore Cantoris officium gessit. Ordinatus autem in abbatem reperit obseruantiam regularis disciplinę paulatim deficere, sed eam in pristinum feruorem reducere non potuit propter malitiam temporis & mores improborum. Sicque successiue ab ipso tempore vsque ad reformationem nouissimam (quæ nominatur à loco vbi cœpit Bursfeldensis) obseruantia monasticæ puritatis, in hoc monasterio tepescens & deficiens, per annos CC. minus curata fuit, quanquam aliquoties interea reformatio tentata fuerit, sed ad effectum stabilem non peruenit. Cœperunt enim monachi habere peculium, & paulatim semper in deterius cadere, donec extoto defecerunt. *Ioãnes von Schonberg abbas.* *Disciplina collabitur.*

MCCLIII.

*Templi S. Georgij continuatio.* Iohannes Abbas anno regiminis sui primo inceptum opus S. Georgii martyris ecclesiæ in Dalen aliquandiu continuauit, quod tamen postea imperfectum dimisit.

*Ventus vehemens.* Eodem anno magnus & validus in his regionibus ventus fuit, qui arbores & ædificia multa subuertit in diuersis locis.

MCCLIV.

*Conradus rex moritur.* Conradus Rex filius Friderici Imperatoris II. moritur, quo defuncto Conradus filius eius, quem Longobardi Conradinum appellarunt, succedere in regno Apuliæ, tanquam legitimus hæres cupiens, Papæ machinatione repulsus est, & Carolus Comes Andegauiensis per dolum introductus: vnde Conradinus cum maximo exercitu Apuleiam ingressus, in prima congressione Carolus cum auxilio Papali victus est. Post victoriam nostris prædæ & spoliis inhiantibus, resumtis viribus subito super eos Carolus irruens, victores vicit, multosque interfecit, alios cepit, alios fugauit. Ibi Conradinus cum multis nobilibus captus, capite truncatus est: in quo Friderici secundi & Ducatus Sueuorum generatio defecit. Erat autem Conradinus adolescens omnium pulcerrimus, qui consilio Papæ, ob inuidiam Teutonici nominis & maxime aui sui Friderici Imperatoris nostri, cum multis Comitibus & Nobilibus peremtus fuit.

*Conradinus interficitur. Inuidia papæ.*

*Abbas S. Iacobi ecclesiã in Schornsheim alienauit.* Eodem anno Godescalcus Abbas sancti Iacobi Moguntinus, de conuentus sui consensu & Gerardi archiepiscopi Moguntini, cõtulit Capitulo & Canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ pro augmento præbendarum ecclesiam Parochialem in Schornsheim cum decimationibus, prouentibus & omnibus attinentiis suis, sicut patet in his literis:

*Copia donationis.* *Honorandis viris & dilectis in Christo, Præposito, Decano, totiq; Capitulo Moguntino, Godescalcus Dei gratia Abbas, totusque conuentus monasterii S. Iacobi Moguntinensis, orationum munus & paratam ad obsequia voluntatem. Cum ad mentem reducimus debita meditatione, quam liberalis, quam magnifica exstiterit tempore suæ opulentiæ ecclesia Moguntina circa nos & alias ecclesias, quæ de visceribus eius prodeuntes, per eam in multa rerum temporalium sunt vbertate plantatæ atq; fundatæ, vix quicquam excogitare possumus, vnde eidem vicem debitam impendere valeamus. Vt tamen ad reuelationem matris inopiæ, cui nos occasione negocii ecclesiæ, turbatio terræ generalis inuoluit, aliquid saltem minutum nostra tenuitas offerat, sicque filialis feruor deuotionis & debitæ in nobis compassionis effectus clarius eluceſcat; ecce ecclesiam parochialem in Schornsheim vestræ Diœcesis, cuius collatio ad nos spectat cum iure patronatus & vniuersis prouentibus, in augmentum præbendarum vestrarum vobis & vestris successoribus voluntate concordi & animo liberali in perpetuum donamus possidendam. Itaque quod cum primum illam vacare contigerit, ipsam vestris communibus vsibus applicetis. In cuius facti memoriam æternam & perpetuam firmitatem præsentes literas vobis donamus nostrorum sigillorum munimine roboratas. Actum anno Domini* MCCLIV. *in die beati Barnabæ Apostoli.* Quam donationem Gerardus archiepiscopus Moguntinus eodem anno in vigilia S. Iacobi Apostoli per literas confirmauit.

*Ecclesiã in Osternach donat abbas S. Disibodi Moguntinensibus.* Simili quoque modo eodem anno Otto abbas & conuentus S. Disibodi, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, ecclesiam in Osternach Canonicis & Capitulo maioris ecclesiæ Moguntinæ contulit, eisque literas desuper huiusmodi dedit:

*Copia donationis.* *Reuerendis ac dilectis in Christo, Præposito, Decano, totiq; Capitulo Moguntino, Otto abbas & conuentus S. Disibodi, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, cum filialis deuotionis affectu paratam ad obsequia voluntatem. Cum decorem eximiæ honestatis vestræ Ecclesiæ, matris nostræ, quæ insignis effulget & mirifici splendore operis excellentia dignitatis, paucitas ministrorum obfuscet, cupientes in aliquo, prout filialis deuotionis compassione tenemur, deformitatem huiuscemodi defectus redimere, ac vnius saltem obiectione ministri chori vestri ministerium redimere: Ecce Ecclesiam parochialem in Osternacht, vestræ Diœcesis, cuius collocatio ad nos spectat cum iure patronatus & vniuersis pertinentiis suis, quas pastor hucusque percipere consueuit, saluis aliis quæ Ecclesia nostra in ipsa villa habet & habuit, de consensu vnanimi liberaliter sic donamus, vt cum eam primo vacare contigerit, vniuersos prouentus ipsius, quæ super competentes præbendam perpetui vicarii eiusdem ecclesiæ, per vos deinceps instituendi, superesse poterunt, ad præbendam perpetui Vicarii in vestra ecclesia, nomine nostræ Ecclesiæ seruituri, totaliter conuertatis. Itaque quod ego Otto & mei successores Abbates, vicariam ipsam semper libere conferamus personæ honestæ & choro vtili sacerdoti, qui, prout alij Ecclesiæ vestræ Vicarii, choro debito seruitio & Decano obedientia sit adstrictus. In cuius facti memoriã & perpetuã firmitatẽ præsentes literas sigillis nostris duximus roborãdas. Actũ anno Domini* MCCLIV. Hanc donationem Gerardus archiepiscopus Moguntinus eodẽ anno cal. Ianuarii per suas literas confirmauit, pontificatus sui anno 3. quas Capitulo Moguntino tradidit.

Eodem anno contigit quoddam in Colonia factum Alberti Magni ordinis prædicatorum,

dicatorum; quod recitat Iohannes de Becka clericus in Chronicis suis, de gestis Pontificum Traiectensium & Comitum Hollandinorum, sic dicens: *Appropinquante Epiphania Domini Rex Wilhelmus migrauit ad Coloniam, vt ibidem in honore trium Magorum hostiam laudis solenniter immolaret. Fuit autem illis diebus regens & legens ibidem dominus Albertus, Ratisponensis postmodum episcopus, de ordine Prædicatorum, magnus in necromantia, maior in Philosophia, sed maximus in Theologia, qui Regem rogabat humiliter, quatenus in die solenni secum discumbere dignaretur. Rex autem sperans aliquod prodigiale signum videre, petitioni eius consensit. Finitis ergo Missarum solennibus, Rex ad conuentum Prædicatorum properauit, quem Albertus læte suscipiens extra domum duxit in quendam hortum monasterio contiguum, in quo reperit ministros mirę pulchritudinis, qui omnia conuiuio necessaria præparauerunt. Erat autem diebus istis hyems asperrima, & tota superficies terræ niuibus cooperta. Quapropter omnes contra Magistrum murmurare cæperunt cum Rege existentes, quod in tam horrendo frigore conuiuas suos extra domum sine foco in horto prandere iussisset. Verum postquam Albertus vna cum Rege ad mensam sedisset, locatis singulis secundum statum suum, exspectantes escam inferri, ecce subito omnis illa niuis & glaciei immensa congeries in momento disparuit, & æstualis calor emicantibus solis radiis feruenter inualuit, produxitque subito terra gramen, & mira venustate flores tam in arboribus quam in gramine ipso apparuerunt. Mira res. Vnaquæq; mox arbor eiusdem horti fronduit, floruitque, fructumque subito maturum produxit. Vinea florens odorem suauitatis dedit & recens vuas in vbertate magna coram omnib in instanti procreauit. Multitudo quoq; auium diuersi generis visa est, quæ applaudentibus alii vario cantu garriendo cominus latificabat, vt non Ianuarii sed Maii potius tempus aut Iunii assumsse putaretur. Mox enim longus algor hyemalis frigiditatis prorsus euanuit, & feruor æstiualis caliditatis intantum esserbuit, vt nonnulli discumbentium vestes, quibus erant induti exsuere propter calorem nimium cogerentur, & plerique vmbram vario ingenio sibi præparauerunt. Ministri autem erant iuuenes pulcherrimi, alacres & nimium formosi, omnib. confidentibus incogniti, qui cibum & potum in multa varietate & copia abundantissime (nesciebatur vnde) cum maxima honestate & morum disciplina inferebãt. Mirabantur omnes cũ lætitia magna, cernentes mirabilia tanta, qualia ante non viderunt. Expleto tandẽ conuiuio turba ministrorũ omnis subito disparuit, cantus auium omnino siluit, viriditas arborum graminumq; subito aruit, copia niuis iterum rediens faciem terræ cooperuit, tantumq; confestim frigus inhorruit, vt omnes qui vestes duplices ante deposuerant, præ nimio calore sudantes, nunc frigore nimio tacti resumtis vestimentis ad ignem redire quantocius festinarent. His peractis Albertus locum impetrauit à Rege pro fratribus suis in Traiectensi ciuitate ad construendum cœnobium, cum libertate & donariis auri & argenti multis.* Hæc Iohannes supradictus in præfatis Chronicis Traiectensium scripsit, quæ an vera sint an falsa, non est nostri propositi hoc in loco velle iudicare.

*Miraculum magicum Alberti Magni.*

Eodem anno in mense Februario colligauerũt se perpetuis temporibus firmissimo fœdere Wormatienses cum Moguntinensibus, qui priscis antea multis annis hostilitates & inimicitias ad inuicem diu exercuerunt.

*Fœdus inter Wormatienses & Moguntinenses initur.*

His quoque temporibus Emicho Comes de Liningen omnino laborabat occulte, vt Richardum episcopum Wormatiensem caperet & abduceret, qui tamen auxilium ciuium suorum implorans Wormatiam intromissus est, stante nihilominus inter episcopum & Comitem dudum concepta discordia ad plures dies.

*Emicho cõmes de Liningen insidias struit episcopo Wormatiensi.*

Magnus istis temporibus tumultus in Regno fuit, & variæ dissensiones; quia non omnes Wilhelmum pro Rege Romanorum susciperе voluerunt.

*Wilhelmus rex nõ agnoscitur ab omnibus.*

Eodem anno castrum quod Richenstein dicitur iuxta Rhenum, non longe à Bingen captum fuit.

*Richenstein castellum capitur.*

Eodem quoque tempore cum Wilhelmus Rex in partibus inferioribus moraretur, Moguntia & reliquæ istarum partium ciuitates quæ ei adhæserant, nullum contra aduersarios habebant defensorem. Vnde conuenientes in Moguntia proceres ciuitatum Wormatiæ, Bopardiæ, Wesaliæ, Bingiæ, Oppenheim, Fridbergiæ, Franckfordiæ, Geilnhausen, Frislariæ, & quarundam aliarum in die sanctæ Margarethæ virginis & martyris, fœdus, pacem & concordiam inierunt anno prænotato, & omne thelonium, quod circa Rhenum hãbebant, pro bono pacis conseruando deposuerunt: quanquam pleræque earum grauibus essent debitis inuolutæ, propter bella & incommoda quæ passæ erant multa, tempore schismatis post depositionem Friderici Imperatoris secundi.

*Cõfœderatio ciuitatũ.*

MCCLV.

Hoc anno, qui fuit Iohannis abbatis tertius cum esset Rex Wilhelmus in Wormatia, vxor eius Regina quadam die in mense Decembri ad castrum, quod Trifels appellatur, pergere cum honesta comitiua statuit. Quod percipiens Hermannus quidam miles de Rieperg, ipsam Reginam cepit in itinere, & Conradem de Waldeck cum ea, spoliatamque

*Regina & comes de Waldeck capiuntur.*

omnibus elenodiis suis duxit captiuam ad Rieperg, quam, postea quam aliquandiu detinuisset, abire permisit.

*Abbas Blidenstadiensis dat ecclesiã in Kemden Capitulo Moguntino.*

Eodem anno Hermannus abbas in Blidenstat ordinis nostri, Canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ de consensu conuentus sui in augmentum præbendarum suarum contradidit ecclesiam parochialem in Kemde, cum omnibus prouentibus & attinentiis suis, sub testimonio literarum sigillis, suo & conuentus præfati munitarum, quas hic inserere superfluum duco; quia sub eadem forma conscriptæ, sicut litera abbatis sancti Disibodi super donatione Ecclesiæ in Osternach, quas supra posuimus. Henricus etiam abbas Fuldensis de consensu conuentus sui eodem anno contulit ecclesiæ Moguntinæ pro augmento præbendarum ecclesiam in Berstatt, cum vniuersis reditibus, prouentibus & attinentijs suis, sicut patet in literis desuper conscriptis, quarum datum Fuldæ nonas Iunij, id est in vigilia sancti Bonifacij, Anno MCCLV.

*Abbas Fuldensis dedit ecclesiam in Berstatt.*

*Abbas Selgenstadiensis dedit ecclesiam Nuheim.*

Starcardus quoque Abbas, Selgenstadensis nostri ordinis, vna cum suo conuentu eisdem Canonicis Moguntinis tradidit Ecclesiam parochialem in Nuhem, cum omnibus prouentibus & vtilitatibus suis reseruato sibi suisque successoribus in perpetuum iure conferendi vicariam vnam, his prouentibus instituendam in maiori Ecclesia Moguntina. Actum 6. Calend. Maij. Anno Domini MCCLV.

MCCLVI.

*Abbas Spõheimẽsis noluit dare Gentzingẽ.*

Gerardus episcopus Moguntinus vna cum Canonicis Capituli sui abbatem nostrum Iohannem & conuentum huius monasterij non parum molestantes, precibus & minis solicitarunt pro ecclesia in Gentzingen, q̃ omnibus modis in augmentum præbendarum cupiebant. Sed Iohannes Abbas consentire noluit, & tam minas quam preces eorum constanti animo contemsit. Verum post mortem eius tandem Petrus Abbas ipsam ecclesiam petentibus donauit, sicut inferius suo loco dicemus.

*Wilhelmus rex à Frisonibus occiditur.*

Eodem anno Wilhelmus cum pro corona imperii Romam ire disponeret, ac Frisones rebellantes prius domare voluisset, exercitum contra eos 5. Calend. Ianuarij produxit. Qui præcedens exercitum super glaciem ad explorandum introitum & viam meabilem contra aduersarios, super equum sedebat: & ecce glacie confracta in paludinoso rudo equus ipse cum Rege paulatim immersus est, & rex nullum habens secum famulorum pene suffocatus fuit. Quod cernentes Frisones in arundinetis latitantes concurrerunt, & eum, nescientes Regem, priusquam aduenirent exercitus, occiderunt.

MCCLVII.

*Duo reges eliguntur propter discordiam.*

Hoc anno, qui fuit Iohannis Abbatis nostri 5. conuenerunt Principes Imperij ad Regem nouum instituendum, ne si diutius dissimularent, ius electionis amitterent. Discordantes autem ab inuicem Conradus Colonienses, Gerardus Moguntinus Episcopi, & Ludouicus comes Palatinus Rheni Duxq; Bauariæ, Richardum Cornubiæ Comitẽ, fratrem regis Angliæ in regem Romanorũ elegerunt. Arnoldus vero archiepiscopus Treuirorum cum adhærentibus sibi Alfunsum regem Castellæ in regem Romanorum eligens, solennes ad eum nuncios misit, consilium & auxilium promisit. At vero rex Alfonsus, vel contemnens vel non curans Romanum Imperium, nuncios magnis muneribus donatos remisit, promittens se cum exercitu subsequuturum: sed regno suo contentus (quia Philosophus erat, & Astronomus maximus) non venit, nec se in aliquo de regno Romanorum intromisit, præter solum titulum, quem præter honorem eligentium suorum, ad tempus in literis suis retinuit. Porro Richardus, præfatus Comes Cornubiæ, per Conradum archiepiscopum Colonienſem ex Anglia euocatus, titulum & gubernacula imperij Romanorum assumsit, & cum magno suorum tripudio in Ecclesia beatæ Mariæ semper virginis apud Aquisgranum per eundem archiepiscopum in Regem consecratus fuit. Postea fauore & suffragijs suorum Principum à Colonienſibus, Bopardienſibus, Wesalienſibus, Moguntinenſibus, Francfordienſibus, & multis alijs ciuibus, vt verus Rex Romanorum susceptus est. Vlterius ascendens omnes in suam ditionẽ accepit, & multas pecunias ad habendum obedientiam impendit. Cumq; veniſſet vsq; Basileam, & pecuniæ nimis prodigaliter expensæ iam deficerent, Principes ab eo recedentes solũ & desolatũ reliquerunt, tacite innuentes, se prædã sequutos fuisse non hominem. Vnde cernens se Principum auxilio destitutũ nil amplius posse proficere, cõmisit Philippo de Falckenstein (cuius sororẽ ob nimiã pulcritudinem duxerat vxorem) regnũ Wederaugiæ, Wernhero episcopo Argentinenſi Alsatiã, & Philippo de Hochenfels Bopardiam & Wesaliam cum attinentiis suis, assumtaque vxore in Angliam reuersus est. Emerat enim regnum pecunia, qua deficiente amplius regnare nõ potuit. Tempore enim quo instabat electio, Gerardus archiepi-

*Alphonsus electus rex Romanorũ negligit imperium.*

*Richardus rex Romanorum.*

*Richardus in Angliam reuertitur.*

archiepiscopus Moguntinus à duce Brunsuicensi tenebatur captiuus, quem ipse Richardus, pro marcis octo millibus ea conditione redemit, vt vocem eius in electione obtinere mereretur. Quod & factũ est. Absolut⁹ enim à custodia diẽ archiepiscopus præfatus à Marpurg ad Francofurdiam transtulit, & Richardum in regem Romanorum elegit. *Archiepiscopus Moguntinus captus.*

Anno præscripto VI. idus Nouembris obiit Richardus episcopus Wormacien sis, cui Conradus de Durcheim Decanus Moguntinensis succedens, præfuit tantum hebdomadibus tribus & obijt, in ecclesia Moguntina ante altare S. Petri sepultus. Post hunc electus fuit Euerhardus de Badenberg præpositus ecclesiæ S. Cyriaci in Nuhusen, & præfuit annis ferme xx. habuitq; discordiam cum ciuibus. *Richardus episcopus Wormatiẽsis moritur. Euerhardus episcopus Wormatiẽsis.*

Eodem anno Ludouicus comes Palatinus Rheni, filius Ottonis ducis Bauariæ, habens Mariam vxorem suam de adulterio suspectam (sicut in superioribus diximus) apud Werden Sueuiæ morantem xv. cal. Februarij decollari fecit, ex qua nullum habuit hæredem: quod factum nimis crudele fuit visum omnibus bonis viris, & à multis reprobatum, cum ipso qui fieri mandauit & præcepit. *Ludouicus Palatinus vxorem interfecit.*

MCCLVIII.

Hoc anno Iohannes abbas huius monasterij Petrum Priorem deposuit, & eum in Cellerarium cœnobij ordinauit, propterea quod magis ad gubernandũ temporalia quã spiritualia idoneus esse videretur. Fuit enim homo (vt ipse dicere consueuit) natus ad terrena, qui quietis impatiens externis laboribus semper inhiabat: de quo latius erit dicendũ infra, vbi post mortem Iohannis abbatis nostri in eius locum referetur subrogatus. Porrò post Petrum Nicolaus per abbatem Iohannem institutus est Prior huius monasterij, secundum ordinem XIII. qui aliquando fuit præpositus monialium in monte sancti Ruperti apud Bingas: vir bonus, & pro regularis disciplinæ obseruantia satis admodum zelosus, quam tamen ad pristinum feruorem non potuit reducere: præfuit autem in officio Prioratus annis VI. & obijt. *Petrus Prior 12. deponitur. Nicolaus Prior 13. cõstituitur.*

Eodem anno ecclesia S. Catharinæ in Oppenheim per Gerardum archiepiscopum Moguntinum in ecclesiam erigitur parochialem, vt patet in literis quæ sequuntur. *Ecclesia parochialis in Oppenheim.*

*Gerardus Dei gratia sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus sacri imperii per Germaniam Archicancellarius. Cum ad mandatum sereniſſimi Domini nostri, Romanorũ regis illustris, per antiquiores & meliores incolas (reuelatis antiquis & veris limitibus, qui Moguntinam diœcesin à Wormacien si distinxerunt, quanquam per ignauiam fuissent in parte conuulsi) exstiterit liquido declaratum, quod noua ciuitas in Oppenheim in nostra sit diœcesi constituta, ac populus ciuitatis eiusdem numero & authoritate intantũ excreuerit (Domino adaugente) quod ipsam deceat timo expediat ob animarum salutem singularis ac proprii rectoris regimine gubernari. Nos de consilio & consensu capituli nostri & præpositi S. Victoris Archidiaconi loci, ecclesiam S. Catharinæ in ipsa ciuitate fundatam, in parochialem ecclesiam eligimus, facimus & creamus, ipsamque iure & honore parochialis ecclesiæ insignimus: concedentes eidem vt proprii baptisterii vsum habeat pro suis paruulis baptizandis, nec non cœmiteriũ speciale ad commodum sepulturæ: iuratos etiam habeant & ordinent speciales, qui ea quæ sunt iuris spiritualis promoueant & disponant. In huius facti testimonium ad debitam firmitatem præsens scriptũ nostri & capituli nostri ac præpositi S. Victoris præfati sigillis fecimus communiri. Datum Moguntiæ V. monas Iulii, anno Domini* MCCLVIII. *Copia fundationis. Oppenheim noua ciuitas.*

Eodem anno canonici maioris ecclesiæ Metensis omnia bona sua habuerunt in Odernheim (vbi S. Rufus quondam episcopus Metensis, vsq; in præsentem diem manet tumulatus) canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ pro MXL. libris monetæ Metensis vendiderunt, sicut patet ex literis desuper confectis & sigillatis, quarum Datum est anno Domini MCCLVIII. cal. Iunij. *Odernheim S. Rufus episcopus.*

MCCLIX.

Anno Iohannis abbatis nostri VI. monachi ordinis nostri de monasterio S. Disibodi iuxta Sobernheim, mortuo Ottrone abbate suo per Gerardum archiepiscopum & maioris ecclesiæ Moguntinæ canonicos, tamquã fundatores eiusdẽ loci eliminati & expulsi sunt, & datum est ipsum cœnobium ordini Cistercien si vsq; in præsentẽ diem. Venientes igitur de Otterburg Wormacien sis diœcesis monachi & conuersi ipsum locum primitus inhabitare cœperunt, constituentes sibi primum ordinis sui abbatem nomine Iohannem, qui se & monasteriũ suũ ecclesiæ Moguntinæ, quasi pro gratitudine accepti beneficij, in perpetuum obligauit singulis annis centum maltris siliginis, vt patet in copia quæ sequitur: *Cœnobium S. Disibodi datur Cistertiensib.*

*Reuerendis & dilectis in Christo, Wernhero præposito, Iohãni Decano, totiq; capitulo Mogũtino, frater Iohannes dictus, abbas & cõuentus monasterij S. Disipodi, Cisterciẽsis ordinis, orationes in Domino sempiternas. Cum vos vna cum venerabili Domino & Patre nostro Gerardo archiep. Mog. monaste* *Copia obligationis.*

*rium S. Disibodi tunc ordinis S. Benedicti, ab ecclesia Moguntina fundatum, ex certis causis nobis & per nos ordini nostro donandum duxeritis: Ne ingrati videamur tantæ gratiæ per vestram nobis factæ benignitatem, restaurantes immensi muneris eiusdem memoriam sempiternam, vniuersitati vestræ promittimus liberaliter & constanter, & nos successoresque nostros obligatos esse volumus, quod ad opus duarum vicariarum de nouo in vestra ecclesia ordinatarum, dabimus vobis de reditibus nostri monasterii singulis annis perpetuo singula quinquaginta maldra siliginis Bingensis mensuræ Moguntinæ, in omnem euentum, nostris expensis & periculo præsentanda, sic quod vnam vicariam instanti messe dabimus maltra siliginis quinquaginta, & ex tunc in sequenti messe proxima, & deinceps ad vtramque vicariam singulis annis perpetuo dabimus siliginis siccæ & absq; palea centum maltra prædictæ mensuræ, Moguntiam (sicut dictum est) præsentanda sub nostro periculo & expensis, inter duo festa, Assumptionis videlicet Mariæ & Natiuitatis eiusdem. Adijcientes quod cum primum habuerimus aratra aliqua iumentis instructa, absque omni dolo & fraude teneri nos volumus perpetuo ad dedutendum vinum vestrum, quod vobis creuerit in Monzechen singulis annis tempore vindemiarum, cum requisiti fuerimus, ante cellarium vestrum Moguntiam in nostris curribus & expensis: ita tamen vt si aliquod infortunii euentus acciderit, simus penitus excusati. Et ad horum debitam firmitatem concedimus præsens scriptum, Dominorum in Eberbach & Otterburg abbatum, de consensu & scientia conuentuum eorundem, ac nostri monasterii sigillorum munimine roboratum. Actum Moguntiæ, anno Domini* MCCLIX. *pridie nonas Martii.*

Vides quemadmodum canonici maioris ecclesiæ Moguntinæ, vt præbendas suas facerent pinguiores, monasterium quod antea ordinis nostri erat liberrimum, Cisterciensibus pro centum maltris siliginis in seruitutem annuam vendiderunt, nō in paruam ordinis nostri iacturam, iniuriam & opprobrium, immemores beneficij ab Ottone eiusdem monasterij abbate, nostri ordinis vltimo, ante quadriēnium percepti, qui eis parochialem ecclesiam in Osternach cum insigni libertate tradiderat, cum omnibus prouentibus in perpetuum possidendam.

*Albertus Magnus episcopus Ratisbonensis.*

Eodem anno Albertus Magnus prouincialis, ordinis prædicatorum, prouisione Alexandri Papæ quarti factus est episcopus Ratisbonensis in Bauaria.

MCCLX.

*Gerardus archiepiscopus Moguntinus moritur.*

Gerardus archiepiscopus Moguntinus obijt, cui Wernherus de Falckensteinmaioris ecclesiæ Præpositus succedens præfuit annis XXIIII. mensibus VI. qui ecclesiam suam optime rexit, & reditibus ornatibusque mirifice eam ampliauit.

*Wernerus succedit.*

*Ludouici Palatini secunda nuptia.*

Eodem anno Ludouicus comes Palatinus Rheni (de quo supra diximus) qui filiam Ducis Bauariæ Mariam vxorem suam occiderat, aliam duxit vxorem, filiam Conradi ducis Poloniæ, nomine Annam ex qua genuit filiam nomine Agnetē, & Ludouicum filium, elegantem virum, de quo postea suo loco erit dicendum.

*Wormatiēsium hostes nobiles.*

Eodem quoque anno Iacobus de Lapide & Simon de Guntheim militares, contra Wormacienses graues inimicitias gerentes, multos ex ciuibus tenebant captiuos: sed postea inter eos concordia facta est, & captiui pecunia interueniente dimissi.

MCCLXI.

*Inundationes maximæ.*

Hoc anno, qui fuit Iohannis abbatis nostri IX. maxima inundatio aquarum fuit in his regionibus, & Rhenus intantum excreuit, quod domos & ædificia multa subuerterit. Homines etiam circa Rhenum habitantes, nimio terrore perculsi, relictis domibus suis multi ad montium præsidia confugerunt.

*Dissensio Colonensis.*

Maxima his temporibus inter Engelbertum archiepiscopum & ciues Colonienses dissensio fuit, quæ multis annis non sine damno vtriusque partis perdurauit.

MCCLXII.

*Magus quidam mirabilia fecit.*

Anno Iohannis abbatis huius monasterij x. venit quidam homo ex partibus inferioribus ad terras istas, qui vocabatur Magister Theodo Magus & præstigiator admirabilis, qui multa & incredibilia fecit prodigia. Nam in oppido Creutzenacht coram omni populo publice in foro caput famuli sui amputauit, quod post spatium vnius dimidiæ horæ corpori iacentis restituit. Cum canibus in aere quasi ad venandum ambulare videbatur, ascendens atque descendens, & clamans in altissimis quasi à remotis. Armatū hominem deuorasse putabatur. Currus quoque lignis seu fœno oneratos cum equis deuorauit, sicut nescientes modum putabant. Alia quoque stupenda fecit, quæ scribi hoc in loco superfluum duxi.

*Philippus de Hohenfels excommunicatur.*

Eodem anno Wernherus archiepiscopus Moguntinus excōmunicauit Philippum de Hohenfels, & terrā suppositi interdicto propter nimias & indiscretas exactiones, quas in bo-

in bonis clericorum Moguntinæ ciuitatis in suo dominio positis faciebat, & grauis inter eos fuit exorta turbatio.

MCCLXIII.

Hoc anno, altera die post Epiphaniam Domini, tempore Richardi Romanorum regis, in monte S. Iacobi facta est concordia inter Philippum de Hohenfels supradictum, & prælatos ecclesiæ Moguntinæ, & sub pœnis proscriptionis & alijs cēsuris terribilibus confirmata, vt patet in literis desuper confectis, quas propter prolixitatē nimiam omisimus. *Reconciliatio Moguntinensis.*

His etiam temporibus inter archiepiscopum & ciues Colonienses longa & grauissima dissensio fuit, isto libertates ciuium ad se trahere cupiente, illis vero pro libertate fortissime pugnantibus. Tandem ciues archiepiscopum suū Engelbertum & Theodericum de Falckenburg fratrem eius capientes ad pacem compulerunt. *Dissensio Colonienſis & eiusdem reconciliatio.*

MCCLXIV.

Nicolaus Prior huius monasterij XIII. hoc anno calend. Ianuarij obijt, vir bonus & amator disciplinæ regularis, post quem XIV. Prior est institutus monachus quidam, Otvvinus nomine, vir sapiens & valde notabilis: qui præfuit in officio prioratus annis XII. & libenter reformasset collapsam disciplinam monasticam, sed propter malitiam temporum parum proficere potuit. *Prior 13. mo ritur, & 14. institutur.*

Eodem anno fratres Eremitæ, ordinis S. Augustini, Wormaciam intrātes monasterium ædificare cœperunt, quod perficientes inhabitant vsq; in hunc diem. *Augustiniani Wormacienſes.*

Eodem quoq; anno XI. cal. Maij obijt Iohannes huius monasterij Sponheimensis abbas VIII. sepultus in medio chori, ante gradus presbyterij. *Ioannes abbas 7. moritur.*

## *DE PETRO OCTAVO HVIVS MONASTERII SPONHEIMENsis abbate, qui præfuit annis XXV. & mensibus tribus, & de variis gestis illius temporis.*

IOHANNE autem abbate mortuo atque sepulto, cum ad nouum Pastorem ecclesiæ viduatæ eligendum fratres huius monasterij, qui tum erant cōuentus, conuenissent, grauis subsequuta fuit turbatio. Duo enim per dissensionem fuerunt electi. Petrus qui Cellerarius erat (de quo supra diximus) vnam partem conuentus pro se habuit, & Wilhelmus monachus, qui Cantoris gerebat officium, alteram pro se partem eligentium obtinuit. Cumque grauis contentio inter vnius cœnobij huius partes, oriretur, & quelibet pars suum electum conaretur defendere, Petrus qui erat homo astutus, pristina officij sui auctoritate vsus, ingeniosa adinuentione familiarium stipatus caterua, abbatiam potenter inuasit, seque in omnibus pro abbate gessit. Porro Wilhelmus ad Simonem comitem Sponheimensem confugit, Petrum grauiter accusans, comitis auxilium pro abbatia sibi debita implorauit. At vero comes Simon partes Wilhelmi primo quidem fouere atque defendere laborauit, qui tamen postea causam totam in manus Wernheri archiepiscopi Moguntini resignauit. Durauit autem ista contentio ad anni spatium, non sine damno rerum monasterij temporalium & grandi periculo animarum. Tandem Wernherus archiepiscopus Moguntinus vtrumque ad se vocans electum, & modum formamque electionis, simulque & zelum eligentium diligenter examinans, Wilhelmum repudians Petrum in abbatem huius cœnobij confirmauit. *Dissensio in electione abbatis. Duo abbates.*

MCCLXV.

Hoc anno post longam discordiam, Petrus tandem (sicut diximus) à Wernhero archiepiscopo Moguntino, repudiato Vvilhelmo, in abbatem huius monasterij confirmatus est, fuitque VIII. in ordine abbatum, & præfuit annis XXV. & mensibus IV. homo satis astutus & externis plus deditus quam spiritualibus. Erat autem oriundus ex Moguntia, qui postquam literis aliquandiu dedisset operam, ad monasterium venit, & sub Iuano abbate monachus factus est, à quo postea Prior (sicut diximus) ordinatus est, ac deinde Cellerarius, postremoq; abbas. Iste Petrus ecclesiā parochialē in Gentzingen in pago Nachgau, q̄ ex donatione nobilis quondam viri Vdonis monasterio nostrum per annos CXXXVIII. pacifice possederat, in primo cōfirmationis suæ anno statim dedit capitulo maioris ecclesiæ Moguntinæ cum omnibus prouentibus suis, vt patet in his literis: *Ecclesia in Gentzingē alienatur.*

*Reuerendis ac dilectis in Christo præposito ac Decano, totiq; capitulo ecclesiæ Moguntinæ, Petrus Dei gratia electus & confirmatus in abbatem monasterii Sponheim, salutem & cum obsequio deuotas orationes in Christo. Vt per nostræ subuentionis auxilium, (quā matri nostræ digne ac reuerenter adesse tenemur) præbendarum vestrarum tenuitas in aliquo releuetur, & per vos etiam beato Mar-* *Copia donationis.*

*tino patrono nostro reuerentiam impendamus, ecclesiam parochialem in Gentzingen, Moguntinensis diœcesis, cum iure patronatus ac vniuersis pertinentiis & reditibus suis, quos Pastor ipsius ecclesiæ consueuit hucusque percipere, de consensu venerabilis patris, domini nostri Wernheri archiepiscopi Moguntini & totius conuentus nostri vobis conferimus in perpetuum obtinendam, ita quod cum primum eam vacare contigerit, prouentus ipsius communibus vestris vsibus libere perpetuo applicetis. Relictis tamen de prouentibus eiusdem ecclesiæ certa & cõgrua portione, de qua persona in ipsa ecclesia Gentzingen, Deo perpetuo seruitura & per vos instituenda, honeste valeat sustentari. In cuius facti memoriam & perpetuam firmitatem præsentes literas vobis damus, nostro & conuentus nostri sigillorum munimine roboratas. Actum anno Domini* MCCLXV. *VII. idus Iulii.*

*Cõfirmatio Wernheri archiepiscopi.*

Hanc donationem Wernherus archiepiscopus confirmans sequentes literas tradidit.

*Wernherus Dei gratia sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus sacri Romani imperii per Germaniam Archicancellarius, dilectis in Christo, præposito, Decano, totique capitulo Moguntino salutem in Domino. Iustis petentium desideriis grato nos decet consensu occurrere, & eadem studiose prosequi, in quantum facultas suppetit effectui mancipare. Vestris igitur precibus inclinati, donationem ecclesiæ Gentzingen, quam vobis in augmentum præbendarum vestrarum dilecti in Christo, abbas & conuentus in Sponheim nostræ diœcesis monasterii, liberaliter & benigne fecerunt (sicut in eorum scripta continetur inde confecto) gratam plurimum habentes & ratam, præsentis scripti testimonio confirmamus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis & beati Martini, ac nostræ excommunicationis sententiam nouerit incurrisse. Datũ Moguntiæ anno Domini* MCCLXV. *X. cal. Octobris.*

*Ecclesia parochialis in Sponheim incorporatur cœnobio.*

In recompensam autem præfatæ donationis, Wernherus archiepiscopus memoratus de consensu capituli sui ecclesiam parochialem in Sponheim cum omnibus prouentibus suis Monasterio incorporauit, vt patet ex literis quæ sequuntur.

*Copia incorporationis.*

*Wernherus Dei gratia, sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus, sacri Romani imperii per Germaniam Archicancellarius, dilectis in Christo, Petro electo in abbatem totique conuentui monasterii Sponheim nostræ diœcesis, salutem in Domino. Nos paterno pensantes affectu ecclesiam vestram propter onera impressionum multimoda & per varios infortunatos euentus adeo attenuatam in multis, quod egestate non modica laboretis, vt quantum possumus vestram inopiam pro salute nostra aliqualiter releuemus, ecclesiam parochialem in Sponheim cum capellis attinentibus, vobis pleno iure habẽdam perpetuo de consensu nostri capituli & tui electi, qui eiusdem ecclesiæ es patronus, tradimus & donamus, ita quod cum eam vacare contigerit, prouentus ipsius communibus vestris vsibus libere perpetuo applicãtes ad ipsam ecclesiam fidelem & perpetuum Vicarium loci Archidiacono præsentetis, cui de prouentib. ipsius ecclesiæ certam & congruam assignabitis portionem de qua honeste valeat sustentari, qui eam nobis & Archidiacono ipsi de iuribus nobis debitis valeat respondere. Nos præpositus, Decanus & capitulum Moguntinum nostrum super donatione huiusmodi liberaliter impertimur consensum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ donationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotẽtis Dei & S. Martini se nouerit incursurum. Ad maiorem autem firmitatem & euidentiam huius, fecimus vobis præsens scriptum nostrum, nostro, prædictorum Præpositi Decani & Capituli, nec non & tui electi sigillorum munimine roborari. Actum anno domini* MCCLXV. *VII. idus Iulii.*

*Ius patronatus pertinet abbati.*

*Consensus Capituli.*

Itaque vt ecclesia villæ Sponheim incorporaretur monasterio, Petrus abbas ecclesiam in Gentzingen cum omnibus pertinentijs suis ecclesiæ Moguntinæ donauit.

*Ciues Herbipolenses mulctantur grauiter.*

Eodem anno ciues Herbipolenses propter magnas variasque iniurias, quas intulerant Iringo episcopo suo & clero, in duobus millibus & ducentis marcis ei condemnati sunt, & soluto argento ad eius obedientiam redire sunt compulsi.

MCCLXVI.

*Decima Bingensis.*

Hoc anno præpositus, Decanus & capitulum maioris ecclesiæ Moguntinæ, quartam partẽ decimæ in Bingen pro pecunia emerunt à Philippo seniore de Falckenstein, & duobus filijs eius Philippo & Wernhero, quam iure feudali ab ecclesia Moguntina tenuerant, Wernhero archiepiscopo consentiente, vt patet ex literis emptionis desuper confectis, quarum datum est anno Domini MCCLXVI. tertio idus Februarij.

*Episcopus Herbipolensis moritur.*

Eodem anno obijt Iringus episcopus Herbipolensis cui Bartholdus de Sternberg succedens præfuit annis XVIII.

MCCLXVII.

*Prædicatores Spirẽses.*

His temporibus monasterium fratrum Prædicatorum in ciuitate Spirensi sub Henrico episcopo fundari cœpit de consensu eius & totius capituli.

Eodem

Eodē anno seditio maxima fuit inter ciues Colonienses exorta. Nam cū Rectores ciuitatis communitati graues exactiones & precarias * imposuissent, surrexit aduersus consulatum ipsa communitas, seque mutuo insectantes armis ac bello in ipsa ciuitate impugnabant, & multi ab vtraque parte cæsi & occisi fuerunt. *Seditio Coloniensis.* * *Vel Bede.*

MCCLXVIII.

Hoc anno, qui fuit Petri abbatis nostri IIII. Wilhelmus, qui (vt supra diximus) contra Petrum in dissensione fuerat electus pro abbate huius monasterij ab vna parte conuētus, sed à Wernhero archiepiscopo Moguntino refutatus tanquam pauciores & infirmiores voces habens in electione, posteaquam monasterium & abbatem diu molestauerat, discurrens hinc inde ab ipso archiepiscopo Moguntino capitur, & carceri mancipatus vsque ad obitum suum non exiturus. Et cessauit quassatio ipsa, quam per triennium contra Petrum exercuerat, adhærentibus sibi quibusdam è fratribus, occulte tamen propter metum episcopi. *Wilhelmus Pseudoabbas capitur.*

MCCLXIX.

Hoc anno grauis inter episcopum Herbipolensem Bertholdum & comites de Henneberg, Castello, & Hohenlohe discordia fuit exorta, qui tandem iuxta oppidum Franconiæ, quod Kitzingen dicitur, ad pugnam conuenientes, acriter concertarunt, & multi ab vtraque parte fuerunt cæsi, vulnerati & capti. *Episcopus Herbipolensis discordat à quibusdā comitibus.*

Eodem anno proscripti & profugi à ciuitate Colonia, facto sub terrā occulto meatu, Coloniam occupare & capere volentes, multa ciuibus mala intulerunt, compugnantesque ad inuicem, damna sibi irrecuperabilia mutuo præstiterunt. *Coloniensis seditio.*

MCCLXX.

Hoc anno, Petri abbatis nostri VI. cum obseruantia regularis (proh dolor) nimium à prima sui institutione defecisset, monachi huius cœnobij iam publice proprietarij esse cœperunt, ipso abbate consensum ad hoc præbente expressum. Nam tunc primum conuentus ab abbate fuit diuisus, ita vt abbas certa bona pro mensa & sustentatione sui haberet seorsum, & pro se conuentus similiter seorsum. Et tunc primum cessauit communis vitæ regularis institutio, quæ per annos ferme CXXX. satis laudabiliter in præsenti monasterio antea viguerat. Conuentus ergo summam prouentuum suorum in præbendas distinxit, adijciens his quoddam commune distribuendum (quod Præsentias appellant) more secularium canonicorum in graue detrimentum præsentis monasterij & periculum animarum. *Monachi huius monasterij ab obseruantia regularis recesserunt.*

Eodem anno Iohannes abbas & conuētus S. Cœnobij Nidensis, ordinis nostri, Colonienſis diœcesis, vendiderūt capitulis Moguntinensibus maioris ecclesiæ & beatæ Mariæ virginis ad gradus, villas Drechtingshausen * Heimbach superiorem & inferiorem, Weiler, cum terminis earum, ac partem castri Reichenstein cum hominibus, fundo, proprietate, dominio, ædificijs, vineis, possessionibus, terris, cultis & incultis, iurisdictione ac actionibus quibuscunque cum omnibus iuribus, pertinentijs & prouentibus in præfatis villis, & in ipso castro Reichenstein, & cunctis terminis adiacētibus, pro MCCCCXXIII. marcis denariorum Colonienſium, sicut patet in literis huiusce modi venditionis desuper cōfectis, quarum datum est præfato anno, VIII. *cal. Octob.* *Drechtingshausen venditur.* *Hodie Drecksbausen.*

Eodem quoque anno Gotfridus Dominus de Eppenstein & filius eius Gotfridus villam quæ dicitur Flersheim, cum agris, vineis, curtibus, pratis, pascuis, aquis, molendinis, nemoribus, terris cultis & incultis, hominibus ibidem existentibus, vel redire volentibus qui se ad alia loca transtulerunt & hæreditatem habuerunt ibidem, militibus (pueris militum à Iohanne Venatore exceptis) pro MD. marcis vendiderunt, literas desuper conficientes, quarum Datum est tale: *Actum anno Domini* MCCLXX. *tertia feria post Dominicam Iudica.* *Flersheim venditur ecclesiæ Moguntinæ.*

MCCLXXI.

Anno regiminis sui septimo Petrus abbas huius cœnobij bona in Praumweiler cōparauit pro CC. marcis de quibus curtem fecit eamque, pro censu annuo agricolis locauit. Verum post aliquot annos domus ipsa quæ ad curtem pertinebat fuit exusta, & colonia agros monasterio resignarunt, qui distracti villanis per partes & minutas pro censu annuo locati fuerunt. *Curtis nostra in Weiler emitur.*

MCCLXXII.

Hoc anno obijt Henricus episcopus Spirensis, cui Fridericus de Bolandia sororis filius IV. nonas Martij succedens, præfuit annis fere XXX. *Episcopus Spirensis moritur.*

Eodē quoq; anno obijt Engelbertus archiepisc. Colonienſis in ecclesia Budensi se-

*Episcopus Colomiensis mortitur, Sifridus succedit.*

pultus, cui Sifridus de Westerburg, vir bellicosus nimium, successit; & à Gregorio Papa x. confirmationem cum decore pallij archiepiscopalis suscepit.

MCCLXXIII.

*Rudolphus de Habspurg rex Romanorum.*

Hoc anno, qui fuit Petri abbatis nostri nonus, principes Romani imperij apud Franckfordiam conuenientes, in regem Romanorũ post multos tractatus vnanimiter tandem elegerunt Rudolphum comitem de Habspurg tunc absentem, & Basileam cum magno exercitu obsidentem; qui vt audiuit se in regẽ Romanorum electum, soluta mox obsidione venit in Franckofordiam, & deinceps ad Aquasgrani descendens consecrationis munus ex more suscepit. Ibi principes iurata obedientia feudalia sua de manu eius susceperunt, eique contra omnes aduersarios imperij fortiter adstiterunt. Vnde multa in breui recuperauit, quæ ab imperio alienata fuerant, pacemque reformauit in terra, & regnauit annis XVIII. mensibus vero X. Vxorem habuit Helizabeth filiam Burchardi comitis Haierloch, quæ peperit ei tres filios, Albertum ducem Austriæ, qui postmodum fuit Imperator Romanorum, à quo omnes duces Austriæ qui hodie sunt, aut interea fuerunt, geniti sunt: Hartmannum qui fuit in Rheno submersus, & Rudolphum Sueuiæ ducẽ, qui filiam Ottocari regis Bohemiæ duxit vxorem. Filiarũ prima nupsit Wentzeslao regi Bohemiæ: secunda Machtildis nomine Ludouico comiti Palatino Rheni, sicuti dicemus: tertia Alberto duci Saxoniæ, & quarta Carolo principi Apuliæ.

*Filij Rudolphi Habspurgensis.*

*Ludouicus Palatinus ducit tertiã vxorem.*

Eodem anno Ludouicus comes Palatinus Rheni, mortua secũda sua vxore tertiam duxit Machtildem præfatam Rudolphi regis Romanorum filiam, de qua genuit Rudolphum comitem Palatinum Rheni, & Ludouicum postea Imperatorem, de quibus postea dicemus.

MCCLXXIV.

*Comites 15. contra Imperatorem conspirant.*

Hoc anno certi comites, videlicet comes de Montfort, comes de Helffenstein, cõmes de Duckenberg, comes Eberhardus de Wirtenberg cum alijs vndecim, contra regem Rudolphum conspirantes eum aut capere aut interficere summopere quærebant, quod cum ei innotuisset, producto contra eos magno exercitu vicit, eosque ad obedientiam sibi & imperio in perpetuum coegit, & pacem in omni terra circumquaque ab Italia vsq; ad Angliam tutam reformauit.

*Discordia abbatis & monachorũ.*

Eodem anno Petrus abbas huius monasterij, cernens illam diuisionem reditum & prouentuum inter ipsum & conuentum ante triennium factam omnis impuritatis futuræ principium, & authoritatis suę non paruum detrimentum, vehementer doluit de ea, & renitentibus omnibus, præter Ottvvinum Priorem, eam publice reuocauit. Vnde commoti monachi & quasi in væsaniam versi totis viribus restiterunt, factaq; inter se conspiratione abbatem interficere potius quam sibi indultam semel proprietatis portionem resignare statuerunt. Quod cum abbati innotuisset, dans locum iræ ad Creutzenach declinans, plus quam ad anni spatium ibidem commoratus est, quousque tandem mortuo potiore factionis principe, res per comitem de Sponheim dominum Simonem composita & sedata fuit.

MCCLXXV.

*Rudolphus rex Ottocarum Bohemiæ regem vicit & occidit.*

Anno Petri abbatis nostri XI. Rudolphus rex Romanorum exercitum mouit in Bohemiam, contra Ottocarum regem, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Morauiam, mortuo hærede legitimo iniuste contra imperij iurisdictionem occupantem, factaque congressione cum vicit & subingauit, pactaque subiectionis imposuit. Verũ cum ille promissa seruare postea contemneret, Rudolphus denuo in Bohemiam reuertitur, & regem periurum iterum superans occidit, & sibi regnum Bohemiæ subiugauit. Porro ducatum Austriæ donauit filio suo Alberto comiti de Habspurg, à quo Maximilianus hodie rex Romanorum secundum rectam lineam generationis ita vt sequitur cõtinuatam descendit. Rudolphus rex ex comite de Habspurg rex Romanorum genuit Albertum, postea regem, ducem Austriæ. Albertus genuit Albertum iuniorem ex Helizabeth filia comitis siue ducis Carinthiæ Meynhardi. Albertus iunior genuit Lupoldum ducem Austriæ ex Iohanna filia comitis Pyrrethi. Lupoldus autem genuit Ernestum ducem; Ernestus autem genuit Fridericum Imperatorem tertium, ex Simburga filia ducis Alexij de Ancazon in Polonia. Fridericus autem Imperator genuit Maximilianum regem. Maximilianus autem genuit Philippum ducem Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ, & Mariam Reginam Hispaniæ, de quibus suo loco dicetur.

*Comites de Habspurg fiunt duces Austriæ. Genealogia ducum Austriæ.*

MCCLXXVI.

Anno Petri abbatis nostri XII. concordia inter ipsum & conuentum suum per Simonem

monem comitem facta est, mortuo Sigero monacho, qui totius turbationis princeps & caput fuit, ita videlicet, vt diuisio redituum semel inter abbatem & conuentum (vt prædiximus) facta deinceps permaneat, & monachi singulis annis de perceptis & expositis abbati computationem facere teneantur. Ipse quoque abbas, ne quid inconsulto suo conuentu alienare posset, computationem simili modo facere conuentui quotannis omnimode sit adstrictus, & neque abbas sine consensu conuentus, nec conuentus sine consensu abbatis quicquam vendere siue alterare præsumant. *Concordia inter abbatē & monachos nostros proprietarios.*

Eodem anno prænotato obijt Ortvvinus huius monasterij Prior XIV. cui multum displicuit illa diuisio prouentuum inter abbatem & conuentum, eamque totis viribus adimpedire ne fieret, aut reuocare factam laborauit, sed parum proficere potuit, licet omnium in se fratrum odia prouocauerit. Post hunc institutus fuit Prior XV. Megenhardus monachus, filius Iohannis militis de Weinsheim, qui præfuit in illo officio annis XVIII. *Ortvvinus Prior moritur.* *Megenhardus Prior 15.*

MCCLXXVII.

Anno Petri abbatis nostri XIII. Simon comes de Sponheim aduocatus noster obijt relinquens duos filios, Iohannem & Henricum, de quibus sequenti anno latius dicemus. *Simon comes de Spōheim moritur.*

Eodem anno Hermannus filius regis Rudolphi in Rheno submersus est, & in Basilea sepultus, non sine lacrumis matris multis.

MCCLXXVIII.

Anno Petri abbatis nostri XIV. Iohannes & Henricus comites de Sponheim fratres & filij comitis Simonis, (de quo supra diximus) grauem inter se dissensionem habuerunt, Iohannes maior natu erat, cui & Pater comitatum Sponheimensem gubernandum reliquerat, vir animosus & constans, qui cum fratri Henrico in nullo cederet, hostem sibi aduersariumque effecit. Itaque Henricus comes frater Iohannis ad Wernherum archiepiscopum Moguntinum se conferēs ejus tuitioni se commisit, & feudum XX. marcarum denariorum Aquinensium pro seruitute annua recepit, sed & castrum, quod Beckelnheim appellatur, cum villis adiacentibus castrensibus ibidem, & octoginta marcarum reditibus, in graue comitatus dispendium, præfato archiepiscopo vendidit pro MCCCC. marcis denariorum Aquinensium, vt patet ex literis venditionis, quas archiepiscopo tradidit, quarum tenor sequitur. *Discordia inter fratres, comites Sponheimēses.* *Henricus comes feudalis fit archiepiscopo & castrum Bickelnheim vendit.*

*Ego Henricus nobilis vir, natus quondam Simonis Comitis de Sponheim tenore præsentium publice recognosco, & ad notitiam vniuersorū cupio peruenire, quod castru meum Beckelnheim cum villis castrensibus iam feudalibus ibidem castrensi feudo, & octoginta marcarum reditibus de consensu Cunegundis vxoris meæ, cui idem castrum propter nuptias in donationem exstitit assignatum, communicata manu vendidi domino meo Wernhero archiepiscopo & ecclesiæ Moguntinæ in proprietatē perpetuo possidendā, pro* MCCC *marcis denariorum Aquinensiū soluendis in certis terminis, constitutis mihi fideiussoribus pro eisdē, prout in literis ipsius domini archiepiscopi super ea confectis plenius continetur, promittēs archiepiscopum & ecclesiā supra dictos de castro & bonis eiusdē per anni & vnius diei spaciū, prout iustū & consuetū fuerit, vuerandare.* * *Et quia præfatus dominus archiepiscopus pro* CC. *monetæ prædictæ me acquisiuit in castrēsem* * *suū & ecclesiæ Moguntinæ apud Olmenā vel Bingiam, data mihi optione, in loco istorū residentiam eligendi, profiteor & protestor, quod ipsas ducētas marcas post quā mihi fuerint persolutæ, in bona sita apud Olmenā vel Bingiā, de quibus reditib. XX. marcarū habere poterunt annuatim, conuertere teneor, vel de bonis meis quæ iure proprietatis possideo XX. marcarū reditus demōstrare eidē domino archiepiscopo, recipiendos ab ipso & ecclesia Moguntina nomine castrensis feudi, & tenendos. Præterea stante dictum dominū archiepiscopū occasione mei guerram habere cotigerit, cum Iohanne comite de Spōheim fratre meo, fratrig. in prosecutione iuris mei adstiterit, nullā prorsus cōpositionem ab ipso comite acceptabo, absq. scitu eiusdē domini archiepiscopi & consensu. Et hoc mihi promisit similiter se facturū. In cuius testimoniū & certitudinē firmiorē præsentes cōscribi literas & sigilli mei feci munimine cōmuniri. Ego quoq. Cunegūdis vxor nobilis antefati, propriō sigillo carēs, in testimonium & euidentiam mei cōsensus, ipsas literas sigillo Lucardis matris meæ petii sigillari. Datum & actum Moguntiæ, anno Domini* MCCLXXVIII. VIII. *Calend. Augusti.* *Copia Venditionis.* *Burgman.*

Iohannes Comes grauiter offensus, inimicum animum contra fratrem & archiepiscopum concepit, qui, dum castrum præfatum Beckelnheim paternæ hæreditatis portionem, nec precibus nec minis obtinere posset à præsule Wernhero, armis rem aggredi statuit. Factus itaque publicus archiepiscopi hostis & inimicus, multa ecclesiæ Moguntinæ intulit per se & per suos damna.

MCCLXXIX.

Anno Petri abbatis nostri XV. atrox bellum inter Wernherum archiepiscopum Mo-

*Bellũ geritur inter comites fratres & Wernherum archiepiscopũ.*

guntinum & Iohannem comitem de Sponheim iuxta Gentzingen non procul à Sprenglingen factum est propter castellum Beckelnheim, quod Henricus frater Iohannis comitis de Sponheim eidem archiepiscopo (sicut diximus) sine consensu fratris vendiderat, & ab vtraque parte multi fuerunt occisi, vulnerati & capti. Inter alios fuit quidam macellarius de Creutzennacht dictus Michael Mort vir fortis & audacissimus, qui pro parte comitis domini sui tam fortiter contra aduersarios pugnauit, vt quasi alter Maccabęus perenne sibi nomen laudis apud posteritatem promeruerit. Nam in medio hostium constitutus à dextris & à siniſtris gladium fibrans, tam fortiter in illos sęuiebat, vt ipse solus plures quam xx. occideret, sibique viam per medium illorum mucrone pararet. Tandem multitudine hostium superatus ac pedibus læsus in terram corruit, resumtisque illico viribus & stans in genibus, cum surgere non posset, se fortiter defendens ac trepide circumfibrans gladium, adhuc quinque alios prostrauit, & plures è circumstantibus vulnerauit. Postremo autem non habens adiutorem, cum sui partim fugere cœpissent, gloriose occubuit. In tantæ fortitudinis memoriam lapis in eodem loco erectus cum eius insculpta imagine, vsq; in præsentem diem cernitur. Cæterum etsi ambiguo Marte diu pugnatum fuerit, tamen victoria tandem archiepiscopo cessit. Ibi de parte comitis Iohannis capti sunt ab eodem archiepiscopo comes Rheni, comes de Liningen, comes de Veringen, cũ multis alijs nobilibus: & ipse Iohannes comes de Sponheim equi subsidio fugiens vix euasit. Erat autem vno pedes claudus, qui cum propria manu fortiter pugnaret, ab hostibus circumuallatus & comprehensus est: Quod cernens supradictus Michael Mort cum cæteris macellarijs de Creutzennacht audacter (sicut diximus) super hostes irruit, & dominum suum proprio sanguine liberauit. Pro tanto beneficio comes postea macellarios in Creutzennacht proprio & singulari priuilegio remunerauit. Hac victoria potitus archiepiscopus omnes villas comitis in circuitu spoliauit & multas incendit. Milites quoque eius prædam sitientes nec monasterijs pepercerunt, nec ecclesijs. Nam cœnobium, quod Schwabenheim dicitur, in vicino situm, intrantes spoliauerunt, curtes & ædificia in circuitu prædantes incenderunt, & multa fratribus damna intulerunt.

*Insignis vnius viri conflictus.*

*Lapis iste positus est 1368. per Cinglianos subuersus.*

*Archiepiscopus Victor, comites capti.*

*Exercitus archiepiscopi spoliat templa & monasteria.*

*Schwabenheim.*

*Reinberg castrum destruitur.*

Eodem anno Wernherus archiepiscopus præfatus castrum quod Reinberg dicitur, cepit & funditus destruxit, propter latrocinia & deprædationes quæ ex ea fiebant.

*Fœdus inter comitem Veldensem & archiepiscopum Moguntinum.*

Eodem quoq; anno Henricus comes de Veldentz se cũ Wernhero archiepiscopo Mogũtino in perpetuũ cõfœderauit, vt patet ex literis quæ sequũtur, quarũ tenor talis est:

*Copia fœderis.*

*Ego Henricus comes Veldentiæ notum facio vniuersis, quod respectu fidelitatis qua tenebor ecclesiæ Moguntinæ, cuius dapifer ac vasallus existo, & à qua habeo larga feuda, desiderans in eiusdem ecclesiæ deuotione & obsequio perpetuo manere, promitto bona fide pro me & meis hæredibus, quòd comitatus Veldentiæ mihi succedere debent, quod ego & hæredes mei prædicti domino Wernhero archiepiscopo & ecclesiæ Moguntinæ contra iniuriatores eorũ quoscunq; auxilium præstabimus & perpetualiter assistemus. Quod & ipse archiepiscopus mihi & meis hæredibus promisit facere vice versa, prout in literis suis patentibus plenius continetur. In cuius rei testimoniũ euidens & perpetuã firmitatẽ sigillũ meum duxi præsentibus appendendum. Datum & actum anno Domini* MCCLXXX. *cal. Septembris.*

MCCLXXX.

*Albertus Magnus moritur.*

Anno Petri abbatis nostri XVI. obijt Albertus Magnus quondam Ratisponensis episcopus, vir vndecunque doctissimus, Coloniæ in choro fratrum suorum sepultus, non sine opinione sanctitatis.

*Bellum Aquense.*

*Comes Iuliacẽsis cum filio & 408. occiditur.*

His temporibus magna in diuersis mundi partibus bella fuerunt, tam in ecclesiasticos quam in seculares. Wilhelmus comes de Iuliaco cum CCCCLXVIII. armatis ciuitatem Aquensem occulte ingressus, animo & intentione capiendi ciuitatem, cum filio suo primogenito ac cunctis armatis suis à ciuibus occisus est. In cuius facti vindictam postea cum de concordia fieret tractatus, Aquenses compulsi sunt comiti Iuliacensi perpetuis temporibus ius instituendi præpositum in ecclesia Aquensi resignare, cum perceptione tertiæ partis omnium oblationum cedentium in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis ibidem.

*Conuentus Principum.*

*Imperator Burgundios vincit.*

*Colmar, Zurich, Bern, Hagenaw, rebellet,*

MCCLXXXI.

Anno Petri abbatis nostri XVII. Rudolphus rex Romanorum rebus in Austria & Bohemia prospere gestis, conuentum solennẽ primo Nurenbergæ, postea Francofordiæ celebrauit: omnia castella, in quibus se latrones & spoliatores vię regiæ continebant, destruxit. Postea contra Burgundiæ comitem exercitum mouit, & primo Bisontinam ciuitatẽ obsidione vallauit, contra quem comes cum magno exercitu procedens, victus est, & in deditionem regis iurauit. Rediens à Burgundia rex Columbariam, Thuregium, Beronam & Ha-

& Hagenavv ciuitates rebelles cepit, autoribus rebellionis partim occisis, partim proscriptis: & siluit omnis terra à facie eius in bona pace.

Eodem anno Rodolphus rex apud Moguntiam constitutus mense Decembri cum multis principibus, concordiam fecit inter Wernherum archiepiscopum Moguntinum cum Henrico comite de Sponheim ex vna, & Iohannem comitem de Sponheim fratrem Henrici, cum Henrico filio suo sibique adhærentibus ex altera parte, super omnibus guerris & bellis & damnis ratione castri Beckelnheim habitis, vt patet ex literis compositionis quæ sequuntur: *Bellū inter comites Spō heimenses & archiepiscopum Moguntinum, quod propter castrū Beckelheim gesserant, componitur.*

*Rodolphus Dei gratia rex Romanorū semper Augustus, notum facimus vniuersis ac singulis has literas lecturis aut legi audituris, quod nos omnem discordiam, litem & contentionem, quæ fuerunt inter dilectos principes nostros, Wernherum archiepiscopum Moguntinum, ecclesiam suam, Henricum fratrem comitis de Sponheim, cum omnibus amicis & auxiliariis eorum partibus ex altera, complanauimus, concordauimus & pacificauimus integraliter, perfecte ac in perpetuum, super omnibus factis commissis & perpetratis, in toto tempore illo quo discordia inter eos capit & durauit, in hunc modum. Inprimis castro Beckelnheim, castrensibus hominibus & bonis, quæ præfatus archiepiscopus emerat, sicut habetur in literis diuisionis inter comitem Iohannem & Henricum fratrem eius factæ, renunciauit prædictus comes Iohannes cum vxore & fratre suo Euerhardo pro se & cunctis hæredibus suis, coram nobis in perpetuum: debet q, meo iudicio, sub quo dicta bona constare noscuntur, facere omnia & singula quæ ordo iuris cum Warandia expostulant. Comes Henricus sua tertia parte ibidem debet esse contentus, quemadmodum hucusque tenuit eandem & archiepiscopus vna cum ecclesia Moguntina in duabus partibus, quas ei vendidit Henricus frater comitis Iohannis, sine alicuius eorum molestatione in possessione quieta permanebit. Captiui omnes facto iureiurādo pacis (vt moris est) liberi dimissi sunt. Omnia præscripta Iohannes & Henricus comites de Sponheim se firmiter obseruaturos super sancta Dei Euangelia iurauerunt. Quod si hanc concordiæ & pacis nostram compositionem ad iniuriam archiepiscopi & ecclesiæ Moguntinæ præfati comites violare præsumpserint, tunc nos vna cum ciuitatibus regni Francfordia, Friaburg, Wetzlaria, Geilenhausen, Oppenheim, Wesalia ac Bopardia, & ipse nobiscum aduersus eos, sæpedicto archiepiscopo & ecclesiæ eius auxilium ferentes, assistentiam faciemus. Contra hæc auxilium ferre præfatis comitibus Iohanni & Henrico non debebunt Fridericus comes de Liningen, neq, filius eius, neq, Euerhardus comes de Katzenellenbogen, neq, Emicho comes de Liningen, seu aliquis eorum, aduersus archiepiscopum & ecclesiam Moguntinam. Hanc autem concordiæ & pacis compositionem de consensu & bona voluntate præfatorum, archiepiscopi Moguntini, & comitum Iohannis & Henrici de Sponheim fecimus, & ad instantiam eorundem sigillum nostrū regium, vna cum sigillis eorum & Friderici comitis de Liningen & Euerhardi comitis de Katzenelnbogen, his literis fecimus appendi. Actum Moguntiæ anno Domini* MCCLXXXI. *in profesto S. Luciæ.* *Literæ compositionis.* *Captiui dimissi.*

MCCLXXXII.

Anno Petri abbatis nostri XVIII. Iohannes comes de Sponheim, qui superiori anno (sicut diximus) contra Vvernherum archiepiscopum Moguntinum apud Gentzingen dimicauerat, nunc perpetuum cum eo fœdus inijt, assistentiam contra omnes iniuriatores promittit, exceptis Gotfrido comite Seinensi, Henrico comite de Starckenburg, Euerhardo comite de Catzenelnbogen (qui fuit frater vxoris suæ) Emichone & Friderico iuniore comitibus de Liningen, comite quoq; de Zvveibrucken & Lantgrauio Hassiæ, cum quibus antea exstitit fœderatus, vt patet ex literis desuper confectis, Moguntiæ datis *anno Domini* MCCLXXXII. *tertio nonas Maii*, quæ quia & nimis sunt prolixæ, & nostro proposito nihil conducunt, eas consulto transmisimus.. *Fœdus inter comitem Ioannem de Sponheim & archiepiscopum.*

Eodē anno Rodolphus castra prædonū Reichenstein & Schoneck capiens destruxit. *Castra duo destructa.*

Eodem anno secunda feria post festum S. Paschæ, ciues Moguntini omnes Iudæos qui erant in ciuitate Moguntina propter quoddam enorme maleficium occiderunt, & omnia eorum bona sibi vsurparunt. Subsequuta est similis plaga in cæteros Iudæos pene omnes per totam Alemanniam. *Iudæorum occisio.*

Annus iste tam fuit temperatus, vt circa festum Marcellini & Petri martyrum (id est 11. Iunij) vineæ generaliter in his terris vbique botros florentes haberent. *Annus temperatus.*

MCCLXXXIII.

Anno Petri abbatis nostris XIX. in die S. Potentianæ virginis, comites de Henneberg exercitum contra Bertholdum Herbipolensem episcopum produxerunt, oppidum quod dictum est Schvvartzbach combusserunt; & monasterium ordinis nostri ibidem extra mures spoliarunt. *Bellū apud Schvvartzbach.*

Eodem anno Martinus Papa IIII. Legatum à latere misit in Alemanniam episcopum Tusculanum, qui veniens ad Herbipolim in præsentia Rudolphi regis & multorum *Legatio Apostolica.*

principum, episcoporum, abbatum, prælatorum atque nobilium solenne concilium celebrauit. Ibi inter alia Papa decimum denarium à clero, & rex ab vniuerso regni populo instantissime exigere cœperunt, multis principibus consensum prębentibus. Sifridus autem episcopus Colonien sis & Henricus episcopus Treuirensis contra insolitã & nimis grauem exactionem constantissime se opponentes & contradicentes conatus vtriusque irritos fecerunt.

*Exactio papæ & regis præsumpta cassatur.*

MCCLXXXIV.

*Archiepiscopus Moguntinus moritur.*

Anno Petri abbatis nostri xx. secunda die mensis Aprilis, obijt Wernherus archiepiscopus Moguntinus, & in ecclesia Moguntina sepelitur: & vacauit sedes Moguntina per triennium, duobus in dissensione electis, videlicet Petro Canonico Basilien si, maioris ecclesiæ præposito, qui olim fuit medicus Rudolphi regis Romanorũ, & Gerardo de Epstein, Treuirẽsi archidiacono, quibus de episcopatu apud sedem apostolicam per triennũ contendentibus, tandem Honorius papa IIII. vtroq; abrogato, Henricum ordinis minorum, Basilien sem episcopũ in archiepiscopum Moguntinum sublimauit. Petrũ vero præfatum Medicum, in locum prædicti Henrici constituit Basilien sis ecclesiæ Antistitem.

*Duo archiepiscopi eliguntur.*

*Henricus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno obijt Bertholdus episcopus Herbipolen sis, cui Mangoldus de Nuenburg succedens, præfuit annis XII. & fuit XLIII. in ordine episcoporum Herbipolen sium.

MCCLXXXV.

*Templum Moguntinũ comburitur.*

Anno Petri abbatis nostri XXI. ecclesia B. Mariæ virginis ad gradus Moguntiæ combusta est. Eodem anno canonici ecclesiæ Herbipolen sis cum vniuerso clero per ciues violenter expulsi sunt VI. idus Ianuarij, & spoliati omnibus bonis suis.

*Clerus Herbipoli expellitur.*

His temporibus venit quidã homo incognitus Friderico Imperatori simillimus, qui se Fridericũ Imper. esse dicebat, & primo quidẽ apud Missiam, deinde in Wetzlaria aliisq; locis multos sibi homines attraxit, qui ipsum credebant esse Fridericum. Verum falsitate comperta iussu Rudolphi regis Romanorum post multa tormenta viuus exuritur.

*Pseudofridericus Imperator comburitur.*

Eodem quoq; anno obijt Ludouicus comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, in monasterio Furstenfeld, quod ipse pro interfecta vxore fundauerat, sepelitur: duos filios relinquens Rudolphum comitem Palatinum, & Ludouicum postea Imperatorem Romanorum. Rudolphus primogenitus genuit Rudolphum, Rupertum & Adolphum, de quibus suo loco dicetur.

*Ludouicus Comes Palatinus moritur.*

*Ludouici filij & nepotes.*

MCCLXXXVI.

Anno Petri abbatis nostri XXII. Honorius papa IV. (sicut supra diximus) Petro & Gerardo, apud sedem apostolicam de Moguntino archiepiscopatu contendentibus, abrogatis, Henricum episcopum Basilien sem ordinis minorum, archiepiscopum Moguntinum ordinauit, qui præfuit anno I. mensibus XI. diebus V. Petrus autem præpositus, Basilien sis episcopus factus est, & cessauit illa diuturna & pernicio sa pro ecclesia dissensio.

MCCLXXXVII.

*Iudæi Wernherum puerũ occidunt.*

Anno Petri abbatis nostri XXIII. Iudæi quendam puerum, nomine Wernherum, oriundum ex villula cui Wamraidt vocabulum est, occulte inscijs parentibus rapientes, ad Wesaliam secum abduxerunt, eumque XIII. cal. Maij acubus pungentes pro capiendo sanguine, crudeliter post multa tormenta occiderunt, cuius cadauer in quadam capella, in oppido Bacharach in monte sita, positum, vsque in præsentem diem incorruptum & integrum pro martyrij sui memoria ostenditur, quod statim in principio tumulationis suæ multis miraculis coruscasse perhibetur.

*Sanctus Wernherus.*

*Episcopus Wormatiẽsis moritur.*

*Simon succedit.*

Eodem anno obijt Fridericus episcopus Wormacien sis, anno pontificatus sui VI. cui Simon de Schonek succedens in episcopatu, præfuit annis IIII. Iste Simon episcopus primo anno episcopatus sui ecclesiam & monasterium monialium, ordinis prædicatorũ, iuxta Wormaciam, quod Hochheim appellatur, tunc nouiter constructum per Rudolphum militem, consecrauit.

*Hochheim cõstruitur & consecratur.*

MCCLXXXVIII.

*Wilhelmus monachus antiabbas moritur.*

Anno Petri abbatis nostri XXIIII. obijt Wilhelmus monachus, qui in dissensione cõtra Petrum electus propter multa mala quæ fecerat à Vvernhero episcopo Moguntino fuerat captus, & incarceratus per annos ferme XX. sicut supra dictum est.

*Henricus archiepiscopus Mogũtinus moritur.*

Eodẽ anno XV. cal. Aprilis obijt frater Henricus archiepiscopus Moguntinus, in maiori ecclesia Moguntiæ sepultus: quo mortuo iterum duo per dissensionẽ electi sunt, videlicet Gerardus de Epstein canonicus Moguntinus, & Archidiaconus Treuirensis, qui cum Petro antea (vt diximus) post mortẽ Vvernheri fuerat electus: & Emmericus de Schoneck Scholastic⁹ Moguntin⁹. Verũ cũ hæc apud Mogũtiã agerẽtur, Honorio Papa mortuo sedes

*Duo archiepiscopi per dissensionẽ eliguntur.*

*Honor⁹ papa moritur.*

apostо-

apostolica vacauit decem mensibus, ita quod causa electionis huiusmodi non poterat nec in partibus nec Romæ tam facile terminari. Interea Henricus archiepiscopus Treuirensis moritur, & Gerardus præfatus contra Bohemundum ab vna parte canonicorum Treuirensium etiam archiepiscopus postulatur. Tandem cum duplici electione Romam profectus à Nicolao Papa IV. in archiepiscopum Moguntinum ordinatus est, & Bohemundus in archiepiscopum Treuirorum, Henrico succedens præfuit annis XVI. vir magnanimus & prudentissimus, quippe qui multa strenue gessit pro commodo & vtilitate ecclesiæ suæ.

*Sedes Romana vacat.*

*Episcopus Treuirensis moritur.*

*Gerardus fit archiepiscopus Moguntinus & Bohemundus Treuirensis.*

Eodem anno obijt dux Limburgensis non relicto semine, & sequuta est magna dissensio inter Iohannem ducem Brabantiæ, & Reinaldum comitem Gelriæ propter eundem ducatum Limburgensem, quem vterque sibi hæreditario iure vendicare tanquã legitimus & vicinior hæres maximopere laborabant. Ventum est postremo ad bellum, habuitque dux Brabantiæ secum Gottfridum fratrem suum, Adolphum comitem de Monte, Henricum comitem de Vindeck, Vvalramum comitem Iuliacensem, & Gerardũ fratrem eius, Euerhardum comitem de Marca cum fratre suo, episcopũ quoq; Leodiensem, comitem de Los, ciues Colonienses & alios multos nobiles atque fortissimos. Cum Reinaldo autem comite Gelriæ erant Sifridus archiepiscopus Colonienſis, Henricus comes Lutzelburgensis, & Vvalramus frater eius, Iohannes Dominus in Limburg, Henricus comes de Vvesterberg, item comes de Falckenburg & complures alij. Conserto prælio dux Brabantiæ victoriam obtinuit, comitem Gelriæ cepit, & multa pro eius dimissione castella & dominia consecutus est. Captus etiam fuit Sifridus archiepiscopus Coloniẽsis, & sub costodia comitis de Monte, cum se pecunia redimere nollet, per annos VII. detentus, quousque tandem necessitate compulsus, magno se preuo à captiuitate redemit.

*Dux Limburgensis sine liberis obiit.*

*Bellum propter ducatũ Limburgensem.*

*Dux Brabantiæ & eius socij.*

*Comes Gelriæ & eius socij.*

*Dux Brabantiæ victor euadit.*

*Comes Gelriæ captiuus.*

MCCLXXXIX.

Anno Petri abbatis nostri XXV. Rudolphus rex denuo exercitum mouit in Burgundiam, & primo Paterniacum ciuitatem obsidione vallatam cepit. Deinde ipsum Burgundiæ comitem, comitem quoque Montis Belleardi, & comitem Sabaudiæ in potestatem suam fortiter subiecit, sibiq; obedientem in omnibus fecit.

*Expeditio secunda Regis in Burgundiam.*

Eodem anno obierunt Emicho comes de Liningen, Dietherus filius Euerhardi comitis de Katzenellnbogen, Vvaltherus comes de Geroldsteck, Gerlacus senior Dominus de Limburg, comes de Vehingen & comes de Reineck apud nigram siluam, vno tempore pariter misere simul interierunt.

*Interitus 5. Comitum & vnius Domini.*

Eodem quoque anno Sifridus archiepiscopus Colonienſis (sicut diximus) tenebatur in vinculis Adolphi comitis de Monte, & satis miserabiliter per septennium tractabatur.

*Septennis captiuitas archiepiscopi Coloniensis.*

MCCXC.

Hoc anno Petrus abbas huius monasterij Sponheimensis VIII. cum præfuisset annis XXV. & mensibus quatuor obijt VI. nonas Maij, in ætate consummata, vtpote annorum LXXVIII. & amplius, sepultus in clausto monasterij ante introitum ad ecclesiam. Fuit homo multum actiuus, sed minus curãs interna & spiritualia, qui primus admisit monachis huius monasterij portiones redituũ, licet postea reuocare voluerit, sed non profecit. Moriturus autem deuotissime cõfessus dixit, se de nullo plus formidare iudicium Dei futurũ, quam quod se autore proprietatis occasio monachis huius cœnobij maxima videretur esse relicta. Nihilominus quantum in se fuit, etiam in extremis iam positus, omnia circa hanc diuisionem redituum, regulæ S. Patris nostri Benedicti contrariam, facta constanti perseuerantia reuocauit: sed nihil profecit. Nam monachi licentiam peculij (vt ita dixerim) semel assequuti, morientis verba non curauerunt.

*Petrus abbas 8. moritur.*

*Petrus qualis fuerit.*

*Reuocauit proprietatem.*

His temporibus inter Iohannem comitem de Sponheim & Henricum comitem Veldentiæ magna pro leui causa fuit exorta dissensio.

*Dissensio inter comitem de Sponheim & Veldentia.*

Nam comes de Sponheim suspendi fecerat hominem quẽdam ex comitatu Veldẽsi oriundum, qui furatus fuerat non paruam pecuniarum summam in oppido Creutznach, quam occulte deportans, in quadam villula prefati comitis Veldensis absconderat. Manifestata pecunia per torturam comes Sponheimensis voluit vt redderetur illi cui fuerat ablata: è contrario comes Veldentiæ ad suam iurisdictionem eam pertinere, & nullatenus alicui reddendam, pro eo quod in suo esset reperta dominio, asserebat. Orta itaque dissensione prope fuit vt rem bello aggrederentur, nisi Gerardus archiepiscopus Moguntinus vices suas interposuisset pacemque reformasset, adiudicans pecuniam debere restitui læso.

*Pecunia furto ablata debet restitui ei cui ablata fuit, nõ magistratui istius loci, vbi aut inuenta fuit, aut ablata.*

## DE IOHANNE SECVNDO, NONO HVIVS MONASTERII SPONheimensis abbate, qui præfuit annis VII. mensibus XI. & de variis huius temporis gestis.

POST mortẽ domini Petri, huius monasterij Sponheimẽsis VIII. abbate anno præfato, qui fuit Dominicæ natiuitatis MCCXC. cõuenientes in vnũ fratres sine pastore relicti IV. nonas Maij, animo & intentione super se constituendi Pastorem, post multa præhabita consilia & maturam deliberationem vnanimiter in abbatem elegerunt Iohannem monachum, huius monasterij Cellerarium, quem non diu postea Gerardus archiepiscopus Moguntinus præsentatum sibi confirmauit, & per Petrum episcopũ Sudensem Vicarium in pontificalibus generalem eodem anno, Dominica post festum S. Vrbani Papæ apud Moguntiam fecit ordinari. Electus autẽ confirmatus & ordinatus in abbatem Iohannes (vt moris est) præfuit huic monasterio annis VII. & mensibus XI. Oriundus fuit ex Sobernheim honestis & mediocris fortunæ parentibus natus, qui cum adhuc puer esset XII annorum, monasterio ab ipsis genitoribus suis traditus fuit, & satis bene secundum mores illius temporis coram fratribus conuersatus, per Petrum abbatem Cellerarium constitutus, eidẽ (sicut diximus) in regimine successit, & pro modulo suo in temporalibus satis bene rexit.

*Patria, parentes & educatio Iohannis abbatis.*

MCCXCI.

Iohannes abbas anno regiminis sui primo ecclesiam nostrã intrinsecam cum quatuor altaribus renouauit, & eam de nouo consecrari fecit per Petrum Sudensem (sicut diximus) Gerardi archiepiscopi Vicarium in pontificalibus generalem, vt patet ex literis eiusdem.

*Ecclesia nostra de nouo dedicatio facta est.*

*Copia.*

*Vniuersis hæc visuris Petrus miseratione diuina Sudensis episcopus, reuerendi patris ac domini Gerardi Dei gratia Moguntini archiepiscopi Vicarius, salutem in Domino: Cum nos anno Domini* MCCXCI. VI. *Idus Aprilis ecclesiam monasterii Sponheimẽsis, ordinis S. Benedicti, cum quatuor altaribus ad diuinum cultum perpetuò agendum * Nos omnibus Christi fidelibus vnius anni, quo ad venialia, &* XL. *dierum, quo ad criminalia, ac vnius carenæ in singulis altaribus concessimus tempore dedicationis, videlicet die Dominica proxima post natiuitatem beatæ Mariæ semper virginis, & per octauas sequentes in perpetuum duraturas: addẽtes de gratia speciali omnibus benefactoribus præsentis monasterii ad instar venerabilis patris domini Hugonis Cardinalis sedis apostolicæ legati,* XL. *dierum indulgentiam consimiliter duraturas. Datum &c.*

** deest aliquid,*

Sed hic aduertendum quod propter rationabiles cãusas dies præfatæ dedicationis huius ecclesiæ cum indulgentiis post annos XLVI. per Albertum episcopum Ibinẽsem, Vicarium Henrici episcopi Moguntini, in dominicam post festum S. Martini proximam instantia Wilhelmi abbatis translata fuit.

Eodem anno Rudolphus rex Romanorum conuentum principum apud Francfurdiam celebrans, multis & precibus & promissionibus principes inducere laborabat, vt filium Albertum ducem Austriæ in regem Romanorum eligerent. Quod facere principes omnino recusabant, dicentes se iam habere regem, nec duos posse nutrire regnum, cum vno satis ad modum respublica videretur esse grauata.

*Conuentus Principum apud Francofordiam.*

MCCXCII.

Anno Iohannis abbatis nostri secundo, in octaua diuisionis apostolorum obijt Rudolphus comes de Habspurg rex Romanorum & in ecclesiam Spirensem cum antecessoribus suis regibus & imperatoribus honorifice fuit sepultus, & vacauit imperiũ anno vno.

*Rudolphus rex moritur.*

Eodem anno Gerardus episcopus Moguntinus Synodum celebrauit in Aschaffenburg, præsentibus episcopis suffraganeis suis, Eistensi, Spirensi, Augustensi, Herbipolensi, Bambergensi & Hildesheimensi, & multis abbatibus, prælatis & clericis prouinciæ Moguntinæ. Soluto autem concilio, cum vnusquisque in sua redire disponeret, Fridericus de Bolandia episcopus Spirẽsis in itinere iuxta Moganũ & villam quæ vocatur Kelsterbach, per Gerardum filium comitis Euerhardi Catzenelnbogensis, ecclesiæ Traiectensis præpositum, captus est & in munitionem perductus, sed tandem compositione interueniente absolutus fuit.

*Synodus Moguntina. Suffraganei Moguntinenses.*

*Episcopus Spirensis capitur.*

Eodem anno conuenerunt principes apud Francfordiã circa festum Philippi & Iacobi pro eligendo nouo rege Romanorum, & post multos tractatus prælibatos electus est in regem Romanorum Adolphus comes de Nassau, & imperauit annis VI. fuitque per principes imperii depositus, vt postea dicemus. Ex his concluditur Rudolphum regem nõ isto, sed præcedenti anno defunctum, alioquin imperium non vacasset vno anno, sicut potiores Chronographi referunt.

*Adolphus comes de Nassauu rex eligitur.*

MCCXCIII.

MCCXCIII.

Hoc anno ciuitas Wormacienſis caſuali incendio conflagrans, magna ex parte concremata eſt. Eodem anno in die S. Ottmari abbatis obiit Simon Epiſcopus Wormatienſis, & in monaſterio Schonaugienſi ſepelitur. Quo mortuo electus fuit Gerhardus, filius Comitis hirſuti, qui ante confirmationem ſuam obiit. Poſt quem denuo fuit electus Euerhardus de Stralenburg, qui præfuit eccleſiæ Wormatienſi vix 10. menſibus. Quo etiam defuncto in Epiſcopatu ſucceſſit Emicho de Badenberg maioris eccleſiæ Præpoſitus, electus vnanimiter in craſtino S. Thomæ Apoſtoli, & præfuit annis 4. & menſe vno. Iſte Emicho cum adhuc eſſet Wormacienſis eccleſiæ Præpoſitus, Capellam in ſuburbio ciuitatis fundauit in honorem beatiſſimæ virginis Dei genitricis Mariæ, in qua præbendarios ſacerdotes 12. inſtituit, qui horas ibidem perſoluerent in honorem Dei & virginis. Poſtea vero cũ epiſcopus inſtitutus eſt, quod prius fecerat, confirmauit, & maiora præſtitis beneficia coniunxit. A prima autem eiuſdem Capellæ fundatione multa miracula & ſigna ibidem facta, meritis B. Mariæ ſemper virginis referuntur, ita vt magnus vſque in præſentem diem concurſus fidelium populorum ad eandem eccleſiam factus ſit, per quorum eleemoſynas & oblationes in eam creuit formam ſucceſſu temporis, in qua modo cernitur.

*Incendium Wormatienſe.*

*Tres epiſcopi Wormatienſes vno anno mortui ſunt.*

*Emicho epiſcopus Wormatienſis.*

*Eccleſia beatæ Mariæ Wormatiæ.*

MCCXCIV.

Anno Iohannis abbatis noſtri 4. obiit Megenhardus, Prior huius monaſterii Sponheimenſis, 15. in ordine Priorum à principio fundationis, anno prioratus ſui 18. in clauſtro monaſterii ſepultus cum fratribus ſuis. Huic in Prioratu 16. ſucceſſit Iohannes, monachus huius conuentus, oriundus ex Weinsheim, & præfuit in eo annis ferme 5.

*Megenhardus Prior 15. moritur.*

*Iohannes ſucceſſit.*

His temporibus magna inter Philippum Regem Franciæ & Eduardum regem Angliæ ſuborta fuit diſſenſio, quæ ad bellum atrociſſimum proceſſit. Rex Angliæ præfatus Adolphum regem Romanorum in auxilium conduxit, pro cẽtum millibus argenti marcis: ſed Adolphus acceptam pecuniam quam diuidere cum principibus Imperij debebat, contra voluntarem eorum ſolus retinuit, & eos ad indignationem maximam prouocauit, adeo vt nullus eorum proficiſci cum illo in auxilium Regis Angliæ ab ipſo promiſſum conſentiret. Confuſus ergo rex Adolphus, Anglorum Regi, nec ſicut promiſerat cum Principibus vnquam, nec ſolus cum ſuis oportuno tempore potuit occurrere, fuitque maxima tam ipſi regi Romanorum Adolpho quam toti Imperio confuſio, tantam recepiſſe pecuniam & pro miſſum pro ea auxilium turpiter ſubtraxiſſe.

*Adolphus Imperator mercenariã operam promittit non præſtat regi Angliæ.*

MCCXCV.

Anno Abbatis noſtri 5. Albertus Dux Auſtriæ filius quondam regis Rudolphi contra Adolphum regem Romanorum ſe fortiter erexit, & multa ei damna intulit, quem cum Adolphus à Ducatu ſuo deponere tentaſſet, non potuit; quia multis Principibus gratus, & adiutus fortiter ſe defendit.

*Albertus Auſtriacus contra Adolphum inſurgit.*

Eodem anno Sifridus Archiepiſcopus Colonienſis poſt ſeptennium captiuitatis ſuę tandem multo precio dimiſſus arte & induſtria cepit ipſum Comitem Montenſem, à quo tanto tempore ipſe captiuus fuerat detentus, quem coniectum in carcerem captiuũ detinuit vſq; ad mortem, nec eum aliquo precio dimittere voluit: ſed illi ſæpius improperans dicebat: *Nunc ego te docebo, quemadmodum Archiepiſcopum tenere captiuum debeas.* Cumq; Comes ſe omnia quæ ab ipſo extorſerat redditurum, additurumque multo maiora, ſi dimitteretur, promitteret, Archiepiſcopus reſpondit: *Sanctus Petrus, etiam ſine iſtis quæ tu pollicéris, famulos ſuos poteſt enutrire, idcirco promiſſa tua non attendo, captiuus morieris.* Quod & factum eſt. Eodem anno Iohannes Dux Brabantiæ in Haſtelitz moritur.

*Comes de Monte ab archiepiſcopo Colonienſi capitur & in carcere moritur.*

*Dux Brabantiæ moritur.*

MCCXCVI.

Anno Abbatis noſtri 6. quondam Eccleſia S. Martyris Georgii in Dalen dudum exuſta & poſtea reædificari cœpta, cum imperfecta ſtaret, religioſa quædam matrona Hedewigis, vxor quondam Hermanni militis de Sponheim, diuina inſpiratione præmonita, ſuis impenſis & ſumtibus eam perfecit, & curtim ſuam in Winckelsheim cum agris, areis, pratis & vniuerſis prouentibus ſuis ad eandem perpetuo poſſidendam cœnobio dedit. In cuius beneficii gratitudinem Iohannes Abbas ius patronatus eidem & hæredibus ſuis contulit eiuſdem Capellæ, ita tamen quod eam non alteri quam ſeniori monacho huius monaſterii debeat conferre vt patet in literis:

*Templum S. Georgii Dalenſe.*

*Winckelsheim, hodie Welgesheim.*

*In nomine Domini. Amen. Nos Iohannes Dei gratia Abbas, Iohannes Prior totuſq; cõuentus monaſterii in Sponheim, ordinis ſancti Benedicti, Moguntinæ diœceſis, ſalutem omnibus in perpetuum. Quoniam domina Hedwuigis relicta domini Hermanni, felicis recordationis, militis de Sponheim, XXX. maldra ſiliginis Bingenſis menſuræ redituum annualium perpetuorum, emta & comparata pro*

*Copia*

*nobis super omnia bona nostra, sita in terminis villæ Welgesheim, capellæ nostræ S. Georgij in Dalen contulit libere, & piæ deuotionis intuitu in dotis nomine assignauit: Nos suæ benignitatis respectu ipsi Hedwuigi & suis hæredibus iure hæreditario in perpetuum, ius patronatus scilicet præsentationem ad ipsam Capellam conferimus in hunc modum; Quod prædicta domina Hedwuigis & dominus Wilde-ricus filius suus, vel eiusdem Wilderici hæres senior qui pro tempore fuerit, vni monacho sacerdoti, in nostro conuentu assumto, dictam Capellam conferat, seu eum ad eandem præsentet, qui licentia Abbatis sui indulta dictos prouentus percipiat, & Capellam afficiet in diuinis, &c. Datum Anno Domini* MCCXCVI. Verum post annos CLXXV. hæres præfatæ Hedwigis ius patronatus in manus Iohannis de Kulenhausen abbatis, in fauorem nouæ reformationis resignauit, vt suo loco dicemus.

*Ius patronatus abbati resignatur.*

*Episcopus Herbipolensis moritur, Andreas succedit.*

Eodem anno obiit Manigoldus episcopus Herbipolensis, cui Andreas natus de Gundelfingen succedens præfuit annis XXII. qui & ipse multas contentiones cum ciuibus suis habuit, à quibus multas iniurias recipiens soluit.

MCCXCVII.

*Adolphus rex incurrit in odia omnium.*

Adolphus rex Romanorum nimia elatus superbia, multas dissensiones & bella in omni terra contra pacem habentes concitauit. Nam eius iussu Hermannus comes de Geroldseck & quidam alius comes, præfecti prouinciales in Alsatia constituti, Conrado de Leichtenberg episcopo Argentinensi & omnibus Alsatiæ incolis molesti nimis fuerunt, & multa damna intulerunt. Tantis iniuriis prouocati tandem præfatus episcopus, ciues quoque Argentinenses, Comites de Lichtenberg, comites de Ochsenstein, Lantgrauius Alsatiæ, comes de Freiburg, comes de Zvveibrucken, & comes de Holloch, cum multis aliis principibus, comitibus, ciuitatibus & nobilibus, contra regem Adolphum vnanimiter conspirarunt, nimia eius & suorum insolentia concitati, nec destiterunt à cœpto proposito, quousque multis in eandem sententiam prouocatis principibus eum à regno tandem eiecerunt, quemadmodum sequenti anno dicemus.

*Coniuratio contra Adolphum.*

MCCXCVIII.

*Wichboldus fit episcopus Coloniensis.*

Sifridus Archiepiscopus Colonienſis obiit, in Ecclesia Bonnensi sepultus, cui Wichboldus, Decanus maioris ecclesiæ ibidem successit, quem Bohemundus Archiepiscopus Treuirensis propter senium suum mox in coadiutorem assumsit, qui & ipse Bohemundus non diu vixit.

*Adolphus regno exuitur. Albertus rex.*

Eodem anno cum Rex Adolphus nimium extenuaret Imperium, discordias & bella nutriret, populum inconsuetis tributis grauaret, Principesque contemneret; Gerardus archiepiscopus Moguntinus vna cum certis aliis Principibus Albertum Ducem, filium quondam Rudolphi regis Romanorum, ex Austria vocauit ad Moguntiam, promittens eum abrogato Adolpho regem Romanorum eligendum. His auditis cum multis Principibus maximoque exercitu venit ad Rhenum, habens in sua parte Gerardum archiepiscopum Moguntinum, Wichboldum archiepiscopum Colonienſem, Bohemundum archiepiscopum Treuirensem, Conradum episcopum Argentinensem, episcopum quoque Constantiensem, comites de Leichtenberg, Ochsenstein, Freiburg, Holloch, Geminipontis, Lantgrauium Alsatiæ, & multos alios Principes ex Austria, ex Vngaria, Bohemia, Carinthia & diuersis aliis prouinciis. Episcopus Argentinensis adduxit in adiutorium Alberto contra Adolphum LXXX. armatos equites & pedites. Argentinenses vero in auxilium eius miserunt quatuor millia armatorum tam equitum quam peditum, qui cum apud Friburgum magno cum honore susceperunt. Audiens hęc Adolphus rex congregato magno exercitu Rubiacum * obsedit, sed infecto negocio recessit; & Spiram se conferens operiebatur, quid Principes apud Moguntiam congregati contra eum agere disponerent. Interea Albertus cum maxima potentia nullo resistente ad Moguntiam venit, & congregatos Principes Imperii potiores inuenit. Ibi ergo in vigilia S. Iohannis Baptistæ Principes, Adolpho propter graues excessus à regno deposito, Albertum in regem Romanorum vnanimiter eligentes, obedientiam, fidelitatem & assistentiam contra omnes aduersarios promiserunt. His factis Albertus nouus Rex Moguntiam exiens cum vniuerso exercitu suo venit ad oppidum quod Alcea dicitur, tribus à Wormatia versus Creutzennach miliaribus distans, ibique cum Principibus suis papilionibus fixis resedit, totumque oppidum præter castellum illi annexum desolauit. Adolphus autem congregato magno exercitu bellatorum ex ciuitatibus sibi iuratis, Spira, Wormatia, Oppenheim, Francofordia, cum Principibus suis, Rodolpho comite Palatino Rheni Bauariæque Duce genero suo, comite quoque de Eisenberg & multis aliis in Oppenheim se recipiens, per dies decem auxilia amicorum, quibus scripserat, exspectauit. Verum decem euolutis diebus antequam auxilia ami-

** Russach.*

*Alzei desolatur.*

lia amicorum veniſſent, nimis inconſulte & præcipitanter contra Albertum impar virlbus ad bellum proceſſit, inter villam quæ dicitur Gilheim, & cœnobium monialium Roſenthal nuncupatum, ibi acriter olim pugnatum & multi ab vtraque parte ceciderunt. Adolphus autem rex propria manu fortiſſime pugnauit, & cum iam ſibi accedere victoria videretur, ſui fugere cœperunt & ipſe fuit occiſus in eodem loco, & filius eius captus. *Adolphus occumbit.* Cecidit etiam in eodem bello dominus Otto de Ochſenſtein primus Capitaneus in exercitu Ducis Alberti; ſimiliter Comes de Eiſenberg in exercitu regis Adolphi ſupremus ſignifer, & fortiſſimus miles fuit occiſus. Comites quoque, milites & nobiles plures quam ſexaginta notabiles in eodem loco ceciderunt. *Sepelitur.* Corpus autem occiſi regis Adolphi in præfato monaſterio Roſenthal fuit ſepultum, vſque ad tempora Henrici regis de Lutzelberg qui oſſa eius in ſepulcris Regum in Eccleſia Spirenſi tumulari præcepit. Sunt qui ſcribant, omnes illos qui contra Regem Adolphum conſpirarunt, mala morte periiſſe. Ferunt enim ipſum Albertum regni vſurpatorem à fratris filio interemtum: Comitem de Holloch occiſum: Ottonem quoque de Ochſenſtein (ſicut diximus) in bello cecidiſſe; archiepiſcopum Moguntinum ſuper ſellam ſedentem inopinate mortuum; Comitem Geminipontis in aqua ſeu ripa Blieſſe dicta ſubmerſum; Conradum Epiſcopum Argentinenſem ante Friburgam à quodam ruſtico gladio extinctum: Comitem de Liningen inſanum & phreneticum factum, ac ſimili mortis genere omnes pene de hoc mundo emigraſſe. *Male perierũt qui contra Adolphum conſpirarant.* Albertus itaque victor euadens cum principibus ſuis ad ciuitatem Aquenſem proficiſcitur, ac ibidem à Wichboldo archiepiſcopo Colonienſi in regem Romanorum conſecratur. *Albertus coronatur.* Regnauit autem annos 10. vxorem habuit Helizabeth filiam Meinhardi comitis Carinthię, quæ peperit ei 5. filias & 6. filios: quorum iſta ſunt nomina. *Filij & filiæ Alberti.* Primogenitus fuit Rudolphus rex Bohemiæ, qui obiit anno Domini MCCCLXX. Pragæ ſepultus: Secundus fuit Fridericus Dux Auſtriæ, qui poſtea contra Ludouicum Bauarum Imperatorem fuit electus; de quo ſuo loco dicetur. Tertius fuit Lupoldus Dux Auſtriæ, Stiriæ & Carinthiæ, qui obijt anno Domini MCCCXXVI. ſepultus in monaſterio Konigsfeld. Quartus fuit Henricus Dux, qui obijt anno Domini MCCCXLIIII. relicta vxore Helizabeth filia comitis de Virnenburg. Quintus fuit Albertus Dux qui fundauit monaſterium in Gemino, à quo linea Maximiliani regis Romanorum deſcendit. Sextus fuit Otto Dux Auſtriæ, qui habuit vxorem filiam Ducis Bauariæ nomine Helizabeth, & obiit anno Domini MCCCXLIV. Filiarum autem prima nomine Agnes nupſit Andreæ Regi Vngariæ, quo mortuo ſine liberis iterum nupſit Duci Vratislauiæ. Secunda fuit Helizabeth, quæ nupſit Friderico Duci Lotharingiæ, & peperit ei Rudolphum, qui patri in Ducatu ſucceſſit. Tertia fuit Anna, quæ nupſit Hermanno Brandeburgenſi. Quarta fuit Catharina, deſponſata Henrico Lutzelburgenſi Romanorum regi ſeptimo; quo ante nuptias mortuo, data fuit Ruperto regi Apuliæ Duci Calabriæ, & obijt anno Domini MCCCXXXIIII. Quinta filia nomine Iutta, nupſit Vdalrico Comiti de Ottingen, & obijt anno Domini MCCCXXXIIII.

His temporibus ciues Colonienſes propter lites & contentiones, quas habuerant cum Sifrido Archiepiſcopo Colonienſi, fuerunt in excommunicatione per annos VII. menſes totidem & dies nouem, ac interdicti, ita quod per totum illud tempus diuinorum celebratio apud eos fuit intermiſſa. *Colonienſes annis 7. excommunicati abſoluuntur.* Mortuo autem Sifrido archiepiſcopo Wichboldus eius ſucceſſor, homo ſenex & amator pacis, eos quamprimum potuit fecit abſolui, & ad concordiam reuocauit.

Eodem anno Indictione II. 5. calend. Aprilis in nocte circa 12. obijt Iohannes huius nominis ſecundus, Abbas huius monaſterij Sponheimenſis 9. ante gradus presbyterij ſepultus, anno regiminis ſui VIII. nondum completo: ætatis vero LXIIII. *Ioannes abbas noſter moritur.* Erat autem homo bonus & humanæ conuerſationis, amator pacis & quietis, & quem iurgia & contentiones ſecularium negotiorum non magnopere delectabant. Veruntamen male præſumtam licentiam Monachorum à regularis obſeruantiæ integritate longe recedentium non compeſcuit, ſed diuiſionem redituum cum pernicioſo peculio, vt reperit, permiſit.

## *DE DIETLIBO, MONASTERII HVIVS SPONHEIMENSIS X. Abbate: qui præfuit annis X. & menſibus VI. & de variis geſtis in his regionibus.*

ANNO igitur prænotato Iohanne Abbate huius monaſterij mortuo atque ſepulto (ſicut diximus) conuenerunt fratres ad locum Capitularem 4. calend. Aprilis animo

& intentione nouum super se constituendi abbatem, inuocataq; (vt moris est) gratia Spiritus Sancti, vnanimiter elegerunt in pastorem animarum suarum venerabilem senem, nomine Dietlibum, monachum huius conuentus, quem Gerardus archiepiscopus Moguntinus confirmauit, & per Vicarium suum in Pontificalibus generalem fecit benedici.

*Patria, parentes & educatio Dietlibi.*

Ordinatus autem in abbatem Dietlibus præfuit huic monasterio x. annis, 6. mensibus. Fuit oriundus ex ciuitate Treuirensi, honestis parentibus generatus, qui datus ad literas in pueritia cum ætate non parum discendo profecit. Factus autem senior cum profectu studiorum, cum esset annorum xx. ad cancellariam Henrici episcopi Treuirorum receptus est, in qua per annos aliquot sapienter claruit, & multam in agendis rebus curialibus sapientiam experientia consecutus est. Post hæc Iohannes Comes de Sponheim prudentiam viri exploratam habens, in Cancellarium suum secretorumque suorum primarium eum assciuit, & eius consiliis, tanquam prudentis & experti, magnopere acquieuit. Postremo cum infirmitate grauissima febrium teneretur, votum religionis vouit Domino & conualuit, & sic monachus sub Iohanne secundo factus est. Quo post triennium mortuo,

*Reformauit monachos proprietarios.*

in eius locum fratrum electione successit. Erat autem vir bonus, pius, & multum in agendis expertus, qui optime intelligens monachis peculium non licere, ita radicitus hoc vitium statim in principio sui regiminis amputauit, vt sociali communitate reuocata, religio huius monasterii in pristinum statum non parua ex parte reducta videretur, quãquam cætera non omnia ad puritatem regularem reformarit: propterea quod minoris æstimationis ea quæ nos ponderamus, eo tempore haberentur.

MCCXCIX.

*Iohannes Prior 16. deponitur.*

Dietlibus abbas anno regiminis sui primo Iohannem Priorem huius monasterii Sponheimensis XVI. deposuit, propterea quod sanctæ reformationi & abdicationi proprietatis videretur aliquantulum esse contrarius. Depositus autem à Prioratu Iohannes patienter tulit, & non diu superuiuens eodem anno in Domino quieuit. Post hunc Dietlibus abbas in Priorem XVII. ordinauit Albertum, sanctæ conuersationis monachum, cuius pater fuit Iohannes miles de Bleinich, & mater Helizabeth filia Henrici militis de Spõheim. Erat autem Albertus iste, (qui & Iuuanus) homo satis doctus, moribus & conuersatione satis internus, in oratione & compunctione deuotissimus, qui nunquam consensit prauorum studiis, sed fortiter se semper opposuit, licet parum aliis profecerit. Ordinatus autem Prior omni studio curauit mandatis regulæ & abbatis semper obedire, & vitium proprietatis radicitus amputare, ac quantum prævaluit monachos verbo & exemplo ad obseruantiam regulæ coarctauit. Imitatorem habuit inter alios præcipuum, sororis suæ filium Henricum, qui ei postmodum in Prioratu successit. Ipse præfuit in Prioratu annis 4.

*Albertus Prior 17.*

*Bohemũdus archiepiscopus Treuirensis obiit.*

Eodem anno obiit Bohemundus archiepiscopus Treuerensis, 4. idus Nouembris, & in Henrad monasterio Cisterciensis ordinis sepelitur. Iste Bohemundus construxit à fundamentis nouum castellum in Numachen iuxta Trittenheim. Post quem Dietherus de Nassau, frater Adolphi regis, non electus neque postulatus, in odium Regis Alberti à Bonifacio papa 8. fuit substitutus, ordinatus, & ad Treuirim pro archiepiscopo missus; præfuitque annis ferme 8. Erat autem ex ordine fratrum Prædicatorum, & omnibus diebus Pontificatus sui Alberto regi Romanorum aduersabatur, sed viribus longe inferior nihil aduersus eum potuit. Non rexit vtiliter, & propterea omnium contra Treuirenses odia concitauit.

*Dietherus de Nassau archiepiscopus Treuirensis obtruditur à Papa.*

*Episcopus Wormatiẽsis moritur.*

Eodem anno in vigilia S. Iacobi Apostoli obiit Emicho episcopus Wormatiensis, sepultus in maiori ecclesia sua Wormatiensi, in habitu (vt ferunt) monastico. Huic in Episcopatu successit Ebervvinus de Cronenberg, & præfuit annis tribus & mensibus 9. qui ad instantiam ciuium suorum consensit, quod 16. de communitate ad consilium senatus admitterentur. Eius temporibus fundatum est monasterium sanctimonialium, ordinis fratrum Prædicatorum in Libenavv extra muros Wormatienses, non procul à Neuhausen versus meridiem, per quendam ciuem Wormatiensem, dictum Iacob Engelman, & ipse factum confirmauit.

*Ebervvinus fit episcopus Wormatiensis.*

*Libenavv cœnobium.*

MCCC.

*Comes Willicho fit monachus.*

Hoc anno, qui fuit Dietlibi abbatis secundus, ad religionem venit Willicho frater vxoris Comitis Henrici de Sponheim, vir nobilis, sapiens & multum religiosus, qui audiens bonam famam Dietlibi abbatis, & quod monasterium istud tam diligenter reformare curasset, monachus sub eo factus, eidem in abbatia tandem successit, de quo suo loco inferius dicetur.

*Iubilæus celebratur.*

Cum eodem anno Bonifacius Papa 8. Iubilæum Romæ instituisset, infinita multitudo

tudo ex vniuersa Germania Romam pro indulgentijs consequendis proficiscitur: inter quos fuit Dietlibus abbas huius monasterij, qui cum Henrico comite supradicto & alijs multis Romam profectus inter alia beneficia spiritualia sequentes indulgentiarum literas nobis apportauit. *Dietlibus abbas Romã literas Indulgentiarũ apportat.*

*Vniuersis sanctæ matris ecclesiæ filiis, ad quos præsentes literæ peruenerint: Nos miseratione diuina, Basilius Ierosolymitanus, Ramitius Calaritanus, Adevulphus Cõsanus, archiepiscopi; Thomas Etensiensis, Bonifacius Tarentinus, Adam Marturanensis, Nicolaus Neccastrensis, Bernhardus Pacensis, Benedictus Tracuarensis, Nicolaus Tortibulensis, frater Antonius Thunadiensis, Angelus Fessulanus, & Frater Iacobus Calcedonensis, Episcopi: salutem & sinceram in Domino charitatem. Sanctorum meritis inducta gaudia fideles Christi exsequi minime dubitamus, qui eorum patrimonia per condignæ deuotionis obsequia promerentur illum quoque venerantur in ipsis, quorum gloria ipse est & retributio præmiorum. Nos igitur ad consequenda prædicta, causam dare fidelibus cupientes, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad monasterium de Sponheim, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, quibuscunq; diebus & horis causa deuotionis & orationis accesserint, peccatorum suorũ veniam à Domino imploraturi; vel qui ad fabricam, luminaria, vestimenta, ornamẽta, vel ad aliqua alia ipsius monasterij necessaria, manus porrexerint adiutrices, aut in extremis laborantes quicquã facultatum suarum legauerint, donauerint, miserint monasterio præfato; aut etiã qui missas vel sermones monachorũ illius monasterij reuerenter audierint, quotiescunq; vbicunq; & quandocunq; ipsos aut eorum aliquẽ diuina celebrantẽ, seu Dei verbum prædicantem contigerit, aut ipsis vel eorum alicui acceptabiles fecerint oblationes, pro singulis vicibus quibus præmissa aut præmissorum aliqua fecerint, de omnipotentis Dei misericordia, & beati Petri & Pauli Apostolorum autoritate confisi, quilibet nostrum 40. dies de iniunctis sibi pœnitentiis (dum modo volũtas Diœcesani ad hoc accesserit) misericorditer in Domino relaxamus. In cuius rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datũ Lateranis, anno Domini* MCCC. *Pontificatus Domini Bonifacii Papæ octaui Anno sexto.* *Copia literarum 13. episcoporum.*

Has quidem indulgentias Dietlibus abbas de Roma secum attulit, impetratas laboribus & impensis cuiusdam familiaris sui Iohannis de Sœtern, qui erat procurator huius monasterij ab eodem constitutus, quem Romam profecturus secum assumserat. Consensus autem Diœcesani, de quo in literis fit mentio, post annos 12 primum accessit per Petrum archiepiscopum Moguntinum, sicut patet in chartula, quam literis ipsis sigillo suo munitam affixit, cuius tenor est talis: *Iohan de Sœtern.* *Consensus archiepiscopi Moguntini.*

*Nos Petrus Dei gratia, sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus, sacri Imperij per Germaniã Archicancellarius, indulgentias venerabilium patrum archiepiscoporum & episcoporum, contentas in literis quibus hæc chartula nostra est affixa, ratas & gratas habentes sicut prouide & iuste sint datæ, in nomine Domini confirmamus, ita quod ad quæstum publicum non trahantur. Datum in Castro Beckelnheim anno Domini* MCCCXII. *tertio nonas Nouembris.*

Ex supradictis tredecim episcopis tres eodem tempore seorsum huic monasterio, ecclesiæ parochiali, & Capellæ S. Pancratij martyris in castro Sponheim indulgentias dederunt, quilibet eorum X L. dies, vt patet in literis quæ sequuntur: *Copia aliarum indulgentiarum episcoporum.*

*Vniuersis sanctæ matris Ecclesiæ filiis ad quos præsentes literæ peruenerint: Nos miseratione diuina Basilius archiepiscopus Ierosolymitanus, Ramitius Calaritanus archiepiscopus, & Nicolaus Tortibulensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Splendor paternæ gloriæ qui mundum illuminat sua ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementissima ipsius maiestatis benignitate sperantium, tunc præcipue benigno fauore prosequitur, cum deuota ipsorum humilitas Sanctorum meritis & precibus adiuuatur. Cupientes igitur vt Ecclesia sanctorum Martini, Ægidij, Pancratij & Benedicti Spõheimensis, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, congruis honoribus frequentetur, & à Christi populo iugiter veneretur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad dictas ecclesias prædictorum sanctorum causa deuotionis vel orationis accesserint, & ibidem diuinum officium, seu verbum exhortationis audierint, vel qui ad fabricam, structuram, vestimenta, ornamenta, vel ad aliqua alia necessaria dictarum ecclesiarum pertinentia manus porrexerint adiutrices, aut quicquam facultatum suarum dederint, mandauerint, procurauerint, vel alios ad hoc excitauerint; nos de Dei omnipotentis misericordia & beatæ Mariæ clementia, ac sanctorum Petri & Pauli Apostolorum eius, atq; omnium sanctorum meritis & auctoritate confisi, quilibet nostrum sigillatim 40. dies de iniunctis sibi pœnitentiis, dum modo voluntas diœcesani ad id accesserit & consensus, misericorditer in Domino relaxamus. In cuius rei testimonium præsenti scripto sigilla nostra apposuimus. Datum Romæ anno Domini* MCCC. *Pontificatus Domini Bonifacii Papæ* VIII. *Anno* VI.

Ad has indulgentias Dominus Gerardus archiepiscopus Moguntinus ad instantiam Henrici comitis de Sponheim supradicti dedit consensum, easque viuæ vocis oraculo confirmauit. *Consensus archiepiscopi Mogũtini.*

MCCCI.

*Clausa nostra fit vinea.*

Dietlibus abbas anno regiminis sui tertio Incluſorium ſororum iuxta cœnobium ad occidentalem plagam, à principio fundationis huius loci per primum Abbatem conſtructum, & hoc tempore nimia vetuſtate collapſum, penitus deſolauit, deſtruxit, & lapides deportari fecit, & vineam in eodem loco plantauit: & ſic deinceps nil præter nomen loci Incluſorii vſque in præſentem diem remanſit. Dicitur enim adhuc ab incluſione ſororum quondam ibi habitantium Clauſa, & præter nomen veſtigium nullum oſtendit priſtinæ ſuæ conditionis, vt cernitur.

MCCCII.

Anno Dietlibi abbatis noſtri IV. 5. calend.....*. obiit Fridericus epiſcopus Spirenſis & in monaſterio Vresdal Ciſtercienſis ordinis ſepelitur, cui Sibodo de Lichtenberg in Epiſcopatu ſuccedens, præfuit Eccleſiæ Spirenſi annis 12.

*Sibodo fit epiſcopus Spirenſis.*

*Henricus de Wirnēberg archiepiſcopus Coloniēſis.*

Mortuo Wichboldo Archiepiſcopo Colonienſi ſucceſſit Henricus de Wirnenberg huius nominis ſecundus, & præfuit annis 16. homo plus ad bellum inclinatus quam ad pacem, quippe qui cunctis diebus pontificatus ſui cum ciuitate Colonienſi, Comitibus, Principibus, Nobilibus, vicinis, contentiones habuit, & vltra conſuetum & debitum grauiſſimis exactionibus clerum ſuum & religioſos taxauit.

*Fœdus Principum Alberto regi diſplicuit.*

Eodem quoque anno Gerardus Archiepiſcopus Moguntinus, Dietherus archiepiſcopus Treuirēſis, Henricus archiepiſcopus Colonienſis & Rudolphus Comes Palatinus Rheni Bauariæque Dux in vnum coniurantes pacem inter ſe fœduſque perpetuum fecerunt, quod diſplicuit valde Alberto regi Romanorum: vnde cum magno exercitu inopinate veniens terram præfati Comitis Palatini primum inuaſit, qua vaſtata miſerabiliter ad deditionem eum coartauit. Deinde mouens exercitum contra archiepiſcopum Moguntinum, inter alia damna & incendia regioni illata, oppidum Bingen, quod ad iuriſdictionem eccleſiæ Moguntinæ pertinebat, obſedit. Moniales cœnobij S. Ruperti, præfato oppido ab alia parte Nahi fluminis proximum, audito regis aduentu omnes fugientes, in Ibingen ſe receperunt, receptis ſecum priuilegiis, reliquiis, clenodijs, & quicquid pro anguſtia temporis abducere potuerunt. Veniens ergo ad oppidum Bingionum rex Albertus, machinas bellicas & partem exercitus in prædictum cœnobium S. Ruperti locauit, & fecit ex domo Deo famulantium ſtabulum equorum, cœpitque fortiter impugnare oppidum, quod etiam paucis elapſis diebus in ſuam ditionem accepit. Cernens autem archiepiſcopus præfatus ſe regis potentiæ nequaquam poſſe reſiſtere, veniam ab eo petijt, & gratiam impetrauit, reſignatis in manum & poteſtatem ipſius Regis oppidis Lonſtein & Bingen, cum caſtellis Clop, Ehrenfels & Scharffenſtein cum cæteris alijs conditionibus.

*Bingen ab Alberto rege capitur.*

*Moniales S. Ruperti in Ibingen ſe recipiunt.*

*Monaſterium S. Ruperti ſpoliatur.*

*Miraculum imaginis Mariæ ibi factum.*

Interea dum archiepiſcopus cum rege in ipſo oppido Bingen conſtitutus de conditionibus pacis tractaret, omneſque qui in monaſterio S. Ruperti vltra Nahum manſionem habuerant, oppido iam capto ſeſe in illud contuliſſent, cœnobio demiſſo vacuo & omnibus rebus ſpoliato; duo nequitioſi viri, qui præ inopia ſequebantur Regis exercitum, præfatum cœnobium S. Ruperti intrarunt, animo & intentione, ſi quid inuenirent auferendi. Luſtratis autem omnibus locis & angulis monaſterij diligentiſſime, nihil inuenerunt: omnia enim prius ablata fuerunt per eos, qui locum diebus obſidionis occupauerant. Exuntes ergo clauſtrum perſcrutabantur Eccleſiam, ſi forte in ea aliquid relictum inuenirent. Erat autem eo tempore in ipſa eccleſia ante introitum chori, qui fuit in inferioribus ſuper terram, non eleuatus (vt modo) ad meridiem verſus, clauſtrum, altare in honore S. Catharinæ virginis & martyris conſecratum, ſuper quod in muro arcualiter excauato imago beatiſſimæ Dei genitricis & virginis Mariæ ſatis decenter fuit depicta, coronam habens in capite, in qua erant quatuor lapides Criſtalli, muro & coronæ artificialiter infixi, & quintus in pectore ipſius imaginis. Cum ergo fures illi nihil in eccleſia reperiſſent, vnus eorum, ne omnino vacuus abiret, altare prædictum aſcendit, & effodere de corona virginis ipſos criſtallos cœpit: cui alter increpando dixit: *Quid facis, ô miſer, deſine ſpoliare matrem miſericordiæ; per quam, ſi nobis ſalus contingere debet, & non per aliam gratiam poterimus inuenire.*

*Ecce blaſphemium. Imago ſudare per totum viſa eſt. Sanguineū lacte de imagine prōfluit.*

Cuius increpationem ſacrilegus & impius ille contemnens, poſteaquam criſtallos de corona effoderat quatuor, etiam quintum de pectore ſacræ virginis effodere cœpit. Mira res accidit: mox vt impius ille ſacrū pectus violare præſumſit, imago ſudare per totum cœpit, quo viſo ſacrilegus aliquantulum horruit, ſed obduratus in malitia à cœpto crimine non ceſſauit. Euulſit ergo de ſacro pectore imaginis lapidem, quo auulſo mox ſanguis lacte mixtus de ipſo vulnere in magna copia ſequutus erupit, quo viſo infelix ille totus inhorruit, proſilienſque de altare, puluerem in eccleſia collegit, & vulnus imaginis, ne fluceret ſan-

ret sanguis cum lacte, obstruere cœpit. Quanto autem obstruere sacræ virginis pectus vulneratum amplius conabatur, tanto maiori exuperatione lac cum sanguine emanauit. His visis impius ille de ecclesia cursim exijt, & currens ad Nahum fluuium, velut amens factus, præcipitans semetipsum submersit. At vero socius eius confestim aufugit, qui tamen postea reuersus rei ordinem Magistræ ac monialibus dicti cœnobij narrauit. Superueniens autem Sacerdos quidam, qui eo die ibidem celebrauerat, & videns miraculum tantæ nouitatis, corporale ante imaginem explicuit, & lac cum sanguine profluente collegit. Hunc vero sanguinem cum lacte in vitreo vase conseruatum vsque in præsentem diem in sæpedicto cœnobio vidimus, quem etiam manibus proprijs ad petitionem Abbatissæ de veteri vase confracto in vitrum nouum transposuimus. Publico autem confestim miraculo rex Albertus, qui adhuc fuit in oppido Bingen, cum cæteris Principibus ad monasterium S. Ruperti accessit, vidensque tam horrendum facinus obstupuit, & pro restauratione cœnobij in honorem beatæ Virginis multa dona contulit. In memoriam vero huius miraculi Capella in honorem Dei genitricis ibidem constructa est, in qua imago super altare, sæpius interea renouata, cernitur.

*Sanguis iste reseruatur ibidem.*

Pacatis rebus cum archiepiscopo Moguntino, Rex contra archiepiscopum Treuirensem & Colonien sem vlterius progrediens, sibi subiugauit vtrumque, & ad gratiam postulandam non sine eorum damnis grauissimis coegit.

MCCCIII.

Anno Dietlibi abbatis nostri v. obijt Albertus Prior huius monasterij XVII. 7. idus Maij, vir multarum virtutum, qui pro restauratione obseruantiæ regularis maximam diligentiam fecit, & non parum restaurauit. Post hunc Dietlibus abbas in Priorem huius monasterij XVIII. elegit Henricum monachum, filium sororis præfati Alberti, iuuenem quidem in annis, sed moribus & sapientia senem, & præfuit in Prioratu huius cœnobij annis XXIX. de quo postea suo loco post Wilhelmum dicemus. Toto tempore quo ipse præfuit Prior, satis bona reformatio fuit, licet ad primam institutionem, quæ tempore fundationis exstitit, ad multos annos non peruenit.

*Albertus Prior huius loci obiit, qui & Iuuenus.*

*Henricus fit Prior 18.*

MCCCIV.

Anno Dietlibi abbatis nostri VI. 5. calend. Martij obijt Conradus de Epstein archiepiscopus Moguntinus, cui Petrus de Treuiri natus succedens; præfuit annis XVI. homo sagax & industriosus, qui multas constitutiones edidit, & ecclesiam Moguntinam satis magnifice rexit.

*Petrus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno III. Cal. Maij obijt Ebervvinus episcopus Wormatiensis; cui Emericus de Cronenberg succedens, præfuit annis ferme X. homo pacificus & deuotus, quem tam populus quam clerus miro venerabatur affectu, missumque ab Apostolico Papa pro episcopo libenter susceperunt.

*Emericus episcopus Wormatiensis.*

MCCCV.

Anno Dietlibi abbatis nostri VII. in festo commemorationis S. Pauli Apostoli rex Albertus Spiræ constitutus exequias regis Bohemiæ cum magna pompa in maiori ecclesia celebrauit, & inter pulsandum maior campana cecidit, fractisque duabus testudinibus & cadens ad terram in tres partes diuisa fuit.

His temporibus ciues Confluentini contra Dietherum archiepiscopum Treuerensem, dominum suum, contumaciter se erexerunt, obliti fidelitatis & iuramentorum suorum. Vnde commotus archiepiscopus conuocatis in auxilium sui multis Principibus & Nobilibus, quos magnis pecunijs conduxit, Confluentiam obsidione vallauit; qua tandem in deditionem recepta, ciues ad obedientiam coartauit. Pro hac victoria incredibiles pecunias exposuit: vnde pene omnes ecclesiæ reditus & prouentus obligauit, & odium in se tam clericorum quam laicorum & maxime nobilium prouinciæ Treuirensis cõcitauit.

*Confluentia per archiepiscopũ Treuirẽsem capitur.*

MCCCVI.

Anno Dietlibi abbatis nostri VIII. in die beatæ Mariæ virginis, alias purificationis, glacie resoluta maxima ciuitatibus & villis circa Rhenum & Mogonum illata sunt damna. Pons apud Francofordiam fuit confractus, multæ iuxta domus submersæ in diuersis locis fuerunt: Coloniæ quoque turres duæ circa Rhenum ea tempestate commotæ cecidernnt, & multi homines vtriusque sexus & ætatis in diuersis locis fuêre in Rheno submersi.

*Resoluta glacie magna fuit inundatio aquarum.*

Eodem tempore Iudæi omnes de regno Francorũ bonis confiscatis fuerunt expulsi.

Eodem quoque anno hospitularij S. Iohannis Ieroſolymitani cum auxilio Troianorum insulam Rhodis cum aliis quinque adiacentibus insulis de manu Turcorum cum

*Insula Rhodia per Christianos capitur.*

maxima potentia obtinuerunt; per continuos annos quatuor contra eosdem Turcos dimicantes, quousque (vt dictum est) anno præscripto vicerunt.

MCCCVII.

Anno Dietlibi abbatis IX. clerus Ecclesiæ Treuirensis Dietherum archiepiscopum suum propter dilapidationem rerum & prouentum ecclesiæ, & alia diuersa contra æquitatem, Romam citari ad examen Apostolici Pontificatus fecerunt; qui priusquam terminus aduenisset, eodem anno XXIII. die mensis Nouembris diem clausit extremum, apud Prædicatores suos in ciuitate Treuirensi sepultus, cui Baldevvinus filius comitis de Lutzenburg, & frater Henrici Imperatoris septimi, annum ætatis agens XXIII. Clemente Papa quinto cum ipso de minorennitate dispensante, successit, & annis præfuit XLVI. mense vno & diebus XVIII. vir per omnia magnificus, qui etiam ecclesiam suam satis prouide & vtiliter gubernauit, pacem reformans, debita soluens, & alienata restituens.

*Baldevvinus fit archiepiscopus Treuirensis.*

*Ordo Templariorū deletur.*

Eodem anno Clemens Papa V. in concilio Vienensi ordinem Templariorum, qui per annos ferme CLXXXIV. à fundatione sua durauerat, annullauit & destruxit. Impingebatur eis, quod in sua professione Christum abnegarent: quod vtrum verum an falsum sit, non est nostrum iudicare.

MCCCVIII.

*Albertus rex Romanorum occiditur.*

Anno Dietlibi abbatis X. Albertus rex Romanorum, propterea quod nimium videretur auarus, & Ducatum Sueuiæ fratris sui Rodolphi teneret nomine tutoris, quem resignare Iohanni filio ipsius fratris iam adulto non immerito debuisset, sæpiusque ab eo interpellatus, & non aduertens; apud Schaffhausen gladio interemtus est, & post annum in ecclesia Spirensi sepultus.

*Henricus 7. rex eligitur.*

Eodem anno Principes apud Rhensen conuenientes XXVII. die mensis Nouembris in regem Romanorum concorditer elegerunt Henricum Comitem de Lutzelburg, fratrem Baldevvini archiepiscopi Treuirensis, quem Aquisgrani cum magna solennitate conducentes in regem consecrari fecerunt, regnauitque annis V. Vxorem habuit Margaretham Ducis Brabantiæ filiam.

*Carthusia in Mentz.*

His temporibus Petrus archiepiscopus Moguntinus monasterium Cartusiensium extra muros Moguntinos de nouo construere cœpit & dotauit.

*Iohannes Scotus obiit.*

Eodem anno 6. idus Nouembris obijt in Colonia Iohannes Scotus sacræ Theologiæ Doctor, Parisiensis, ordinis Minorum, in conuentu suo ibidem sepultus.

MCCCIX.

*Dietlibus abbas huius monasterii moritur.*

Dietlibus huius monasterii abbas X. obijt in die Michaelis archangeli, sepultus ante gradus Presbyterij, non sine multis fratrum lacrumis. Fuit enim vir bonus & amator fratrum suorum, qui bene præfuit monasterio tam in spiritualibus quam in temporalibus, quia & peculium, quod prædecessores eius indulserant monachis, abstulit, & competenter substantiam temporalium rerum ampliauit. In agendis fuit prouidus & perspicacis ingenij, cuius consilio in arduis caussis etiam Comes de Sponheim & vicini nobiles aliquotiens vtebantur. Eius autem laudabiliter gesta, quanquam multa fuisse dubium non sit, scire omnia non potuimus, tum propter veterum negligentiam, tum propter temporis distantiam.

## *DE WILLICHONE PRIMO, HVIVS MONASTERII SPONheimensis abbate II. qui præfuit annis XXVII. mensibus V. & diebus IV.*

MORTVO itaque Dietlibo Abbate huius monasterii X. atque sepulto, III. videlicet Calend. Octobris, anno prænotato MCCCIX. indictione VII. vacauit Abbatia Sponheimensis ista diebus 4. Deinde 5. nonas Octobris conuenientes in vnum fratres huius cœnobii, & inuocata ex more gratia Spiritus Sancti, in abbatem vnanimi consensu elegerunt Willichonem, filium nobilis viri Comitis de Westerburg, fratrem Comitissæ de Sponheim, virum religiosum & deuotissimum, huius monasterij monachum conuentualem, qui ante annos ferme octo sub Dietlibo (sicut supra diximus) ordinem intrauerat. Confirmatus autem & ordinatus per Petrum Archiepiscopum Moguntinum, præfuit huic monasterio satis strenue annis XXVI. mensibus quinque, diebus 4. multaque huic monasterio bona fecit, tam in ædificiis quam prouentibus ampliandis. Hic in pueritia literis traditus, cum ætate discendo satis profecit, & in virum doctum pariter & deuotum euasit. Cum autem ad virilem ætatem peruę-

*Willicho fit abbas huius monasterij.*

*Vita Willichonis abbatis.*

peruenisset, cingulo militari præcinctus est, & cum aliquandiu vitam duxisset in armis & rebus bellicis, contigit eum vsque ad mortem infirmari, desperatusq; à Medicis ad Deum se conuertit, & voto religionis ad consilium sororis emisso, miraculose omnibus stupentibus reualuit ab infirmitate sua. Biennio nihilominus in conuersatione seculari manens res suas secundum conditionem propositi sui ordinauit, distribuitque in eleemosynis pauperum magnam partem substantiæ se concernentis, ad conuersionem instinctu præfatæ sororis suæ, quæ Dietlibum Abbatem & præsens monasterium miro venerabatur affectu, sine mora peruenit. Denique non parum huic monasterio contulit & dona dedit.

MCCCX.

*Conuentus Principum in Spira.*

Hoc anno Henricus rex Romanorum conuentum Principum Spiræ habuit, vbi Helizabeth filia Wenceslai regis Bohemiæ iam demortui personaliter comparuit, petens à rege Henrico paternum sibi regnum in feudum concedi. At vero rex Henricus maturo suorum Principum consilio præhabito, attendens dictam filiam Bohemiæ solam regni esse hæredem, eam filio suo Iohanni Comiti Lutzelburgensi copulauit vxorem, & eum in regem Bohemiæ auctoritate imperiali sublimauit. Celebratis ergo ibidem nuptiis mox in Bohemiam misit, adiungens ei Petrum Archiepiscopum Moguntinum quondam Physicum suum, cum ingenti exercitu. Veniens autem in Bohemiam Iohannes Rex nouus cum Regina & Archiepiscopo præfato, vniuersum sibi mox regnum Bohemiæ subiugauit, & in suam ditionem potenter susscepit, & coronatus est per eundem Petrum Archiepiscopum Moguntinum, ad quem de antiquo iure pertinebat reges Bohemiæ inungere & coronare, sicut longe supra ostendimus. Coronatione autem solemniter facta (cui interfuisse plus quam trecenta millia equitum ac bellatorum referuntur) Rex Archiepiscopo Moguntino præscripto donauit auream sedem gemmis pulchre gemmatam, quam ille secum abducens Moguntiam sancto Martino contulit, quæ in maiori seruatur ecclesia vsque ad præsentem diem, & à vulgo *sedes sancti Martini* appellatur.

*Iohannes comes Lutzelburgensis fit rex Bohemiæ.*

*Aurea sedes S. Martini Moguntiæ.*

*Henricus rex proficiscitur in Italiam.*

Eodem anno Henricus rex cum fratre suo Baldevvino archiepiscopo Treuirorum, Rodolpho comite Palatino Rheni ac Duce Bauariæ, Lupoldo Duce Austriæ, ac multis alijs Principibus, Ducibus, Comitibus Nobilibusque, & magno exercitu pro sumenda corona Imperij profectus est in Italiam, & inter eundum multas sibi obsistentium rebelliumque ciuitates armata manu cepit & destruxit. Veniens autem Romam per Cardinales à Papa ad hoc ordinatos & missos apud sanctum Iohannem Lateranensem Imperator coronatus fuit, in die sancto Pentecostes. Romanos qui sibi introitum Vrbis negabant, cum rege Apuliæ circa pontem Tiberis pugnans superauit, & multos eorum occidit. Coronatus autem Imperator, Rodolphum comitem Palatinum Rheni, & multos alios Principes ac Nobiles in præfata Ecclesia sancti Iohannis milites creauit. Imperatore autem in Italia per biennium exsistente, secundus exercitus eius, quem ad hoc specialiter ordinatum in Alemannia reliquerat, contra Comites Wirtenbergenses, imperio rebelles, dimicando processit, quibus ex LXXX. castellis ac oppidis munitissimis quæ obtinebant, LXXII. armis fortiter expugnata ademit. Iturus enim in Italiam rex Henricus tres comparauit exercitus, quorum primum ex Franckonibus & Bauaris collectum cum filio & Petro archiepiscopo Moguntino (vt iam supra diximus) in Bohemiam destinauit: Secundum ordinauit aduersum præfatos Comites Wirtenbergenses; & tertium in Italiam secum duxit. Brixenses, quos potenter armis vicit & ad obedientiam Imperij coartauit, Longobardos omnes, Papienses, Taurinenses, Astenses, Veronenses, Placentinos, Ianuenses, Pisanos, Senenses, Florentinos, & multos aliarum ciuitatum incolas, omnesque sibi resistentes armata expeditione vincens in potestatem accepit. Erat autem Henricus Imperator iste vir sapiens, iustus & gratiosus, in armis strenuus, Catholicæ fidei integerrimus cultor & amator, consilio & animo potens, Cleri amator & defensor, cui similis interea non surrexit.

*Imperij bellum contra Wirtenbergenses.*

*Imperator Italiam subiugauit.*

MCCCXI.

*Domus portæ abbatiæ construitur.*

Hoc anno Willicho abbas huius monasterij domum portæ cœnobij principalis ad plagam meridionalem denuo construxit. Verum post annos fere CLVI. Iohannes de Culenhusen primus abbas in reformatione Bursfeldensi dicta, eandem portam claudi fecit, & nouam portam monasterij ad plagam orientalem construxit. Donum autem portæ antiquæ, à Willichone constructam, sibi in habitationem Abbatialem mutauit;

quam Iohannes Trithemius succeſſor eius ampliauit, in eam formam, in qua nunc cernitur ſublimatam, congruam fecit eſſe manſionem.

MCCCXII.

Hoc anno Petrus archiepiſcopus Moguntinus circa feſtum omnium ſanctorum venit ad caſtrum Beckelnheim, & per ſex dies ibidem commoratus eſt, quem accedens Willicho abbas huius monaſterij inter alia confirmationem Indulgentiarum per XIII. epiſcopos Romæ tempore Iubilæi primi daturum (vt patet in literis, quarum reſcriptum ſuo loco ſuperius poſuimus) impetrauit.

*Cõfirmatio Indulgẽtiarum.*

Eodem anno Baldevvinus archiepiſcopus Treuirenſis, qui Romæ & extra cum fratre ſuo Henrico Romanorum Imperatore VII. in propria perſona bellando & præliando multa egregie patrauerat, pro expenſis & impenſis, quas ratione Imperij fecerat, ab ipſo Imperatore Bopardiam & Weſaliam oppida cis Rhenana cum quibuſdam alijs impignorata recepit: cuius impignorationis priuilegium datum fuit *in caſtris ante Florentiam, anno prænotato poſt milleſimum trecenteſimo duodecimo; Henrici regno IV. Imperii autem primo, 6. idus Decembris.* His literis ab Imperatore ſuſceptis Baldevvinus ad Treuirim rediit, & Imperator anno ſequenti mortuus fuit.

*Bopardia & Weſalia eccleſiæ Treuirenſi impignorãtur.*

MCCCXIII.

Anno Willichonis abbatis huius monaſterij IV. fundatum & dotatum fuit Altare ſanctorum Nicolai & Catharinæ in ipſo monaſterio noſtro Sponheimenſi, per Stephanum Præpoſitum Canonicorum in Rauingirsburg, vt patet in literis deſuper datis ita ſonantibus:

*Altare in monaſterio S. Nicolai fundatur & dotatur.*

*Copia donationis.* *In nomine Domini. Cum omnis Chriſtiani nominis & fidei profeſſor, his quæ ad laudem & honorem Dei reſpiciunt, & ſalutem accumulant animarum, intendere debeat cum effectu; Nos Stephanus Dei gratia Præpoſitus Eccleſiæ de Reuengirsburg Canonicorum regularium, Moguntinæ diœceſis, inſtauramus & ordinamus in monaſterio de Sponheim, ordinis S. Benedicti, accedente conſenſu & libera voluntate domini Willichonis & totius conuentus ibidem, ſuper altare beati Nicolai & beatæ Catharinæ vnam miſſam per ſacerdotem ſecularem perpetuo & quotidie celebrandam, niſi caſſus legitimis fuerit impeditus: in qua miſſa recordationem & memoriam Patris noſtri Emelrici, quondam militis, & matris noſtræ Petriſſæ, fratrum quoq; noſtrorum Lamberti & Arnoldi, dicti Kindelin, quõdam militum, & Emelrici, quondam armigeri, Sacerdos habebit & faciet memoratos. Cui altari & ſacerdoti ipſum officianti damus & aſſignamus libere curiam noſtram in Rochſheim, cum bonis & omnibus attinentiis eiuſdem, quocunq; nomine cenſeantur: vt idem Sacerdos curia, bonis & attinentiis omnibus quiete & pacifice fruatur: vnam quoq; carratam vini ſibi in villa Manendal perpetuo deputamus: prouiſa ante omnia diligenter, quod per dictum ſacerdotem Plebanum parochialis eccleſia in oblationibus & aliis euentibus quibuſcunq; præiudicium nullum fiat. Idem quoque Sacerdos ſummæ miſſæ & veſperis debet quotidie intereſſe, & ſi deformiter exceſſerit, per abbatem, qui pro tempore fuerit, corrigi & puniri debet per Eccleſiaſticam diſciplinam: cuius altaris collationem nobis reſeruamus ad tempora vitæ noſtræ. Poſt mortem vero noſtram Arnoldus dictus Kindelin, & Emelricus frater ſuus, & filiæ fratris noſtri præſcripti, & Arnoldus filius Bigele conſanguineus noſter, ipſorumque hæredes propinquiores ſucceſſiue, alternis vicibus præſentabunt. Hoc tamen ſtatuimus, quod poſt mortem noſtram ad prædictos fratres Kindelinum & Emelricum prior collatio pertinebit. Vt autem omnia & ſingula præſcripta debito robore conſeruentur, præſentes literas ſigillo dominorum Iudicum Moguntinenſium, ac ſigillo Domini Abbatis & conuentus prædictorum in Sponheim fecimus roborari. Nos quoque Iudices ad petitionem domini Præpoſiti prædicti ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Acta ſunt hæc anno Domini* MCCCXIII. *3. Cal. Aprilis.*

*Curtim vnã aſſignat pro dote.*

*Collationẽ Altaris ſibi & hæredib. reſeruat.*

*Hæredes ius patronatus abbati huius loci dedere.*

Huius autem altaris S. Nicolai collationem hæredes præfatorum inſtituentium, videlicet Wilhelmus de Lebenſtein, Simon Booſs de Waldeck, Hartmannus de Halbeg militares, vna cum conſenſu vxorum ſuarum, pro ſe & omnibus hæredibus ſuis Iohanni Trithemio abbati monaſterij in perpetuum tradiderunt, anno Domini MCCCCXC. vt infra ſuo loco dicemus.

*Hẽricus Imperator obiit in Italia.*

Henricus Imperator Romanorum ſeptimus præſcripto anno adhuc in Italia conſtitutus apud ciuitatem Piſanam, nouis comparatis copijs, & cum Gemienſibus ac Friderico Siciliæ rege conuentionibus factis, contra Robertum Apuliæ Regem ire contendit, & veneno periit dolo & inſidijs (vt ferunt) Bernhardi Confeſſoris ſui de ordine Prædicatorum, qui eum in die Aſſumptionis beatæ Mariæ ſemper virginis in hoſtia, bene confidentem, intoxicauerat. Et magna in Prædicatores perſecutio conſequuta eſt: quamuis idem Bernhardus coram Rege Bohemiæ filio ipſius Imperatoris, ſimili-

similiter & archiepiscopis & episcopis, Treuirensi, Mediolanensi, Ianuensi, Lucensi & Argentinensi, cum alterius insidijs perijsse diceret; nihilominus Henricus comes Flandriæ & cæteri nobiles curiales constantes confirmabant ipsum esse reum, & Imperatorem in hostia (sicut diximus) de manu eius interemtum, & vacauit Imperium Romanum quasi anno.

His temporibus mortuo Imperatore Henrico magna caristia & pestilentia facta est, & multi perierunt. *Fames & pestilentia magna.*

MCCCXIV.

Anno Willichonis abbatis nostri v. 14. calend. Nouembris conuenerunt Principes Imperij apud Francofordiam pro nouo Imperatore eligendo, votisque in diuersa diuisis, Petrus episcopus Moguntinus, Baldewinus archiepiscopus Treuirensis, Iohannes Rex Bohemiæ, & Volmarus Marchio Brandeburgensis Ludouicum Comitem Palatinum Rheni Ducemque Bauariæ in Regem Romanorum elegerunt. Contra quem Rudolphus Comes Palatinus Rheni frater ipsius Ludouici, Henricus Archiepiscopus Coloniensis, & Dux Saxoniæ in regem elegerunt Fridericum Ducem Austriæ, filium Alberti quondam regis Romanorum. Sed Ludouicus regnum & Imperium obtinuit, & Fridericum superatum in bello captiuauit. Et fratrem suum Rudolphum Comitem Palatinum cum Friderico sentientem, Ducatu spoliatum & omni possessione, in Angliam fugere compulit, vbi vsque ad mortem permansit. Filijs tamen eius principatum restituit. *Ludouicus dux Bauariæ in regem Romanorum eligitur. Fridericus dux Austriæ contra Ludouicum eligitur.*

Eodem anno 4. Idus Februarij obijt Emericus episcopus Wormatiensis, cui Henricus filius comitis Siluestris de Dune successit, Præpositus maioris ecclesiæ Wormaciensis, & præfuit strenue annis ferme 5. *Henricus fit episcopus Wormatiensis.*

Eodem quoque anno pridie idus Ianuarij obiit Sibodo de Leichtenberg episcopus Spirensis; cui Emicho de Liningen succedens, præfuit annis 14. *Emicho fit episcopus Spirensis.*

MCCCXV.

Anno Willichonis abbatis nostri VI. magna per totam Alemanniam & Italiam fames fuit, in qua multa millia hominum præ inopia perierunt, & durauit quasi per biennium, & secuta est pestilentia magna. *Fames & pestilentia magna.*

Eodem anno factum est prælium inter Ludouicum regem Romanorum, & Fridericum Ducē Austriæ aduersarium eius apud Spiram, in quo Lupoldus frater Friderici multas in circuitu villas igne consumsit. Erat (sicut diximus) fames magna, & Baldewinus episcopus Treuerensis, homo diues & prouidissimus, regi & exercitui suo, quæcunque necessaria fuerant, copiose ministrauit. Ludouico victoria cessit: qui Fridericum cum omnibus suis fugere compulit; qui tamen postea non acquieuit. *Belli inter Ludouicum regē & Fridericum ducē Austriæ.*

MCCCXVI.

Anno suo VII. Willicho abbas huius monasterij Sponheimensis circa festum Pentecostes à Iohanne Papa XXII. vna cum cæteris alijs Prælatis Ecclesiæ Moguntinæ, Commissarius constitutus fuit super inquisitione vitæ sanctitatis & miraculorum Hildegardis, quondam Magistræ virginum Christi in monte sanctæ memoriæ Ruperti Ducis Bingionum, cuius rei commissio prius etiam per Clementem Papam v. facta fuerat: qui in eius canonizatione cōsensit. Inquisitione aūt facta & præfato summo Pontifici Iohanni XXII. per literas intimata, canonizata fuerat, & nescio qua occasione intercedente neglectū sit. *Commissio papæ pro canonizatione S. Hildegardis.*

Eodem anno Ludouicus Rex, Baldewinus archiepiscopus Treuirensis, & quidam alij in auxilium vocati, munitiones Wisbaden & Scharffenstein contra Fridericum obsederunt. Qui cum se parum posse proficere cernerent, infecto negotio solutaque obsidione, quisque ad sua redierunt. *Wisbaden & Scharffenstein obsidione vallantur.*

Eodem quoque anno Ludouicus Rex cum omnibus Principibus & ciuitatibus Imperij pacem confirmauit: quam Henricus archiepiscopus Coloniensis & cæteri alij, qui erant pro parte Friderici Ducis Austriæ, non curarunt. *Pacem rex Ludouicus reformat.*

MCCCXVII.

Hoc anno, qui fuit Willichonis abbatis nostri 8. Baldewinus archiepiscopus Treuirensis comitem de Hennenberg 40. marcis argenti Ecclesiæ suæ præfatæ feudalem fecit, vt patet in literis desuper datis. Idem quoque archiepiscopus Sterrenberg castellum Imperij redemit, & suę ecclesię, permissione Ludouici regis Romanorum, coniunxit. Fuit enim homo magnificus & Imperatoribus gratus; vnde multa contraxit bona. *Comes de Hennēberg fit feudalis ecclesiæ Treuirensis.*

MCCCXVIII.

Anno Willichonis abbatis nostri IX. moritur Andreas Episcopus Herbipolensis, cui

*Gotfridus fit episcopus Herbipolensis.* Gotfridus de Holenn succedens præfuit annis 9. qui cum ciuibus suis multas contentiones habuit, sed tandem eorum duritiem euicit, eosque suo imperio subiacere coegit: ita vt ad seruitium in apparatu bellico sibi venire in adiutorium compellerentur; quod facere antecessoribus eius à multis annis recusauerunt.

*Dissensio Colonensium cum archiepiscopo.* Eodem anno ciues Colonienses vocatis in auxilium rege Bohemiæ Wilhelmo, comite Hollandiæ, Iohanne fratre eius, Comite in Hennegavv, Gerardo comite Iulacensi, Rodolpho comite de Monte, & Iohanne comite Seinensi, cum quibusdam alijs, contra Henricum archiepiscopum suum, pacta pacis Ludouici Imperatoris violantem, & partes Friderici Ducis Austriæ defendentem, ad bellum procedentes, castellum in Brull* dictum obsederunt mensibus 4. eumque ad pacis fœdera compulerunt.

* Broel.

MCCCXIX.

Hoc anno qui fuit Willichonis abbatis nostri x. obiit Henricus Episcopus Wormatiensis, in maiori ecclesia sepultus, & vacauit Episcopatus mensibus 11. diebus VIII. Post hunc in Episcopatu tandem successit Cuno de Schoneck, filius fratris Emelrici quondam episcopi, & præfuit annis x.

*Cuno fit episcopus Wormatiensis.*

*Contentio inter abbatē & villanos propter pascua.* Eodem anno orta est dissensio inter Willichonem abbatem & incolas villæ Sponheimensis, ratione nemorum & pascuorum in marcha huius monasterij, quæ duravit ad biennium coram iudicibus sedis Moguntinæ, non sine expensis vtriusque partis grauibus. Tandem Iohannes & Simon comites de Sponheim vices suas interponentes concordiam reformarunt: ita quod abbas nemora sua ante plures annos seorsum distincta perpetuo possideat liberrima: Villani autem quicquid in nemoribus habent, de abbatis gratia se obtinere, non ex debito recognoscant: ita tamen quod nihil ex ipsis nemoribus vendant sine eius consensu, & in signum percepti beneficij, singulæ domus villæ prædictæ, quotannis in festo S. Martini ad altare monasterio perpetuis temporibus offerrent duos denarios, qui dicuntur Colonienses. De pascuis autem ita concordauit inter partes, vt secundum antiquam consuetudinem & compositionem tam abbati quam villanis essent communia; ita tamen quod Villani nihil ex eis vendant, neque locent cuiquam sine consensu Abbatis, neque aliena pecora pro precio seu gratis intromittant. Facta est ista concordia in Creutznacht, anno Domini MCCCXXI. indictione IV. 6. cal. Iunij.

*Concordia facta super siluis & pascuis.*

MCCCXX.

*Petrus archiepiscopus Moguntinus moritur.* Anno Willichonis abbatis nostri XI. pridie Non. Iunij obijt Petrus Archiepiscopus Moguntinus, vir per omnia magnificus, qui fundauit monasterium Cartusiensium prope Moguntiam, & collegium Canonicorum ecclesiæ S. Catharinæ in Oppenheim primus instituit. Hic ante Pontificatum Henrici Comitis de Lutzenburg postea regis Romanorum fuit Medicus, qui missus Romam post obitum Gerardi archiepiscopi Moguntini ad Papam Clementem V. vt Baldevvino filio Henrici Comitis prædicti Archiepiscopatum impetraret vacantem; cum propter minorennitatem eius (vtpote qui annum XVIII. vix compleuerat) Papa petitionem Comitis refutasset, Petrus sui non oblitus, qui Archiepiscopatum postulare alteri venerat, cum pro semetipso petit & impetrat. Quo mortuo, in Archiepiscopatu Moguntino successit Martinus de Buchseck, monachus ordinis S. Benedicti professus, & præfuit annis ferme VIII.

*Martinus fit archiepiscopus Moguntinus.*

MCCCXXI.

*Fridericus dux Austriæ deuastat Bauariam.* Hoc anno, qui fuit Willichonis abbatis nostri XII. Fridericus Dux Austriæ contra Ludouicum electus in regem (sicut diximus) cum fratre suo Duce Lupoldo in manu valida contra Ludouicum Imperatorem egressus, totam Bauariam ferro & igne vastauit, rege in munitionibus se continente.

*Seditio inter ciues Bingenses.* Eodem anno ciues oppidi Bingen grauissimam inter se dissensionem habuerunt ex leui occasione. Nam macellarius quidam nomine Henricus canem alterius cuiusdam nautæ percusserat circa macellum, quare indignatus nauta macellarium percussum aggreditur, à quo percussus querelam detulit ad Consulatum. Ad carcerem ergo macellarius ponitur; aduersus consulatum tota pene ciuitas concitatur: quæ commotio adeo creuit, vt amici ipsius, qui captiuus tenebatur, assumto seditiosorum suffragio, fracto carcere incluſum educerent, & magnam inter ciues seditionem concitarent. Facta est itaque inter ciues diuisio, quorum altera pars consulatum sequebatur; altera vero interficere consules nitebatur. Vesanorum similis erat in ciuitate discursus, effractisque clausuris domorum vbique exercebatur præda. Tres è ciuibus hac seditione fuerant occisi, & multi enormiter vulnerati. Commotione tandem sedata, post mensem grauis vindicta de seditiosis sumta est: nam alij capitibus amputatis necati sunt, alij proscri-

*Vindicta in autores huius seditionis.*

proscripti, nonnulli membris truncati, vt perpetuum impietatis suę opprobrium spectantibus circumferrent.

MCCCXXII.

Anno Willichonis abbatis nostri XIII. Combustus fuit in Colonia frater quidam Walterus nomine, hæreticorum pater & Princeps, qui diu in occulto latuerat, & multos simplices suis erroribus infecit, qui tormentis expositus non potuit induci, vt participes erroris sui ostenderet. *Hæresiarcha Coloniæ comburitur.*

Eodem anno Iesabela filia Philippi regis quarti Francorum, vxor Edvvardi regis Anglorum, ipsum regem suum maritum propter desolationem quam cum seruis suis fecit in regno, cepit & custodiæ mancipauit, in qua vsq; ad mortem permansit, nec vllis minis aut precibus exire potuit.

MCCCXXIII.

Hoc anno, qui fuit Vvillichonis abbatis nostri IV. Fridericus dux Austriæ magno collecto exercitu plus quam sex millibus armatorum ex Vngaria & Turcia, venit contra Ludouicum Bauarum regē Romanorum: cui Ludouicus cum magno apparatu bellico occurrens, conserto; prælio inter Muldorff & Oetingen in Bauaria, Ludouicus victor exstitit, & Fridericus dux per Iohannem Bohemiæ regem captus, Ludouico sub conditione ne interficeretur, præsentatus fuit, quem in castello quodam non longe à Napurg custodiæ mancipauit. Post tempus aliquod Friderico sic in custodia perdurante, venit ad fratrem eius ducem Lupoldum, in Austria morantem, Magus quidam, promittens se Fridericū ducem captiuum arte sua de custodia erepturum, & in Austriam saluum vna hora reducturum. Credidit dux vrbis Magistro, & promisit se, quicquid postularet, daturū, si dicta factis compensaret. Intrant itaque circulum ambo, nocte prædispositā vocat Magister spiritum venire coniurationibus assuetum, venit in forma hominis peregrini, mandatum accipit vt ducem de custodia exemptum in Austriam sine mora reducat. Respondit spiritus: *Mandatis tuis, bone Magister, lubens obediam, ipsumq; ducem captiuum liberabo, saluumq; & incolumem ad te reducam, modo ipse venire mecum non recuset.* Auolat ilico spiritus, & in eadem forma venit ad ducem captiuum nocte quiescentem dicens: *Lupoldus frater tuus misit me huc, vt educā te de domo carceris: surge itaque velociter, & ascende hunc equum, & ducam te ad fratrem tuum saluum & incolumem.* Cui dux, qui es tu? Respōdit spiritus: *Ne cures quis sim ego, sed ascende super equum, si liberari cupis ab ista custodia.* Confestim horror inuasit ducem, & omnes qui erant cum eo, factoque signo crucis spiritus euanuit, & vacuus ad Magistrum redijt. Post hæc dux Lupoldus ferro & igne tam diu molestauit regem Ludouicum, donec tandem interuentu principum ad misericordiam prouocatus, captiuum emisit, accepto ab eo cautione, quod de nomine regio vlterius se non intromitteret: & sic Ludouicus à principio electionis suæ vsque ad mortem annis ferme XXXIII. imperauit, & Fridericus de regno Romanorum & nomine se deinceps non intromisit. Fuit autem Ludouicus iste eius nominis IV. qui habuit vxorem Margaretham filiam Wilhelmi comitis de Hennengavv, de qua suscepit filios sex: videlicet Ludouicum Marchionem Brandenburgensem, Stephanum ducem Bauariæ in Lanshuta, Albertum ducem Bauariæ in Strubingen, Wilhelmum ducem Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæ & in Breda: Ludouicum, qui dicebatur Romanus, quia Romæ natus fuerat; & Ottonem Brandenburgensem. Et ita per hanc Margaretham imperatricem comitatus Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæ & Hennengavv ad duces Bauariæ comitesque Palatinos peruenit. Nam anno MCCCXLV. (vt infra dicemus) Wilhelmo fratre suo à Frisonibus occiso, decreto principum Imperatrix ad Hollandiam cum apparatu pulcherrimo descendit, homagium à vasallis terræ, & iuramentum ab incolis fidelitatis accepit, libertates & gratias omnibus ampliauit, & trugas cum Traiectensibus fecit. His gestis comitatum filio suo tradidit, & reuersa in Bauariam fuit. Wilhelmus enim pater ipsius Margarethæ Imperatricis, comes Hollandiæ supradictus obijt anno Domini MCCC XXXVII. cui Wilhelmus filius eius, frater imperatricis succedēs à Frisonibus (sicut diximus) postea fuit occisus. *Bellū inter Ludouicum regē & Fridericum ducē Austriæ. Fridericus dux Austriæ capitur. Magus promittit se Fridericum liberaturum. Spiritus missus venit ad ducem. Fridericus dux liberatur. Ludouicus rex imperat annis 33. Filij Ludouici imperatoris. Comitatus Hollandiæ venit ad ducē Bauariæ.*

MCCCXXIV.

Anno Willichonis abbatis nostri XV. à primo fratrum introitu in hoc monasterium Sponheimense cc. Baldvvinus archiepiscopus Treuirensis, Iohannes rex Bohemiæ (qui Lutzenburgi tunc temporis morabatur) dux quoque Lotharingiæ & comes Barensis, se mutuo ad inuicem confœderantes cum magno exercitu ciuitatem Metensem obsederunt, vastantes & deuastantes omnia in circuitu. *Ciuitas Metensis obsidetur.*

MCCCXXV.

*Cambium inter comitem & abbatem pro Basenheim.*

Hoc anno, qui fuit Vvillichonis abbatis XVI. facta est inter Iohannem & Simonem fratrem eius, comites de Sponheim, ex vna parte, & Vvillichonem huius monasterij abbatem cum suo conuentu, ex alia parte, commutatio talis. Comites præfati dederũt huic monasterio curtem, quam adhuc hodie possidemus pacifice, in Basenheim, cum omnib. pertinentijs suis liberam, absolutam, & immunem ab omni seruitio, precaria & exactione cuiuscunque, in perpetuum possidendam, pro castello Coppenstein cum prouẽtibus suis, vna cum viculis Richvveiler & Geilvveiler, cum decimis, cẽsibus, pratis, agris, siluis, aquis, piscationibus, & alijs pertinentijs vniuersis, vt patet in literis desuper confectis, & præfatorum duorum comitum sigillis roboratis, quarum Datum est *anno Domini* MCCCXXV. *in die S. Laurentii martyris.*

*Militares dicti de Coppenheim vnde venerint.*

Comes iste Iohannes filiam cuiusdam Armigeri sui, virginem satis speciosam, violatam in concubinam habuit, quæ tandem peperit ei filium, quẽ pater comes per Imperatores Ludouicum IIII. & Carolum æque IIII. legitimari fecit, cui inter militares conscripto, titulum præfati castri de Coppenstein dedit, cuius propago generis vsque in præsentem diem multiplicata viget. Denique ad petitionem præfati comitis Iohannis Willicho abbas prædictum filium eius, aduocatum suum in villa monasterij, quæ Avven dicitur, constituit, cui XII. maldra auenæ & totidem pullos ab incolis eiusdem villæ danda singulis annis pro feudo assignauit: ita videlicet, quod senior filius progeniei per successiones legitimas, aduocato mortuo, feudum ab abbate huius monasterii accipiat, iurameatumque faciat, & fidelitatem more Vasallorum abbati promittat. Nil aliud iuris habebit in homines villæ præfatæ, nisi quod sibi constituit abbas, nec grauabit eos in aliquo, quia omne ius in ipsa villa, in pratis, agris, pascuis, hortis, vineis, nemoribus, venationibus, aquis, aquarũque decursibus, vijs & inuijs, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, cum iudicio & iustitia Dominicali, institutione & destitutione Sculteti & Scabinorum ac vniuersali iurisdictione temporali ad abbatem pertinet, cui soli homagium præstabunt incolæ præfati loci & non aduocato. Cum opus fuerit iustitiam facere in causis criminalibus ad interficiendum vel ad mutilandum malefactores, hoc pertinet ad officium aduocati, ita tamẽ, quod de prouentibus ad fiscum pertinentibus, & de mulcta, quam Frevel vocant, abbas recipiat duas partes, & tertiam partem aduocatus. Quod si abbas misericordia motus remittere mulctam pauperibus voluerit, aduocatus contradicendi non habeat potestatem, sed etiam partem suam remittere teneatur. Denique tam ipse aduocatus quã eius hæredes post ipsum, post successum instituendi ipsam aduocatiam nec vendere nec impignorare debebunt, neque etiam pro se alium quemcunque substituere, sine voluntate bona & consensu abbatis.

*Feudũ Aduocatie in Avvge datur Coppenstein.*

*Ius Aduocati in villa nostra Avvgen.*

*Mulctarum pars tertia pertinet ad Aduocatũ.*

MCCCXXVI.

*Curtis in villa Sponheim per abbatẽ emitur.*

Willicho abbas huius monasterij Sponheimensis anno regiminis sui XVII. comparauit curtem in villa Sponheim pro LXX. marcis denariorum Colonienſium, tribus Hallensibus pro vno denario computatis, à Conrado, Rudolpho & Simone fratribus, & filijs Rudolphi quondam militis de Ansbruck, vt patet in literis venditionis desuper confectis, eorumque & Iohannis comitis de Sponheim sigillis roboratis, quarum Datum est *anno Domini* MCCCXIII. *in exaltatione sanctæ crucis.* Et licet emptio facta fuerit anno in literis descripto, tamen ad possessionem hoc anno, qui fuit XVII. sui regiminis, Vvillicho abbas primum potuit peruenire.

*Reynaldus primus dux Gelriæ.*

Eodem anno primus dux Gelrensis nomine Reynaldus, qui patrem suum eiusdem nominis per annos VIII. in castello, quod dicitur Mons fortis, captiuum tenuerat, eo in custodia VII. iduum Octobris mortuo, principatum potenter obtinuit annis ferme XX. quem prius octo annis, quibus patrem tenuit captiuum, administratoris nomine gubernauerat. Fuit autem in ducem creatus per Ludouicum Imperatorem IV. retento cum titulo ducatus Gelriæ comitatu Zutfanienſi annexo vsque in hodiernum diem.

MCCCXXVII.

*Ludouicus rex pro corona Imperij Romani proficiscitur.*

Anno Vvillichonis abbatis XVIII. Ludouicus rex à Iohanne Pontifice Romano sæpius admonitus, vt pro corona Imperij susciperida veniret Auinionem, vbi tum Pontifex morabatur, quod cum nec iustum nec tutum satis æstimaret, cum multis principibus & magno exercitu Romam profectus est, scripsitque Papæ vt aut ipse Romam veniret, aut Cardinales aliquos mitteret, qui eum imperij corona insignirent. Quod facere cum papa contemneret, ipse Ludouicus Romanis fauentibus à quodam episcopo in ecclesia S. Petri se fecit coronari: quod Iohanni Pontifici vsque adeo displicuit, vt eum à communione fi-

delium

delium ecclesiæ Catholicæ duceret remouendum. Habuit autem inter cæteros Principes secum Reynaldum primum ducem Gelriæ, Wilhelmum Comitem Hollandiæ socerum suum, Theodoricum Comitem Cliuensem, Wilhelmum Comitem de Iuliaco, Theodoricum Comitem de Monte, & alios complures, qui omnes magnis expensis & magno exercitu in eius auxilia conuenerunt.

*Vicecomes Mediolanēsis ordinatur ab Imperatore.*

Eodem tempore mortuo Matthæo Vicecomite Mediolanensium Ludouicus Imperator in Italia (sicut diximus) Galeatium filium eius, Iohanni Papæ satis infensum, de eodem ducatu feudauit: quod summo pontifici vltra quam decebat displicebat, dicebatq; ei non licuisse quicquam facere imperatorio nomine, nisi prius à Romano Pontifice in Imperatorem esset coronatus, nec eum etiam post coronationem quicquam iuris in Italia habere: sed Italiā, imo cunctum orbem Romano Pontifici in spiritualibus & temporalibus esse subiectum. Hanc vanitatem Pontificis cum Imperator despiceret, ad instantiā Lupoldi ducis Austriæ Papa, non satis prouide vsus consilio, ipsum Imperatorem excōmunicauit, omnesque qui cum Imperatorem dicerent, excommunicatos, & terras eorū interdicto suppositas esse declarauit, & sequutum est graue scandalum in ecclesia.

*Ecce falli papa.*

*Wolframus fit episcopus Herbipolensis.*

Anno prænotato obijt Gottfridus episcopus Herbipolensis, cui Vvolframus de Grunbach succedens, præfuit annis VI. & ciues suo subesse imperio coegit.

*Synodus celebratur Moguntiæ.*

Eodem quoque anno Matthias archiepiscopus Moguntinus celebrata synodo abbatum & prælatorum multa ad ecclesiasticam vtilitatem necessaria constituit.

MCCCXXVIII.

*Mathias archiepiscopus Mogūtinus obiit.*

Anno Willichonis abbatis nostri XIX. IV. idus Septembris obijt Matthias archiepiscopus Moguntinus, ordinis sancti Benedicti, & in ecclesia Moguntina sepelitur. Quo mortuo archiepiscopus Treuirorum ecclesiam Moguntinam administratorio nomine quasi per triennium gubernauit. Magna fuit his temporibus inter clerum & ciues Moguntinos dissensio, illis pro libertate certantibus, ciuibus autem omnia violari contendentibus: & ista vel prima causa fuit, quod clerus Baldevvinū pro Administratore assumpsit, quem omnes nouerunt virum prudentem & magnanimum, per cuius fortitudinem facile Moguntinensium superbia domari posset. Vnde Administrator factus ad reprimendam eorum temeritatem castrum in Altauilla circa Rhenum à fundamentis erexit, quod Henricus de Virnenburg, qui Matthiæ postea successit, perfecit. Interea dum Baldevvinus Administrationem huiusce modi suscepisset, rogatu Canonicorum & cleri Moguntini Iohannes Papa XXII. præfatum Henricum de Virnenburg, consecratū in archiepiscopum Moguntinum, misit cum mandatis ad clerum & ciues, vt eum sine contradictione pro suo Pontifice susciperent. Canonici autem ecclesiæ præfatæ Moguntinæ præfato Henrico defectus & multa crimina opponentes, contra eum ad sedem apostolicam appellarunt, commendantes secundo castra, ciuitates & munitiones cum tota diœcesi Baldevvino prædicto archiepiscopo Treuirorum. Verum post multas contentiones & lites inter Henricum & capitulum præfatos coram summo Pontifice habitas, tandem Papa duos legatos misit ad Moguntiam, præcipiēs tam Baldevvino archiepiscopo prædicto, vt Administrationem cum castellis & munitionibus vniuersis, in manus eorum traderet, quam Canonicis clero & populo sub excommunicationis sententia, vt Henricum archiepiscopum eis destinatum susciperent. Baldevvinus mandatis Papæ obediens administrationem resignauit, sed clerum cum indignatione recessit. Legati igitur vna cum Baldevvino sæpedicto archiepiscopo Henricum præfatum in sedem archiepiscopalem cum fauore ciuium locauerunt. Interea dum inter ecclesiam Moguntinam & Henricum de Virnenburg istæ contentiones agerentur, ciues Moguntini obsidionem Baldevvini archiepiscopi Treuirorum metuentes, accepto consilio quadam die armati exeuntes, monasteria sancti Albani martyris, sancti Iacobi apostoli in monte speciosо, & sancti Victoris vna cum castello in Wissenavv miserabiliter destruxerunt, sicut luce clarius apparet in ecclesia sancti Albani præcipue, destructionis vestigia monstrāte vsque in præsentem diem. Pro temeritate qua postea citati ad Cameram Imperatoris per prælatos dictorum monasteriorum, ciues Moguntinenses in magna pecuniarum quantitate condemnati fuerunt. Ab illo tempore vsque ad excidium ciuitatis (Deo iniuriam sanctorum vindicante) semper fortuna Moguntinensibus fuit aduersa.

*Castrū inter Alsfel constructur.*

*Contentio inter Henricum & capitulū Moguntinum.*

*Papa Henricum destinauit in archiepiscopū. Monasteria S. Albani, Iacobi, Victoris destruuntur.*

*Bertholdus de Bucheck fit episcopus Spirensis.*

Eodem anno feria IV. ante diem S. Georgij martyris obijt Emicho de Liningen episcopus Spirensis, cui successit Bartholdus de Bucheck, ordinis fratrum Teutonicorū, & vix vno anno præfuit: postea translatus ad ecclesiam Argentinensem per Iohannem Papam XXII. vt in sequentis anni descriptione dicemus.

*Coniuratio 16. comitum aduersus ducem Brabãtia.*

Eodem quoque anno XVI. comites contra Iohannem ducem Brabantiæ coniurantes, aduersus eum processerunt ad bellum iuxta Fexhe & Landen, inter quos ex his terris superioribus fuerunt Iohannes comes de Sponheim, comes quoq; de Katzenelenbogen, Henricus de Bolandia, & comes de Falckenburg: sed contentio tandem per Philippum regem Franciæ sedata fuit.

MCCCXXIX.

*Castrum de Spõheim fit feudum abbatu.*

Hoc anno, qui fuit Vvillichonis abbatis nostri XX. Simon comes de Sponheim, postea quam castrum Sponheim cum Iohanne fratre suo diuiserat, partem suam cum omnib. pertinentibus ad illud, de consensu Dominæ Helizabeth vxoris suæ Vvillichoni abbati huius monasterij dedit, tradidit & resignauit, libere, sponte & voluntarie in perpetuum, & per eum omnibus successoribus suis abbatibus huius monasterij, ita vt comites de Sponheim ab eo detenturi, qui pro tempore senior fuerit, de manu abbatis medietatem ipsius castri cum omnibus pertinentijs suis in feudum accipiat, iuxta tenorem literarum desuper cõfectarum, quas idem comes suo & vxoris suæ præfatæ sigillis roboratas abbati Vvillichoni tradidit: quarum Datum est *anno Domini* MCCCXXIX. *Dominica proxima post festum S. Iohannis Baptistæ.* Hac conditione facta Dominus Vvillicho abbas dictum castrum Sponheim cum omnibus prouentibus & pertinentijs suis Domino Simoni comiti præfato in feudum de nouo concessit, & iuramentum ab eo consuetum accepit. Idem fuit Iohannes comes frater domini Simonis de reliqua parte sua sæpedicti castri, anno sexto postea sequente, sicut ibidem dicemus.

*Simon comes feudum de manu abbatis suscepit.*

*Cuno Wormaciensis episcopus obijt.*

Eodem anno obijt Cuno de Schoneck episcopus Vvormaciensis, qui fratribus Canonicis in Franckenthal permisit proprias domos & mansiones contra regularem institutionem, quam tamen permissionem ante obitum reuocauit. Quo mortuo Baldevvinus archiepiscopus Treuirensium aliquãdiu fuit Administrator ecclesiæ Vvormaciensis, rogatus per capitulum contra Gerlacum Schenck de Erbach, qui dictam sedem inuadere laborabat. Veruntamen cum Baldevvinus postmodum administrationẽ resignasset, Gerlacus non electus neq; postulatus, sed violenter intrusus, episcopatum Vvormaciensem quasi per triennium occupauit, & (sicut dicebatur) sine confirmatione.

*Baldevvinus archiepiscopus Treuirensis fit Administrator eccle siæ Wormatiensis.*

*Baldevvinus fit Rector 4. episcopatuum.*

Eodem quoq; anno Bertholdus episcopus Spirensis autoritate Iohannis Papæ XXII. ad episcopatum Argentinensis ecclesiæ translatus est, & Baldevvinus archiepiscopus Treuirorum per capitulum Spirensis ecclesiæ Administrator constitutus est: eratque latis rarum quod vnus homo simul & semel esset archiepiscopus Treuirorum, & Administrator tum Moguntinæ, Vvormaciensis & Spirensis ecclesiarum. Sed fuit homo dignissimus, qui ad regimen natura & gratia erat dispositus, in omnibus ecclesiarum studens vtilitati.

MCCCXXX.

*Walramus fit episcopus Spirensis.*

Anno Vvillichonis abbatis nostri XXI. Vvalramus filius comitis Veldentiæ factus est episcopus Spirensis, promotione Baldevvini archiepiscopi Treuirorum, qui post translationem Bertholdi episcopi ad Argentinam (sicut diximus) episcopatus eiusdem ecclesiæ Administrator fuit, & præfuit idem Vvalramus ecclesiæ Spirensi annis VI.

*Gerlacus fit episcopus Wormatiẽsis.*

Eodem quoque anno Baldevvino præfato archiepiscopo Administrationẽ Vvormaciensis ecclesiæ resignante, Gerlacus Schenck de Erbach (de quo iam supra diximus) episcopatum eiusdem ecclesiæ assumpsit, & præfuit annis II.

*Henricus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem quoque anno post longam concertationem in curia papali habitam clerus Moguntinus & ciues per Iohannem Papam XXII. compulsi fuerunt, Henricum de Vinenburg cognomento Buſman, in archiepiscopum suum ab eodem consecratum suscipere, qui per duos legatos apostolicos ad hoc missos, Baldevvino Treuirorum archiepicopo administrationem, quam ferme triennio gesserat, resignante, in possessionem omnium bonorum archiepiscopatus introductus præfuit annis XV. Iste autem Henricus archiepiscopus castrum, Altauilla * dictum, à Baldevvino archiepiscopo Treuirensi, Moguntinæ ecclesiæ Administratore, inchoatum (sicut dictum est) consummauit.

* *Elfeld.*

*Filij Rudolphi comitis Palatini patri succedũt.*

His quoque temporibus Ludouicus Imperator videns elegantiam filiorum Rodolphi fratris sui, comitis Palatini, quem cum Friderico duce Austriæ sentientem in Angliam (sicut diximus) fugauerat, ait: *Pater eorum peccauit in me, non filii: Nunquid ergo portabunt iniquitatem Patris innocentes filii? Absit.* Iussit ergo filijs reddi omnia, quæ patri abstulerat. Principatum videlicet comitatus Palatini cum alijs in Bauaria, in Amberg & Napurgi, caeterisque vniuersis quæ pater eorum possederat. Fuerunt autem filij Rodolphi tres, quorum ista sunt nomina: Rodolphus primogenitus, homo non multum sapiens nec astutus, vxorem habuit sororem Ludouici regis Vngariæ, de qua genuit filiam vnicam nomine Margaretham

*Nomina filiorum Rodolphi comitis Palatini præfati.*

garetham, quæ nupsit Carolo regi Bohemiæ, qui post Ludouicum factus fuit Imperator Romanorum. Rupertus secundogenitus sine liberis obijt, ante chorum ecclesiæ in Noua ciuitate sepultus. Adolphus vltimogenitus, qui principatum comitatus Palatini & Electoriæ dignitatis obtinuit, vxorem duxit filiam Comitis de Oetingen, de qua genuit Rupertum Comitem Palatinum Rheni & ducem Bauariæ, de quo postea suo loco continuabitur historia. *Neuvstatt an der Hart.*

MCCCXXXI.

Anno Willichonis abbatis nostri XXII. Iohannes Comes generosus de Sponheim ad instantiam Vvillichonis abbatis, curiam nostram in Gentzingen, & omnia bona ibidem ad præsens monasterium pertinentia ab omni seruitio, precaria exactione, & quouis gravamine in perpetuum liberauit, pro se & cunctis hæredibus suis, cum cõsensu Domini Simonis fratris sui, & Vvalrami filij eius, Comitum de Sponheim: pro qua libertate idem abbas Vvillicho & conuentus huius monasterij ipsi Comiti & hæredibus eius in proprietatem & possessionem perpetuam tradiderunt molendinum in Rudesheim, & pristinum in Gentzingen, cum omnibus prouentibus eorum, vt patet in literis desuper ab eodem Comite confectis, suo ac fratris, fratrisque filij supradictis sigillis roboratis, monasterioque traditis: quarum Datum est *anno Domini* MCCCXXXI. *in medio Quadragesimæ, Dominica Lætare.* *Curiã nostra in Gentzingen à seruitio liberatur.*

Eodem anno Baldevvinus archiepiscopus Treuirorum capellã S. Albani cum horto adiacente extra muros Treuirensium, ab abbate & conuentu cœnobij S. Matthiæ precio comparans, monasterium Cartusiensis ordinis ibidem construere cœpit, quod in decem annis ad statum debitum consummando perfecit, & anno Dominicæ natiuitatis MCCCXL. Ecclesiam eiusdem cœnobij consecrauit. *Carthusia apud Treuerim à Baldevvino fundatur.*

Idem quoque archiepicopus circa hæc tempora pontem lapideum super Mosellam apud Confluentiam magnis sumptibus & impensis de nouo construxit, statuens omnes homines diœcesis Treuirensis, cuiuscunq; status aut conditionis fuerint, libere posse trãsire per illum. Cæterorum autem qui extra diœcesim oriundi per pontem transire voluerint (clericis exceptis) quemlibet dare debere ad cõseruationem ipsius pontis vnum obulum, quos ab Hallis Hallenses vocant. *Pons apud Confluentiã super Mosellam cõstruitur.*

MCCCXXXII.

Hoc anno, qui fuit Willichonis abbatis huius monasterij XXIII. dominus Iohannes Comes de Sponheim supradictus cum consensu fratris sui Comitis Simonis, & Walrami filij eius, locauit abbati & conuentui huius monasterij omnem iurisdictionem & districtum (quem vocant Baũ) molendini & pistrini in villis Sponheim & Bockenavv ad firmum, hoc est perpetuo, secundum tenorem literarum, quas idem Comes desuper fieri fecit, abbatique tradidit: quarum Datum est *anno Domini* MCCCXXXII. *in die sancto Paschæ.* *Molendini & pistrini iurisdictio datur monasterio.*

Eodẽ anno XV. calen. Ianuarij obijt Gerlacus Schenck de Erbach episcopus Wormacienſis, cui Salamannus ex Moguntia oriundus succedens, præfuit annis ferme XXIII. Iste Salamannus episcopatum Wormacienſem à Iohanne Papa XXII. obtinuit, & ab eius successore Benedicto consecratus fuit: quem cum Vvormacienses susciperе in episcopum recusarent, ciuitas ipsa cum habitatoribus suis ad tempus interdicto subiacuit, & plures ex Canonicis, maxime S. Cyriaci in Neuhusen, apostolicis mandatis inobedientes excommunicati fuerunt: quos tandem satisfactione præmissa, authoritate apostolica idem episcopus absoluit. *Salamãnus fit episcopus Wormatiẽsis.*

Eodem quoque anno VII. calen. Ianuarij obijt Henricus XVIII. Prior huius monasterij Sponheimensis, anno officij sui XXIX. ætatis vero LVI. nondum completo, vir bonus, deuotus, & regularis obseruantiæ amator præcipuus, sub cuius manu & directione monasticæ conuersationis integritas satis competens in hoc monasterio viguit, quanquam ad primæuæ institutionis feruorem non fuerit vsque adeo reducta. Post hunc dominus Vvillicho abbas Vvernherum huius cœnobij monachum ordinauit Priorem XIX. qui in officio Prioratus præfuit annis VI. de cuius vita, zelo & conuersatione nihil specialiter inueni, nisi hoc solum, quod post mortem Henrici Prioris, cum Vvillicho abbas iam senuisset, obseruantia regularis disciplinæ paulatim deficere cœpit, quousq; tandem ex toto per annos ferme CXXXVII. collapsa iacuit. *Henricus Prior 18. meritur.* *Wernherus fit Prior huius loci 19.*

Eodem quoq; anno cõsulatus ciuitatis cum regimine in Argentina cõmutatus est. Nam cum Nobiles eatenus Rempublicam per annos multos gubernassent, & ciues nimium grauarent, tandem hoc tempore ciuitas se contra Rectores erigens, eo vsq; produ- *Regimen ciuitatis Argentinẽsis in alium statum mutatur.*

xit negotium, quod Nobiles relicta ciuitate in contemptum ciuium sese foras ad castella diuersa contulerunt, existimantes quod ciues per hoc ad obedientiam reuerentiamque sui maiorem essent inducturi: sed res aliter quam sperauerant accidit. Exeuntibus enim illis ciues maturo consilio præhabito portas clauserunt, & nouum consulatum ex ciuibus & ignobilibus idoneis tum instituentes, publico decreto sanxerunt, quod eorum qui ciuitatem exierant nullus deinceps regredi in illam permitteretur. Et ex eo tempore vsque in hodiernum diem ad regimen ciuitatis vnus ex ciuibus, quem nulla generis nobilitas extolli singulis annis in Magistrum cæterorum totiusque Reipublicæ assumi consuemit.

MCCCXXXIII.

*Otto fit episcopus Herbipolensis.*

Anno Willichonis abbatis huius monasterij XXIV. obijt Wolfframus episcopus Herbipolensis pridie calend. Iulij: cui Otto Wolffskeel succedens præfuit annis XV. promotus & ordinatus Leodij XXI. die mensis Iulij per Iohannem Papam XXII. contra Hermannum de Leichtenberg Ludouici Imperatoris Cancellarium, in odium ipsius Imperatoris. Sicut enim in superioribus diximus, mortuo Henrico Imperatore VII. Ludouicus comes Palatinus Rheni & Bauariæ dux, frater Rodolphi comitis Palatini, electione Principum, deuicto Friderico Austriæ duce, in regem fuit sublimatus anno Domini MCCCXIIII. Indictione XII. qui mox in magna discordia cum Papa Iohanne XXII. venit tali occasione. Rex Ludouicus Cancellarium quendam habuit nomine Vdalricum de Augusta, hominem temerarium & superbum, cleri & ecclesiasticæ dignitatis ac libertatis aduersarium, qui in literis, quas Imperator scribi ad Papam mandauerat, falsa pro veris inferens, Papam appellauit *Bestiam de mari ascendentem*; & similia complura posuit: per quæ Papa ad magnam indignationem prouocatus fuit, & Imperatorem cum omnibus sibi adhærentibus excõmunicauit. Hanc malitiam suam idem Cancellarius tandem in mortis suæ articulo confessus est, Verum postea anno Domini MCCCXXVII. Ludouicus Romam profectus Papæ reconciliatus est, & accepta benedictione papali ad propria absolutus remeauit. Ad hunc Ludouicum Imperatorem excommunicatum Wilhelmus Ockam, natione Anglicus, ordinis fratrum Minorum, vir in Philosophia & sacris literis doctissimus, à Iohanne Papa XII. nescio ob quam causam exacerbatus confugiens, eius defensionem implorauit, dicēs: *Imperator iustissime, tu me armis, ego te scripturis defendere contra iniurias Papæ & possum & vole:* manſitque apud eum vsque ad diem mortis suæ, & multa horrenda contra eundem Papa scripsit.

*Causa discordiæ inter Papam & Ludouicum Imperatorē. Vide Apocal. 13. Cap. 1. Et nota tũ tẽporis ista de regno Antichristi interpretata fuisse: & Papatũ esse illud regnũ.*

*Concordia inter Papam & Imperatorẽ facta.*

*Wilhelmus Ockam venit ad Imperatorem.*

Hoc ipso anno magna creuit abundantia vini, ita vt tempore vindemiarum præ vbertate nimia vasa multis deficerẽt, & vas vnum pro altero impleretur optimo vino, vendebanturque pro vno denario Hallensi duæ mensuræ boni vini.

*Abundãtia vini.*

MCCCXXXIV.

*Walramus fit episcopus Colonienſis.*

Anno Willichonis abbatis huius monasterij XXV. obijt Henricus archiepiscopus Colonienſis, cui Walramus filius Gerardi comitis Iuliacensis, præpositus Leodiensis & Thesaurarius Colonienſis, vir in vtroque iure doctissimus successit, & præfuit annis XVI. mensibus VI. diebus 19. homo pacificus, qui ecclesiam sibi commissam in bona pace satis strenue & vtiliter gubernauit. Iste Walramus archiepiscopus inter multa ædificia quæ tempore sui pontificatus in diuersis locis construxit, etiam cœnobium Cartusiensium in Colonia fundauit, quod pro sustentatione fratrum honeste dotauit: quanquam successu temporis tam in reditibus quam in structuris ex oblatione fidelium mirum in modum sit ampliatum.

*Carthusia in Colonia fundatur.*

*Bellũ inter comites Spõheimenſes & archiepiſcopum Treuirorum.*

His quoque temporibus Adolphus Comes Palatinus Rheni, Iohannes & Simon comites de Sponheim, Comes quoque de Nassavv, & Comes Syluestris de Duna, mutuo confœderati ad inuicem contra Baldevvinum episcopum Treuirorum arma sumpserunt. Quod cum ille resciſſet, cum magno suorum exercitu cõtra comites de Sponheim & Syluestrem, quorum terræ viciniores fuerant, egressus, multa eis damna intulit: Sprendlingen castrum Iohannis comitis de Sponheim violẽter obtinuit, & vsque ad Creutzenacht oppidum eiusdem comitis incendia inferendo & prædas, vsque ad portas peruenit, multaque damna in bladis & vino eidem fecit. Posthæc dimisso oppido Creutzenacht, quia ipsum expugnare non poterat, cum exercitu ad Sponheim perueniens, omnia quæcunque extra castrum reperit crudeliter deuastauit, incẽdens & deuastans omnia: municipiũ quod fuerat ante castrum incendio concremauit, incolas cepit, spolia & prædas omnium quæ reperisset abduxit: omnes in circuitu villas Sponheim, Beckenavv, Beckelnheim, Rudesheim, Weinesheim, cum cæteris adiacentibus incendio consumpsit. Monasterijs autem & ecclesijs pepercit, præter curtes, in villulis comitatus sitas, quas vorax flamma vna cum domibus

*Castrum in Sprendlingẽ destruitur.*

*Villæ comitatus Sponheim comburuntur.*

domibus rusticorum cõsumpsit. Deinde mouit exercitum ad castellum, quod erat domini Simonis senioris comitis, fratris videlicet Iohannis supradicti, illud obsidione vallauit, & multa in circuitu damna, incendio & præda, exercuit. Quod cernẽs vxor domini Simonis, nata de Falckenburg, neptis illius archiepiscopi, comitissa illius terræ, castellum cum infantibus suis exiuit, & se coram episcopo ad genua ponens dixit: *Quid facis? ô Pater reuerende, nunquid carnem & sanguinem tuum, quem ab aliorum iniuriis defensare debueras, ad egestatem deducere pergis? Parce obsecro nepti, parce sanguini, parce nepotibus tuis.* His dictis à comitissa Baldevvinus archiepiscopus misericordia motus est, & data pace comitibus obsidionem soluit. Facta est itaque inter ipsum archiepiscopum Treuirensem & præfatos comites Sponheimenses concordia & pax, & reconciliati ab inuicem recesserunt. Porro comes Sylvestris in quodam castro, Felsberg dicto, se continuit: quod posteaquam Baldevvinus archiepiscopus percepit, illud obsidione cingens cepit & funditus destruxit, ipsumque comitem ad deditionem sui coartauit. Acta sunt hæc anno Domini MCCCXX. indictione III.

*Castellum obsidione vallatur. Comitissa misericordiã impetrat.*

*Pax inter comites & archiepiscopum reformatur.*

Posthæc anno Domini MCCCXXVIII. inter Baldevvinum episcopum præfatum & comitissam de Starckenburg suborta est quædam contentio super quibusdam bonis in Birckenfeld, vnde archiepiscopus contra ipsam comitissam coadunare exercitum decreuit, sed per industriam Henrici. Comitis de Sponheim præpositi Aquensis, & Emerici de Lapide militis, pro comitissa laborantium, intentio archiepiscopi præpedita fuit. Contigit interea Baldevvinum archiepiscopum per Mosellæ alueum, in nauicula occultatum, ad Confluentiam velle descendere, qui comitissæ proditus, ab ea captus est, & in præfato castro Starckenburg aliquandiu detentus. Tandem à captiuitate ipsa triginta millibus florenorum aureorum se redemit, renunciauitque omnibus bonis in Birckenfeld, pro quibus contentio exorta fuerat. De hac pecunia eadem comitissa castrum, Fravvenburg dictum, construxit, quod modo in ditione Iohannis ducis de Siemern est positum.

*Archiepiscopus Treuirensis capitur à comitissa de Starckenburg.*

*Fravvenburg castrũ.*

MCCCXXXV.

Hoc anno qui fuit Willichonis abbatis nostri XXVI. Iohannes Comes de Sponheim frater Simonis comitis, partem castri sui Sponheimensis se concernentem, cum omnibus attinentijs eius, abbati Vvillichoni & successoribus eius abbatibus huius monasterij, in perpetuum tradidit, ita videlicet, vt abbas, qui pro succedente tempore fuerit, illud in feudum seniori ex comitibus, qui Dominus in Creutzenacht exstiterit, tradat, iuxta tenorem literarum, quas idem Comes desuper confectas, suoque munitas sigillo abbati tradidit: quarum Datum est *anno à Christi natiuitate* MCCCXXXV. *sexta feria post diem decollationis S. Iohannis Baptistæ.* Et sic totum castrum Sponheim deinceps cum omnibus ad illud pertinẽtibus de feudo pendet abbatis huius monasterij. Nam quod Iohannes de sua parte hoc anno præstitit, hoc idem Simon frater eius, qui aliam partem in diuisione susceperat, ante annos sex (sicut ibidem diximus) fecit.

*Castrum Sponheim feudum fit de manu abbatis.*

Eodem anno in die Simonis & Iudæ apostolorum maximus vẽtus in omnibus partibus his & circa Rhenum fuit, qui multa ædificia & arbores subuertit.

*Ventus magnus,*

MCCCXXXVI.

Anno Vvillichonis abbatis XXVIII. in die S. Augustini episcopi obijt Vvalramus episcopus Spirensis, sepultus Spiræ in ecclesia fratrum prædicatorum ante summum altare, cui successit Gerardus de Ernberg, electus in die S. Catharinæ virginis & martyris: præfuit annis XXVII. mense vno, diebus VI.

*Gerardus fit episcopus Spirensis.*

Eodem anno ciuitas Mechlinien sis cœlesti igne succẽsa, in die corporis Christi exusta fuit miserabiliter.

MCCCXXXVII.

Hoc anno abbas huius monasterij XI. Dominus Vvillicho (qui etiam dicebatur Vvilhelmus, vt patet in sigilli eius superscriptione) XVI. calen. Aprilis in Domino quieuit, sepultus in choro ante gradus presbyterij, qui multa bona fecit huic monasterio. Inprimis anno regiminis sui VIII. impetrauit à Iohanne Papa XXII. confirmationem omnium bonorum huius monasterij, vt patet in ipsa bulla, cuius tenor sequitur & est talis:

*Willicho abbas XI. moritur.*

*Iohannes episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis abbati & conuentui monasteri S. Martini in Sponheim, ordinis sancti Benedicti, Moguntinensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est ac honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis petitionibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum, in quo di-*

*Bulla confirmationis bonorũ huius monasterij.*

*Personas & locum sub protectionē Apostolicā recepit.*

*Possessiones omnes confirmat,*

*uino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, & in futurū iustis modis (præstante Domino) poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem decimas, domos, possessiones, nemora, prata, molendina & alia bona vestra sicut ea iuste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem monasterio authoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, salua in prædictis decimis moderatione concilij generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni* III. *idus Maij, anno pontificatus nostri* II.

Alia quoque multa pro vtilitate & libertate huius monasterij fecit, quorum aliqua in superioribus per seriem annorum signauimus, cætera silentio transire hoc loco decreuimus.

## *DE HENRICO, HVIVS MONASTERII ABBATE XII. qui præfuit annis* II. *mense* I. *diebus* VI. *& gestis eius perpaucis.*

*Henricus sit 12. abbas huius monasterij.*

POST mortem Domini Willichonis, XI. huius monasterij abbatis, conuenientes ad locum deputatum fratres, inuocata gratia spiritus sancti, in abbatem elegerunt Henricum huius conuentus monachum, ex Creutzenacht oriundum: qui confirmatus ab Henrico archiepiscopo Moguntino, munus benedictionis ab eius in pontificalibus Vicario, fratre Alberto episcopo Ibinensi, Moguntiæ in ecclesia fratrum Prædicatorum suscepit, prima Dominica post octauas festi Paschalis, & præfuit huic monasterio annis II. mense vno & VI. diebus.

*Iterū facta est diuisio inter abbatem & conuentum,*

Eius tempore disciplina regularis obseruantiæ nimium deficere cœpit, & monachi peculium denuo sibi vsurparunt, & facta est inter ipsum abbatem & conuentum diuisio redituum, in graue dispendium huius monasterij: quæ duravit vsque ad reformationem nouissimam, quæ facta fuit ex monasterio sancti Iacobi prope Moguntiam anno Domini MCCCLXIX. & monasterij substantia per successum temporis nimium extenuata, tandem quasi ex toto fuit dissipata. Mortuo enim Vvillichone abbate, qui reformationem à Dietlibo inceptam continuauerat, non fuit qui monasticæ institutionis integritatem curaret, cœperuntque monachi post diuisionem generalem, quilibet etiam pro se, habere peculium, & in omnem se licentiam sine alicuius prohibitione diffundere.

*Libri bibliotheca destruuntur.*

Bibliothecam à principio fundationis monasterij satis locupletem, varijsque voluminibus refertam, tui piter destruxerunt, vendentes preciosa volumina pro vili precio, vt suis comessationibus & voluptatibus satisfacere possent. Hic autem Henricus fuit (sicut dictum est) ex Creutzenacht oriundus, parentela humili procreatus, cuius pater Albertus, comitum de Sponheim pincerna fuit, missus ad scholas, non literis sed vanitati operam dedit, & propterea Idiota permansit. Ad petitionem autem comitum, ad monachatum huius cœnobij sub Domino Vvillichone susceptus est, & post mortem eius in abbatem, patris intuitu potius quam diuini timoris, ordinatus. Ipse nihil pro vtilitate huius monasterij fecit, sed econtrario multa potius eidem damna intulit.

*De Henrico abbate qualis fuit.*

In primis enim (quod damnorum omnium fuit grauissimum) disciplinam obseruantiæ regularis perire fecit, monachis peculium indulsit, diuisionem reditvum inter se & conuentum cōtra monasticam institutionē instituit. In primo namq; anno regiminis sui magnā partem nemorū & syluarū inter Wiler & Argenschvvangā monasterio alienauit, & in omnibus actionibus suis incircumspectus & nimium negligens semper exstitit.

*Nemoris pars à monasterio alienatur.*

MCCCXXXVIII.

Anno primi Henrici abbatis Wernherus Prior huius monasterij XIX. Præpositus monialium in Ibingen factus est, ad mandatum Henrici archiepiscopi Moguntini post quem Philippus de Sponheim, dictus Meysvvein, in Priorem fuit constitutus: fuitque in ordine priorum huius monasterij XX. & præfuit in ipso officio Prioratus annis XII. & tunc post Vvilhelmum electus in abbatem, quemadmodum suo loco dicemus.

*Philippus Meysvvin fit Prior 20.*

Eodem anno dedicatio ecclesiæ nostri monasterij à Dominica proxima ante natiuitatem sancti Mariæ virginis translata est in Dominicam proximam post festum sancti Martini archiepiscopi, per Albertum episcopum Ibinensem, Henrici archiepiscopi Moguntinensis in pontificalibus Vicarium generalem, vt patet in literis sequentibus:

Nos

*Nos frater Albertus Dei gratia Ibinensis ecclesiæ episcopus, vices gerentes venerabilis in Christo Patris ac Domini nostri Henrici archiepiscopi Moguntini in pontificalibus gerentes, vniuersis in Christo fidelibus, ad quos præsentes peruenerint literæ salutem & sinceram in Domino charitatem. Cupientes quosque Christi fideles ad pietatis opera, modis conuenientibus & Deo placitis inuitare, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad monasterium S. Martini in Sponheim manus porrexerint adiutrices, vel ad ipsum causa deuotionis & orationis accesserint in singulis festiuitatib. gloriosæ semper virginis Mariæ, omnium apostolorum, Patronorum & dedicationis, aut qui corpus Christi sequuntur dum fuerit ad infirmum seu infirmos deportatum, vel qui cœmiterium seu ambitũ circumierit, orando pro omnibus fidelibus inibi & vbiq; defunctis, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum gratia confisi, autoritate nostra qua fungimur, de iniunctis eis pœnitentiis XL. dies indulgentiarum, cum vna Karena, in domino misericorditer relaxamus. Insuper dedicationem monasterii prælibati huc vsque Dominica die proxima ante diem natiuitatis beatæ Mariæ virginis celebratam, in Dominicam diem proximam post diem S. Martini transposuimus, in nomine Patris & Filii & spiritus sancti perpetuo celebrandam. Datum & actum nostro sub sigillo in testimonium singulorum, anno Domini* MCCCXXXVIII. *in vigilia S. Bartholomæi apostoli.*

*Copia Indulgentiarum vnius episcopi.*

*Dedicatio nostra trasferuntur per eundem episcopum.*

Eodem quoque anno Eduardus secundus rex Angliæ venit ad Imperatorem Ludouicum apud Confluentiam, postulans ab eo auxilium contra regem Franciæ: cui Ludouicus accepta magna pecunia promisit suffragium, sed non seruauit promissa, & rex Angliæ pecuniam datam non recepit.

*Rex Angliæ venit ad Imperatorem.*

Eodem etiam anno Reynaldus Comes Gelriæ (qui postea primus in ducem creatus est) magnum produxit exercitum contra Leodienses, qui anno priore, absente illo & cum Imperatore existente, terram eius incendio & præda miserabiliter vastauerant, habens secum Adolphum episcopum Leodiensem, quem ciues ignominiose dudum expulerant. Ex aduerso Leodienses nostri exercitum producentes multo maiorem, non longe à Traiecto superiore conuenerunt, & conserto prælio satis miraculose per Comitem supradictum cum paucioribus victi, multis eorum captis, de quorum præda diues & inclytus factus est. In hoc certamine plus quam IX. millia pugnantium ex vtraque parte cecidisse ferebantur. Victoriam vero tam insignem consequutus Reynaldus Comes, non solum diues ex præda & captiuorum redemptione factus est, sed etiam nominatus & famosus in omni terra, cunctisque principibus gratus: multaque fortalitia & castella construxit, ac comitatum suum ampliauit.

*Bellũ inter Leodienses & comitem Gelriæ.*

*Comes Gelriæ victor exstitit.*

MCCCXXXIX.

Anno Henrici abbatis huius monasterij secundo, in die sancti Kiliani martyris, circa meridiem fuit eclipsis solis magna quæ plus quam ad duas horas durauit, & in eodem anno postea in autumno Svvitenses in Verona plures occiderunt.

*Eclipsis solis magna.*

Hoc ipso quoq; anno Baldevvinus archiepiscopus Treuirorum maximam summã pecuniarum mutuauit Edvvardo regi Anglorum, recipiens ab eo pro pignore Coronam regalem, inæstimabilis precij clenodium. Diffidauerat enim anno priore idem rex Philippum regem Franciæ propter comitatum Normandiæ, quem ad se hæreditario iure pertinere asserebat: multisque ex Alemania conductis stipendio magno principibus atque Nobilibus, Franciam in manu valida ingreditur, incendio & præda (licet parum sibi profecerit) in aduersarios debacchabatur.

*Bellũ inter Angliæ & Franciæ regem.*

Eodem anno Ludouicus Imperator, conuocatis omnibus regni principibus, in medio Quadragesimæ, curiam ad Franckfordiam celebrauit: vbi inter alia, residens in maiestate sua imperiali, Reynaldum Comitem Gelriæ, propter singularem prudentiam eius & res magnifice gestas, de comitum numero assumens ad cœtum ducum locauit, creans eũ in ducem Gelriæ, titulo Zutphanię comitatus adiecto, qui fuit vndecimus Comes in ordine successionis qui Gelriam rexerunt, factusque est ex Comite primus dux, de quo supra ante XIII. annos diximus. Eodem quoque tempore Wilhelmus Comes Iuliacensis in Marchionem est sublimatus per Ludouicum Imperatorem de consensu omnium principum, propter multas virtutes eius & magnifice gesta, quibus dignus videbatur.

*Conuentus Principum Franckfordiæ.*

*Comes Gelriæ in ducẽ creatur.*

*Comes Iuliacensis fit Marchio.*

MCCCXL.

Hoc anno maxima per omnem fuit Alemanniam pestilentia, & multa hominum millia prostrauit, magna quoque fames subsequuta est, fuitque & miseria viuere & mori periculum.

*Pestilentia & fames magna.*

Cometa in Quadragesima circa Dominicam Lætare apparuit.

Eodem anno Edvvardus rex Angliæ circa natiuitatem S. Iohannis Baptistæ ma-

*Expeditio secunda regis Angliæ in Frãciam.*

re transiens expeditionem secundo mouit in Franciam, & multis ex Francigenis interfectis, multisq; occisis glorioſe triumphauit.

*Castrũ Duna obsidione vallatur.*

Hoc ipso quoque anno Baldevvinus archiepicopus Treuirorum Dunam castrum comitis dicti Syluestris obsidione vallauit: ad cuius domandam insolentiam castrum de nouo constructum, quod montem S. Iohannis appellauit, tandemque ipsum comitem in deditionem venire coegit. Walramus quoque comes de Sponheim contra præfatum archiepiscopum multa patrauit: vnde commotus denuo contra eum processit, veniensque vsque ad Creutzenacht multa incendio & præda in comitatu damna fecit. Verum Ludouicus Imperator vices suas interponens concordiam & pacem fecit.

*Comes Walramus de Sponheim.*

*Hẽricus abbas huius monasterij 12. obiit.*

Eodem anno VI. calen. Maij obijt Henricus abbas huius monasterij XII. in corpore ecclesiæ ante altare S. crucis sepultus, vacauitque abbatia diebus V. Reliquit autem posteris testamentum non bonum, qui prouentus in possessiones monasterii cum conuentu diuisit, monachosque iterum fecit esse proprietarios, quemadmodum & Petrus abbas olim fecerat anno Domini MCCLXX (vt supra dictum est) non attendens pietatem abbatum Dietlibi & Willichonis prædecessorum suorum, qui hoc vitium iuxta præceptum regulæ radicitus amputantes, substantiam & prouentus monasterij cum lucro animarum magnifice auxerunt. Cum primum inter abbatem & conuentum diuisio redituum facta est, & peculium monachi resumpserunt, mox cum disciplina regulari mox perire cœpit & substantia temporalis, ad tantamque inopiam & paupertatem in paucis annis deuenerũt, vt cum pauci essent numero in hoc loco monachi, vix haberẽt de cunctis monasterij prouentibus vnde viuerent. Sed nunc ad historiam continuandam calamum dirigentes narrationem faciemus.

## *DE WILLICHONE SECVNDO, HVIVS MONASTERII SPONheimensis abbate XIII. qui præfuit anno I. mensibus III. & diebus IV. gestisque eius.*

IGITVR post mortem Henrici, abbatis huius monasterij XII. conuenientes in locum capitularem fratres anno prænotato Dominicæ natiuitatis MCCCXL. indictione VII. II. die mensis Maij post longam deliberationem præhabitam, tãdem in abbatem huius cœnobij tertium decimum vnanimiter elegerunt Cellerarium monasterij, monachum hic à iuuentute sua professum, nomine Willichonem, filium Iohannis militis de Sponheim, cognomento Bruder: qui confirmatus per Henricum archiepiscopum Moguntinum, & ab eius Vicario in pontificalibus fratre Alberto Ibinensi episcopo benedictus præfuit dũtaxat vno anno, mensibus tribus, quatuor diebus. Oriundus fuit (sicut diximus) de Sponheim honestis parentibus, militaris ordinis, cuius pater Iohannes Domini Simonis comitis miles & Secretarius fuit: mater vero Gertrudis filia Wilhelmi militis de Sobernheim fuit, qua post annos à partu seu natiuitate filij X. mortua, pater secundã duxit vxorẽ Mechthildem, filiam cuiusdam militaris de Winnesheim, quæ cum filios & filias plures peperisset, præcedentes filij ad diuersa monasteria instinctu eius ad seruiendum Deo à patre traditi sunt. Igitur Vvillicho cum esset in iuuenili ætate constitutus, sub Vvillichone abbate monachus factus est, deinde post annos aliquot in Cellerarium constitutus, & postremo in abbatem (sicut diximus) est ordinatus: qui statim in principio suæ promotionis portionem maternæ hæreditatis se concernentem, à patre suo repetijt, pro qua monasterio certa bona in Bockenavv (sicut anno sequente dicemus) acquisiuit. Erat autem homo satis industrioſus & prouidus, de quo certa spes habebatur, si nactus vitam fuisset longiorem, quod substantiam rei temporalis huic loco magnifice auxisset.

*Willicho secundus fit abbas huius monasterij 13.*

*Genus & origo Willichonis.*

### MCCCXLI.

Cum Vvillicho abbas à primo anno promotionis suæ maternæ hæreditatis portionem à patre suo postulasset, & ille minus voluntarius ad dandum aliquid monasterio videretur, consilio tandem & authoritate domini Simonis comitis de Sponheim inductus postulationibus filij sic condescendit. Inprimis ergo dedit ei, & per eum huic monasterio, in perpetuam possessionem curtim in Nosbach cum agris, pratis, pascuis, aquis, vijs & inuijs, cultis & incultis, cum omnibus prouentibus & attinentijs suis, vna cum domibus, capella & omnibus inquisitis & inquirendis, traditione liberrima, sine aliquo grauamine debitis, precaria, vel cuiuscunque exactionis impedimento. In Bockenavv quoque idem miles certa bona in agris, pratis & hortulis habuit iure feudali à Domino

*Curtis Nosbach monasterio datur.*

mino Georgio Comite Feldensi,quæ de consensu eius abbati & conuentui huius monasterij pro certa summa pecuniarum vendidit in perpetuam possessionem, vt patet in literis quas de consensu Mechtildis vxoris suæ scriptas & sigillatas filio & conuentui tradidit: quarum Datum est *anno Domini* MCCCXLI: *Dominica in medio Quadragesimæ*. Præscripta bona villanis in Bockenavv pro annuis censibus ad firmum sunt partim locata, partim vero ad vsum colonorum curtibus nostris distributa. Sed & alia bona quoque nonnulla præfatus miles Vvillichoni abbati filio suo & monasterio huic in perpetuum possidenda tradidit,de quibus mentionem facere per singula superfluum in hoc opere iudicamus.

*Bona quædã in Beckenavv empta per abbatem.*

Eodem anno Comes de Eisenburg,in nundinis S. Remigij in ciuitate Colonienſi interfecit dominum Stephanum militem de Oirsbeck,publice in quodam sociali hastiludio præter voluntatem suam,qui fracta ceruice subito exspirauit, & etiam mortuus non cecidit,sed erectus in sella sedendo super equum,quousq; deponeretur manibus familiarium,permansit,quod magnæ fortitudinis signum fuit.

*Quidam in hastiludio perit.*

Hoc ipso anno VIII. iduum Augusti obijt Vvillicho secundus,abbas huius monasterij XIII. vir in cura rerum temporalium satis prouidus & expertus: qui si diutius viuere potuisset,prouentus & possessiones monasterij proculdubio ampliasset. Veruntamen peculium monachis non abstulit,nec diuisionem redituum ad communem vsum (vt decuerat)reuocauit.

*Willicho secundus abbas moritur.*

## *DE WILIHELMO, ABBATE HVIVS MONASTERII SPONHEImensis* XIIII. *qui præfuit annis* IX. *& de gestis eius,variisque incidentiis illius temporis.*

MORTVO autem domino Vvillichone secundo, huius monasterij abbate XIII. ac corpore eius sepulturæ more ecclesiastico, tradito, conuenientes ad locum capitularem fratres pro nouo super se constituendo pastore,inuocata gratia spiritus sancti,anno prænotato Dominicæ natiuitatis MCCCXLI. indictione IX. in die S. Cyriaci sociorumque eius martyrum,quæ est VI. iduum Augusti,vnanimiter elegerunt Vvilhelmum de Beckelheim,monachum huius cœnobij professum,virum prudẽtem, & pro consuetudine illius temporis satis religiosum,qui confirmatus per Henricum archiepiscopum Moguntinum, & per eum in pontificialibus Vicarium, Rudolphum episcopum Salonienſem benedictus,infulaque ex more decoratus,præfuit annis nouem satis vtiliter, & census monasterij pro viribus ampliauit. Oriundus fuit ex villa Beckelnheim parentibus honestis,& de militari genere procreatus, ex illa videlicet progenie, sub qua sancta virgo Hildegardis, fundatrix & abbatissa monasterij S. Ruperti apud Bingas,quondam exstitit nata. Hic in pueritia literis traditus à parentibus fuit, quibus operam diligenter impendens pro modulo suo satis eruditus euasit. Deinde cum esset annorum XXIII. sub imperio Iohannis & Simonis comitum de Sponheim militare cœpit, & per annos aliquot in ipso militaris ordinis officio perdurauit. Verum cum esset corpore gracilis & imbecillis, postremo militiam deseruit,& sub Vvillichone primo monachus factus, ad dignitatem sacerdotalem ab eodem promotus fuit. Erat conuersatione placidus, moribus compositus,mitis atque tranquillus,& talis qui ab omnibus merito amabatur. Pro religionis honestate satis videbatur esse sollicitus,quamuis peculium à monachis non abstulit, quod suo tempore in omnibus huius prouinciæ monasterijs tam erat publicum ac consuetum, vt monachis quasi licitum videretur.

*Wilhelmus fit abbas huius monasterij 14.*

*Vnde fuerit oriundus.*

*Vita & cõuersatio Wilhelmi abbatis.*

MCCCXLII.

Anno Vvilhelmi abbatis nostri I. XXIII. die mensis Ianuarij, I. hora noctis, horrenda nubium tempestate suborta,audiebantur tonitrua,fulgura,& coruscationes apparuerunt cum grandine & pluuia magna,ita vt si media æstate fuisset, maior tempestas non fuisset.

*Tonitrua in Ianuario audita.*

Eodem anno Comes Sylvestris de Duna, qui iam multis annis, non sine damno suo maximo,contra Baldevvinum archiepiscopum Treuirorum inimicitias gesserat, fatigatus tandem & exhaustis viribus, sponte non coactus ad palatium ipsius archiepiscopi Treuirorum venit,misericordiam petijt & impetrauit, ac deinceps pacificus permansit, ac castrum Droneck cum villa Dalvang ac cæteris prouentibus ibidem esse de feudo ecclesiæ Treuirensis & archiepiscopi præfati publice recognouit,& in fidelitatis signum hoc ipsum feudum de manu illius acceptauit.

*Comes Sylvestris de Duna archiepiscopo Treuirorum se submisit.*

*Rhenus excrescès multas domos subuertit.*

Eodem quoq; anno in vigilia S. Iacobi apostoli, Mogonus fluuius contra naturam & consuetudinem suam excrescens, tantam inundationem aquarum ad Rhenum subito immisit, quantam nullus eo tempore viuens se vidisse meminerat: multa etiam hominibus damna intulit, integrasque villas subuertit, agros, vineas ac hortos, domosque Rheno contiguas multas annihilauit.

*Rupertus comes Palatinus Rheni moritur.*

His temporibus obijt Rupertus Comes Palatinus Rheni ac Bauariæ dux, filius Rodolphi quondam (vt diximus) per Ludouicum Imperatorem in Angliam fugati, & XII. die mẽsis Februarij in ecclesia nouæ ciuitatis, quam ipse fundauerat, sepelitur. Idem Rupertus

*Vniuersitas Heydelbergensis erigitur.*

generale seu vniuersale Gymnasium Heydelbergense instituit, quod multis beneficijs sublimatum Benedictus papa XII. confirmauit. Ecclesiam quoque collegiatam in noua ciuitate (sicut diximus) à fundamentis pulchro tabulatu lapideo construxit, & satis magnifice dotauit.

MCCCXLIII.

*Curtis nostra in Buckenavv.*

Anno Wilhelmi abbatis nostri II. curtis nostra in Buckenavv, quæ vocatur curia abbatis, cum agris, vineis, pratis, hortis, & vniuersis pertinentijs suis, de patrimonio eius ad possessionem monasterij deuenit. Mortua enim matre ipsius abbatis, patre diu antea obeunte, facta est inter fratres paternæ hæreditatis diuisio, & præfata curtis cum quibusdam alijs bonis in eius partem concessit, quam huic monasterio de consensu fratrum

*Curia Præsentiæ ibidẽ.*

suorum in possessionem perpetuam donauit, quam & pacifice possidemus. Alia vero curtis in Bockenavv, quæ curia Præsentiæ appellatur, ex donatione domini Vdonis, anno Domini MCXXVII. (sicut supra eodem anno scriptum est) ad possessionem monasterij prouenit, & cum ea iudicium Scabinorum, quod ibidem habemus, cum omnibus iuribus & libertatibus in eiusdem descriptione contentis. Hæc autem curtis cum vniuersis ad eam pertinentibus ab omni exactione, precaria, & seruitute ab initio semper fuit hodieque est liberrima: quam ad maiorem firmitatem cum cæteris bonis omnibus, quæ in Bockenavv habemus, Walramus Comes de Sponheim, filius domini Simonis, abomni grauamine postea liberauit, sicut inferius anno DOMINI MCCCLIX. dicemus.

*Reynardus primus dux Gelriæ moritur.*

Eodem anno obijt Reynardus primus dux Gelriæ, cui Reynardus filius eius puer x. annorum in ducatu successit, qui postea in vxorem duxit Mariam filiam Iohannis ducis Brabantiæ, & ambo sine liberis obierunt. Eduardus vero frater prædicti Reynardi post annos aliquot, ductus cupidine regnandi, ipsum fratrem cepit, & per x. annos captiuum detinuit.

MCCCXLIV.

*Curtis nostra in Bingen emitur.*

Hoc anno Dominus Wilhelmus abbas huius monasterij domum & curiam, quam habemus in Bingen, cum attinentijs suis comparauit, à quodam Wentzone dicto Kippen, & vxore eius Gertrude, vt patet in literis venditionis eiusmodi, quarum Datum est *anno Domini* MCCCXLIV. *Dominica qua cantabatur Reminiscere.*

*Reynerus de Westerburg fit inimicus archiepiscopi Treuirorum.*

Eodem anno Reynerus de Westerburg, inimicus Baldewini archiepiscopi Treuirorum factus est, contra quem idem archiepiscopus prædictus producens exercitum, Stadeck & Grenzavv simul obsidione vallans cepit, & ad possessiones Treuirensis ecclesiæ cum certis alijs potenter adiunxit.

*Ludouici Imperatoris facinus contra iustitiã.*

Eodem quoque anno Ludouicus Imperator Iohannem filium regis Bohemiæ de ducatu Carinthiæ, quam ei prius donauerat, abiecit, eiusque vxorem, sine iudicio ecclesiæ raptam, filio suo dedit vxorem, in graue scandalum ecclesiæ. Vnde ram pro isto quam pro alijs criminibus à Clemente Papa VI. denuo fuit excommunicatus, & tandem ab imperio depositus, & Carolus rex Bohemiæ contra eum electus.

MCCCXLV.

*Wilhelmus comes Hannoniæ à Frisonibus occiditur.*

Anno Wilhelmi abbatis nostri IV. Wilhelmus comes Hannoniæ, Selãdiæ, Hollãdiæ, ac Dominus Frisiæ, circa festum natiuitatis S. Mariæ virginis magnum exercitũ produxit contra Frisones, habens secum comitem de Horn, & multos viros nobiles ac fortissimos. Contra quem Frisones egressi, ac solita industria vsi, conclusos in paludibus alios occiderunt, alios vero submerserunt, inter quos etiam ipse comes submersus est Wilhelmus nõ relinquens liberos. Quo mortuo soror eius, vxor Ludouici Imperatoris, vna cum filio suo

*Comitatus Hannoniæ, Selandiæ, veniunt ad Bauaros,*

Wilhelmo & apparatu pulcherrimo descẽdens, tanq; vicinior hæres, decreto Imperatoris ac principum ad Hollandiam, omnẽ comitatũ Hollandiæ, Hãnoniæ, Selandiæque, & Frisiæ dominium in suam potestatẽ recepit, sicuti supra anno Domini MCCCXXIII. iã nos scripsisse

pſiſſe meminimus. Omnibus autem rite peractis, terras illas & Comitatus Wilhelmo ſuo committens, ad Bauariam eſt reuerſa. Igitur Wilhelmus Dux Bauariæ ac Palatinus Comes, filius Ludouici Imperatoris ſupradicti, dominus Hollandiæ factus Comitatus illos annis XIV. rexit, talique vſus in literis ſuis titulo: *Wilhelmus Dei gratia Comes Palatinus Rhen, Dux Bauariæ, Comes Hannoniæ, Selandiæ, Hollandiæ, ac Dominus Friſiæ.* Fuit autem Wilhelmus iſte homo ſuperbus, inquietus & bellicoſus, qui eccleſiæ Traiectenſi multa damna intulit: matrem quoque poſt mortem Imperatoris ad terras eius, quas ſibi commodauerat, recipere noluit, & inſanus factus mercedem iniquitatis ſuæ à Deo etiam in hac vita recepit. Ab iſto igitur tempore vſque ad annum Domini noſtri Ieſu Chriſti MCCCCXXV. Duces Bauariæ Comitatum Hannoniæ, Selandiæ, Hollandiæ & Friſiæ per annos ferme LXXX. poſſederunt: quibus elapſis Iohannes Dux Burgundiæ, qui ex parte matris filius erat domus Bauariæ, Comitatus illos vſurpauit vt ſuo loco dicemus: cuius hæredes vſque in præſentem diem quieta poſſeſſione potiuntur.

*Bauaria duces 80. annis rexerunt Hollandiã.*

MCCCXLVI.

Anno Wilhelmi Abbatis noſtri V. cum Henricus de Virnenburg Archiepiſcopus Moguntinus Ludouico Bauaro Imperatori excommunicato contra prohibitionem ſummi Pontificis adhæreret, eumque in factis ſuis pro viribus defenderet, ſæpiuſque admonitus nollet deſiſtere, per Clementem Papam VI. Romæ in publico Conſiſtorio per ſententiam abſens depoſitus eſt, & omni honore pontificiali ſpoliatus eſt. Qui non aduertens ſententiam Papæ, aſſumpto in coadiutorem eccleſiæ Moguntinæ Cunone de Falckenſtein (qui poſtea factus eſt Archiepiſcopus Treuirẽſis) in omnibus ſe geſſit vt ante. Verum Papa depoſito Henrico Gerlacum de Naſſavv in Archiepiſcopum Moguntinum promouit, qui per annos octo contra eum & Cunonem Adminiſtratorem eius ad quietam poſſeſſionem non peruenit, quouſque tandem Henricus ipſe mortuus fuit. Hoc autem ſchiſmate per annos VIII. durante eccleſia Moguntina miſerabiliter fuit deſolata, & infinita mala perpeſſa, monaſteria ſpoliata & deſtructa, eccleſiæ ſpoliatæ ſuis ornatibus, clerus perſecutiones, incendia & deprædationes ſuſtinuit irrecuperabiles.

*Henricus archiepiſcopus Mogũtinus deponitur.*

*Cuno de Falckẽſtein fit Adminiſtrator eccleſiæ Moguntinæ.*

*Papa Gerlacum de Naſſavv promouit in archiepiſcopũ Moguntinum.*

Hoc ipſo anno inter Reynardum Ducem Gelriæ & fratrem eius Eduardum contentio de ducatu ipſo ſuborta eſt, quæ durauit per annos XVI. cum maximo ipſorum diſpendio & totius terræ deſolatione. Nam ſæpius inter ſe bellantibus eis multa millia hominum fuerunt occiſa, villæ ſine habitatoribus deſertæ, caſtra deſtructa, & terra ruſticis aut interfectis aut fuga lapſis, ſine cultura derelicta. Tandem anno Domini MCCCLXI. Eduardus cepit Reynardum, & Ducatum obtinuit ſolus, quamdiu vixit, ſine alicuius prohibitione, ſicut inferius ſuo loco dicemus.

*Contentio pro ducatu Gelriæ.*

Eodem quoque anno Clemens Papa VI. qui Ludouicum ab Imperio dudum depoſuerat, mandauit Principibus, vt ſi non vellent ius eligendi amittere, intra certum tempus alium in locum Ludouici abrogati Imperatorem eligerent, alioquin ſe de imperio neceſſario prouiſurum. His Principes auditis, Baldevvinus Archiepiſcopus Treuirenſis, Walramus archiepiſcopus Colonienſis, Gerlacus de Naſſavv (cui Papa de archiepiſcopatu Moguntino contra Henricum prouiderat) Iohannes Rex Bohemiæ, & Dux Saxoniæ apud Reuſe iuxta Rhenum conuenientes depoſitionem Ludouici ab Imperio per ſententiam ratificabant. Deinde ibidem conſiſtentes anno prænotato Wilhelmi abbatis V. II. die menſis Iulij, qui fuit dies translationis ſancti Benedicti abbatis, Carolum (qui & Wenceslaus antea dicebatur) Iohannis Regis Bohemiæ primogenitum, in regem Romanorum vnanimiter elegerunt, quem cum magna pompa ad Bunnam deducentes, per manus Archiepiſcopi Colonienſis iniungi & coronari fecerunt. Non enim poterant ad Aquasgrani venire, propterea quod Aquenſes partes Ludouici ſequerentur. Verum quamdiu Ludouicus vixit, Carolus ad Imperij poſſeſſionem non peruenit, licet Papa electionem ſtatim confirmauerit. Adolphus enim Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandenburgenſis, Duces Bauariæ, & pene omnes ciuitates Imperiales Ludouicum ſequebantur.

*Papa mandat Principibus vt eligant Imperatorem.*

*Carolus 4. rex Bohemiæ in Imperatorem eligitur.*

Eodem quoque anno XXVI. die menſis Auguſti inter Reges Angliæ & Franciæ pro Ducatu Normandiæ denuo bellum geritur; in quo Iohannes rex Bohemiæ & Comes Lutzenburgenſis (quamuis cæcitate percuſſus) pater Caroli regis Romanorum, perſonaliter interfuit, & ſagitta cuiusdam Anglici vulneratus occubuit. Iſte Iohannes Rex, filius fuit Henrici Imperatoris VII. (de quo ſupra diximus) & pater Caroli IV. per quem Comitatus Lutzenburgenſis ad regnum Bohemiæ deuenit, anno videlicet Domini MCCCX.

*Ioannes rex Bohemiæ & pater Caroli occiditur.*

*Comitatus Lutzelburgenſis regno Bohemiæ cõiungitur anno 1310.*

Mortuo enim Wenceslao rege Bohemiæ, Iohannes prædictus Comes Elizabeth filiam eius duxit vxorem, & cum ea regnum obtinuit annis XXXVI. Quo etiam mortuo Carolus præfatus succeſſit, & poſt eum filius eius Wenceslaus.

MCCCXLVII.

Hoc anno, qui fuit Wilhelmi abbatis noſtri VI. in die S. Gereonis martyris obijt Ludouicus Imperator, & in eccleſia beatæ Mariæ ſemper virginis in ciuitate Monacenſi ſepelitur. Fama eſt eum veneno periiſſe cuiuſdam Ducissæ Auſtriæ, quam omnes ob fœdam tetramque vultus diſpoſitionem Maultaſch appellare ſolebant. Certum quidem hoc tenemus, quod poſt venationem domum reuerſus, & ſumpto cum ea cibo in eadem menſa, ſtatim male ſentire cœpit, ſperanſque agitatione corporis ſe melius habiturum, equum aſcendit, ad venationemque rurſus perrexit. Incaleſcente autem corpore non procul à Furſtenfeld de equo cecidit, & inter manus familiarium exſpirauit. Vir aliquandiu bonus, pacificus, qui iniurias æquo ſemper animo tollerauit, & plus pietate quam ſeueritate vicit.

*Ludouicus Imperator moritur.*

Ludouico autem Imperatore mortuo conuenerunt in vnum Rupertus Comes Palatinus Rheni (qui & Adolphus dicebatur) filius Adolphi & nepos Rudolphi fratris Ludouici Imperatoris defuncti, Ludouicus Dux Bauariæ filius defuncti Imperatoris, Otto Marchio Brandenburgenſis, & Henricus archiepiſcopus Moguntinus; qui licet per Papam eſſet depoſitus, nihilominus tamen ſe pro archiepiſcopo geſſit; Eduardum regem Angliæ, qui tum illo anno contra Francigenas glorioſiſſime triumphauerat, per literas & ſolemnes nuncios ad Imperium aſſumendum inuitarunt. Quibus ille gratias agens remandauit, ſe in gubernandis regnis Angliæ & Franciæ in tantum occupari, quod imperio Romanorum nullatenus poſſet intendere. His à rege Angliæ præfati Principes intellectis, literas & nuncios ad Marchionem Myſniæ, generum Ludouici Imperatoris defuncti mittentes, ipſum in regem Romanorum elegerunt, contra Carolum ab alijs Principibus adhuc viuente Ludouico, (ſicut diximus) electum; qui electioni de ſe factæ ſtatim conſenſit. Interea tranſit annus, dum hæc agerentur.

*Rex Angliæ ad imperiũ inuitatur.*

MCCCXLVIII.

Igitur poſteaquam Carolus intellexiſſet Marchionem Myſnenſium à præfatis Principibus contra ſe electum in Regem Romanorum, nihil moratus ad eum properevenit, & ius omne quod illi competebat ad Imperium, pro X. millibus argenti libris ſibi abeo redemit. Renunciauit igitur Marchio Myſnenſium accepto argento iuri ſuo, & ceſſit cum bona voluntate Carolo. Sed non placuit hæc conuentio Principibus prædictis.

*Marchio Myſnenſiũ rex electus ius ſuũ vendidit Carolo 4.*

Anno prænotato Wilhelmus abbas huius monaſterij curtim, quam habemus in Blenich, cum omnibus attinentijs ſuis, agris, vineis, pratis, hortis, paſcuis & domibus, comparauit pro certa ſumma pecuniarum à Clementia, Tilmanni militis relicta vidua, conſentiente Georgio de Savvelnheim genero eius, pro ſe & cunctis hæredibus ſuis, vt patet in literis conſenſus eiuſdem deſuper cõfectis quarũ Datum eſt *Anno domini* MCCCXLVIII. *in diebus Felicis & Adaucti martyrum.*

*Curtis noſtra in Blenich emitur.*

Eodem anno obijt Otto epiſcopus Herbipolenſis, cui Albertus de Hoenloe ſuccedens, præfuit annis XLIV. qui anno Pontificatus ſui VI. Herbipolim per tres hebdomadas firmiter obſidione cinxit, & ciues ad obedientiam ſuam, quam detrectabant, potenter coegit.

*Albertus ſit [illegible] ſuccedens.*

Eodem quoque anno Wilhelmus Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, Comeſque Hannoniæ, Selandiæ, Hollandiæque, & Friſiæ Dominus, Ludouici Imperatoris defuncti filius, cum maximo exercitu intrauit terras eccleſiæ Traiectenſium, omnia igne & gladio miſerabiliter deuaſtando totam deſolauit diœceſim.

*Wilhelmus comes Palatinus Rheni & deuaſtat terras eccleſiæ Traiectẽſ.*

Hoc ipſo anno Cunradus de Deck fuit in ciuitate Monacenſi, quem Nobilis quidam Svvickgerus de Gondelfingen, habens exoſum in domo propria quaſi ſalutaturus accedens, crudeliter interfecit, & confeſtim aufugit. Eodem quoque anno Rupertus Comes Palatinus Rheni, Henricus archiepiſcopus Moguntinus depoſitus, Marchio Brãdenburgenſis, Ludouicus Dux Bauariæ, cum quibuſdam alijs, videntes ſe à Marchione Myſnenſium eſſe deceptos, apud Francofordiam denuo conuenientes, Guntherum Comitem de Schvvartzenburg contra Carolum in regem Romanorum elegerunt.

*Cunradus de Deck interficitur.*

*Guntherus comes de Schvvartzburg contra Carolũ eligitur.*

MCCCXLIX.

Anno Wilhelmi abbatis noſtri 8. Guntherus electus in regem Romanorum cum magno exercitu venit ad Francofordiam, & poſuit ibi tentoria ſua ante ciuitatem (vt moris eſt) 3. diebus & 6. hebdomadibus, quem Franckfordienſes ac reliquæ vicinæ ciuitates in regem

*Guntherus cum exercitu venit ad Franckfordiam.*

regem Romanorum cum reuerentia receperunt. Quod cum Carolus percepisset, magno coadunato exercitu contra Guntherum processit; sed videns eum fortiorem se, per industriam Baldevvini Archiepiscopi Treuirorum Ducem Bauariæ in partem suam attraxit; quanquam sanguine iuncti essent, nihilominus filiam eius vxorem duxit. Deinde post menses tres Guntherus rex Franckofordiam reuersus infirmari cœpit, vidensque se deceptum, concordiam mediante Marchione Brandenburgensi cum Carolo, qui tum præsens erat, tractare cœpit: acceptisque duabus in Thuringia ciuitatibus, & duobus millibus ducentisque marcis argenti, sigillum regium & insignia regalia cum regno in manus Caroli supradicti coram Principibus resignauit. Fama fuit eo tempore Guntherum venenoso intoxicatum: accepto enim poculo Medici fertur dixisse ad ipsum medicum: *Magister, si potio tua est bona, tu bibe prior, ac ego postea bibam.* Quod cum Medicus necessitate compulsus fecisset prior, & rex postea bibisset, tertia die Medicus obiit, & rex tumore corporis plus infirmatus post vnius mensis spatium cum sequutus fuit.

*Gunterus infirmatur, mediante q. Marchione Brandeburgēsi de concordia tractatur.*

*Guntherus veneno intoxicatus moritur.*

Igitur Carolus IIII. Anno Domini MCCCXLVI (sicut diximus) in regem Romanorum electus, Gunthero mortuo Imperium quiete adeptus est, & imperauit annis XXXI. vir bonus, sapiens, doctus & magnificus, quinque linguarum scientia & peritia perfecte imbutus. Quatuor vxores habuit: Prima fuit Rudolphi Comitis Palatini fratris Adolphi, quæ sine liberis obijt: Secunda fuit ex Francia: qua etiam sine liberis mortua accepit: Tertia filia Principis Suediæ, de qua genuit filiam, quam dedit vxorem Marchioni Brandeburgensi, post cuius mortem vesana remansit; & filium nomine Wenceslaum postea Regem Romanorum. Quarta vxor fuit Elizabeth filia Ducis Pomeraniæ & Stetinensis, de qua genuit Sigismundum Regem Vngariæ, & Iohannem Ducem.

*Carolus rex Romanorū 4. quatuor vxores habuit.*

Eodem anno in vigilia assumptionis beatæ Mariæ semper virginis obijt Walramus Archiepiscopus Colonienſis, cui Wilhelmus Canonicus ibidem prouisione Apostolica succedens præfuit annis XII. & mensibus IX. qui bene rexit, & ecclesiam ex multis debitis eleuauit, omniaque impignorata redemit.

*Wilhelmus fit archiepiscopus Coloniensis.*

Anno prænotato MCCCXLIX. Wilhelmus abbas huius monasterij pro sua deuotione, quam habuit ad beatissimam Dei genitricem Mariam, in ambitu clausiri Capellam in eius honorem à fundamentis nouam erexit, quam ipso anno perfecit, & sequenti (vt ibi dicemus) consecrari fecit.

*Capella beatæ Mariæ erigitur in ambitu nostro.*

Eo quoque anno surrexit in Vngaria noua quædam secta Flagellatorum, quæ totam Alemanniam suo errore quam citissime maculauit. Incedebant enim homines nudi, mares & fœminæ simul, capite caputio & pileo, ac pudebundis lineo velamine tectis, cruces in manibus portantes, & flagella nodos in acumine habentia, quibus aculei erant affixi. His in ecclesia & extra sub specie pœnitentiæ (quam ipsi sine iudicio Sacerdotum sibi imponebant) sese flagellabant, carmina quædam Christianæ fidei vt plurimum aduersa cantantes. sæpius se in terram in modum crucis prosternentes, orantes, clamantes, & vsque ad effusionem sanguinis percutientes. Horum nouitatem pernicioſam cum imperitum vulgus tanquam sanctam & Deo placentem admirari & laudare, pluresque imitare cœpissent, metuētes ecclesiarum Pontifices ne error in immensum cresceret dissimulantes, rem ad examen Apostolicæ sedis detulerunt, & mandato Clementis Papæ VI. omnes aut ad publicam pœnitentiam reuocati sunt, aut seculari iudicio traditi incendio perierunt, & sic cessauit hæresis illa breui confutata.

*Noua secta Flagellatorum surgit.*

Eodem quoque anno humanum genus triplici plaga flagellatur: Nam primo lugubris & miseranda, pene per vniuersum mundum, ab India incipiens, passimque prouincias omnes perrepens, trium annorum spatio vsque ad Angliam, vbique terrarum in omnes gentes pestilentia desæuit, ita vt media pars hominum totius orbis non remanserit in vita. Quam cito enim aliquis fuisset infectus, quicunque anhelitum eius percepissent, omnes celerius moriebantur. In sola Florentia ciuitate Italiæ, plus quam sexaginta millia hominum vtriusque sexus hac peste miserabiliter infecti eodem anno obierunt: nec locus erat in tota Europa, vbi ista calamitas contagiosa non sæuiret. Secunda plaga fuit hæmorrhoida, id est, sanguinis profluuius, in quo etiam multa hominum millia, maxime in Alemannia, perierunt. Tertia fuit illa, quæ sacri ignis nomine appellabatur, quæ corpora hominum tam mortuorum quam viuentium vsque ad ossa consumpsit. Tam sæua erat ista calamitas, vt etiam corpora mortuorum sepulta celerius in semetipsis consumeret. Erant autem hæc tempora plena calamitate & miseria tantisque periculis obnoxia, vt ab origine Mundi, præter diluuium vniuersale non legamus

*Triplex plaga humani generis.*
*1. Pestilētia.*
*In Florētia peste obierūt plusquam sexaginta millia hominum.*
*2. Hæmorrhois.*
*3. Ignis sacer.*

tempora fuisse periculosiora. Nam (sicut iam diximus) pestilentia per vniuersum mundum sæuiente, plus quam dimidietatem humani generis in triennio consumpsit. Eaenim tempestate obierunt in oppido Creutznacht, quod satis paruum est, plus quam mille sexcenti homines. In Moguntia plus quam sex millia hominum, ita quod tam ibi quam in Erphordia, & alijs ciuitatibus præcipuis aliquando vna die ccc. homines in vnam fossam, sicut ordine ponebantur confuso, ita numero vix poterant teneri certo. Vbique metus vbique lamentum & mortis imago, transieruntque homines velut mortui & amentes, nimio timore perculsi à morte subitanea, quam quisque ante oculos positam cernebat. Huius calamitatis causa Iudæis fuit imposita, quod fontes & aerem intoxicassent; vnde persequutio in eos Christianorum grauissima fuit subsequuta. Nam in diuersis Mundi partibus, cum talis in eos æstimatio Christianorum fuisset publicata, alij fuerunt miserabiliter suffocati, alij præcipitati in aquam, alij submersi, alij capitibus truncati, alij combusti, alii gladijs & lanceis perfossi, atque alij vario tormentorum genere interempti. Nonnulli vero eorum cernentes in malo se positos, necatis liberis primum cum vxoribus, ne in manus crudeliter sæuientium Christianorum deuenirent, se cum domibus & mansionibus suis, igne suppositio, incendio peremerunt. Hæc autem in Iudæos persequutio, prænotato anno incipiens, biennio durauit, quæ vtrum iure an iniuria peracta sit, non est nostrum iudicare: quanquam nobis non videtur verisimile, quod omnes totius orbis fontes, etiam si voluissent, veneno inficere potuissent: Sed græci prouerbij memores; καλεῖ ὁ θεὸς ὁ βρότος ἔργοις ὕστε ξύλοι sententiam Deo ferendam committimus, qui nec falli potest, nec fallere nouit. In Colonia eodem quoque anno, propter eandem, quam diximus, causam in vigilia S. Bartholomæi Apostoli Iudæi se cum domibus incẽdentes concremarunt; cæteri ex ipsa ciuitate omnes fuerunt expulsi.

*In Creutznacht obierunt plus quam mille sexcenti.*

*In Moguntia quoq; plus quã sex millia hominũ.*

*Causa huius calamitatis adscribitur Iudæis.*

*Persecutio Christianorum in Iudæos.*

MCCCL.

*Capella in ambitu nostro consecratur.*

Hoc anno, qui fuit Wilhelmi abbatis nostri IX. cum noua Capella, quam in ambitu fundauerat, iam esset consummata, fecit eam in honorem beatæ Mariæ semper virginis consecrari, 5. die mensis Septembris, per Rudolphum episcopum Salonien sem, Gerlaci Moguntini archiepiscopi in Pontificalibus Vicarium, vt patet in literis eius, quæ sequuntur:

*Copia consecrationis.*

*Vniuersis hæc visuris Rudolphus diuina miseratione Salonien sis episcopus, reuerendi patris & domini Gerlaci Dei gratia Moguntini archiepiscopi Vicarius, salutem in Domino. Cum nos Anno Domini* MCCCL. *nonis Septembris Capellam cum altari beatæ & gloriosæ semper virginis Mariæ in ambitu monasterii Sponheim, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, dedicauerimus ad diuinum cultum perpetuo peragendum: nos omnibus Christi fidelibus pœnitentibus & confessis, prædictum altare cum Capella deuote visitantibus, indulgentias 14. dierum criminalium peccatorum, ac vnius carenæ semel in anno concessimus: & quotiescunque Sacramentum infirmis porrigitur, per totam parochiam in posterum duraturas. Datum & actum Anno Domini vt supra.*

*Cura Capellæ committitur Priori.*

Et quia (sicut supra diximus) omnes eo tempore Monachi in hoc monasterio proprietarij erant, & pecuniam publice quasi licite possidebant, abbas Wilhelmus præscriptam Capellam de bonis monasterij dotauit, eamque de consensu fratrum suorum ad officium Prioratus cum omnibus prouentibus suis assignauit: ita videlicet, vt Prior, qui pro tempore fuerit, duas in hebdomada missas in ea celebret, & omnes prouentus illius perciperet; vt patet in literis desuper confectis; quarum Datum est. *Anno Domini* MCCCL. *in die Epiphaniæ Domini.* Hæc ante resignationem eius facta sunt. Consecratio autem Capellæ post eius resignationem sub domino Philippo Abbate peracta fuit, vt liquido ex calculatione dierum patescere potest.

*Wilhelmus abbatiã resignat & eodem anno moritur.*

Anno igitur præscripto Wilhelmus abbas huius monasterij senio & infirmitate grauatus, Abbatiam suam in manus conuentus sponte & libere resignauit, secunda feria ante festum S. Laurentij martyris, & eodem anno 5. calend. Octobris obijt, in medio Ecclesiæ quam fundauerat sepultus: homo pius & bonus, qui multa huic monasterio bona fecit, curtes, possessiones, reditus & census ampliauit. Nam (sicut diximus) curtem in Blenich & curiam in Bingen ad proprietatem monasterij pecunia comparauit; curtim quoque in Bockenavv cum certis alijs bonis de suo patrimonio in possessionem perpetuam monasterio acquisiuit. His beneficijs, quæ monasterio in vita sua exhibuit, fratres qui tum erant, perpetuum ei anniuersarium quater in anno peragendum, post mortem inducti, adhuc viuenti promiserunt, in quibus more canonicorum portiones inter se, quas appellant præsentias, diuidere solebant. Ad cuius sepulcrum quicunque orationem Dominicam cum Angelica salutatione, aut VII. Psalmos, vel quaslibet alias orationes deuotus

*Indulgentiæ ad eius sepulchrum.*

pro

pro anima ipsius dixerit, indulgentias CCCCLXXX. de iniunctis pœnitentijs consequetur, vt patet in literis per Philippum abbatem à XII. episcopis Anno LIX. impetratis; quarum rescriptum inferius anno Philippi abbatis VIII. Domini prænotato ponemus.

## *DE PHILIPPO MEYSWIN, HVIVS MONASTERII SPONheimensis Abbate XV. qui præfuit annis XXIV. mense I. diebus XII. & de gestis eius, ac illius temporis.*

POST resignationem Wilhelmi reuerendi patris, quæ secunda feria ante festum S. Laurentij facta est, ne monasterium diu viduitatis suæ deploraret incommoda, fratres quintam feriam immediate sequentem pro termino eligendi super se nouum pastorem constituerunt, in quo conuenientes in locum capitularem, præmissis orationibus consuetis statim nullo alio tractatu interueniente, subito gratia Spiritus Sancti (vt asserebant) inspirati omnes, nullo penitus reclamante seu discordante, in Priorem huius monasterij Philippum, Meyswin dictum, vota sua vna cum Wilhelmo prenominato dirigētes, eum in abbatem vnanimiter elegerunt, quem ad Gerlacum archiepiscopum Moguntinum cum his literis miserunt confirmandum. *Philippus Prior in abbatē huius loci is. eligitur.*

*Venerabili in Christo patri ac domino, domino Gerlaco archiepiscopo Moguntino, per Germaniā Archicancellario, totus conuentus religiosi monasterii ordinis S. Benedicti in Sponheim, Moguntinensis diœcesis, orationes suas in Christo deuotas. Cum per vocationem diutinam, ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus dispendia & incommoda plurima patiantur; resignata igitur in manus nostras Abbatia monasterii nostri per Vuilhelmum quondam abbatem monasterij nostri; ne ipsum monasterium viduitatis suæ diutius deploraret incommoda, fuit à nostris fratribus præsentibus dies, videlicet feria quinta proxima ante Laurentij martyris sub anno Domini* MCCCL. *ad electionem futuri Abbatis celebrandam concorditer assignatus. Citatis autem interim absentibus, & conuenientibus in termino supradicto ad nostrum capitulum omnibus qui voluerunt, potuerunt & debuerunt commode interesse, statim, nullo alio tractatu interueniente, subito gratia Spiritus Sancti (vt credimus) inspirati, omnes nullo penitus reclamante seu discordante, in fratrem Philippum Myswin, Priorem monasterii nostri, virum vtique prouidum & discretum, literarum scientia, vita & moribus commendandum, in sacris ordinibus & ætate legitima constitutum, nostri monasterii professum, ac de legitimo matrimonio procreatum in spiritualibus & temporalibus quamplurimum circumspectum, concorditer vna cum Wilhelmo, quondam abbate, dixerimus vota nostra, eumque vna voce & vno spiritu in nostrum ac monasterij nostri abbatem elegimus, Te Deum laudamus solemniter decantauimus, & dictū electum ad summum altare (prout moris est) eleuantes, eius electionem confestim clero & populo fecimus publicari. Postmodum vero electione huiusmodi dicto electo infra tempus debitum præsentata, & petito ab eo vt suum præberet assensum: Ipse tandem nolens resistere diuinæ voluntati, infra tempus à iure statutum annuit votis nostris, electioni consentiens de se facta. Quapropter paternitati vestræ tam deuote quam humiliter voto vnanimi supplicamus, quatenus electionem eandem sic vnanimiter & concorditer factam, dignemini confirmare, ac eidem electo munus benedictionis fauorabiliter impertiri, vt nobis & monasterio nostro velut Abbas præesse valeat, vtiliter & prodesse, nosque atque alii eius subditi sub ipsius regimine Deo possimus salubriter militare. Cæterum vt paternitas vestra cognoscat vota euidentius nostrum omnium in prædictis omnibus concordasse; ac in petitione huiusmodi consistere vnanimes & concordes, præsens electionis nostræ decretum P.V. transmittimus, sigillo nostri conuentus in præmissorum testimonium roboratum. Datum anno Domini* MCCCL. *sabbatho proximo ante diem beati Laurentii martyris.* *Decretum electionis episcopo mittitur.* *Quinta feria ante dict Laurentij dies electionis.* *Cōmendant Philippum electum.* *Petunt confirmationē electi.*

Igitur Philippus electus cum his literis veniens ad Gerlacum archiepiscopum Moguntinum, in Abbatem huius monasterij confirmatus est, fuitque in ordine Abbatum XV. & præfuit annis XXIV. mense I. diebus XII. Deinde in prima Dominica Septembris à Rodolpho episcopo Salonensi, præfati Archiepiscopi Moguntini in Pontificalibus Vicario hic in monasterio nostro, astantibus sibi duobus Abbatibus, scilicet Iohannis in Rinckauia & montis sancti Disibodi, munus benedictionis accepit, & Capellam beatæ Mariæ virginis, à domino Vvillichone antecessore suo in ambitu fundatam (vt supra dictum est) per eundem episcopum fecit eodem tempore consecrari. Fuit autem iste Philippus oriundus ex Sponheim, de genere militari illo, quod à magno quondā Philippo Meyswino originem ducens eiusdē vocabulo dicebatur, honestis parentibus natus: cuius pater Hermānus Beide dictus, miles comitū de Sponheim fuit: mater vero Hildegardis vocabatur. In pueritia sua positus ad discendū literas satis pro modulo suo profecit, & natura studium adiuuāte in virum satis prouidum & agilem euasit: factus deinde monachus sub abbate Vvillichone primo, & per successum temporis ad altiora proficiens, ad sacerdotij *Philippus abbas cōfirmatur.* *Genus & origo Philippi.* *Quomodo sit monachus factus & quando Prior.*

dignitatem est promotus,& tandem sub Henrico abbate, qui Willichoni succesſit (vt supra diximus) in Priorem huius cœnobii XX. constitutus: in quo officio quum annum implesset XII. post Wilhelmum, sicut est, in abbatem fuit ordinatus. Erat enim homo prudens & multarum occupationum, qui monasterium in vtroque statu libenter reformasset, si potuisset. Ordinatus autem abbas Priorem post se constituit XXI. in ordine successionis Gerlacum, monachum huius cœnobij professum, virum vita & moribus satis pro qualitate illius temporis maturum ætate senem, debilem & infirmum, qui præfuit in officio Prioratus annis ferme VIII. & propter senium suum parum profecit.

*Gerlacus fit Prior huius loci 21.*

MCCCLI.

Anno Philippi abbatis nostri I. Carolus Imperator IIII. ad complacendum Principibus cis Rhenanis multa telonia noua in diuersis locis Rheni posuit, quorum auxilio ad Imperium fuerat sublimatus. Verum cum mercatores per hoc nimium grauati commeatum Rheni deuitarent, Argentinenses Rhenum circa Argentinam cathenis & lignis ita clauserunt, quod naues per biennium neque ascendere neque descendere potuerunt. Videntes autem Principes se tam noui quam veteris telonei prouentibus spoliari, concordiam cum Argentinensibus inierunt, & veteribus contenti nouis renunciarunt.

*De nouis teloneis per Imperatrē in Rheno impositis.*

Eodem anno Wilhelmus Dux Bauariæ, Comes Hannoniæ, Selandiæ, Hollandiæ & Frisiæ Dominus, filius Ludouici quondam Imperatoris, qui primus ex Bauaria regnauit in Hollandia, nouis & inconsuetis exactionibus populum oppressit, nec vllam cum pauperibus misericordiam habere voluit: vnde necessitate compulsi, matrem eius Imperatricem, quæ sola erat filia illius terræ (sicut supra diximus) implorarunt; quæ cum per scripta admoneret vt à tyrannide præsumpta desisteret, filius contempsit imperium matris. Videns ergo se mater à filio contemni, magno congregato exercitu super Mosam nauali prælio contra filium in die translationis S. Martini processit, à quo victa cum paucis in Angliam fugit, & filius in Hollandia permansit, & multam contra pauperes tyrannidem exercuit.

*Bellū inter comitē Hollandiæ & matrē eius.*

MCCCLII.

Hoc anno Philippus abbas huius monasterij bonorum curtis nostræ in Blenich omnimodam libertatem, & exemptionem ab omni grauamine exactionis, precariæ & cuiuslibet seruitutis innouari coram Sculteto & Scabinis ibidem fecit, in præsentia Walrami Comitis de Sponheim & aliorum complurium, sicut patet in instrumento desuper confecto.

*De libertate curtis nōstræ & bonorum in Blenich.*

Eodem anno Reynaldus de Sponheim & Ernestus de Molenarck Canonici maioris Ecclesiæ Colonienſis pro vili causa à primoribus ciuitatis Colonienſis in domo officialis fuerunt crudeliter & minus iuste interfecti.

*Reynaldus de Spōheim, & Ernestus de Molenarck interficiuntur.*

MCCCLIII.

Anno Philippi abbatis nostri III. in profesto S. Thomæ Apostoli obijt Henricus de Virnenburg quondam archiepiscopus Moguntinus, à Clemente Papa VI. dudum depositus & excommunicatus (quemadmodum supra dictum est) & Gerlacus de Nassavv in possessione quieta permansit.

*Henricus de Wirnēburg obiit.*

Eodem anno in die S. Osvvaldi facta est Ratisbonæ Ducatus Bauariæ inter Stephanum, Albertum & Wilhelmum, filios Ludouici Imperatoris diuisio secunda per Ludouicum Marchionem Brandenburgensem, Adolphum Comitem Palatinum Rheni, & Iohannem Burggrauium Norenbergensem, vt patet in literis.

*Ducatus Bauariæ diuiditur.*

MCCCLIV.

Hoc anno, qui fuit Philippi abbatis nostri IV. Imperator curiam seu conuentum Principum apud Moguntiam in mense Ianuario solemnem habuit, & multa pro pace & vtilitate Reipublicæ tractauit.

*Conuentus Principum Moguntiæ.*

Eodem anno calend. Februarij obijt Baldevvinus Archiepiscopus Treuirorum, vir per omnia magnificus, qui ecclesiam suam rebus & honoribus multum ampliauit, & in occidentali parte ecclesiæ honorifice sepelitur: post quem Boemundus de Edendorffin archiepiscopum sublimatus præfuit annis XIII. Eodem anno obiit Salamannus episcopus Vvormatiensis, cui successit Theodericus Bauarus de Bopardia, & annis præfuit IX.

*Boemundus fit archiepiscopus Treuirensis. Die Beier von Bopart.*

MCCCLV.

Anno Philippi abbatis nostri V. 6. die Decembris obiit Iohannes tertius Dux Brabantiæ non relinquens liberos: vnde pro Ducatu eius inter Vvenceslaum Comitem Lutzelburgensem, & Ludouicum Flandriæ comitem grauis fuit suborta contentio, quæ tandem

*Ioannes dux Brabantiæ moritur.*

tandem Wilhelmo comite Hollandiæ, filio Ludouici Imperatoris, mediante sopita est. Obijt autem præfatus Dux in habitu ordinis nostri, & in monasterio Veleer tanquam monachus sepelitur.

Eodem anno Philippus abbas huius monasterij locationem bonorum curtis nostræ in Wendelsheim ad altare beatæ Mariæ Magdalenæ pertinentis renouari fecit corã Notario & testibus, vt patet in instrumento desuper confecto, quod sanum adhuc habetur. *Curtis in Wandelsheim.*

Eodem quoque anno Carolus rex cum magno Alemãnorum exercitu intrauit Italiam, veniensque Romam Imperij coronam de manu Cardinalis Ostiensis, quem Innocentius Papa VI. ex Auinione ad hoc miserat, cum magna solennitate suscepit. Inde digressus ad ciuitatem Pisanam diuertit, vbi seditio inter ciues orta in tantum prævaluit, vt ipse Imperator fuga lapsus vix cum suis incolumis euaderet. Imperatrix quoque noctu cum pedissequis suis de ciuitate aufugit, quarum aliquæ nudæ, aliquæ in solis camisiis, ceteræ vero seminudæ fugientes dominam sequebantur. Postero vero die auctores seditionis capite truncati sunt. Simile contigit eis in ciuitate Senensi. *Carolus 4. Roma coronam Imperij suscepit.*

Hoc ipso anno in mense Septembri captus fuit Iohannes rex Francorum ab Anglicis. *Terræmotus circa Argentinã & Basileam.*

Eodem quoque anno quodam die circa horam nonam magnus terræmotus factus in Argentina & Basilea, ita quod multa ædificia & muri corruerent, magnaque ciuitatis Basiliensis pars & ipso cecidit & multos homines oppressit: sed & multa in montibus castra fortissima ceciderunt.

MCCCLVI.

Carolus Imperator ex Italia reuersus conuentum Principum solennem in ciuitate Metensi cum maxima pompa celebrauit, vbi omnes pene totius regni Principes concurrentes regalia sua de more susceperunt. Aderat ibi sedis Apostolicæ Legatus quidam archiepiscopus, cum multis Principibus Francorum. Ibi tunc Wilhelmus Marchio Iuliacensis in Ducem per Imperatorem fuit creatus, & ex eo tempore vsque in præsentem diem Duces Iuliacenses esse cœperunt. Weceslaus quoque frater Imperatoris ex Comite Lutzẽburgensi in Ducem fuit sublimatus per ipsum Imperatorem, omnibus Principibus consentientibus, tunc præsentibus. Eodem tempore Imperator Comitatum Barensem in Marchionatum sublimauit: Bullam quoque auream de Imperatore deligendo, & multis alijs ad Reipublicæ vtilitatem pertinentibus, de consensu Principum Imperij conscribi fecit, eamq; confirmauit. His rite peractis de ciuitate ad ciuitatẽ, & de monasterio ad monasteriũ transiẽs, multas Sanctorũ reliquias hinc inde collegit, & secũ in Bohemiã portauit. *Conuentus Principum Metis habetur solennis. Marchionatus Iuliacensis fit ducatus. Comitatus Luzemburgensis fit ducatus. Bulla aurea.*

MCCCLVII.

Anno Philippi abbatis nostri VII. Innocentius Papa VI. decimum denarium ab vniuerso Clero totius Imperij postulauit, sed non ab omnibus obtinuit; multi enim se opposuerunt, maxime Treuirensis, Moguntinensis & Colonien sis diœcesis. *Papa postulat 10. denarium ab vniuerso clero.*

Eodem quoque anno Wilhelmus Comes Palatin⁹, Hannoniæ, Hollandiæ, Selãdiæ & Frisiæ Dominus morbo correptus, insanus factus est & omnino delirans; qui cum liberos non haberet, Albertus Dux Bauariæ frater eius, filius quondam Ludouici Imperatoris, terram eius gubernandam suscepit, quam annis XLVII. texit; vxorem habuit Margarethã filiam Ducis Brigensis, de qua genuit filium Wilhelmum, & filiam nomine Catharinam, quæ nupsit Eduardo Gelriæ Duci, fratre Reynaldi. *Wilhelmus com. Palat. &c. morbo correptus fit insanus. Post Wilhelmũ Albertus frater eius fit comes Hollandiæ.*

MCCCLVIII.

Anno Philippi abbatis nostri VIII. 7. cal. Ianuarij obijt Gerlacus Prior huius monasterij XXI. in ordine, & in ambitu cum fratribus est sepultus. Post quem Prior XXII. ordinatus est Petrus de Schomberg, Monachus huius cœnobij professus, & præfuit in officio prioratus annis 14. vir magis ad temporalia quam ad spiritualia natus. Disciplina namque regularis obseruantiæ suo tempore multum fuit collapsa, habebantq; monachi peculium, & tam in spiritualibus quam in temporalibus multum defecerunt. *Petrus fit Prior 22.*

Eodem anno obijt Albertus Dux Austriæ, filius quondam Alberti Regis Romanorum (de quo longe supra dictum est) relinquens post se Lupoldum filium & Ducem, per quem genealogia Maximiliani Imperatoris nostri continuatur; Albertum quoque Ducem, qui fundauit Vniuersitatem Wiennensem; Rodolphum Ducem, qui fundauit Præposituram S. Stephani protomartyris in Wienna, & Comitatum Thirolis Austriæ Ducatui subiecit; cuius vxor fuit Catharina filia Caroli Imperatoris IV. & Fridericum Ducem qui sine liberis obijt: filiam quoque reliquit vnam nomine Margaretham, Marchionissam Brandenburgensem, & secundam nomine Catharinam, quæ fuit abbatissa in cœnobio S. Claræ Viennæ, virgo deuotissimæ conuersationis. *Albertus Austriæ dux moritur. Filij & filia Alberti ducis Austriæ.*

Hermannus Beude impetrat ab 12. episcopis Indulgentias 480. dierũ. Copia Indulgentiarum.

Eodẽ quoq; anno Hermãnus Beude miles, patet Philippi abbatis nostri, impetrauit pro huius monasterij vtilitate literas indulgentiarum à XII. episcopis qui sequuntur.

*Vniuersis sanctæ matris Ecclesiæ filiis ad quos præsentes literæ peruenerint; Nos miseratione diuina Nicolaus Bellicastri, Raphael Archadiensis, Remigius Pistoriensis, Richardus Bisancensis, Petrus Valonensis, Iohannes Potentinus, Garsias Conchensis, Iacobus Sebastiensis, Petrus Ottbonensis, Arnaldus Surrensis, & Augustinus Salubriensis, Bonifacius Fodiensis, episcopi, salutem in Domino sempiternam. Splendor supernæ luminis, qui sua Mundum ineffabili claritate illuminat, pia vota fidelium de clementia maiestatis suæ spernantium, tunc præcipue fauore benigno prosequitur, cum deuotarũ humilitas Sanctorum meritis & precibus adiuuatur. Cupientes igitur vt monasterium in Sponheim, ordinis S. Benedicti, in honore S. Martini, ac Capella S. Mariæ virginis, in ambitu dicti monasterij fundata, Moguntinæ diœcesis, cõgruis honorib. frequentetur, & à Christi fidelibus iugiter veneretur: omnibus vere cõtritis & cõfessis, qui ad dictum monasterium seu Capellã, in singulis suorum patronorũ*

Quibus festis per annũ sint concessæ Indulgẽtiæ.

*festis, & in omnibus aliis infrascriptis, videlicet, Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paraseues, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, corporis Christi, Inuentionis & exaltationis S. crucis S. Michaelis Archangeli, in omnibus festis beatæ Mariæ virginis, Natiuitatis & decollationis S. Ioannis Baptistæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Apostolorum & Euangelistarũ, in festo omnium Sanctorum, in cõmemoratione animarum, ac in dicti monasterij seu Capellæ dedicatione, Sanctorumq; Stephani seu Laurentii, Nicolai, Georgii, Sanctarumq; Mariæ Magdalenæ, Margarethæ, Catharinæ, Elizabeth, Luciæ, & Agathæ, & per octauas omnium festiuitatum prædictarum, octauas habentium, singulisq; diebus Dominicis & Sabbatis totius anni, causa deuotionis, orationis seu peregrinationis accesserint, seu qui missis, prædicationibus, matutinis, vespertinis, & aliis diuinis officiis & exequiis, & mortuorum sepulturis ibidem interfuerint, aut qui ibidẽ celebrauerint seu fecerint vel procurauerint celebrari, seu qui cœmeterium dicti monasterii seu ambitũ circumiuerint exorando pro defunctis, aut qui corpus Christi vel oleum sacrum, cũ infirmis portantur, sequuti fuerint, vel qui in serotina*

Indulgentiæ pro Aue Maria datæ.

*pulsatione campanæ flexis genibus ter Aue Maria dixerint, nec non qui ad fabricam ipsius monasterij seu Capellæ, luminaria, libros, calices, vestimenta seu quæuis alia ornamenta necessaria, manus porrexerint adiutrices: aut qui eidem ecclesiæ seu altari aurum vel argentum, seu aliquid facultatum suarum in suis testamentis donauerint, legauerint, seu donari vel legari procurauerint: & qui pro statu salubri*

Orans pro anima Philippi abbatis.

*Domini archiepiscopi, ac statu domini Philippi Meyssvvimi nũc abbatis dicti monasterii in Sponheim, & Hermanni Beude militis, & Hildegardis vxoris suæ, filiorum & filiarum suarum impetratarum, earundem dum vixerint, & earundẽ cum ab hac luce migrauerint: & qui pro anima reuerendi patris*

Similiter pro anima Wilhelmi abbatis orãtes.

*ac domini Wilhelmi abbatis prædecessoris prædicti monasterii in Spõheim (qui exstitit sepultus in prædicta Capella) iuxta sepulchrum suum orationem Dominicam cum salutatione Angelica, septem Psalmos pœnitentiales, aut aliquas alias deuotas orationes dixerint & pie Deũ exorauerint: Quotiescunq; præmissa seu aliqua præmissorũ deuote fecerint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorũ Apostolorum Petri & Pauli eius autoritate confisi, singuli nostrum XL. dies indulgentiarum de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, dummodo Diœcesani voluntas ad id intercedens & consensus. In cuius rei testimonium sigilla nostra præsentibus literis sunt appensa; Datum Auenioni XX. die Maii, Anno Domini* MCCCLVIII. *Pontificatus Domini Innocentii Papæ* VI. *anno* VI.

Gerlacus archiepiscopus Indulgẽtias confirmat. Copia confirmationis.

Has autem indulgentias Gerlacus Archiepiscopus Moguntinus, Diœcesanus huius monasterij sua autoritate confirmauit, & XL. dies in omni præmissorum addidit, sicut patet in literis suis:

*Gerlacus Dei Gratia, sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, salutẽ in Domino sempiternã. Indulgentias venerabilium patrum episcoporum, quibus hæc præsens nostra cartula est transfixa, pro monasterio in Sponheim, ordinis S. Benedicti, in honorem S. Martini, ac pro Capella S. Mariæ virginis, in ambitu dicti monasterij sita fundatis, nostræ diœcesis, datas & concessas, ratas habemus atq; gratas, easq; in nomine Domini præsentibus confirmamus, nec nõ de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, ac S. Martini nostri patroni meritis confisi, eisq; XL. diebus indulgentias in consimili forma superaddentes in Dei nomine in his scriptis. Nolentes tamen & sub pœna excommunicationis districte prohibentes, ne quis huiusmodi indulgentiarum literas extra monasterium & Capellam, pro quibus concessæ sunt, per modum quæstus aliqualiter deferat vel exportet. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Idibus Nouembris Anno Domini* MCCCLVIII.

Summa vero harum Indulgentiarum XII. episcoporum & præfati archiepiscopi Moguntini pro quolibet opere præmissorum & in quolibet die Dominico per circuitum anni seu alio in literis expresso simul iuncta facit dies DXX. remissionis pro pœnitentia promerentibus iniuncta.

Eodem

Eodem quoque anno instituta est residentia Presbyterij secularis, in Bockenavv per Petrum Archipresbyterum de Sponheim, domino Philippo Abbate & conuentu huius monasterij consentientibus; cuius beneficij collatio pertinet ad abbatem; vt patet in literis, quarũ Datum est *anno Domini* MCCCLVIII. *Dominica proxima ante festum Philippi & Iacobi.* *Missa in Bockenavv instituitur.*

MCCCLIX.

Hoc anno Philippus Abbas huius monasterij curtis & bonorum nostrorum in marchijs villarum Sponheim, Rudesheim, & Bockenavv omnimodam libertatem ab omni seruitio, precaria, & exactione impetrauit à domino Walramo comite in Sponheim pro mille florenis, quos eidem Comiti in vna summa dedit, sicut patet in literis eiusdem libertatis sigillo præfati Comitis & Helizabeth vxoris eius munitis; quarum Datum est *Anno Domini* MCCCLIX. *in die S. Martini.* Huius autem libertatis quietam possessionem in omnibus curtibus præscriptis, sicut data est, hodie possidemus. *Curtes nostræ in Sponheim, Rudesheim & Bockenavv donantur libertate.*

Eodem anno Philippus Cauallicensis episcopus, & sacrosanctæ sedis Apostolicæ Legatus & nuncius, in ciuitate Moguntina cõstitutus, Philippum abbatem, Petrum Priorẽ & seniores cõuentus huius monasterij monachos ad se Moguntiã fecit euocari, factaq; inquisitione diligenti de statu eorundem tam spirituali q̃ temporali, cum eos in vtroq; didicisset multorum testimonio defecisse, modum eis in sancta conuersatione deinceps viuendi cõstituit, præcipiens & mandans inprimis, vt Monachi omnes huius monasterij tã præsentes tunc q̃ futuri præcipue informarentur regularibus disciplinis, & in vno simul dormitorio (iuxta sanctiones Canonicas, & antiquam huius monasterij consuetudinem catenus laudabiliter obseruatam) communiter dormirent, sub pœna priuationis prębendæ illius diei, ac inobedientiæ. Morum quoq; integritatem, victus sobrietatem, honestatẽ vestitus, & diuini cultus sedulitatem eos habere secundum regulam S. Benedicti mandauit. Abbati præcepit delinquentes corrigere, & inobedientes secundum institutiones Canonicas emendare. Deniq; in fauorẽ obseruantiæ regularis ad petitionem abbatis incorporationẽ ecclesiæ parochialis per Wernherũ archiepiscopum dudum factã; donationem Vdonis, & omnes alias à quibuscunq; huic monasterio factas, autoritate sua in perpetuum cõfirmauit. Acta sunt hæc Moguntiæ anno Domini MCCCLIX. XX. die mensis Decembris, præsentibus ibidẽ Hermanno S. Albani, & Wirico S. Iacobi monasteriorum abbatib. cum alijs multis, in domo habitationis præfati domini episcopi, sedisque Apostolicæ nuncij. *Legatus Apostolicus hoc monasterii reformare cœpit.* *Donationes omnes confirmat.*

MCCCLX.

Anno Philippi abbatis nostri X. Carolus Imperator IV. conuentum Principum in Eslingen celebrauit. Ibi cum die quadã apud Minores in refectorio cũ Principibus suis haberet consilium, tumultus inter ciues contra Imperatorẽ subortus, qui discedens à loco Comiti Euerhardo de Wirtenberg mandauit, quatenus auxilio ciuitatum Imperialium Eslingen obsideret, ciuesque ad satisfactionem iniuriarum compelleret. Ciues ergo fortissima obsidione circumuallati, videntes in malo se positos, & tantæ potentiæ Imperij nequaquam posse resistere, pacem pecunia compararunt, dantes Imperatori LXX. florenorum millia pro satisfactione iniuriarum, & Comiti Wirtenbergensi XXX. millia pro expensis, quas fecerat contra eos bellando ex mandato domini Imperatoris. *Conuentus Principũ in Eslingen. Seditio ciuium contra Imperatorẽ. Eslingen ciuitas Sueuiæ obsidetur.*

His quoq; temporibus graues discordię ac dissensiones fuerunt inter Boemundũ archiepiscopum Treuirensem, & comites de Sponheim & Starckenburg ratione quorundã castrorum, quæ archiepiscopus reclamantibus istis ad ius ecclesiæ suæ pertinere dicebat. Verum Walramus comes de Sponheim cũ militibus suis, mediantibus amicis cum archiepiscopo ad concordiam mox redijt. Comes autem de Starckenburg agros, villas & possessiones ecclesiæ Treuirensis gladio, rapinis, & incendio deuastare cœpit, & multa ecclesiæ damna intulit. Contra quem archiepiscopus producens exercitum villam circa Mosellam, quæ dicitur Enckerig, & munitionem subtus castrum Starckenberg (quam idem Comes pro telonio construxerat) obsedit, ac funditus destruxit. Quo facto Comes gratiam Pontificis expostulans cum pace & veniam impetrauit. *Discordia inter archiepiscopum Treuirẽsem & comites de Spõheim & Starckẽburg.* *Enckerig destruitur.*

His quoq; temporibus Carolus Imperator IV. cũ esset vir doctus, (quippe qui multo tẽpore in Gymnasio Parisiensi literis operam dederat) virosq; doctos semper diligeret, ad decorẽ regni sui Bohemici Vniuersitatẽ Pragensem instituit, q̃ multis priuilegijs, gratijs, & possessionibus ditans sublimauit. Ecclesias quoq; multas & monasteria diuersarũ religionum suo tẽpore fundauit, & in magnificentia imperiali copiosè prouidit. In aula imperiali villæ, quæ dicitur Ingelnheim, nõ longe à Moguntia, cœnobium Canonicorum ordinis S. Augustini instituit, in quo recipi neminem ad religionem, nisi fuerit de Bohemia natus, consensit. Primos autem ciusdẽ monasterij fratres de cœnobio S. Caroli in ciuitate Pra- *Vniuersitas Pragensis fundatur.* *Aula in Ingelnheim sit monasteriũ.*

genſi aſſumi fecit, quibus Præpoſitum ſecundum conſuetudinem Canonicorum regularium ordinauit, ſubijciens tam ipſum q̃ fratres & locum perpetuis temporibus abbati monaſterij præfati de S. Carolo in ciuitate Pragenſi, cui & noſtris temporibus pleno iure eſt ſubiectum. Epiſcopatum eccleſiæ Pragenſis in Archiepiſcopatum ſublimari fecit, eumque multis priuilegijs & honoribus inſignem reddidit, qui archiepiſcopo Moguntino primas ſubiectus fuit. Impetrauit etiam à Papa inſtitutionem feſti Lanceæ & clauorum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod celebrãdum eſt ſingulis annis per vniuerſum orbem Chriſtianũ, feria VI. poſt Dominicam Quaſimodogeniti, cum multis gratijs & indulgẽtijs peccatorũ.

*Ecclesia Pragensis fit archiepiscopatus.*

*Festum lanceæ & clauorũ Christi instituitur.*

MCCCLXI.

Anno Philippi abbatis noſtri XI. facta eſt inter Eduardũ & Reynaldum fratres ac Duces Gelriæ pro ipſo Ducatu grauiſſima contentio & concertatio, qui cum aliquandiu inter ſe contendiſſent, Eduardus tandem victor exſiſtens fratrem cepit, & annis X. Ducatum Gelriæ ſolus rexit. Eodem anno in menſe Februario cœlum quadam nocte ardere viſum eſt, & eadem nocte obijt Wilhelmus I. Dux Iuliacenſis, quem Imperator in conuẽtu Metenſi, ante V. ferme annos, in Ducem creauerat, quemadmodum ſupra diximus.

*Eduardus dux Gelriæ fratrẽ capit.*

*Wilhelmus I. dux Iuliacensis moritur.*

Hoc ipſo anno Gerardus Comes Montenſis, & Arnoldus comes de Blanckenheim (q dudũ hoſtiles animos ad inuicẽ habuerant) lanceis acutis in quodã haſtiludio apud Coloniã ſe mutuo impetẽtes, ambo mortui ſunt, alter alterius lancea crudeliter tranſfixus.

*Duo comites in hastiludio pereũt.*

MCCCLXII.

Anno Philippi abbatis noſtri XII. quidam latrunculi de Anglia exeuntes, per Franciam & Hiſpaniã diſcurrẽbant, gladio, incendio prædaq; omnia vaſtantes, & multa vbiq; damna inferentes. Qui cum numero augmentati fuiſſent, Capitaneum ſuper ſe conſtituerunt, quẽ Archipresbyterum appellarunt. Ipſa autẽ multitudo latronum ſocietas vel magna vel Anglicana dicebatur, habens plus quam quadraginta millia pugnatorum. Hi ergo peruagata Francia, Hiſpaniam vicinaſq; regiones ingredientes omnia rapuerunt. Deinde venerunt ad fines Treuirorum in maxima multitudine, quorum aduentum Boemundus Archiepiſcopus Treuirenſis audito, Cunonem de Falckenſtein coadiutorem ſuum, Wẽceslaum Ducem de Lutzenburg, Walramum comitem de Sponheim, comitem de Veldentia, Comitẽ de Starckenburg, cum alijs multis tã ex comitibus q̃ ex Nobilibus, & exercitu copioſo contra illos miſit, qui mox percipientes tot aduerſum ſe Principes conuenire ad pugnandum, de finibus Treuirorum fugientes Alſatiam intrauerunt, & multa circa Argentinam damna ruſticis intulerunt, omnia diripientes quæ in villulis reperiſſent. Venientes ergo noctu ad ciuitatẽ Argentinã, extra muros ſe locauerunt, cõburentes in circuitu Konigshofen, & quædã alia villagia. Verum priuſquã veniſſent, fama eorum territi vbique in villis ruſtici, quicquid aſportare poterant, ad ciuitates vicinas & loca tutiora ſeruandum contulerant: deinde manſiones in villis circa Argentinam facientes, quicquid reliquum fuit rapuerunt. Portæ autem Argentinenſes metu eorum erant clauſæ, nec quiſquã ingredi permittebatur. Quoſcunque reperiſſent in agro ruſticos, inauditis ſupplicijs affecerũt, niſi pecunia ſe redemiſſent: mulieres ac virgines, tam ſeculares quam Deo ſacratas, quaſcunque inueniſſent, incredibili genere libidinis conſtuprarunt, nulli parcentes ætati: oppida quidem plura obſidione vallabant, ſed quia machinas non habebant neceſſarias, nullum omnino capere potuerunt. Nulli tuto tranſire, ſine ipſorum ſaluo conducto, licebat; quem cuicunque dediſſent, inuiolabili firmitate ſeruabant. Captiuos, qui ſe pecunia redimere non potuiſſent, ſine miſericordia occidebant, quanquã multi noctis beneficio fugientes, ſalui de manibus eorum euaſerint. Maſculos iuuenes in ſeruitutem ſibi captiuos reſeruabant. Tandem poſteaquam multis diebus in Alſatia commorantes multa damna in agris & villulis varia deuaſtatione feciſſent, per exercitum Imperatoris, Principum, Argentinenſium & aliarum ciuitatum ad hoc congregatum fugati ſunt. Quos cum inſequi vellẽt, tanta velocitate fugiebant, vt iter, quod vno die confecerant, noſtri vix in quatuor diebus peragere potuiſſent. Et ſic in Alſatia ceſſauit iſta quaſſatio: quamuis Imperator cum ſuis maiora damna populis Alſatiæ intulerit recedendo, quam ab Anglicis viderentur perpeſſi, propterea quod meſſis erat proxima, & frumenta in agris per exercitum fuerunt conculcata, vnde fames magna ſequuta eſt, quæ per VI. annos durauit.

*Archipresbyter cũ societate Anglicana deuaſtat omnia.*

*Archipresbyter deuaſtat Alſatiã.*

*Crudeles exſtiterunt.*

*Societas Anglicana per exercitum Imperatoris fugatur.*

Anno prænotato Boemundus de Saraponte Archiepiſcopus Treuirenſis ſenio grauatus, cum ſe ad gubernandam eccleſiam ſibi commiſſam inſufficientem conſpiceret, Cunonem de Falckenſtein Moguntinenſis eccleſiæ Canonicum, & ante Gerlacum ſub Henrico de Virnẽberg Adminiſtratorem (ſicut ſupra diximus) virũ magnificum, ad ſe vocauit, eumque in Canonicum Treuerenſis eccleſię creari fecit, & in coadiutorẽ aſſumpſit, qui

*Cuno fit Administrator eccleſiæ Treuirenſis.*

qui glorioſiſſime aduerſum hoſtes prænotatæ eccleſiæ triumphans, mox in exordio ſuæ conſtitutionis miranda perpetrauit. Vnde gauiſus Boemundus ab Innocentio Papa VI. obtinuit licentiam Cunoni Archiepiſcopatum Treuirenſem reſignandi, quod Papa libẽter conceſſit. Boemundus ergo Pontificatu Cunoni reſignato, pro ſuſtentatione ſui fortalitium & arcem Sarburg cum attinentijs & prouentibus, quoad viueret, ſuſcepit, & annis ferme v. podagra laborans ibidem ſuperuixit. *Cuno fit archiepiſcopus Treuirenſis.*

Eodem quoque anno obijt Wilhelmus archiepiſcopus Colonienſis, multas poſſeſſiones in auro, argento & prouentibus relinquens, & vacat Archiepiſcopatus x. menſibus. Interea Iohannes de Virnenburg Decanus maioris eccleſiæ per Capitulum electus, Romam pro confirmatione ſua perrexit, cuius electionem Vrbanus Papa v. non ſolum confirmare noluit, ſed etiam penitus caſſauit, & Adolphum fratrem Comitis de Marcha epiſcopum Monaſteriẽſem in archiepiſcopũ Colonienſem irrequiſito capitulo, ſublimauit; qui erat iuuenis ætate, taliq; dignitati nequaquã idoneus. Rexit autem eccleſiã Colonienſem male menſibus x. & diebus XVIII. ac poſtea reſignãs duxit vxorẽ, vt ſuo loco dicemus. *Adolphus fit archiepiſcopus Colonenſis auxiliante papa.*

MCCCLXIII.

Anno Philippi abbatis noſtri XIII. in die ſanctorum Innocentum obiit Gerlacus de Ernberg epiſcopus Spirenſis, in maiori ſepultus eccleſia: cui Lãpertus de Burnẽ abbas monaſterij in Gengenbach noſtri ordinis, Argentinenſis diœceſis, ſuccedens, prẽfuit annis 18. & poſtea ad Epiſcopatum Bãbergenſem autoritate Apoſtolica per Vrbanũ Papã v. translatus eſt. Huic epiſcopo Spirenſi Carolus Imperator IV. omnia priuilegia Regum, eidẽ eccleſiæ conceſſa renouauit, & ſub aurea Bulla ſolenniter coram Principibus confirmauit. *Lampertus abbas fit epiſcopus Spirenſis.*

Eodem anno obijt Theodericus de Bopardia epiſcopus Wormatienſis, cui ſucceſſit Iohannes Schatlandt ordinis Prædicatorum, Doctor ſacrarũ literarum, Nuncius Apoſtolicus, hæreticæ prauitatis Inquiſitor, Adminiſtrator aliquando eccleſiarũ Hildesheim in Saxonia, Auguſtenſis in Rhætia, Culmenſis in Pruſſia, & Conſtantienſis in Sueuia, & præfuit annis ferme XIII. qui multas cum Wormatienſibus contentiones habuit. *Iohannes Schadland fit epiſcopus Wormatienſis.*

MCCCLXIV.

Anno Philippi abbatis noſtri XIV. Adolphus archiepiſcopus Colonienſis accuſatus apud ſedem Apoſtolicã, q̃ dilapidator eſſet rerum eccleſiaſticarum: non vi, non metu ſed voluntarie archiepiſcopatũ in manus Papæ reſignauit, amore (vt ferebatur) cuiuſdã puellę comitis Montenſis, cũ qua Comitatum Cleuenſem ſe recepturũ ſperabat, q̃ & factum eſt. Reſignato enim Pontificatu, cũ ſacros ordines non haberet (quanq̃ Monaſterienſem epiſcopatum annis 5. & Colonienſem ferme, vno tenuiſſet) prædictã puellam duxit vxorem & nõ diu poſtea dominiũ terræ Cleuenſis, ad eã pertinens obtinuit. Poſt reſignationẽ Adolphi poſtulatus fuit in archiepiſcopũ Colonienſem Engelbertus comes de Marcha, epiſcopus Leodiẽſis, patruus Adolphi prædicti: q̃ cõfirmatus ab Vrbano Papa v. præfuit annis IV. & parũ profecit, quia eccleſiã in maximis debitis reperit, & noua veteribus debita cõiunxit. *Adolphus archiepiſcopatum reſignans ducit vxorem. Engelbertus fit archiepiſcopus Colonienſis.*

MCCCLXV.

Anno Philippi abbatis noſtri XV. hyems fuit aſperrima, & Rhenus quaſi per tres mẽſes congelatus ſe tranſeuntibus calcabilem præbuit, multi quoque homines hoc anno fame & frigore obierunt. Magna etiam eodem anno peſtilentia in his regionibus deſæuiens, homines ſine numero conſumpſit. *Hyems aſperrima. Peſtilentiæ magna.*

Eodem anno in oppido Creutzenacht magna inter ciues & Conſulatum diſſenſio & ſeditio ſuborta fuit pro leui occaſione, quæ intantum creuit, vt quibusdam ex conſulibus nec loca conſecrata pro defenſione tuta viderentur, quo minus ab inſana turba ad ſupplicium peterentur. Sedata tandem commotione turbæ autores ſeditionis IV. capti ſunt, & iuſſu comitis in medio fori capite truncati. *Seditio ciuili in Creutznacht.*

MCCCLXVI.

Anno Philippi abbatis noſtri XVI. magna inter epiſcopũ & ciues Wormatienſes ſeditio fuit & diſcordia, ſuper inſtitutione conſulatus & Sculteti, & quibuſdam alijs ad iuriſdictionem pertinentibus, quę tandem poſt multã diſſenſionem per Rupertum (qui & Adolphus dicebatur) Comitem Palatinum Rheni, & conſulatum Moguntinenſem & Spirenſem in die conuerſionis S. Pauli anno prædicto amice fuit compoſita. *Seditio inter epiſcopũ & ciues Wormatienſes. Diſſenſio rurſus componitur.*

Eodẽ anno rex Angliæ regẽ Franciæ cum filio eius, & ſimiliter regẽ Scotorũ, captos in Angliã duxit. His quoq; temporib⁹ magna inter ciuitates Imperij cõfœderatio facta eſt. *Reges capti in Angliam ducuntur.*

MCCCLXVII.

Anno Philippi abbatis noſtri XVII. obiit Boemundus archiepiſcopus Treuirorum in die S. Scholaſticæ virginis, in maiori eccleſia Treuirenſi ſepultus; poſt quem Cuno de

*Cuno de Falckenstein fit archiepiscopus mortuo Boemundo.*

Falckenstein supra dictus ac Dominus de Myntzenburg matre filia comitis de Sarwerden ortus, qui ipso viuēte fuerat ordinatus in archiepiscopum, ecclesiā Treuirensem strenue rexit annis XXI. & multa bona ecclesiæ fecit. Pro seruitijs Carolo Imperatori IV. multipliciter impensis, Bopardiā & Wesaliam, cum medietate Sternenberg (quæ Baldevinus quondā archiepiscopus ab Imperatore Henrico VII. fratre suo, in pignus expensarum obtinuit) pro magna pecuniarum summa ecclesiæ Treuirensi arctius in pignus impetrauit: ita vt posterior ista impignoratio maior sit in summa, quam prior fuerat.

*Bopardia & Wesalia impignorata plus aggrauantur.*

*Discordia inter comites de Wirtenberg & Eberstein.*

Eodem anno discordiæ fuerunt graues inter Vdalricum comitē de Wirtenberg, & comites de Eberstein. Cum ergo Vvirtēbergensis quadā die in balneo esset naturali, quem appellamus sylueſtre *, comites præfati de Eberstein occulte cum exercitu venientes locum obsidione cinxerunt, sperantes se Comitē intus concluſum omnino capturos. Sed fefellit eos confidentia inanis; nā à quodam rustico noctu per nemora cōductus manus eorū euasit, sequutaq; in prouincia Sueuorum discordia magna. Omnes enim illius terræ nobiles aduersus comites de Vvirtenberg conspirationē in vnum fecerunt. Ciues autē de Esslingē Vvirtenbergensibus adhærentes Heisheim obsidione vallarunt, & nobiles ad odedientiam Comitum præfatorum compulerunt.

* Wildbad.

*Heysheim obsidetur.*

*Cuno archiepiscopus fit Administrator ecclesiæ Colonien sis.*

Eodem quoq; anno Engelbertus archiepiscopus Colonienſis senio & maximis debitorum oneribus grauatus, sed & paralysi dissolutus, sentiens se ad rerū ecclesiasticarum minus sufficere gubernationem, de consilio suorum Cunonem archiepiscopum Treuirensem supra dictum in coadiutorem assumpsit, cum consensu capituli sui Colonienſis; quam assumptionem Vrbanus Papa V. confirmauit. Engelbertus autem Archiepiscopus hac prouisione facta, ad priuatæ vitæ tranquillitatem se contulit, & certis prouentibus pro vsu vitæ suæ retentis non diu superuixit. Cuno autem archiepiscopus ambas ecclesias strenue gubernabat.

MCCCLXVIII.

*Engelbertus Archiepiscopus Coloniēsis moritur.*

Anno Philippi abbatis nostri XVIII. obijt Engelbertus archiepiscopus Colonienſis, 21. die mensis Augusti, & vacauit ecclesia annis duobus. Cuno enim prætactus archiepiscopus Treuirensis postulatus à capitulo Colonienſi, noluit Pontificatum dictæ vrbis assumere, sed iussu Vrbani V. administratorio nomine vna cum ecclesia Treuirensi strenue & vtiliter rexit.

*Cometa apparuit.*

Eodem anno in Quadragesima apparuit Cometa.

*Engers castrum construitur.*

His ferme temporibus prædictus Cuno Treuirensis archiepiscopus castrum Engers cum fortalitio suo satis pulchre costruxit.

*Dominicum Schonneck coniungitur ecclesiæ Treuir.*

Circa idem tempus Cuno archiepiscopus Treuirensis dominium de Schonneck cum castro pro magna pecuniarum summa comparauit, & ad proprietatem perpetuam ecclesiæ suæ Treuirensis conscripsit. His etiam temporibus idem archiepiscopus telonium Rheni quod in Cōfluentia habuit, ad Castrum quod Capella dicitur, transtulit. Sed postea ad Engers translatum est, vbi & fixum manet vsque in præsentem diem.

*Telonium Rheni in Cōfluentia ad Capellam transfertur.*

MCCCLXIX.

*Castrum Hatstein expugnatur.*

Anno Philippi abbatis nostri XIX. Cuno Archiepiscopus Treuirensis castrum Hatstein obsidione cinxit & potenter obtinuit, reseruans sibi ac successoribus suis Archiepiscopis perpetuum in eo ius municipale, quod Præsidium appellamus.

*Winandus de Lapide miles obiit.*

Eodem anno in conuersione S. Pauli obijt Winandus de Lapide miles, cuius vxor fuit soror Philippi Abbatis nostri, qui singularis promotor & benefactor huius cœnobij exstitit, & multa bona fratribus impendit.

*Imperator exercitum mouit cōtra Mediolanēses in Italia.*

Hoc anno circa festum Dominicæ resurrectionis Imperator Carolus IV. contra Mediolanenses cum magno exercitu profectus, in Longobardia vsque ad festum S. Michaelis Archangeli sine effectu permansit. Volebat enim dominium Mediolanensium ad Imperium armis reducere, & iniurias Papæ Vrbani V. quas à vicecomitibus olim, cum in minoribus esset, acceperat (à quibus fuerat compulsus manducare literas Apostolicas, quas contra illos attulerat) vindicare. Sed cum pestis inuasisset exercitum, accepta magna summa pecuniarum in signum superioritatis Imperij, non sine magna displicentia Papæ ad propria remeauit. Videns enim Papa Imperatorem cum pace abscessisse, & contumeliam sibi dudum à Dominis Mediolanensium factam, non satis esse vindicatam, intremuit, & ab Imperio deponere omnibus modis cogitauit. Sed priusquam cogitationem suam iniquam ad effectum potuisset perducere, vita defunctus est.

*Papa cōpulsus manducare literas.*

*Ciuitas Colonien sis interdicto supposita.*

Hoc ipso tempore ciuitas Colonienſis biennio interdicto fuit supposita, propterea quod ciues priuilegia & libertates Clericorum violare & infringere tentassent.

MCCCLXX.

MCCCLXX.

Anno Philippi abbatis noſtri XX. obijt Gerlacus de Naſſavv archiepiſcopus Moguntinus, & in electione ſucceſſoris maxima difficultas fuit, Primo enim poſtulatus fuit ad eccleſiam Moguntinam Cuno archiepiſcopus Treuirenſis, qui ſub Henrico de Virnenberg, prædeceſſore Gerlaci, Adminiſtrator eius aliquandiu fuerat, qui contentus eccleſia ſua dignitatem ſibi oblatam recuſauit. Poſtea fuit electus à capitulo Adolphus de Naſſavv, contra quem Imperator nepotem ſuum Iohannem filium Wenzeslai ducis Lutzenburgenſis (quem vulgus appellabat Gallicum) promoueri in archiepiſcopum eccleſiæ Moguntinæ procurauit, qui ordinatus à Gregorio Papa XI. præfuit annis duntaxat duobus, vir bonus & ſtrenuus, qui veneno intoxicatus moritur.

*Gerlacus archiepiſcopus Moguntinus moritur.*

*Iohannes fit archiepiſcopus Moguntinus.*

Eodem anno dominus Cuno archiepiſcopus Treuirenſis & Adminiſtrator eccleſiæ Colonienſis, à capitulo præfato obtinuit Coloniēſi, quod Fridericum de Sarvverden nepotem ſuum & Canonicum eorum in archiepiſcopum eccleſiæ Colonienſis vnanimiter elegerunt, in caſtello non longe à Confluentia, quod capella nuncupatur, iuuenem quidem annis, ſed bonæ ſpei & prudentiæ ſingularis, qui ordinatus à Papa Vrbano V. menſis Nouembris die XIII. Romæ in præſentia Cardinalium: præfuit annis XLIV. ſatis vtiliter & ſtrenue, multaque eccleſiæ ſuæ bona fecit.

*Fridericus fit archiepiſcopus Colonienſis.*

Eodem anno Carolus Imperator IIII. iam ætate grauis, propriæ conſulens quieti, Wenzeslaum filium ſuum regem Bohemiæ in regem Romanorum creari à Principibus obtinuit, cum quo annis octo imperium gubernauit Romanum.

*Wēceslaus fit rex Romanorum.*

MCCCLXXI.

Anno Philippi abbatis noſtri XXI. in vigilia S. Bartholomæi apoſtoli factum eſt prēliū magnum inter Wenceslaum ducem Brabantiæ & Lutzenburgenſem, fratrē Caroli Imperatoris IIII. & Wilhelmum ducem Iuliacenſem iuxta Baesvveiler, in quo dux Iuliacenſis victor exſtitit, & Wēceslaum ducem Brabantiæ cum multis alijs Nobilibus atq; comitibus captiuum abduxit, à quibus incredibilem ſummam pecuniarum extorſit. Ducem autem Lutzelburgenſem, poſtquam mēſibus XI. captiuum tenuerat, metu fratris eius Imperatoris ſine exactione pecuniarum liberum dimiſit. In hoc prælio ab vtraque parte plus quam octo millia corruerunt, inter quos fuerunt de genere militari plures quam quadraginta numero. In eodem bello Eduardus dux Gelriæ, qui filium Alberti comitis Hollandiæ ducisq; Bauariæ deſponſauerat, à proprio ſeruo Hermanno Leers dicto (cuius vxorem abutebatur) ſagitta in fronte percuſſus obijt: Quo mortuo frater eius Reynaldus à cuſtodia decennali dimiſſus, iterum ab omni populo fuit aſſumptus, qui cum eſſet pinguiſſimus, vix tribus menſibus ſuperuiuens obijt, & ſtirps ducum Gelriæ in ipſo defecit, & Wilhelmus dux Iuliacenſis ducatum obtinuit.

*Bellū inter ducem Brabantiæ & Iuliacēſem.*

*Dux Iuliacēſis victor.*

*Eduardus dux Gelriæ ſagitta percuſſus moritur.*

*Petrus Prior huius monaſterii obijt.*

*Status monaſterii.*

MCCCLXXII.

Anno Philippi abbatis noſtri XXII. obijt Petrus de Schonberg anno Prioratus ſui XIV. cuius tempore & deinceps per multos annos in præſenti monaſterio nulla pene diſciplina regularis obſeruantiæ fuit. Erāt enim proprietarij omnes, & parum de integritate monaſticæ conuerſationis curabant. Poſt Petrum abbas Philippus XXIII. Priorē huius cœnobij inſtituit Fridericum monachum profeſſum, qui in Prioratu præfuit annis XVIII. homo mundanus & ſecularis, qui aut nihil aut parum de religione curabat.

*Fridericus ſit Prior huius loci 23.*

*Ioannes archiepiſcopus Moguntinus moritur.*

Eodem anno obijt Iohannes archiepiſcopus Moguntinus, filius Wenceslai ducis Brabantiæ & Lutzenburgenſis, nepos Imperatoris Caroli IV. in caſtro Altauillenſi veneno (vt videbatur) intoxicatus. Quo mortuo capitulum elegit in archiepiſcopum Moguntinum Adolphum de Naſſavv, filium ſororis Gerlaci quōdam archiepiſcopi, qui ante Iohannem (ſicut diximus) fuerat electus. Verum Gregorius Papa XI. cupiens Ludouicum, filium Marchionis Myſnenſis, epiſcopum Bambergenſem, in archiepiſcopum Moguntinū (ſicut ei promiſerat) ſublimare, confirmationem & pallium Adolpho contra iuſtitiam (vt ferebatur) denegauit. Adolphus adiuuantibus ſe amicis, non confirmatus, loca & munitiones archiepiſcopatus obtinuit, & per annos fere VIII. cum Ludouico Romæ litigauit: tandem ipſe Ludouicus igne interceptus perijt, & Adolphus confirmatus in archiepiſcopum, eccleſiam Moguntinam quiete poſſedit. Præfuit autem à tempore electionis ſuæ vſque ad obitum per annos ferme XVI.

*Adolphus in archiepiſcopum eligitur.*

*Gregorius papa Ludouicū in archiepiſcopū Moguntinū vult promoueri.*

*Adolphus loca & munitiones archiepiſcopatus occupat.*

*Ludouicus igne interceptus periit.*

Eodē quoq; anno Carolus Imp. cum Imperatrice, epiſcopis, XI. ducib. IX. comitibus X. militib. & nobilib. LXXXIII. equitibusq; mille & centū, & alia innumera multitudine venit ad Aquasgrani, ſeruataq; ibi curia Imperiali, fratrem ſuum Wilhelmū ducē Brabantiæ & Lutzelburgenſem à captiuitate ducis Iuliacenſis minis non pecunia liberauit, quē antea pro magna ſumma dimittere recuſauit.

*Curia Imperialis Aquisgrani habetur.*

MCCCLXXIII.

Anno Philippi abbatis nostri XXIII. obijt Albertus episcopus Herbipolensis, in cuius locum electus fuit per capitulum Albertus Hesßburg, contra quem Carolus Imperator à Papa Gregorio XI. obtinuit Gerardum de Schvvartzburg in episcopum promoueri, contra voluntatem totius cleri & populi Herbipolensis. Ordinatus autem à Papa Gerardus in episcopum præfuit annis XXVIII. fuitq; exosus omnibus propter auaritiam suam exactiones que inconsuetas, quas imposuit.

*Gerardus fit episcopus Herbipolensis.*

*Marchionatus Brandeburgensis à Bauaris venditur.*

Eodem anno duces Bauariæ vendiderunt Marchionatum Brandeburgensem Carolo Imperatori & regi Bohemiæ, pro ducentis millibus florenorum, quorũ centum millia in promptu fuerunt soluta, pro reliquis centum millibus quædam castella, videlicet Lauff, Hersbruck, Reichenfelt, Sultzbach, Rosenburg & Hirschavv, in manibus ducũ Bauariæ fuerunt sub titulo redemptionis ad præfatam summam dimissa. Reliqua vero castra regi Bohemiæ in Bauaria vendita, per Rupertum regem Romanorum postea fuerunt recuperata, & ducibus Bauariæ per eum restituta.

MCCCLXXIV.

Hoc anno, qui fuit Philippi abbatis nostri XXIV. & vltimus, Papa Gregorius XI. mandauit scholastico S Petri Moguntinensis ad instantiam ipsius Philippi abbatis, quatenus bona iniuste à monasterio alienata, ad ius & proprietatem monasterij faceret restitui, vt patet in bulla, quæ sequitur.

*Bulla papæ pro monasterio.*

*Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio scholastico S. Petri extra muros Moguntinensium, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum abbatis & conuentus in Sponheim, ordinis S. Benedicti, Moguntinensis diœcesis, precibus inclinati, præsentium tibi authoritate mandamus, quatenus ea quæ de bonis ipsius monasterii alienata inueneris illicite vel distracta, ad ius & proprietatem eiusdem monasterii legitime reuocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Auinioni* VII. *cal. Martii, Pontificatus nostri anno* IV.

Verum quid istius commissionis impetratio effecerit aut profuerit, non inuenio, quia non diu postea Philippus abbas obijt, & Craffto succedens non satis vtiliter rexit.

*Aquarum inundatio magna.*

Eodem anno in mense Februario nimia fuit inundatio aquarum: Rhenus enim in tantum excreuit, vt muros ciuitatis Colonien sis transcenderet, oppidum quoque Bingionum pro maiori parte aquis fuit oppletum, in tantum, quod omnes portæ versus Rhenũ & Naham clausæ fuerunt & aquis opertæ vsque ad summitatem murorum. Hæc inundatio Rheni multa mala fecit & damna hominibus iuxta Rhenum morantibus: nam villas subuertit & homines submersit, templa & multa ædificia prostrauit, vineas, hortos, sepes & vias circa Rhenum ad nihilum redegit.

*Chorisatio S. Iohannis dicta S. Vitis Tanz.*

Eodem quoque anno maniaca passio multos homines infecit (quam passionẽ homines choream S. Iohannis appellant) quæ multos, tam mulieres & virgines, quam viros & iuuenes inuadens, profugos ex patria & cognatione fecit & insanos, qui primum cadẽtes in terram spumabant, postea surgentes vsque ad defectionem saltabant, nisi fortissima ligatura per alios stringerentur. Multæ etiam tali occasione deceptiones fiebant, nam plures vt vel pecuniam mendicando perciperent, vel vt luxuriam suam explerent liberius, morbum fingebant.

*Philippus abbas moritur.*

Eodem quoque anno XIII. calend. Octobris obijt Philippus huius monasterij abbas XV. anno regiminis sui XXIV. completo, cum mense I. & diebus XII. sepultus in medio chori ante gradus presbyterij, cuius tumulo lapis cum inscriptione superpositus fuit, quem Iohannes Colnhausen, abbas in reformatione primus, pro refectorio construendo amouit.

## *DE CRAFFTONE SECVNDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XVI. qui præfuit annis XV. mensibus XI. diebus X. & variis gestis illius temporis.*

MORTVO abbate Philippo atque sepulto iuxta morem ecclesiasticæ traditionis die calend. Octobris XIII. ne monasterium viduitatis suæ diu deploraret incommoda, mox fratres altera die sequente, hoc est, in vigilia S. Matthæi apostoli pro eligendo nouo pastore ad locum capitularem conuenerunt, & post multos tractatus in abbatem elegerunt dominum Craffonem huius nominis secundum, præsentis cœnobij monachum, quem Adolphus archiepiscopus Moguntinus, confirmauit, & per Vicarium suum in pontificali-

*Craffto fit abbas huius monasterij 6.*

tificalibus fecit ordinari, præfuitque in abbatia huic monasterio annis xv. mensibus xi. & diebus x. Fuit autem oriundus ex Beckelnheim, patre Vvolfframo milite de Sponheim, matre vero Margaretha de Sobernheim genitus, qui in pueritia sua monasterio sub Vvilhelmo abbate traditus, inter fratres more eorum versabatur. In abbatem autem electus magis intuitu parentum quam Dei, non satis vtiliter præfuit: quia & disciplinam regularis obseruantiæ nullam instituit, & temporalis substantiæ subsidia in multis deteriora fecit. Sub eius regimine monachi omnes huius cœnobij quæ sua erant, non quæ Domini quærentes, pecuniam habebant, & Bibliothecam satis pretiosam, quæ hucusque sana duraverat, distrahere primum & violare & vendere cœperunt.

*Obseruātiæ regularis destitutio.*

MCCCLXXV.

Crafto abbas anno regiminis sui primo, caput S. Irminæ virginis in argentea capsula, quam Crafto primus ante annos ferme cc. fieri pro decore domus Dei fecerat, spolians denudauit, venditoque argento sacrum verticem cupro vestiuit, quemadmodum adhuc cernitur esse vestitum. Alia quoque diuersa clenodia huius monasterij, quæ abbates olim pro honore Dei ecclesiæ contulerunt, deinde per successores eorum alienata & vendita sunt, ita vt præter insulam pontificalem antiquam eorum, nihil ad tempus nostrum permanserit.

*Argenteum caput S. Irminæ venditur.*

His quoq; temporibus inter Fridericum archiepiscopū & ciues Colonienses grauis dissensio fuit, & multi Principes cum archiepiscopo aduersum eos conuentionē fecerūt.

*Dissensio inter archiepiscopum & Colonienses.*

MCCCLXXVI.

Anno Crafftonis abbatis nostri II. obijt Iohannes dictus Scadlandt, episcopus Vvormacienſis, ordinis fratrum prædicatorum, sepultus in conuentu suo Cōfluentino, vbi ordinem ipsum intrauerat. Post quē episcopatum Vvormacienſem obtinuit Eckhardus de Ders annis xxix. vir tam in sacris scripturis quam in secularibus literis multum eruditus, vita & conuersatione deuotus, contemptor mundi & amator Dei, qui contra cōsuetudinem episcoporum illius temporis, vt Simonia vitaretur, omnes ordines tam minores quā maiores conferre in persona propria gratis cum omni puritate consueuit. Raro extra ecclesiam videbatur in publico, sed tumultum fugiēs hominum, in palatio suo Laudenburgensi solus quiescebat cum suis, lectioni scripturarum & orationi studium impendens continuum.

*Eckardus fit episcopus Wormatiēsis.*

Eodem anno Craffto abbas pro libertate curtis nostræ in Flonheim cum villanis ibidem actionem habuit, libertatemq; omnimode obtinuit, vt patet in literis.

*Curtis in Flonheim.*

Hocipso anno oppidani Tuitiēses cum Friderico archiepiscopo Colonienſi sentiētes, se hostes Coloniēsium publicos exhibuerūt. Vnde prouocati ad indignationem Colonienses congregarunt armatorum multitudinem, & Rheno transmisso Tuitium, præter monasterium & ecclesiam parochialem, incendentes funditus destruxerunt. Postea eodē anno in profesto S. Panthaleonis martyris Fridericus archiepiscopus obsedit Coloniam diebus paucis, quam cum se non posse capere cerneret, obsidione soluta ad Bonnam reuersus est. Deinde circa festum S. Laurentij martyris Colonienses denuo egressi monasterium Tuitiense, quod prius intactum reliquerant, cum ecclesia parochiali, funditus destruxerunt, nihil omnino relinquentes integrum, ne forte archiepiscopus ad expugnandum ciuitatem, præsidia sua ibidem poneret. Hac eorum præsumptione commoti Principes multi, publice hostes & inimici Colonienſium facti sunt, inter quos erant isti potiores: Cuno archiepiscopus Treuirensis, episcopus quoque Paderbornensis, Vvenceslaus dux Brabantiæ & Lutzenburgij, dux Austriæ, Imperator quoque Romanorum, Comes de Zegenhan, ciuitas Aquensis, & cum his plures quam octingentos militares diffidatos habebant inimicos. Per annos quoq; VIII. ciuitas ipsa Colonienſis interdicto fuit suppositа, & diuinorum in ipsa celebratio prætermissa.

*Colonienses Tuitiū destruunt.*

*Colonia obsidetur.*

*Monasterium Tuitiense cum ecclesia parochiali destruitur.*

*Hostes Colonienſium.*

*Wilhelmus comes Hollandiæ moritur.*

MCCCLXXVII.

Anno Crafftonis abbatis nostri III. obijt Vvilhelmus Comes Hollandiæ, Selandiæ & Hannoniæ, Comesque Palatinus Rheni & dux Bauariæ, filius quondam Ludouici Imperatoris, & frater Alberti comitis, in custodia (sicut diximus) vesanus, quam vesaniam hausto veneno incurrisse ferebatur. Frater eius Albertus (quemadmodum supra dictum est) post eius depositionem in custodiam, terram eius sibi vsurpauit.

*Bellū Eberhardi comitis Wirtenbergensis cū ciuitatibus Imperialib.*

Eodem anno factum est prælium magnum inter Euerhardum comitem de Vvirtēberg, & ciuitates imperiales Sueuiæ, iuxta Reutlingen, & multi occubuerunt.

*Suenia.*

Eodem quoque anno facta est per Cunonem archiepiscopum Treuirensem cōcordia inter Fridericum archiepiscopum & ciues Colonienses firmissima, sed more solito non diu seruata.

*Concordia inter archiepiscopū & ciues Colonienses.*

MCCCLXXVIII.

*Hēricus comes de Spōheim proficiscitur ad terram sanctam.*

Anno Crafftonis abbatis III. Henricus Comes de Sponheim, filius Walrami comitis, pro remissione peccatorum suorum ad terram sanctam profectus est, cui abbas Crafftono pro Capellano adiunxit Wernherum de Dille, monachum huius cōuentus. Sed & frater ipsius abbatis, dictus Eytelvvolff de Sponheim, cum ipso Comite profectus Ierosolymam, militiæ illic dignitatem susceptit.

*Turris S. Martini in Colonia cōburitur.*

Eodem anno turris S. Martini in Colonia, nostri ordinis, incendio concremata est, & magna pars domorum adiacentium eodem incendio perierunt, mansitque turris ipsa sine tecto per annos ferme CXVI. quousque tandem institor quidam, Eualdus de Bacharach, ciuis Colonien sis, tantum pecuniarum moriturus ad instaurationem eiusdem legauit, quod in eam formam, in qua nunc cernitur, fuit reformata: pro cuius anima singulis diebus missa in honorem beatæ Mariæ semper virginis canitur in eadem ecclesia solennis.

*Carolus Imperator 4. moritur.*

Eodem quoque anno in vigilia S. Andreę apostoli obijt Carolus Imperator IIII. post quem Vvenzeslaus filius eius, cum quo regnauerat annis VIII. imperat annis XXII. sine corona imperij. Hunc pater cum adhuc viueret, in regem Romanorum (sicut diximus) procurauit eligi, puerum videlicet, XV. annorum, promittens vnicuique principi Electori centum millia florenorum, quæ cum soluere nō posset, optimas Imperij ciuitates pro pignore, donec pecunia soluatur, principibus ascribere coactus fuit. Itaque Rupertus Palatinus Rheni pro centum millibus florenorum sibi promissis ab Imperatore in pignus accepit Oppenheim, Odernheim, Ingelnheim, ac Luteram Cæsaream, cum omnibus prouentibus suis, quæ sui hæredes hodie adhuc possident, possidebuntque donec & quousque prædicta pecunia soluatur.

*Contra suā ipsius sanctionem aureæ bullæ.*

MCCCLXXIX.

*Venetia obsidetur.*

Anno Crafftonis abbatis V. Ludouicus rex Vngariæ obsedit Venetiam, & multa Venetis damna intulit, compellens eos mutare sigillum, ne se *Dominos maris* de cętero scriberent, quem titulum sibi præsumptuose vsurpauerant.

Eodem anno Wenceslaus rex Romanorū venit ad Coloniam, & cum honore magno susceptus est, habens in comitatu suo Cardinalem apostolicæ sedis legatum.

*Otto Marchio Brandenburgęsis moritur.*

Eodem quoque anno obijt Otto Marchio Brandenburgensis, filius quondam Imperatoris Ludouici IIII. & in Soldendal sepelitur. Hic Otto, sicut & duo ex fratribus eius, Wilhelmus qui tenuit Hollandiam (de quo diximus) & Ludouicus dictus Romanus, Romæ quia natus, absq; liberis discessit, relinquens fratribus omnia quæ possidebat.

MCCCLXXX.

*Ciuitates Imperij oppugnant duces Bauariæ.*

Anno Crafftonis abbatis VI. omnes ferme ciuitates & oppida Imperij circa Rhenū & in Sueuia, vna cum Pilgrino archiepiscopo Saltzburgensi, & ciuitate Ratisponensi, cōtracto inter se fœdere, cum exercitu ferme octo millium, duces Bauariæ & quosdam alios sibi in circuitu molestos, rapina & incendio oppugnant. Verum post annos quinque, cum insolentius agere cœpissent, principum contra se omnium circa Rhenum, in Sueuia, Bauaria & Franconia animos concitarunt: qui adunato maximo suorum exercitu contra illos processerunt, & maximis illatis damnis ligam seu confœderationem ipsam destruxerunt. Pilgrinus archiepiscopus præfatus Saltzburgensis eodem tempore in treugis capitur,

*Hoenſolms capitur.*

castrum Hoensolms à ciuibus prædictæ confœderationis captum fuit, & igne immisso solo coæquatum.

MCCCLXXXI.

*Adolphus fit epis. opus Spirensis.*

Anno Crafftonis abbatis VII. Lampertus ex abbate nostri ordinis episcopus Spirensis authoritate apostolica ad ecclesiam Bambergensem translatus est, cui Adolphus de Nassavv in episcopatu Spirensi succedens, præfuit annis XV. vir in agendis acutus & perspicacis ingenij, qui cum ciuibus suis quasdam contentiones habuit.

*Discordiæ inter archiepiscopum Moguntinū & comitem Palatinum.*

Eodem anno Wenzeslaus rex Romanorum propter pestē exiuit Bohemia, & cum pileo cardinalitio sacrosanctæ sedis Romanæ venit ad Moguntiā, & per Rhenum descendens Coloniam, vlterius per terram ad Aquasgrani profectus est, ibique resedit.

*Pestis magna.*

Eodem quoque anno inter Adolphum archiepiscopum Moguntinum, & Rupertum comitem Palatinum Rheni ducemque Bauariæ discordiæ graues exortæ sunt, quæ eo vsque processerunt, quod hostes publici aduersum se facti multa sibi inuicem damna fecerunt. Tandem tamen per medium principum amicorum ad concordiam redacti sunt.

Hoc etiam anno maxima in Vngaria & Bohemia pestilentia sæuiebat, quæ multa millia

millia hominum absumpsit, nam in ciuitate Pragiensi vna die MCXVI, obierunt.

MCCCLXXXII.

Anno Crafftonis abbatis VIII. rex Franciæ & Comes Flandriæ obsederunt Gandauum, & quamuis victores bis exstiterint, nihilominus Gandauenses contra eos processerunt ad pugnam, eosque fugere ad ciuitatem Brugis compulerunt, vnde Gandēsem ciuitatem obsidione vallantes, ipsam ceperunt hora VI. post meridiem, in die Sabbari, quando sanguis circumcisionis Domini in processione portatur, vbi plus quam septuaginta septē millia hominum cecidisse ferebantur. Comes autem Flandriæ fuga lapsus vix euasit, rex Franciæ subito vesanus factus fremebat. *Gandauum obsidetur.*

Eodem anno Lupoldus dux Austriæ cōtra Syvitenses processit ad bellum, à quibus victus cum multis alijs nobilibus & ignobilibus est occisus, & multi sunt capti. *Bellum aduersus Syvitenses.*

MCCCLXXXIII.

Anno Crafftonis abbatis nostri IX. obijt Comes Iohannes de Sponheim, frater Henrici comitis sine liberis. *Ioannes comes de Spōheim moritur.*

Eodem anno VII. cal. Augusti obijt Wernherus de Dille, monachus huius cœnobij, qui ante triennium cum Henrico Comite de licentia abbatis sui (sicut diximus) vltra mare fuit ad sepulchrum Domini profectus.

Eodem quoque anno VII. idum Decembris obijt Wenceslaus dux Brabantiæ & Lutzenburgij, frater Imperatoris Henrici IIII. qui Brabantiā vexerat annis XXVIII. & cum magna pompa sepultus in monasterio beatæ virginis Mariæ prope Lutzenburg, quod est abbatia ordinis nostri: post cuius obitum Ioanna vxor eius, quæ fuit filia Iohānis tertij ducis Brabantiæ, rexit terras illas annis ferme XXII. cum adiutorio Arnoldi de Horne episcopi Leodiensis, quem de sacro fonte baptismi leuauerat. *Wēceslaus dux Brabātiæ moritur.*

MCCCLXXXIV.

Hoc anno, qui fuerat Crafftonis abbatis X. obijt Iohannes dictus Frie, monachus huius monasterij, qui gessit officium Cellerarij annis multis. *Nobilis dictus Frien.*

Eodem anno VII. iduum Augusti obijt Hermannus Stumpf, monachus & custos hic. Post mortem Iohannis maioris Cellerarij supradicti Craffto abbas Cellerarium instituit Emericum, huius conuentus monachum, filium Philippi Vlner militis de Beckelnheim, qui antea Redituarius fuerat huius monasterij per annos septem. *Stumpf.* *Vlner.*

MCCCLXXXV.

Hoc anno Craffto abbas curtim huius monasterij in Nosbach cum omnibus prouentibus suis pro CL. florenis vendidit Henrico Wolff de Sponheim militi, quæ sic alienata mansit à monasterio vsq; ad tempora Iohannis Trithemii abbatis, per annos C. qui mediam curtim redimens aliam dimidietatem dimittere coactus fuit, vt suo loco dicemus. *Curtis in Nesbach vendatur.*

Eodem anno VIII. iduum Septembris obijt Philippus Vlner miles de Beckelnheim, pater Emerici monachi & Cellerarij, huius monasterij benefactor singularis. *Philippus Vlner moritur.*

Eodem quoque anno Wilhelmus Comes Hollandiæ, filius Alberti ducis Bauariæ, & nepos Ludouici Imperatoris IIII. vxorem duxit filiam ducis Burgundiæ, Philippi, & nuptias cum magna pompa & solennitate spectabili celebrauit. *Wilhelmus comes Hollandia ducit vxorem.*

MCCCLXXXVI.

Anno Crafftonis abbatis nostri XII. creuit maxima vini copia ita vt tempore vindemiarum præ vbertate vasa deficerent, venderetur que plaustrum vini pro vno floreno, & vas vinum capiens, plaustrum pro tribus florenis. *Abundātia vini.*

Eodem anno I. die mensis Martij, quæ fuit V. feria sexagesimæ, exeuntes de Wormacia ciues, armata manu inuaserunt Nuhusen, eamq; penitus destruxerūt, & quoscunq; inuenissent ex clericis capiebant, & ad custodiam carceris posuerunt. Et hæc fuit secunda eiusdem loci per Wormaciēses destructio. Prima enim facta est tempore Ludolphi episcopi. Concordia tandem per Rupertum Comitem Palatinum Rheni, & Comitem Henricum de Sponheim facta est, & Nuhusa denuo cœpit reædificari, & in breui ad perfectionem deducta est. *Nuhusen destruitur.*

MCCCLXXXVII.

Hoc anno, III. Maij obijt Eydelvvolff de Beckelnheim miles, frater domini Crafftonis abbatis nostri, cuius vxor Catharina nobis certa bona ex eius legatione contradidit. Sepultus est in ecclesia nostra coram altari S. Margarethæ virginis & martyris. *Eydelvvolff de Beckelnheim, miles obijt.*

Eodem anno IX. cal. Martij obijt Iohannes, dictus Reyse, monachus huius monasterij professus, & in ambitu ecclesiæ sepelitur.

*Monasterium Tuitiense reædificatur.*

Eodem quoque tempore monasterium Tuitiense, nostri ordinis, quod Colonienses ante decennium cum parochiali ecclesia destruxerant, reædificatum est, & denuo consecratum.

*Bellum inter Ducissam Brabantiæ & ducem Gelriæ.*

Hoc etiam anno bellum fuit inter ducissam Brabantiæ, Ioannam relictam Wenceslai ducis, & Wilhelmum ducem Gelriæ, qui contra eam victor euasit, & tandem concordia inter eos per Fridericum archiepiscopum Colonienſem facta est.

MCCCLXXXVIII.

*Conradus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Anno Crafftonis abbatis nostri XIV. obijt Adolphus de Nassavv archiepiscopus Moguntinus, cui Conradus de Vvinsberg, Canonicus maioris ecclesiæ, per electionem succedens præfuit annis VII. vir bonus atq; pacificus.

*Vniuersitas Colonienſis erigitur.*

Eodem anno erectum est studium generale, seu Vniuersitas in ciuitate Colonienſi per consulatum ibidem, & ad eius instantiam per Vrbanum Papam VI. confirmatur, alibi legimus quod Bonifacius IX. qui Vrbano succeſſit, eam confirmauerit.

*Ciues Moguntinenses, Wormatienſes & Spirenſes denastãt Palatinatũ. Dux cũ ſuo exercitu victor euadit. Quale factum, talis pœna.*

Eodem quoque anno ciues Moguntinenses, Wormacienſes, & Spirenſes, cum quibusdam alijs confœderatis cõtra Principes, sexcentis armatis terram domini Ruperti comitis Palatini ducisque Bauariæ intrantes, incendio & rapina denastare cuncta cœperunt, quibus dux ipse cum ſuo exercitu non longe à Wormatia venit in occurſum, conſertisq; manibus victor euasit, ducentis ex eis interfectis & trecentis captis, ita quod de toto exercitu eorum vix C. fuga elapſi remanſerunt. Inter captiuos erant sexaginta raptores miseri, qui noctu discurrentes incendio & rapina pauperes oppreſſerant, quos dux in fornacem calcis fortiter ardentem proijci iusserat, dicens: *Vos terram meam nocturno tempore in occulto incendio concremaſtis, & ego vos clara die, plurimo inſpectante populo, ardere faciam.* Reliqui de captiuitate pecunia ſe redimere coacti sunt. Acta sunt hæc VI. feria ante festum S. Martini anno prænotato, non procul à Wormacia. Et non ausi deinceps ciues confœderati terras Principum, niſi valde vicinas, bello impetere, nec pacem posthac habuerunt, donec principibus cum pecunia satisfacerent pro eorum voluntate, & Ligam confœderationis suæ inter ſe diſſoluerent.

*Wernherus fit archiepiscopus Trevirensis.*

Eodem quoque anno Cuno de Falckenstein archiepiscopus Treuirensis senio grauatus, de capituli sui voluntate & conſenſu, reſignauit archiepiscopatum Wernhero de Falckenstein, cognato suo quem canonice electum & à Papa Vrbano VI. comfirmatum mense Maio in Pontificem vnanimiter susceperunt, assignantes ei possessiones ecclesiæ omnes, oppida, castra & villas, nemine contradicente. Cuno autem retento apud ſe theſauris suis, in auro & argento maximis, vitam priuatam agere cœpit, mansionem in castello, quod Vvelmich dicitur, accipiens, vbi non diu superuiuens eodem anno, mense Iunio defunctus est, & in ecclesia S. Castoris sepultus in Confluentia, cui Vvernherus solennes peregit exequias, Friderico archiepiscopo Colonienſi, & Ruperto (qui & Adolphus) comite Palatino Rheni & duce Bauariæ cum multis alijs principibus adstantibus. At vero theſaurum ingẽtem apud eum Vvernherus ſucceſſor reperit, ecclesiamq; debitis absolutam, & in omnibus victualibus copioſiſſime prouisam.

*Bellũ inter Franckfordienses & nobiles de Cronenberg.*

Eodem anno Franckofordienses exercitum contra Dominos Cronenbergenses produxerunt ad pugnandum. Quibus illi de Cronenberg, licet pauciores numero, in occurſum audacter properantes, commiſſoque prælio victores exiſtunt, centum ex Franckfordienſibus occidunt, & sexcentos captiuos abducunt, reliqui cum ignominia fugerunt. At vero pro liberatione captiuorum Nobiles de Cronenberg septuaginta florenorũ millia à Franckfordienſibus acceperunt, eosque ad conditiones pacis accipiendas compulerunt.

*Bellũ inter ciues confœderatos Sueuiæ & comites de Wirtenberg.*

Anno etiam prænotato ciues confœderati in Sueuia aduersum Comitem de Vvirtenberg arma sumpserunt, contra quos comites ipsi, aliorum Principum adiutorio suffulti, iuxta Vvile oppidum Sueuiæ procedentes ad bellum post longam concertationem victores facti sunt, & multos ex confœderatis ciuibus occiderunt, & Ligã ciuitatum (quæ decennio ferme durauerat) penitus diſſoluentes, in nihilum redegerunt. Omnia hæc mala Vvenceslao regnante, & imprudenter diſſimulante, in terra facta sunt.

*Wyla oppidum Sueuiæ distãs Pharetmio 2. milliaribus.*

*Monstrum nascitur.*

Hoc anno in oppido Bopardienſi, Treuirensis diœcesis, natus fuit infans ab vmbilico & ſurſum duplex exiſtẽs, qui habuit duo capita, manus quatuor, & cætera omnia quæ ad hominis perfectionẽ requirũtur dupliciter. Deorſum vero ab vmbilico cuncta membra in forma vnius hominis erant diſpoſita. Sed non diu vixit hoc monſtrum, nam infra vnius anni ſpatium ambo mortui sunt.

MCCC.

MCCCLXXXIX.

Anno Crafftonis abbatis nostri xv. v. Idus Martij obijt Margaretha relicta Philippi Vlner, militis de Sponheim mater Emerici monachi & Cellerarij huius cœnobij, quæ legauit xxx. florenos pro tabula in summo altari faciēda, quam præfatus filius eius Emericus Cellerarius & Prouisor fieri fecit, addens de suo patrimonio reliquum quod constabat, seque inferius iuxta imaginem S. Trinitatis, in pede ipsius tabulæ, cum armis suis procurauit depingi. *Margaretha relicta Philippi Vlner moritur.*

Eodem anno VIII. iduū Decembris obijt Petrus de Sponheim monachus huius loci. *Comes Mātensis in nāce creatur.*

Eodem quoq; anno Wilhelmus comes Montēsis per Wenceslaum regē Romanorum in ducem creatus est, cum magna pompa & solennitate, vt fieri consueuit.

MCCCXC.

Anno abbatis nostri Crafftonis XVI. & vltimo, Diethardus comes de Katzenelenbogen factus est inimicus & publicus hostis Colonienſium, & eis multa damna intulit, Friderico archiepiscopo dissimulante & promouente negotium. *Comes de Katzēelenbogen fit inimicus Colonienſium. Crafftio abbas moritur.*

Eodem quoq; anno in die S. Ægidij confessoris obijt dominus Crafftō, huius monasterij abbas XVI. anno ætatis suæ LIX. in choro monasterij ad caput Bernhelmi primi abbatis sub lapide sepultus: homo laboriosus, sed parum fortunatus, & qui in vtroq; statu nō satis prouide rexit, relinquens monasterium in multis debitis, & obseruantiam penitus dissipatam.

Eodem anno in episcopum Leodiensem postulatus fuit Iohannes dux Bauariæ, filius Alberti comitis Hollandiæ, comitis Palatini Rheni, ducisque Bauariæ, cum annū ætatis XIX. nondum compleuisset, & à Leodiensibus cum magno honore fuit susceptus. *Iohannes postulatur in episcopum Leodiensem*

## *DE PHILIPPO SECVNDO, HVIVS MONASTERII ABBATE XVII. qui præfuit mensibus* VI. *& diebus* XVIII. *ac de gestis eius & illius temporis,*

DOMINO Crafftone abbate mortuo atque sepulto anno & die præfatis, cōuenerunt ad locum capitularem die sequente, hoc est, IV. nonas Septembris, pro electione noui abbatis celebranda fratres, & post maturam inter se deliberationem præhabitam, Philippum eius nominis secundum in XVII. huius monasterij abbatem concorditer elegerūt, qui mox eodem mense per Conradum archiepiscopum Moguntinum confirmatus, & per eius in pontificalibus Vicariū iuxta morem ordinatus, præfuit tantum VI. mensibus & XVIII. diebus: homo nimium pomposus & vanegloriosus, qui statim in principio regiminis sui gloriosus apparere desiderans multam familiam inutilem conduxit, equos superfluos comparauit, & contra consuetudinem omnium Antecessorum suorum, qui tribus equis, Capellano & familiari solebant esse contenti, cum quatuor aut quinque extra monasterium equitare incepit, magnas faciens expensas, quarum magnitudinem tenuitas monasterij non poterat sine desolatione omnimoda sustinere. Crucem auream satis pretiosam, quam Craffto abbas eius nominis primus ante annos CC XLV. pro decore domus Domini fieri fecit, vt satisfaceret pompæ status sui, vendidit & à monasterio penitus alienauit. Insuper & possessiones quasdam vendidit, quas monasterium à principio fundationis suæ in omni quiete & vtilitate vsque ad ista tempora possedit. Fuit autem Philippus oriundus ex Bechtolsheim, filius Henrici militis, qui cum esset annorum XII. sub Philippo Meyſvvin abbate monachus factus est, & more cæterorum instituebatur, magis ad luxum & vanitatem seculi quam ad amorē Dei. Cum autem annū ætatis ageret XXXII. post mortem Crafftonis abbatis in abbatē (sicut diximus) electus est, & mala regiminis sui principia fecit, qui si diutius vixisset, omnem substantiam monasterij ex toto dissipasset. *Philippus secundus fit abbas monasterii 17. Crux aurea venditur.*

Eodem anno quo Philippus abbas institutus est, V. idus Octobris obiit Fridericus Prior huius monasterij XXIII. sub cuius præsidentia aut nulla aut parua fuit in monasterio regularis disciplinæ obseruantia. Monachi enim omnes proprietarij erant, domosq; seorsum habebant proprias, & nec refectorium (iuxta regulam) eis commune fuit, nec dormitorium. Mortuo autem Friderico Philippus abbas XXIV. Priorem instituit Rudolphum, huius monasterij monachum professum, qui præfuit in officio Prioratus annis XIII. & pro disciplina regularis vitæ aut nihil aut parum videbatur esse sollicitus more prædecessoris sui. *Fridericus abbas moritur. Rudolphus fit Prior huius loci 24.*

MCCCXCI.

Hoc anno XV. calen. Aprilis obijt Philippus secundus, huius monasterij abbas XVII. & in choro ante gradus Presbyterij sepelitur, cuius obitus neminē plus contristauit, quam *Philippus abbas moritur.*

eius familiares, epulones & adulatores, qui prædam sequebantur non hominem, qui parum de vtilitate monasterij curabant. Porro fratres, quibus nimia eius pompa grauis & intollerabilis erat, considerantes diuini consilij prouidentiam meliora in posterum futura exspectabant.

## DE BERNHARDO, ABBATE HVIVS MONASTERII SPONHEIMENSIS XVIII. *qui præfuit annis* XLI. *mensibus* III. *diebus* IX. *& de variis gestis eius & incidentibus illius temporis.*

MORTVO autem Philippo secundo, huius monasterij abbate XVII. & iuxta morem ecclesiasticæ traditionis sepulto, conuenientes ad locum capitularem vocem electionis habentes ad eligendum super se nouum pastorem fratres, inuocataque (vt fieri solet) gratia spiritus sancti, summopere cauendum statuerũt, ne similem defuncto abbatem eligerent, qui reliquas monasterij inani pompa consumeret, potius vtilem & prouidũ virum Deum timentem, & pro communi zelum habentem promouerent. Matura igitur deliberatione præhabita, tandem vnanimiter elegerunt in abbatem & Pastorem huius monasterij Bernhardum de Sponheim, monachum huius cœnobij professum, annum ętatis XXXI. agentem, qui confirmatus à Conrado archiepiscopo Moguntino, & per Vicarium eius in pontificalibus (vt moris est) benedictus, præfuit huic monasterio annis XLI. mensibus III. & diebus IX. vir constans & strenuus, & agendis rebus satis acer & idoneus.

*Bernhardus fit abbas huius loci* 18.

*Genus & origo Bernhardi abbatis.*

Oriundus autem fuit de Sponheim, militari genere natus, qui in pueritia sua literis discendis aliquandiu operam dedit, in quibus cum iam sapere cœpisset, parentum voluntate & persuasione monachus factus est, & inter coætaneos suos melior euasit. Ordinatus autem Abbas omni quo potuit studio laborauit, vt res & possessiones, ab antecessorib. iniuste distractas, ad proprietatem monasterij reduceret, & partem quidem reduxit, partem in aliena possessione dimittere, propter inopiam rerum temporalium & malitiam temporum, coactus fuit. Denique obseruantiam regularis disciplinæ, in hoc monasterio penitus collapsam, ad integritatẽ monasticę conuersationis reducere sæpe aggressus est, sed improborum temeritate obstante parum profecit. Hæc tamẽ effecit, quod monachi sui, quamdiu ipse vixit, in vno refectorio comedere, & in vno dormitorio simul dormire cõpulsi sunt, quod tamen statim post mortem eius iterum fuit depositum. Veruntamen radicem omnis irreligiositatis monachorum peculium non abstulit, & priuata ad communem vsum non reduxit, nihilominus propter zelum rectitudinis sæpe multas insolentias non sine damno monasterij & periculo animarum à monachis suis sustinuit. Mense v. regiminis sui Philippus & Euc. hardus Meysvvin, armigeri de Sponheim, ius suũ, quod cum Abbate habebant, ad altare in monasterio nostro, in honore sanctorum Mariæ Magdalenæ, Laurentij martyris, & Margarethæ virginis & martyris constructũ, abbati & conuentui in perpetuũ resignauerunt, ita quod idem altare per monachum huius cœnobij deinceps & non per aliũ officietur, sicut patet in literis eiusmodi resignationis, quas præfati armigeri tradiderunt Abbati, *anno Domini* MCCCXCI. *in vigilia Laurentii.*

*Altare S. Margarethæ incorporatur monasterio.*

### MCCCXCII.

*Vniuersitas Erphordiẽsis erigitur.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi Abbatis nostri I. fundata est vniuersitas Erphordiensis in Thoringia, & per Bonifacium IX. confirmata datis priuilegijs & libertatibus ad instar aliarum vniuersitatum.

*Iubilæus celebratur Monaci.*

Eodem anno Bonifacius Papa IX. ad instantiam Stephani Friderici, & Iohannis ducum Bauariæ, fratrum, concessit annum Iubilæum ad ciuitatem Monacensem, Frisingensis diœcesis, in Bauaria, à Dominica Lætare vsque ad festum S. Iacobi apostoli.

*Bauaria inter fratres diuiditur.*

Eodem quoq; anno feria tertia ante festũ S. Catharinæ virginis & martyris, facta est inter prædictos, tres fratres, filios Stephani ducis, filij Ludouici Imperatoris IIII. Bauariæ diuisio, in qua Iohannes Monacum in superiori Bauaria cum attinentijs suis pro portione legitima accepit, Stephanus æque in superiori Bauaria Ingolstatt & Rattenberg cum pertinentibus ad eam consecutus est: Fridericus autem in Bauaria inferiori Lantzhutam cum attinentijs suis pro sua portione accepit. Ex his Stephanus & Fridericus duxerunt vxores filias Galeacij Vicecomitis Mediolanensis, quem Wenceslaus rex Romanorum accepta pecunia in ducem creauit. Stephanus autem genuit Ludouicum ducem de Ingolstatt, & Helizabeth Reginam Franciæ, & Iohannem episcopum Ratisbonensem, Fridericus autem genuit Henricum ducem de Lantzhutt, & duas filias, Magdalenam & Helizabeth, quarum vltimam duxit in vxorem Fridericus Nurenbergæ Burggrauius, quẽ Sigismundus Imp. postea tempore concilij Cõstantiensis Marchionẽ Brandenburgẽsem fecit

*Genealogia ducum Bauariæ.*

fecit. Iohannes vero duxit vxorem comitissam Portzensem, de qua genuit Ernestum & Wilhelmum de Monaco, & filiam nomine Sophiam, vxorem Wentzeslai Romanorum & Bohemiæ regis.

MCCCXCIII.

Anno Bernhardi abbatis nostri II. facta est inter Fridericum archiepiscopum Colonienssem & ciues concordia, per medium comitis de Moers, & aliorum amicorum vtriusque partis, post longam concertationem. *Concordia inter archiepiscopū & ciues Colonienses.*

Eodem anno in archiepiscopatu Treuerensi in vico, qui dicitur Brechen, natus est infans horrendæ dispositionis. Nam inferior pars corporis, hominis præ se formam & dispositionem ferebat, superior autem buconis teterrimi, ita quod etiam intuentes horror inuaderet: multi peccatis genetricis id attribuebant. *Monstrum horrendissimum nascitur.*

MCCCXCIV.

Anno Bernhardi abbatis nostri III. Iohannes Burgundiæ dux, qui erat filius sororis ducis Alberti in Strubingen, cum magno exercitu venit in Bauariam, & processit vlterius contra Turcos, habens secum Rupertum dictum Pipan, comitē Palatinum ducemq; Bauariæ, filium Ruperti postea regis Romanorum, & alios complures comites & Nobiles cū magno exercitu. Rex autem Vngariæ Sigismundus, magnam à Turcis insolentiā omnibus Christianorum principibus innotescens, auxilium postulauit. Maxima igitur multitudine bellatorum dicto regi ex vniuerso Christianorū orbe in auxilium veniēte, aduersum Turcos expeditio fuit ordinata. Cumq; venissent ad quandā ciuitatem Turcorū, Nicopolim dictam, eam obsidione vallarunt. Rex autē Turcorum ciuitati cum ducētis millib⁹ in auxilium venit, contra quem Sigismundus rex Vngariæ cum suis ad spatium vnius milliaris obuiam factus, aciem (vt potuit) ordinauit, cōstituens exercituū Capitaneū ducem Walachiæ: quod Iohannes dux Burgundiæ supradictus moleste ferens, sibi principatum rege inuito vsurpauit, assumptoq; suorū exercitu, qui erant fere sex millia numero, primū in Turcos minus prudenter fecit insultum, à quibus cum multis alijs captus est, innumera Christianorum multitudine à Turcis occisa. Sigismundus veto rex Vngariæ fugit, & nauigio euasit, Rupertus autē Pipan Palatinus Rheni & dux Bauariæ in magna paupertate repatriauit. *Bellum Sigismūdi regis Vngariæ aduersum Turcos.* *Nicopolis obsidetur.*

MCCCXCV.

Anno Bernhardi abbatis IIII. obijt Conradus de Winsberg archiepiscopatus Moguntinus, in mense Octobri, post cuius mortem Gotfridus comitis de Liningen filius, per capitulum vnanimiter fuit electus, vir bonus, probus, & in scripturis tam secularibus quā diuinis satis admodum eruditus. Contra quem Iohannes de Nassavv canonicus ecclesiæ Moguntinæ archiepiscopatum à Bonifacio Papa IX. pro septuaginta ducatorum millibus (vt dicebatur) obtinuit, confirmatusque per eundem Papam & ordinatus Gotfrido repulso contra voluntatem capituli, præfuit Moguntinæ satis prouide annis fere XXIV. homo astutus & callidus, cuius consilium paucis cognoscibile fuit. *Conradus archiepiscopus Moguntinus moritur.* *Iohannes fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno infra octauas corporis Christi fuit terræ motus magnus in nocte, & postea tempestas cum vento ingenti sequuta arbores subuertit & domos. *Terræmotus magnus.*

Eodem quoq; anno XVIII. die mensis Augusti obijt Albertus dux Austriæ, qui primus vniuersitatem Viennensem in Austria fundauit, vt supra diximus. *Albertus dux Austriæ moritur.*

MCCCXCVI.

Anno Bernhardi abbatis V. Nicolaus de Wisbaden episcopus Spirensis, qui Adolpho de Nassavv (de quo supra dictum est) successerat obijt, Post hunc electus fuit vnanimiter per capitulum Rabanus de Helmstatt, & præfuit annis XXXV. postea in archiepiscopum Treuirensem sublimatus fuit, vt suo loco dicemus. *Rabanus fit episcopus Spirensis.*

Circa hæc tempora Wernherus archiepiscopus Treuirensis telonium quod Cuno prius de Confluentia ad Capellam locauerat, propter meliorem profectum transtulit in Engers. Comitem quoque de Solms & ecclesiæ Treuirensis cum multis nobilibus in bello cepit captiuumque abduxit, & in castro Montebure tam diu seruare præcepit, donec voluntati præcipientis obediret.

MCCCXCVII.

Anno suo sexto Bernhardus abbas curtem monasterij in Flonheim locauit, ad firmam, quod tametsi pro vtilitate monasterij fecisse videatur, non tamen finaliter ad vtilem monasterij prouisionem cessisse constat. *Flonheim curtis.*

Eodem anno Wilhelmus dux de Monte cum valido exercitu terram comitis Cleuensis intrauit, & primo quidem congressu victi, secundo ciuibus de Vvesalia comiti suo *Dux Montensis à Cleuensibus capitur.*

auxilia ferentibus, victus est, & cum multis suorum captus. Inter quos fuerunt præcipuè dux Iuliacensis, comes de Solms, comes quoque de Hinsberg, comes de Seyne, comes de Westerburg, & comes de Riferscheit.

MCCCXCVIII.

*Henricus Vlner de Sponheim moritur.* Anno Bernhardi abbatis nostri VII. pridie calend. Septembris obijt Henricus Vlner de Sponheim, frater Henrici monachi & Cellerarij huius monasterij, singularis fautor & benefactor præsentis loci, qui & ipse coadiutor exstitit Bernhardo abbati in omnibus, quę pro decore ordinis incepit.

*Vicecomites Mediolanē-ses fiunt duces.* Eodem anno Wenceslaus rex Romanorum sine scitu & voluntate Principum & Electorum creauit Galeacum Vicecomitem Mediolanensem in ducem, & iste fuit vnus articulorum, propter quos ab imperio postea fuerat depositus.

MCCCXCIX.

*Creutznachi succēdit. Sponheim quoq.* Anno Bernhardi abbatis VIII. magnum incendium fuit exortum in ciuitate Creutznacht in noua ciuitate, & plus quam mediam partem vorax flamma consumpsit. Eadem æstate villa Sponheim fuit igne fortuito incensa, cuius magna pars incendio perijt, & multa damna intulit.

Magna etiam hoc anno in terra Montensi bella agitata sunt, & damna multa pauperibus incendio & deprædatione illata, Molenheim quoq; villa capta fuit.

MCCCC.

*Cōuentus Principum.* Anno abbatis nostri Bernhardi IX. die mensis Septembris XX. conuenerunt circa horam X. vel quasi, in Loinstein superiori, Fridericus archiepiscopus Colonien-sis, Wernherus archiepiscopus Treuirensis, Iohannes archiepiscopus Moguntinensis, & Rupertus comes Palatinus Rheni dux; Bauariæ, cum multis alijs principibus, & deposuerunt Vwenceslaum regem Romanorū à regno ob sequentes articulos, quos aduersus eum posuerūt.

*Wēceslaus rex Romanorum deponitur.*

*Causæ depositionis.*

*I.* Item, quod ciuitatem Ianucensem accepta pecunia ab Imperio alienauit, cōtradens eam regi Francorum sine consensu Principum Electorum & imperij.

*II.* Item, quod Vicecomites Mediolanenses sine consensu Principum creauit in duces (sicut supra diximus) assignando eis totam Lombardiam in titulum.

*III.* Item, quod territoria, dominia & castra ad ipsum iure imperij deuoluta, ab imperio alienauit, concedens ea in perpetuam proprietatem alijs.

*IV.* Item quod martyrizauit & occidit tam seculares quam spirituales honestas personas, & præcipue quendam Magistrum in Theologia, & multas alias crudelitates exercuit, tam

*V.* in viros literatos & clericos, quam in nobiles & pauperes.

Item, quod fouit prædones, qui mercatores & quoslibet itinerantes spoliauerunt, nulliq; tutum erat quoquam ambulādi, nec in aqua sub eius regimine.

*VI.* Item, quod accepta pecunia dedit membranas sub sigillo regiæ Maiestatis.

*VII.* Item, quod vniuit & confœderauit se cum rege Poloniæ, qui se cum

*VIII.* paganis habuit contra Dominos Teutonicos in Prussia magis q̄ cum Christianis.

Item, q̄ citauit multos homines ad curiā suā absq; rationabili causa, solū vt pecunias extorqueret

*IX.* ab eis iniuste & sine omni occasione iustitiæ.

Item q̄ illam laudabilē vniuersitatē Pragensem, q̄ pater eius instituit, quasi penitus ad nihilū redegit, expellēs Doctores, & odio habēs viros literatos & nobiles, quod multi de eo testabantur iniuste expulsi bonisque spoliati.

*X.* Item, quod cōmessationibus & ebrietatibus & luxuriæ semper intentus, negotia regni non

*XI.* curauit, sed in omnibus remisse agens, bella fouit & seditiones.

Item, quod super præmissis & multis alijs criminibus & negligentijs sæpius admonitus à principibus palā & occulte, nunquam se vel in vno emendare curauit. Acta sunt hæc in Lonstein superiori, anno prænotato Dominicæ incarnationis MCCCC. die XX. mensis Septembris, circa horam X. vel quasi.

Porro dux Saxoniæ & Marchio Brandenburgensis ad terminū vocati non venerūt, quorū absentia non obstante præfati principes Wenceslaū per se etiā deposuerunt, vt homine ad regnū penitus inutilē, quippe qui omne temp⁹ in Bohemia in otio & libidine cōsumpsit. Post depositionē eius principes qui conuenerant, Rupertum comitē Palatinum

*Rupertus comes Palatinus fit rex Romanorum.* Rheni ac Bauariæ ducem in regem Romanorum vnanimiter elegerunt, quem Fridericus archiepiscopus Colonien-sis circa festū Epiphaniæ Domini in maiori ecclesia Colonien-si vnxit & coronauit: qui præfuit imperio Rom. annis X. homo satis Christianissimus, iustitię cultor, in rebus bellicis strenuus, amator cleri, & pauperū defensor integerrimus. Eius electionē Papa Bonifacius IX. confirmauit, ratā habens depositionē Wenceslai regis inertis. Verū cum postea coronā imperij susceptur⁹ Romam pergere decreuisset, Galeacius dux Mediolanensium, fautor Wenceslai, à quo in ducē creatus fuerat (sicut diximus) in Italiā venienti cū potentia restitit, & iter versus Romā intercluſit. Reuersus ergo in Alemaniā sine be-

ne benedictione imperiali regnum strenue gubernauit, Marchionem Badēsem sibi rebellem obsesso castello eius Mulberg ad obedientiam suam coartauit. Rupertus iste rex Romanorum vxorem habuit Margaretham Burggrauii Nurenburgensis filiam, quæ peperit ei VI. filios & III. filias, Rupertum dictum Pipan, qui pugnauit contra Turcos (vt supra diximus) Fridericum Amberg, Ludouicum Barbatum, qui post patrem Comes Palatinus & Elector imperij fuit, Iohannem Nuenburg, Stephanum de Gemino ponte, Ottonem Mosbach, Agnetem, Margaretham & Helizabetham. Primogenitus Rupertus Pipan sine liberis obijt sepultus in Amberg: Fridericus similiter ante patrem obijt sine liberis. De alijs autem filijs suo loco dicemus.

*Rupertus rex Badenses domat.*

*Filij Ruperti regis Romanorum.*

MCCCCI.

Anno Bernhardi abbatis nostri X. obijt Gerardus episcopus Herbipolensis, relinquēs ecclesiam debilem, exhaustam & nimium depauperatam. Nam pene omnia erant impignorata, castella, oppida, villæ cum prouentibus ecclesiæ. Huic successit Iohannes de Egloffstein, promotione regis Ruperti, & præfuit annis XI. homo bonus atque pacificus, ecclesiæ suæ fidelis & in omnibus satis vtilis.

*Iohannes fit episcopus Herbipolensis.*

Eodem anno in festo Epiphaniæ Domini Rupertus electus in regem Romanorum consecratus est in maiori ecclesia Colonięsi, à Friderico eiusdem ciuitatis archiepiscopo. Ciues autem Aquenses, propterea quod essent Wenceslao regi depositio obnoxij iuramēto, noluerunt coronationem noui regis in ciuitate sua admittere, tpem in duce Iuliacensi habentes, qui assistentiam eis contra Rupertum pollicitus fuerat. Sed non cessit eis in prosperum. Coronatus enim rex Rupertus (sicut diximus) in Colonia, in Aquenses animaduertit, eosque banno imperiali subiecit, donec tandem post sex annos compulsi in eius arma iurauerunt.

*Rupertus in regem coronatur.*

*Aquenses ciues vexantur à rege.*

MCCCCII.

Anno Bernhardi abbatis nostri XI. Rupertus rex Romanorum nuptias splendidas filio suo Ludouico celebrauit in Colonia mense Maio, dans ei vxorem filiam Henrici regis Angliæ, nomine Blancam, quæ peperit ei filium, nomine Rupertum, qui XX. ætatis suæ anno obijt sine liberis. Sed & vxor ipsa post paucos annos obijt, & tūc aliam duxit, filiam ducis Sabaudiæ Mechtildem, de qua inferius suo loco dicemus opportuno.

*Ludouicus filius regis ducit vxorem.*

Eodem anno Rupertus rex Romanorum in Italiam profectus est, tam pro corona imperij adipiscenda, quam etiam pro auxilio ferendo Florentinis contra Mediolanenses.

*Rupertus rex in Italiā proficiscitur.*

MCCCCIII.

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XII. in festo S. Hyppoliti martyris, maximum in oppido Bingen incendium fuit casualiter exortum, & multa hominibus damna intulit. nam vix quarta pars oppidi incombusta permansit. Consumpsit enim vorax flamma parochiam, turres, domos, capellasque sanctorum, Christophori, Nicolai, Ægidii, & spiritus sancti cum omnibus quę apprehendit: fugitq; tam potens incendium, ꝙ ā nemine poterat restringi. Omnia vastauit, omnia consumpsit, & in vna hora multos ex diuitibus pauperrimos effecit.

*Oppidū Bingen incendio perit.*

Eodem anno XI. cal. Decembris obijt Rudolphus prior huius monasterij in ordine Priorum XXIV. homo secundum mores illius temporis, qui parum curabant disciplinam regularis obseruantiæ. Monachos huius cœnobij quales reperit, tales etiam post se ad posteros transmisit, proprietarios, incontinentes, & seculares potius quam religiosos. Post mortem Rudolphi abbas Bernhardus, XXV. huius loci Priorem instituit Conradum nomine, huius cœnobij monachum professum, qui præfuit in officio Prioratus annis ferme XVIII. homo quidem secundum æstimationem hominum communem bonus & conuersationis honestæ, qui, quia inter deformatos à pueritia nutritus fuerat, viuere moribus inuentis ad salutem sibi sufficere confidebat.

*Rudolphus Prior 24. mortitur Status monachorum. Conradus fit Prior huius loci 25.*

Eodem quoq; anno XIV. cal. Augusti obijt Iohannes plebanus ecclesiæ nostræ Spōheimensis, qui fuit olim Rector scholarium hic in monasterio, & benefactor singularis.

*Dux Montensis patrem capit.*

Eodem anno dux Montensis captum patrem suum posuit in custodiam in castro quod dicitur Nuvvenburg, sibique dominium patris vsurpauit, patris sui preces paruifaciens, & lacrymas matris indesinenter fusas cōtemnens. Sed eodē anno per Henricum de Oeyr. Friderico archiepiscopo opem ferentem, occulte & cum magna astutia fuit de custodia liberatus & clam abductus.

MCCCCIV.

Anno Bernhardi abbatis nostri XIII. inchoata est reformatio ordinis nostri in Bauaria, quæ Castellensis appellatur, per Ottonē abbatē monasterij de Castello, in diœcesi Ei-

*Reformatio Castellensis capit.*

stetensi, qui primum se & monasterium suum ad integritatem monasticæ institutionis reformauit, ac deinde per successum temporis multa alia monasteria in Bauaria & Sueuia in eandem societatem attraxit. Sed non durauit c. annis in præfato monasterio tam sancta reformatio, quæ per pompam & superbiam abbatum destructa nullum hodie sui vestigiũ reliquit. Cætera quoq; monasteria Castellẽsibus per vniformitatem vitæ quõdam annumerata, matre deficiente, à prima institutione pene omnia defecerunt.

MCCCCV.

*Dux Montensis ad obedientiam patris compellitur.*

Anno Bernhardi abbatis nostri XIV. venit ad regem Rupertum, Heydelbergæ morãtem, soror eius Anna, vxor Wilhelmi ducis Montẽsis, filium accusans Adolphum, qui patrum ceperat, & nunc vtrumque parentem de ducatu Montensi expulerat, petens consilium & auxilium contra filium proterũ. Cuius calamitati rex frater compatiens, filium imperiali sententia notauit, & ad venerationem obedientiamque parentum in breui coegit.

*Albertus Palatinus moritur in Hollandia.*

Eodem anno circa natiuitatem Domini obijt dux Albertus dux Bauariæ, filius Ludouici Imperatoris, Palatinus Rheni, Hannoniæ, Hollandiæ ac Selandiæ Comes, ac Dominus Frisiæ, vir pius, bonus, & princeps humanissimus, in Hollandia sepultus, relinquens ex Margaretha, filia ducis Poloniæ, vxore sua tres filios, scilicet, Albertũ, qui habuit Straubingen cũ ducatu inferioris Bauariæ, qui primus inter fratres obijt sine liberis, qui non habuit vxorem, Iohannem, qui fuit electus episcopus Leodiensis, & postea rexit Hollandiam per plures annos post obitum fratris sequentis, Vvilhelmũ, qui matre mortua rexit Hollandiam, Hannoniam, Selandiã & Frisiam annis paucis, obijtq; anno Domini MCCCCIX. filiam relinquens vnicam Iacobam nomine, de qua suo loco dicemus.

*Filij Alberti.*

*Clerus Wormatia exiuit.*

Eodem anno in die S. Scholasticæ virginis clerus Wormaciensis pro conseruatione libertatum de ciuitate exiuit, & anno vno cum mensibus XI. (alij dicunt biennio) extra ciuitatem manserunt, quodlibet collegiũ in loco sibi antiquitus deputato. Tandem cõcordia facta est (vt inferius suo loco & ordine dicemus) per Rupertũ regem & filiũ Ludouicũ.

*Matthæus fit episcopus Wormatiẽsis.*

Eodem etiam anno XIV die mensis Maij Eckardus episcopus Vvormaciensis, in medio chori maioris ecclesiæ sepultus: cui successit Matthæus de Cracouia, & præfuit annis V. vir eruditus & in sacris literis Doctor, qui multa conscripsit opuscula ad eruditionem fidelium morumq; institutionem pertinentia.

*Curtis in Winsheim cõparatur.*

Anno prænotato Bernhardus abbas huius monasterij Spõheimensis curtim vnam in Winsheim cum domibus, agris, vineis, pratis, hortis & omnibus pertinentibus suis cõparauit, à Petro Conradi sartoris filio, quam coram Sculteto & Scabinis ibidem (vt moris est) in proprietatem monasterij perpetuam suscepit. Verum post annos aliquot (sicut infra dicemus) in displicentia contra conuentum suũ cadens, exira tam istam curtim quam aliam sine consensu & voluntate conuentus alienauit, in non paruum animæ suæ periculum.

MCCCCVI.

*Defectio solis.*

Anno abbatis nostri Bernhardi XV. in die Viti & Modesti martyrum, de mane, circa horam VII. fuit Eclipsis Solis maxima, & secuta sunt bella multa in diuersis terris & prouincijs Romani imperij.

*Conspiratio Nobilũ contra ciues Moguntinenses.*

Eodem anno post festum Paschale conuenerunt in vnum quidam principes, comites, & alij diuersi ordinis Nobiles istius prouinciæ, fecerunt aduersus ciues Moguntinenses consilium, & magna eis damna intulerunt, pro cõtumelijs & damnis, quæ antea à Moguntinensibus se pertulisse dixerunt. Quadam quoque nocte in manu valida venerunt ad portam ciuitatis, & simulantes se sodales ipsius ciuitatis, intromissi sunt: qui cum fortes & multi essent numero, quosdam ex potioribus ciuium capite truncarunt, spoliantes ciues quoscunq; potuissent, irrecuperabilia eis damna intulerunt & recesserunt. Hoc ipso anno tandem ciues Aquenses regi Ruperto post damna multa iurauerunt.

MCCCCVII.

*Clerus Wormatiensis concordia facta ad ciuitatem reuertitur.*

Anno Bernhardi abbatis nostri XVI. circa festum S. Iacobi apostoli facta est inter clerũ & ciues Wormacienses concordia, per Rupertum regem Romanorũ, & filium eius Ludouicum comitem Palatinum Rheni, posteaquam multæ ab vtraq; parte in Romana curia & extra expensæ factæ fuerunt. Et sic Clerus, postquam biennio exulauerat & mentibus V. ad ciuitatem est reuersus.

*Prætorium Colonienſe.*

Eodem anno prætorium nouum in Colonia, quod ciuium domum appellant, inchoatum est, & in septennio consummatũ, cuius impensæ (vt ferunt) L. florenorum auri millia transcendunt, dum singula computantur.

MCCCCVIII.

MCCCCVIII.

Anno Bernhardi Abbatis XVII. facta est magna dissensio inter Iohannem Ducem Bauariæ, Leodiensis ecclesiæ electum (qui annis ferme XVI. se gessit pro episcopo, & sacros ordines non accepit, contra iuramentum suum) & ciues Leodienses cum sibi adhærentibus; qui cladem Leodiensibus pernicioſam attulit, quos Iohannes præfatus bello superauit. Leodienses namque obsederunt ipsum Iohannem electum in Mastricht, vbi tantam crudelitatem exercebant, quod mulieribus, propter inopiam à dicta ciuitate fugientibus, vbera & vestimenta circa pudibunda amputarent. Et licet Wilhelmus Dux Bauariæ, Comesque Hannoniæ, Selandiæ, Hollandiæque, frater Iohannis electi, nec non Iohannes Dux Burgundiæ filius sororis amborum in principio nullam ei vellent facere assistentiam, postremo tamen videntes eum in tanta necessitate positum, ei cum centum millibus, ad bellum expeditis, in adiutorium venerunt, ipso nesciente, & in ciuitate à Leodiensibus obsesso. Venientes autem ad ciuitatem Mastricht præfati Duces cum exercitibus suis, super Leodienses inopinate irruerunt XXIII. die mensis Septembris, plus quam triginta quinque millia ex eis occiderunt, paucis euadentibus, & ex parte eorum vix decem obuerunt. Et sic Iohannes electus totam diœcesim obtinuit.

*Dissensio inter Iohannem ducem Bauariæ & ciues Leodienses.*

*Leodienses obsederunt Ioannē electū in Mastricht.*

*Bellū contra Leodienses atrox, in quo Leodiēsium plus quā triginta quinque millia occubuerunt.*

MCCCCIX.

Anno Bernhardi abbatis nostri XVIII. obijt Wilhelmus supradictus Dux Bauariæ, Comesque Palatinus Rheni, Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæque Comes, & dominus Frisiæ, filius Ducis Alberti, & nepos Imperatoris Ludouici IV. vnam relinquens filiam nomine Iacobam, quæ primum nupsit Delphino Franciæ, postea Duci Brabantiæ, & postremo cuidam nobili Francorum, qui omnes absque liberis obierunt. Hæc filia Iacoba mortuo patre comitatus illius hæreditario iure obtinere laborabat, contra quam præfatus Iohannes electus Leodiensis, frater patris, per violentiam obtinuit, & quam diu vixit, Hannoniam, Hollandiam, Selandiamque, & partem Frisiæ in dominatione retinuit, præfata fratris filia reclamante. Tandem vero cupiens legitimum habere post fata hæredem, Episcopatum Leodiensem deseruit, & cum dispensatione concilij Constantiensis vxorem duxit, sed liberos ex ea non suscepit.

*Wilhelmus comes Hollandiæ moritur.*

*Ioannes electus episcopus Leodiēsis obtinet comitatus fratris sui Wilhelmi.*

Eodem anno XXI. die mensis Maij obijt Blanca filia regis Angliæ Henrici, vxor Ludouici Comitis Palatini Rheni Ducisque Bauariæ, filij Ruperti regis Romanorum, qui dicebatur *Dux cum Barba*, propterea quod Barbam, quam ad terram Sanctam profectus nutrierat, abradi postea non consensit. Post hanc secundam duxit vxorem Matildem filiam Ducis Sabaudiæ; fœminam magnæ pietatis & deuotionis, de qua genuit tres filios; Ludouicum, Fridericum & Rupertum, & quasdam filias, quarum duæ factæ sunt moniales, tertiam duxit vxorem Comes Wirtenbergensis, quo mortuo, nupsit alberto Duci Austriæ, fratri Imperatoris Friderici.

*Blāca vxor Ludouici comitis Palatini moritur.*

*Filii Ludouici comitis Palatini ex Matilde secunda vxore.*

MCCCCX.

Anno Bernhardi abbatis nostri XIX. obijt Rupertus rex Romanorum Dux Bauariæ ac Palatinus Comes Rheni, in Oppenheim XXI. die mensis Maij, sepultus Heydelbergæ in medio ecclesiæ Spiritus Sancti choro, Mausolæo in altum erecto. Istè Rupertus antequam in regem Romanorum eligeretur, Vniuersitatem Heydelbergensem primus fundauit, erexit, & dotauit Anno Domini MCCCLXXXVI. quam Vrbanus Papa VI. confirmauit, & variis priuilegijs honorauit. Construxit etiam in eodem oppido insignem ecclesiam in honorem Spiritus Sancti, in qua multas Canonicorum & Vicariorum præbendas satis pingues & bonas instituit.

*Rupertus rex Romanorum obiit.*

*Vniuersitas & ecclesia Spiritus sancti Heydelbergæ fundatur.*

Post mortem vero regis Ruperti conuenientes Principes electores in vnum regem Romanorum vnanimiter elegerunt Sigismundum, Caroli Imperatoris IIII. filium, & fratrem Wenceslai quondam regis depositi, regem Bohemiæ & Vngariæ, virum fortem, strenuum & sapientem atque Christianissimum, qui imperauit annis XXVII. & multa pro vtilitate ecclesiæ Catholicæ strenue fecit & perpetrauit.

*Sigismūdus fit rex Romanorum.*

MCCCCXI.

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XX. graues fuerunt dissensiones & discordiæ inter Ludouicum Palatinum quondam Ruperti regis Romanorum filium, & Iohannem Comitem de Sponheim, super quibusdam terminis & libertatibus in comitatibus, & præcipue in Creutzenacht, in quibus Comes Iohannes per sententiam Iudicum victoriam obtinuit contra præfatum Ludouicum Palatinum. His temporibus status huius monasterij in temporalibus valde tenuis fuit, & Monachi disciplinæ obseruantiam abiicientes, in magna vitæ deformitate viuebant.

*Discordia inter Ludouicum Palatinum & Ioannem comitem de Sponheim.*

*Status monasterii qualis.*

MCCCCXII.

*Iohanne de Brun fit episcopus Herbipolensis.*

Anno Bernhardi Abbatis nostri XXI. Iohannes episcopus Herbipolensis obijt, veneno (vt ferebatur) in Forchen peremptus XI. die mensis Ianuarij, cui alter Iohannes de Brun succedens, præfuit annis XXVIII. homo nimium sumptuosus, qui ob id pene omnia ad mensam episcopalem pertinentia creditoribus impignorauit.

MCCCCXIII.

*Stephanus comes Palatinus, &c. ducit vxorē. Filij Stephani Palatini.*

Anno Bernhardi abbatis nostri XXII. Stephanus Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, filius Ruperti quondam regis Romanorum, & frater Ludouici Palatini cum Barba, in vxorem duxit vnicam filiam vltimi Comitis de Veldentia, quæ peperit ei quinque filios: Fridericum de Siemern, patrem Ducis Iohannis nunc in Siemern commorantis, qui obtinuit Comitatum Sponheimensem; Ludouicum cognomento Nigrum, qui fuit pater Ducis Alexandri, & obtinuit Comitatus Gemini pontis & Veldentiæ; Rupertum Episcopum Argentinensem; Stephanum Canonicum & Decanum ecclesiæ Coloniensis, & Iohannem Episcopum Monasteriensem, ac postea Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopum & Primatem Germaniæ.

MCCCCXIV.

*Cōstantiense concilium inchoatur. Ioannes papa 23. in cōcilio deponitur.*

*Concilium Cōstantiense durauit triennio.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XXIII. inchoatum fuit Concilium generale celeberrimum in Ciuitate Constantiensi, ope & industria Sigismundi regis Romanorum, quod durauit per continuum triennium, in quo primo comparuit Iohannes Papa XXIII. postea ibidem per Concilium cum alijs duobus de Papatu contendentibus sententialiter depositus: qui intrauit Constantiam anno prænotato V. die mensis Nouembris, cum magna solennitate, tanquam Papa, honorifice susceptus, inchoauitque Concilium, & tenuit sessionem in sexta feria, quæ fuit eiusdem mensis Nouembris XVI. dies. In hoc Concilio per triennium habitæ fuerunt sessiones Synodales publicæ atque solennes XLIV. & multa pro pace & vnitate Ecclesiastica laudabiliter instituta. Maxima illic multitudo Principum, Pontificum, Abbatum, Prælatorum, Nobilium, Clericorum & Laicorum conuenit ex vniuerso Christianitatis orbe, qui omnes vnanimiter decretis Concilij obedientes erant.

MCCCCXV.

*Fridericus dux Austriæ nascitur.*

Anno abbatis nostri Bernhardi XXIV. in vigilia S. Matthæi nascitur Fridericus Dux Austriæ, postea Imperator huius nominis III.

*S. Brigitta canonizatur.*

Eodem anno sacro concilio Constantiensi adhuc durante, Canonizata fuit sancta Brigitta, quondam Regina, Sueuiæ & Norivvegiæ, in vigilia purificationis S. Mariæ.

*Comes Cleuensis creatur in ducē.*

Eodem quoque anno Sigismundus rex Romanorum de consilio & assensu Principum constitutus in concilio generali in Constantia, ex comite Cleuensi in Ducem creauit Adolphum, cum magna pompa & solennitate. 4. Cal. Maij, & ex illo tempore Duces Cleuenses esse cœperunt, & sunt vsque in præsentem diem.

*Theodericus fit archiepiscopus Coloniensis.*

Eodem quoque anno, mortuo Friderico archiepiscopo Coloniensi, Theodericus filius Comitis de Mœrse successit, & præfuit annis ferme XLVIII. satis strenue.

MCCCCXVI.

*Tuitiū incenditur.*

Anno Bernhardi abbatis nostri XXV. Montenses incenderunt villam Tuitiensem in oppositum ciuitatis Coloniensis trans Rhenum sitam, propterea ne archiepiscopus Theodericus præsidia sua inibi locaret. Fuerant enim inimicitiæ & dissensiones inter prefatum Archiepiscopum Coloniensem & Ducem terræ Montensis.

*Oppidum Monstereyfel nube cōfracta subuertitur.*

Eodem anno nubes quædam noctu confracta cecidit super oppidum Monstereyfel; & dormientibus cunctis muros, portas, & maiorem oppidi partem subuertit, multis hominibus & pecoribus inopinate submersis, quorum cadauera extra oppidum ad distantiā vnius miliaris reperta sunt, & multa sunt habitatoribus loci damna illata, quæ vsque in hunc diem recuperata non sunt.

MCCCCXVII.

*Omnes abbates ordinis nostri citantur ad Constantiā.*

*Primū capitulū prouinciale in Constantia celebratur.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XXVI. omnes abbates & Prælati ordinis nostri per totam prouinciam Moguntinam vocati fuerunt & citati ad concilium Constantiense, pro celebratione prouincialis instituenda Capituli, & ordinis nostri reformatione inchoanda in omnibus monasterijs. Conuenerunt ergo ad Constantiam ordinis nostri abbates, inter quos fuit Bernhardus huius cœnobij abbas cum alijs vocatus atque citatus; qui ex mandato ipsius Concilij, in monasterio Petri domus dicto, nostri ordinis, in ciuitate Constantiensi primum celebrauerunt Capitulum prouinciale. Et quia nullus erat inter omnes Abbates prouinciæ Moguntinæ, qui modum teneret celebrandi Capitulum,

tulum, propterea concilium deputauit pro capituli celebrandi præsidentibus duos ex nostra prouincia Moguntina, videlicet, Sifridum Abbatem in Elnvvangen Augustensis diœcesis, & Iohannem abbatem S. Georgij Constantiensis diœcesis: quibus adiunxerunt Ludouicum Abbatem Trenorchiensem Cabilonensis diœcesis, Thomam abbatem Ebracensem, qui modum celebrandi Capitulum ab antea nouerunt. In hoc capitulo fuerunt pro reformatione ordinis nostri laudabiliter instituta, quæ in actis Capituli prouincialis conscripta habentur. Hoc Capitulum prouinciale celebratum fuit anno Domini prænotato, & vltima die Februarij inchoatum, ex quo reformatio nostra, Bursfeldensis nuncupata (sicuti suo loco dicemus) primordialiter sumpsit erordium. Ex eo tempore Capitula prouincialia in triennio celebrari in prouincia Moguntina cœperunt, & continuantur vsque in præsentem diem, sicut per ordinem deinceps suo loco dicemus.

*Dux Montensis terrã Barensem ingreditur.*

Eodem anno in Augusto Dux Montensis Adolphus cum valido suorum exercitu intrauit terram Barensem, Ducatui Lutzenburgensi contiguam, quam ad se iure hæreditario pertinere ex parte vxoris suæ dicebat: sed victualibus consumptis cum damno & cõfusione redire coactus est. Deinde post annos VII. cum denuo eam terram in manu suorum valida intrasset, & magnam partem suo subd disset imperio, in quodam cœnobio monialium captus fuit, & in manus Ducis Lotharingiæ præsentatus.

*Ioannes electus Leodiẽsis ducit vxorem.*

Eodem quoque anno Iohannes Dux Bauariæ & comes Palatinus Rheni, filius Alberti, & frater Wilhelmi Comitis Hollandiæ, electus Leodiensis & subdiaconus (de quo supra diximus) posteaquam aliquandiu, mortuo fratre, Comitatus illius cum Iacoba fratris filia rexisset, Episcopatum dimisit, & cum dispensatione concilij Constantiensis duxit vxorem, relictam Anthonij Ducis Brabantiæ; exiensque Leodium mense Septembri vltra non reuersurus, contra fratris filiam terram obtinuit cum sanguine multorum, & multa cum ea bella committens, tandem victor euasit.

MCCCCXVIII.

*Otto fit archiepiscopus Treuirensis.*

Anno Bernhardi abbatis nostri XXVII. obijt Wernherus de Falckenstein archiepiscopus Treuirorum 4. die mensis Octobris, Confluentiæ in ecclesia S. Castoris cum honore tumulatus. Quo mortuo in Archiepiscopum fuit per Capitulum canonice electus Otto filius Comitis de Ziegenhan, maioris ecclesiæ Præpositus, vir magnificus & per omnia gloriosus; qui strenue præfuit annis XII. & multa in breui tempore fecit pace & armis potens & constans.

*Bernhardus abbas alterũ oculum amisit.*

Eodem anno Bernhardus abbas huius monasterij alterum oculum tali occasione amisit. Existens in Capitulo prouinciali, ad quod eundo, stando & redeundo plus quam L. aureos consumpsit cum famulo & duabus equis (sicuti ex eius manuali inuenimus) apud Constantiam tempore concilij celebrato, iurare cum cæteris, quod infra vnius anni spatium reformationem præpositam sine contradictione vellet assumere, coactus fuit, sub pœna amissionis Abbatiæ & inhabilitatis in perpetuum. Reuersus ergo ad monasterium, fratribus iuramentum quod fecerat cum cæteris Abbatibus exposuit, & vt reformationem indictam assumerent instantius rogauit. Verum cum eos omnino inuoluntarios cerneret, pœnis & comminationibus vsus, omnem inprimis occasionem deformitatis, quantum potuit, amputare curauit, euagationem Monachis & ingressum ad cœnobium mulieribus stricta prohibitione interdicens. Habebat autem intra muros cœnobij hortum diuersi generis arboribus consitum, in quo cum mulieres cum monachis quadam vice reperissent cerasia comedentes, iratus securim accepit, & succidere arbores manu propria cœpit; quo minus considerante quid ageret, oculum ramusculo læsit, quem dolore crescente tandem ex toto amisit, Monachis ridentibus, insultantibusque rusticis cum mulierculis, quasi Deus hanc inuidiam eius tali animaduersione vindicasset. Monachos tamen retrahere à suis deformitatibus ad plenum non potuit, vnde magna inter ipsum & illos discordia fuit exorta, quæ huic monasterio cladem non modicã attulit. Raro deinceps Abbas ipse in monasterio fuit, sed in oppido Trauerbach, aut in Bingen, vel in Creutzenacht frequentius morabatur, non sine graui rerum temporalium ac spiritualium huius cœnobij dispendio.

*Bernhardus abbas monachos reformare nititur.*

*Capitulum prouinciale in Moguntia celebratur.*

Anno prænotato prima die mensis Septembris fuit celebratum secundum ordinis nostri Capitulum prouinciale apud Augustinenses in ciuitate Moguntina; in quo præsederunt Abbas Fuldensis, Campidonensis, S. Vdalrici Augustensis, & Reynhartzbornẽsis; qui in vltimo capitulo in Constantia (sicut diximus) celebrato ad officium præsidentiæ fuerunt deputati. Locus autem pro celebrando Capitulo fuit in monasterio S. Albani

denunciatus; sed quia Monachi reformationem in Constantia propositam assumere contemnentes, de monasterij translatione in statum secularem, in quo nunc est, laborabant; idcirco Capitulum ibidem seruari non potuit, sed apud Augustinenses celebratum fuit. In hoc prouinciali capitulo personaliter præsens fuit Bernhardus huius cœnobij abbas, qui cum præsidentibus Monachorum suorum proteruiam, reformationem assumere contemnentium exposuisset, Visitatoribus fuit commissum, vt eos per censuram ecclesiasticam ad reformationem compellerent. Venientes ergo ad monasterium visitatores parum profecerunt; quia fraudulentia Monachorum decepti sunt, qui coram eis magna promittentes, post eorum recessum nihil seruauerunt.

*Bernhardus abbas noster ipse interfuit Capitulo.*

*Ciuitas Parisiensis capitur, doctores & episcopi occidũtur.*

Eodem quoque anno Iohannes Dux Burgundiæ Franciam in manu valida contra regem Francorum ingressus, damna ei plurima intulit, & ciuitatem Parisiensem cum potentia cepit. Ibi multi Episcopi, Sacerdotes, Doctores, Studentes & ciues crudeliter fuerunt occisi, & ciuitas miserabiliter depopulata. Verum anno sequente præfatus Dux Burgundiæ (sicut dicemus) in præsentia regis capite truncatus fuit.

*Dissensiones inter episcopũ & ciues Colonienses.*

His quoque temporibus magnæ inter Theodericum Archiepiscopum & ciues Colonienses discordiæ & dissensiones fuerunt, quæ vsque ad inimicitias publicas procedentes multa vtrinque damna partibus intulerunt, quousque tandem concordati fuerunt.

MCCCCXIX.

*Conradus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XXVIII. 23. die mensis Septembris obijt Iohannes archiepiscopus Moguntinus, cui in Archiepiscopatu successit Conradus filius Comitis Rheni de Lapide, electus in Rudersheim VI. Iduum Octobris, vir magnificus & potens, qui bene præfuit annis ferme XVI.

*Ioannes dux Burgundiæ capite truncatur.*

Eodem anno Iohannes Dux Burgundiæ in præsentia regis Franciæ capite truncatus est, contra fidem & iusiurandum, quippe qui pacem inter se firmissime seruandam supra corpus Dominicum iurauerant, in cuius euidentiam, diuisam in duas partes hostiam Dominici corporis de manu sacerdotis de altari sumpserunt. Hanc Ducis necem Philippus filius eius animaduersione grauissima vindicauit: assumpto enim rege Anglorum in auxilium, totam Franciam incendio & rapina deuastauit, Parisium cepit, & multa hominum millia occidit, ipsumque regnum quasi penitus destruxit, & Regem ex Francia ad tempus fugere coegit.

MCCCCXX.

*Emericus Vlner de Sponheim, Cellerarius huius loci moritur.*

Anno Domini Bernhardi abbatis nostri XXIX. obijt Emericus Vlner de Sponheim 16. calend. Iunij, monachus huius cœnobij professus, qui plus quam XXX. annis Cellerarij sui prouisoris gessit officium satis fideliter & strenue. Post cuius mortem Bernhardus non reperiens inter monachos cui confideret, per secularem sacerdotem rem monasterij familiarem ad tempus fecit gubernari: quod tamen non longe postea iterum commutans monachis commisit.

*Capitulum Prouinciale 3. celebratur.*

Eodem anno v. die mensis Maij tertium ordinis nostri Capitulum prouinciale fuit celebratum in monasterio Fuldensi, Herbipolensis diœcesis; in quo præsederunt Lampertus Montis monachorum prope Bambergam, Fridericus Hirsaugiensis, & Henricus S. Gothardi Hildensheimensis, monasteriorum ordinis nostri abbates, & multa pro reformatione ordinis ibidem fuerunt decreta.

MCCCCXXI.

*Conradus Prior 25. mo ritur.*

Anno Bernhardi abbatis nostri XXX. obijt Conradus Prior huius monasterij XXV. homo (sicut supra diximus) satis bonus & honestus secundum mores illius temporis, qui à pueritia cum deformatis enutritus, reformationem vitæ monasticæ non didicit nec curauit, credens sibi ad salutem sufficere si viueret moribus inuentis. Post hunc in Priorem huius monasterij fuit constitutus Gotfridus de Schmidberg, monachus huius loci professus, & fuit in ordine Priorum à principio fundationis huius monasterij XXVI. præfuitque in officio Prioratus annis ferme IX. & non curauit reformationem, sed potius semper contrarius fuit in omnibus. Fuerunt enim monachi huius cœnobij illo tempore nimium dissoluti, & tam Deo quam abbati suo in omnibus, quæ ad religionem pertinebant, rebelles & contumaces, superbi & inobedientes, proprietarij, incontinentes, vagi, & in omnibus irreligiosi.

*Gotfridus de Schmidberg fit Prior huius loci 26.*

*Laus monachorum.*

MCCCCXXII.

*Capitulum prouinciale 4. celebratur.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XXXI. 3. die mensis Maij, IV. Capitulum ordinis nostri prouinciale cum continuatione dierum sequentium celebratum fuit, in monasterio sanctorum Marcellini & Petri martyrum, in oppido Selgenstat; in quo præsederunt

derunt Albertus Hirsfeldensis, Georgius Castellensis, & Theodericus Amorbacensis, monasteriorum nostri ordinis abbates.

Eodem anno Sigismundus Imperator Romanorum & Branda Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, in Ratisbona ad diætam cum certis alijs Principibus conuenientes, longam illam concertationem & dissensiones inter Duces Bauariæ, quæ per annum & VI. menses durauerant cum multo damno & desolatione Bauariæ, ad certos annos composuerunt, pacem & concordiam inter Duces reformantes. *Dissensiones duces Bauariæ componitur.*

Eodem quoque anno Iohannes Dux Brabantiæ Vniuersitatem Louanien sem instituit, quam ad eius petitionem Martinus Papa V. confirmauit, permittens institui lectiones in omni facultate præter Theologia. Verum Eugenius papa, successor Martini, postea lectiones in Theologia, sicut in aliis facultatibus concessit. *Vniuersitas Louanien sis instituitur.*

His etiam temporibus magna Principum, Episcoporum, Nobilium & ignobilium expeditio facta est contra Bohemos, qui se ab vnitate ecclesiæ Catholicæ per multos errores & hæreses diuiserant, Martino Papa V. plenarias indulgentias omnibus concedente à pœna & à culpa, qui contra eos proficiscerentur in bellum. Maxima igitur Catholicorum multitudine aduersum eos proficiscente, primum nostri euasere victores, multis oppidis, castellis & viculis hæreticorum subuersis, occisisque multis. Verum postea cum nostri Principes plus prædam quam fidei Catholicæ defensionem sitire cœpissent, Imperatoris aduersum se sensere animum commotum, cuius regnum spoliare inter seque diuidere maluerunt, quam saluum constare. Mutata hinc fortuna est, cœperuntque Bohemi fortius in nostros irruere, & maiora inferre damna quam recepissent abillis. O cæca semper humanæ cupiditatis ambitio: quæ dum modum nescit habendi, etiam quod habet amittit. Actum tunc de Bohemis hæreticis fuisset, si Principes nostri auaritiam & ambitiosam cupiditatem fidei Catholicæ amori ac defensioni non præposuissent. Cæsi ergo, spoliati, & confusi à Bohemis nostri cum ignominia ad propria redierunt. In hac fidelium expeditione personaliter fuit cum satellitibus suis Iohannes Comes de Sponheim vltimus, qui præ cæteris contra schismaticos fortissime dimicauit. Is dum quodam mane in ortu Solis, quoddam hæreticorum oppidum subito & improuise cum quibusdam alijs Catholicis inuadere disposuisset, porta propter emissionem pecorum ad campos aperta, ouicula pedibus equi, cui insidebat, se à casu subuoluens, paululum ante portam præcipitem dedit; qui priusquam dextrarium rursus conscenderet, ciues portas oppidi clauserunt, & omnes quotquot ex nostris præcipiti cursu intrauerant, occiderunt. Comes autem, ouis periculo dicam an beneficio, contra voluntatem suam exclusus, saluatus est. *Expeditio cõtra Bohemos maxima.* *Nostri euadunt victores.* *Nostri à Bohemis prosternuntur.* *Iohannes comes de Spõheim vltimus fortiter dimicat.*

Eodem quoque anno Hoenzoller in Sueuia capta est à ciuibus Imperij, posteaquam eam plus quam ad anni spatium fortissima obsidione & inopia vallarunt. *Hoenzoller à ciuib. Imperij capitur.*

MCCCCXXIII.

Anno Bernhardi abbatis nostri XXXII. in vigilia Iohannis, obijt Reynaldus Dux Iuliacensis & Gelrensis sine liberis. Post cuius obitum Gelrenses in Ducem susceperunt Arnoldum Comitem de Egmunda, qui accepto regimine Ducatus Gelriæ posteritati ius acquisiuit. Porro Ducatum Iuliacensem Adolphus Dux Montensis Ruperto filio suo, per auxilium Theoderici Archiepiscopi Colonien sis, obtinuit vsque in præsentem diem. *Reynaldus dux Iuliacẽsis & Gelrensis moritur.* *Comes de Egmunda fit dux Gelrensis.* *Ducatus Iuliacensis Montensi cõmungitur.*

Hoc ipso anno Bernhardus abbas prouisorem deposuit secularem, & instituit duos monachos, Fridericum & Wilhelmum, qui omnes redditus & prouentus huius cœnobij leuantes in vsus necessarios exponerent, & quotannis facerent de singulis computationẽ. Fuit autem status monasterij illo tempore satis tenuis, & non minus in temporalibus quam in spiritualibus dissolutus. Sæpe monachi cum abbate fuerunt in excommunicatione, aliquando ab ordine propter inobedientiam & rebellionem, aliquando à Iudice propter debita creditoribus in tempore non soluta. Diuina multotiens intermittebantur officia, quæ nisi obtenta relaxatione temporali, non licuit celebrari. Abbas morabatur in Trauerbach, raruſque erat in monasterio, & faciebat vnusquisque liber à metu quod sibi rectum videbatur. Viuebant sine regula Monachi, in omnem lasciuiam & voluptatem miserabiliter deuoluti. *Duo monachi Prouisores huius cœnobij instituuntur.* *Status monasterii qualis.*

Anno prænotato post mortem Rudolphi & Alberti Ducum Saxoniæ Sigismundus Imperator Romanorum contulit Ducatum Saxoniæ cum Principatu electionis Friderico Marchioni Misnensi Lantgrauioque Thuringiæ atque hæredibus eius in perpetuum, Erico Duce fratre prædictorum Rudolphi & Alberti, excluso, qui adhuc viuebat; quẽ ablato Ducatus Saxonię titulo, Ducẽ Lunenburgensem in posterum voluit appellari. Verum *Marchiones Misnenses fiunt duces Saxoniæ & electores.*

cum se huic donationi Fridericus Marchio Brandenburgensis constanter opponeret, acceptà à Misnensibus pecunia, viginti octo millium florenorum, cessit iuri quod ei competere videbatur.

MCCCCXXIV.

*Capitulum prouinciale celebratur.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis XXXIII. Dominica Iubilate, quæ fuit 14. dies mensis Maij, v. ordinis nostri Capitulum prouinciale celebratum fuit cum continuatione dierum sequentium, in monasterio S. Stephani martyris in ciuitate Herbipolensi; in quo præsederunt Baldevvinus Lunenburgensis, Theodericus Northeimensis, Appello in Synsheim, & Helfridus S. Iohannis in Rinckaugia, monasteriorum ordinis nostri abbates, & multa pro reformatione ordinis nostri ibi fuerunt ordinata & decreta.

*Ernestus dux Austriæ moritur.*

Eodem anno obiit Ernestus Dux Austriæ, pater Friderici Imperatoris III.

*Dux Montensis cum exercitu intrat terram de Bare.*

Hoc ipso anno Adolphus Dux Montensis iterum intrauit terram de Bare cum exercitu valido, & maiorem partem eius obtinuit; qui dum in quodam cœnobio noctibus (pro consuetudine sua) cum eiusdem Deo sacratis voluptatibus vacaret impudicis, quadam nocte traditus & captus, in manus Ducis Lotharingiæ fuit præsentatus. Postinterum ergo annum in custodia detentus, non prius liberari potuit, quam ipse cum filio suo Ruperto omne ius, quod ei competebat ad præfatam terram, abiurantes, in manus & potestatem Ducis Lotharingiæ hæredumque eius in perpetuum concederet.

*Dux Montensis capitur.*

MCCCCXXV.

*Ioannes comes Hollandiæ sine hæredib. obiit.*

Anno Bernhardi abbatis nostri XXXIV. obijt Iohannes Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Comesque Hollandiæ, Selandiæ & Hannoniæ, Frisiæque Dominus, filius Ducis Alberti, & nepos Ludouici Imperatoris IV. quondam electus Leodiensis, qui dispensante concilio Constantiensi Episcopatum cum subdiaconatu dimiserat, ducens vxorem & subijciens sibi Hollandiam cum cæteris Comitatibus, Iacobam fratris Wilhelmi filiam paterna hæreditate priuauerat, non relinquens liberos. Quo mortuo, præfata fratris filia Comitatus præscriptos, patris sui Wilhelmi, vt proximior hæres repetijt; sed Dux Burgundiæ, filius sororis Ducis Alberti, restitit, & omnem terram Hollandiæ cum cæteris attinentijs suo imperio subiugauit. Et sic Comitatus Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæque cum dominio Frisiæ (quos Palatina Ducumque Bauariæ progenies per annos LXXX. possederat) in deditionem Ducum Burgundiæ peruenerunt vsque in præsentem diem, non sine iniuria præfatæ Iacobæ filiæ Ducis Wilhelmi, grauique Bauaricæ domus iactura.

*Comitatus Hollandiæ à Bauaris ad Burgundos deuenit.*

*Otto Treuirensis archiepiscopus sepulchrū Dominicū visitat.*

Anno quoque prænotato Otto Archiepiscopus Treuirensis piæ deuotionis igne inflammatus mare cum patientia & humilitate multa transiuit, & sanctum Domini sepulchrum Ierosolymis visitauit, deferens secum preciosa ornamenta suis armis insignita; quæ pro honore diuini cultus fratribus Minoribus ibidem degentibus, in perpetuam suæ peregrinationis memoriam, alacri deuotione contulit, seque orationibus eorundem humili instantia commisit. Huius causa peregrinationis sola deuotio fuit.

MCCCCXXVI.

*Ludouicus Palatinus Barbatus ad terram sanctā proficiscitur.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XXXV. Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Duxque Bauariæ, Princeps elector, filius Ruperti quondam regis Romanorum, vir pius & inclytus, amore Domini nostri Iesu Christi vltra mare ad Terram sanctam profectus est, & Saluatoris nostri sepulchrum in Ierusalem cum ingenti deuotione visitauit. Reuersus autem de partibus transmarinis barbam, quam in peregrinatione sancta nutrierat, radi amplius non permisit; sed eam quamdiu vixit, in memoriam suæ peregrinationis inuiolabiliter conseruauit: & ob hoc deinceps à vulgo *Dux cum Barba* fuit appellatus.

*Ioannes comes de Spō heim mare transfretat.*

Iohannes quoque Comes de Sponheim vltimus in eadem peregrinatione cum Duce Ludouico profectus est ad Terram sanctam, habens in comitatu suo Gobelinum monachum S. Disipodi Capellanum & Secretarium suum, ordinis Cisterciensis, quem post obitum Bernhardi abbatis huius monasterij, contra ius, priuilegium & voluntatem conuentus intrudens, constituit abbatem, sicuti suo loco inferius dicemus. Iste Comes Iohannes de Sponheim olim per Simonem fratrem fugatus, ad Marchionem Badensem confugit, à quo honorifice humaniterque tractatus, partem Comitatus Sponheimensis non modicam, in tanti beneficij vicissitudinem eidem Marchioni se daturum pollicitus est, quam etiam mortuo Simone Comite, ad paternam hereditatem præfati Marchionis auxilio reuersus (sicut promiserat) dedit, talique modo & donatione Marchiones de Baden ad Comitatum Sponheimensem venerunt, vsque in præsentem diem. Verum cum idem Comes Iohannes Dominam Elizabeth, vxorem quondam Simonis demortui (qui obijt anno Bernhardi abbatis nostri XXII.) impugnaret, atque de Comitatu Sponheimensi eam

*Quomodo Marchio de Baden venit ad comitatum Sponheimensem.*

*Quomodo Palatinus venit ad comitatū Spō heimensem.*

ſi eam penitus expellere niteretur, illa prudenti vſa conſilio præfatum Dominum Ludouicum Palatinum tutorem ſui inuocauit & cõſtituit, cui eam partem, q̃ in Comitatu Spõheimenſi (præter impignorata poſtea) hodie habet ex antiquo comes Palatinus, in perpetuam poſſeſſionem condonauit. Et ſic comes Palatinus Rheni ad hunc Comitatum intromiſſus à principio fuit. Fuit autem comes iſte homo multum curioſus, & rerum nouarum ſemper cupidus, qui multam pecuniam ſæpe inutili tranſactione expoſuit, iam in Alchymia, nunc in Mathematica, iam in iſtis, nunc in aliis curioſis inquiſitionibus. Semper enim in curia ſua habuit homines talibus vanitatibus debitos; Alchymiſtas, Mathematicos, Auruſpices, Exorciſtas, Magos, futurorum coniectores, quibus & facile credidit, & multotiens enormiter deceptus, honorem nihilominus impendit magnum. *Qualis fuerit iſte Ioannes de Sponheim.*

Anno prænotato obiit Iohannes de Fleckenſtein epiſcopus Wormatienſis, qui ſucceſſerat Matthæo de Cracouia, Anno pontificatus ſui XVI. 18. die menſis Maii, in maiori eccleſia ſepultus: cui ſucceſſit in Epiſcopatu Fridericus de Donneck annis XIX. *Ioannes epiſcopus Wormatienſis moritur, cui ſuccedit Fridericus.*

Eodem quoque anno Philippus Dux Burgundiæ Ioannam admirabilem illam puellam (de qua Magiſter Iohannes Gerſon nonnulla conſcripſit) quæ armata inter milites equitans pro rege Francorum mirabilia in bello fecit, futuraque prædixit, cepit, eamq; regi Anglorum tranſmiſit quã ille multis pœnis & tormentis diu afflictam, poſtremo igne fecit cõcremari, quod illa ſibi futurum prædixerat. Fuit autem hæc puella oriunda ex Lotharingia, quæ cum eſſet annorum XIV. venit ad Carolum regem Frãcorum, anno Bernhardi Abbatis noſtri XXIX. qui (vt ſupra diximus) de regno ſuo per Ducem Burgundiæ fuit expulſus, prædicens illi futura, & promittens cum reſtitutione regni victoriam certam cõtra õmnes aduerſarios eius. Quæ quamuis iuuencula eſſet & tenera, equum tamen armata ex omni parte cum magna agilitate aſcendit, ſuo conſilio acies ordinauit, inſidias docuit, pericula prædixit, vexillum manibus tenuit, inter armatos equitans prima ſemper contra aduerſarios pugnauit, & multa vbique mirabilia fecit. *Admirabilis illa puella regni Francia capta & buritur.* *Qualis fuerit iſta iuuencula.*

Anno quoque prænotato VI. ordinis noſtri prouinciale Capitulum in Erphordia apud S. Petrum XXI. die menſis Aprilis, quæ fuit Dominica Iubilate, cum continuatione (vt moris eſt) dierum ſequentium, celebratum eſt; in quo præſedefunt Iohannes in Vraugia, Henricus S. Ægidij in Brunſvvick, Georgius S. Ægidij in Norimberga, & Nicolaus in Brentzenhauſen, monaſteriorum ordinis noſtri abbates, & multa ibi pro inſtauratione & reformatione noſtri ordinis fuerunt inſtituta. *Capitulum prouinciale 6. celebratur.*

MCCCCXXVII.

Anno Bernhardi abbatis noſtri XXXVI grauis fuit inter ipſum abbatem & conuentum huius monaſterij diſſenſio, quæ ex ſubditorum quorundam temeritate exorta, pernicioſam huic cœnobio cladem attulit. Cum enim monachi propoſitam reformationem (ſicut ſupra diximus) recuſarent aſſumere, abbatem ſuum oblocutionibus & contumelijs affecêre, quibus ille commotus, cum alio ſe modo vindicare non poſſet, duas curtes in Winsheim cum omnibus attinentijs & prouentibus earum, ſine conſenſu conuentus ſui, de monaſterio alienauit, pro nihilo contradens eas cuidam Iacobo de Gamundia, per quem ad manus Meynhardi de Coppenſtein venerunt, à quo per abbates plures minis & precibus ſæpius requiſitæ, obtineri ab eo nunquam potuerunt vſque in præſentem diem. *Abbas Bernhardus 2. curtes in Winsheim alienauit.*

MCCCCXXVIII.

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis noſtri XXXVII. Imperator Sigiſmundus Martino Papa V. conſentiente innumerabilẽ pecuniam ab omni clero & populo totius Alemãniæ leuauit, contra Bohemos ſchiſmaticos cum ea pugnaturus, quamuis paruus aut nullus ſequutus fuerit effectus. Qui mille habebat florenos, dabat duos; qui vero centum florenorum exſtitit poſſeſſione locuples, quartam vnius floreni partem pendebat: reliqui omnes viri & mulieres, filij & filiæ, mercenarij & familiares, quotquot annum XV. ætatis ſuę impleſſent, nullo penitus excepto, XIII. Hallenſes ſinguli perſoluebant. Magna quidem exactio, ſed pro fide Catholica parua eius vtilitas fuit ſubſequuta. Fuerunt tamen inter Alemannos, qui huic exactioni colla ſubmittere recuſarent. Huius anni æſtas fuit nimium humida, & aquarum inundatio multa hominibus intulit damna; magna dehinc in omni Alemannia peſtilentia ſubſequuta eſt. *Imperatoris in omnes exactio grauiſſima.* *Æſtas humida.*

MCCCCXXIX.

Anno Bernhardi abbatis noſtri XXXVIII. VII. ordinis noſtri capitulum celebratum fuit, in monaſterio Montis Monachorum prope Bambergam, X. die menſis Aprilis, quæ fuit Dominica miſericordia Domini, cum continuatione (vt moris eſt) dierum ſequentium; in quo præſedefunt Georgius Caſtellenſis, S. Petri Erphordenſis, Henricus de Gul- *Capitulum Prouinciale 7. celebratur.*

pen Doctor, S. Ægidij Nurenburgensis, & Hugo in Albersbach, monasteriorum ordinis nostri abbates. In hoc autem Capitulo Bernhardus Abbas huius monasterij non comparuit personaliter sed loco sui monachum, Capellanum suum, nomine Iacobum de Cicberg, cum mandato & procurationibus consuetis transmisit.

*Reformatio Bursfeldensis nostri ordinis cœpit.*

His ferme temporibus cœpit noua ordinis reformatio in monasterio Bursfeldensi, Mogũtinæ diœcesis in Saxonia, cp Hēricus quondã Comes de Northeim circa annos Domini MXCVIII. fundauerat, à quo nostra obseruantia & vnio *Bursfeldensis* nũcupata est, vsq; in præsentẽ diem. Sumpsit aũt reformatio ista exordium de monasterio S. Matthiæ prope Treuirim, cui tunc præerat insignis ille Abbas Magister Iohānes Rode, per quem, Ottone Archiepiscopo cooperante, omnia nostri ordinis monasteria, quæ circa Treuirim sunt, ad meliorẽ statum reducta fuerunt. Fuit aũt iste Iohannes Rode homo doctus, probus & magnæ deuotionis, qui cum esset Metensis ecclesiæ Canonicus, sanctiq; Simeonis Præpositus & curiæ Treuirensis officialis, contemptis omnibus pro Christi amore monachus in Carthusia prope Treuirim factus est. Qui cum esset vir multum eruditus, vita & conuersatione maturus, & pro ordinis obseruantia valde rigidus & zelosus; Otto Archiepiscopus Treuirensis, de cõsensu Papæ, extractum de Carthusia, in Abbatẽ monasterij S. Matthiæ ordinauit, qui monasticã vitam secundum regulã S. Patris nostri Benedicti mox ibidem instaurauit, statuta & ceremonias instituit, & monachos in omni religione & sanctitate verbo & exemplo erudiuit. Reformato autẽ monasterio S. Matthiæ fratres misit in Bursfeldiam, à Duce Brunsvicensi rogatus, cum ordinario, statutis & cõsuetudinibus quas ederat, quos Iohannes Abbas Bursfeldensis cum magno gaudio & deuotione suscipiens, senioribus eorum sanctis in omnibus studiosissime conformauit. Fuit autem iste Iohannes olim monachus in Reynhusen, quẽ abbas suus procuratorio nomine quondam miserat ad concilium Constantiense, eo videlicet tempore, quando omnes Abbates prouinciæ Moguntinæ (sicut supra diximus) pro celebrando Capitulo ad Constantiam per concilium citati sunt. Vbi cum vidisset zelum & diligentiam Patrum pro reformatione ordinis, audisset que quam sit monacho periculosum in deformitate viuere, compunctus est, & satisfacere iuramento, cp nomine Abbatis sui Præsidentibus fecerat, omnino cogitauit. Reuersus enim ad Reynhausen monasterium, abbati & confratribus suis (qui tunc erant deformatissimi) rem omnem aperuit; visa, audita, acta, concluſa, & iuramento promissa pro reformatione ordinis reseruauit; quos sedulo, vt vitam emendarent, reformationemque promissam & indictam sub pœnis assumerent, hortaretur. Cœperunt eum primo irridere, postea etiam odio habere & afficere contumelia. Videns se contemni, & nihil proficere, cupiensque suæ prouidere saluti, ad Agnetem vxorem Ottonis Brunsvicensis, sororem Lantgrauij Thuringiorum, quæ tum in Gamundia, non procul à Reynhausen, morabatur, deuotissimam in Christo fœminam, accessit, acta & concluſa per Patres in concilio retulit; auxilium, quo satisfaceret iuramento, postulauit. Cuius sanctum propositum mulier sancta cum agnouisset, consilium auxiliumque impensuram pollicita est. Contigit interea quod abbas monasterij Clusensis moreretur, quod vbi Ducissa comperit, apud Ducem maritum egit, vt præfatus monachus de Reynhausen in locum demortui Abbatis succederet, quod & factum est. Ordinatus autem Abbas in Cluſa monachus ille Iohannes, omne studium pro reformatione adhibuit, & in omni sanctitate & religione subditos suos secundum regulam præcedere cœpit: quod monachi, prauis moribus assueti, cernentes, omnes ab eo fugierunt. At ille paucis recollectis nouitijs, eos ad puritatem regulæ instituit, & in magna paupertate viuens, Deo seruire in omni humilitate cœpit. Eo tempore supra dictum monasterium Bursfeldense ad tantam miseriam & desolationem peruenerat, quod multis annis monachus tantum in eo degebat, cui pro sustentatione, præter vnicam vaccam, census nullus erat: ecclesia straminibus tecta stabulum fuit aduentantium pecorum, quæ olim canentium chorus fuerat monachorum. Et quamuis in extrema paupertate locus esset constitutus, placuit tamen præsato Iohanni Abbati Clusensi, propter solitudinem & quietem. Vnde cum voluntate præscriptorum Ducis & Ducissæ, monasterium Clusense dimittens (quod etiam fuerat pauperrimum) ad Bursfeldiam se cum suis pauperibus contulit, & ibi inchoatam reformationem, prout potuit, in magna paupertate continuauit. Audiens autem famam & religionem Iohannis Rode, abbatis sancti Matthiæ iuxta Treuirim, quomodo monasterium suum optime reformasset, constitutiones pro conseruatione reformationis necessarias fecisset, esset que vir doctus, maturus, & singulariter pro religionis obseruãtia zelosus, ad eum venit pedibus, laudabilem institutionem vidit, vitam monachorum experi-

*Exordium sumpsit de monasterio S. Mathiæ prope Treuirim.*

*Magister Iohannes Rode abbas S. Mathiæ qualis fuerit.*

*De Carthusia extractus fit abbas S. Mathiæ.*

*Ioannes abbas Bursfeldensis reformator primus qualis fuerit.*

*Fit abbas in monasterio Clusensi.*

*Bursfeldia prorsus desolata.*

*Ioannes abbas de Clusa trãsit ad Bursfeldiã. Proficiscitur Treuerim.*

experimento sanctam didicit, constitutionesque ab illo editas, vt sanctissimas collaudauit: Rogauit itaque Abbas abbatem Bursfeldensis Treuirensem, pauperem diuitem, Iohānes Iohannem, quatenus sibi de fratribus suis aliquos adiungeret, quorum consilio & auxilio reformationem in Saxonia desideratam perficeret: cuius pio desiderio Iohānes Rode abbas consentiens, de monachis suis viros quosdam probatæ conuersationis adiūxit, & cum gaudio ad Bursfeldiam remisit: & ex eo tempore sancta monasteriorum ordinis nostri reformatio, per Treuirēses in Bursfeldiā originaliter transfusa, reuirescere cœpit, & in paucis annis augmentata fuit. Videntes enim Principes & Pontifices ecclesiarum deuotam & sanctam conuersationem monachorum Bursfeldensium, singula monasteria sibi subiecta reformari ab eis cupiebant. Cœperunt ergo paulatim ex monasterio Bursfeldensi certa monasteria in Saxonia & extra, atque ex illis alia reformari, quorum abbates quandam inter se vnionem & confœderationem facientes, singulis annis semel cōueniebant, Synodum (quam nos vsitato, licet Barbaro & improprio nomine Capitulum appellam⁹) celebrantes, in quo de his, quæ ad vtilitatem reformationis ordinis pertinent, haberetur tractatus. Hanc Abbatum reformatorum vnionem sub appellatione Bursfeldensi, vna cū annuo Capitulo, Pius papa II. anno Pontificatus sui primo confirmauit, multaq; illis vnitis & inuentis priuilegia cōtulit, de quibus infra per ordinem suo tempore breuiter faciemus mentionem. Itaq; Iohannes præfatus abbas Bursfeldensis primus in ea nuncupatione reformator, vir bonus, religiosus & deuotus, ordinem nostrum, in his regionibus pene collapsum, magnifice restaurauit. Eo autem post aliquot annos mortuo, successit Iohānes de Hagen, vir æque bonus & zelosa, cuius tempore plura monasteria reformata sunt, qui & ipse obijt tertio Iduum Augusti, anno Domini MCCCCLXIX. Post quem præfuit in Bursfeldia Abbas Theodericus, vir mitis & prudens annis XVI. & obijt IV. Nonas Ianuarij, anno Domini MCCCCLXXXV. Huic successit Iohannes, qui hodie in abbatia Bursfeldensi annum agit XVII. vir senex, deuotus & sanctæ conuersationis. Creuit autem successu temporis numerus monasteriorum huic sacræ vnioni subiectorum, ita vt hodie reformata sunt LXXV. quorum ista sunt nomina. Primum est monasterium illud insigne S. Matthiæ apud Treuirim, ꝙ ideo ante Bursfeldiam duximus nominandum, quia fons omnis reformationis Bursfeldensis ab illo in cætera quæ sequuntur emanauit. Secundum ex ordine reformationis, primum autem ex nomine, Bursfeldia fuit: cætera sine ordine reformationis ita sequuntur: Monasterium S. Iacobi prope Moguntiam, monasteriū istud nostrum in Sponheim, monasterium S. Iohannis in Rinckaugia, monasterium in Selgenstat, monasterium S. Petri in Erphordia, monasterium in Reynhartsborn, monasterium in Homburg, monasterium in Oldensleuen, monasteriū in Gerode, monasteriū in Reynhausen, monasterium in Mortheim, monasteriū in Breydenavv, monasterium Lacense, monasterium in Tholeia, monasterium Mediolanēse, monasteriū S. Martini Treuirense, monasterium ad martyres iuxta Treuirim, monasteriū in Schonavvē, monasterium in Grunavvē, monasterium in Lympurg, monasteriū in Hirsavvē, monasterium in Gottsavvē, monasterium in Schottern, monasterium in Albersbach, monasterium S. Stephani in Herbipoli, monasteriū Montis monachorum prope Bambergā, monasterium in Zvvartzag, monasterium in Vravvē, monasterium in Feielsdorf, monasterium in Monichaurach, monasteriū S. Martini in Colonia, monasterium S. Pāthaleonis in Colonia, monasteriū in Tuitio, monasterium in Bruvviler, monasterium S. Pauli in Traiecto, monasterium S. Laurentii in Obsburgk, monasteriū in Egmunda, monasterium in Stauria, monasteriū in Liesborn, monasterium in veteri Vlsen alias in Oldestat, monasteriū Werdense, monasterium in Amesleuen, monasterium S. Michaelis in Hildesheim, monasteriū in Marienmonster, monasterium in Koniglautern, monasterium in Iburg, monasterium Cismarienſe, monasterium Schumense, monasterium Bremense, monasterium in Clusa, monasterium in Ilsenburg, monasterium Mersburgense, monasterium in Husburck, monasterium in Hildesleuen, monasterium in Monigen, Nuenburckg, monasterium Posamense, monasterium Abdincouense, in Paderbrōna, monasteriū in Rinsdorff, monasterium in Wymelburg, monasteriū in Pegania, monasteriū oratorij in Datia, monasterium Bergense prope Magdeburg, monasterium in Goseck, monasteriū in Navvēburck, monasterium Cellæ Mariæ ꝙ quondam Elvversdorff dicebatur, monasterium in Ringelnheim, monasteriū in Ballēstat, monasterium in Mynda, monasterium monialium in Siloha, monasteriū in Sclechtorff, monasterium monialium in Clara aqua, ꝙ non habet abbatem sed Præpositum nostro capitulo subiectū: cætera vero omnia monasteria præscripta etiam in Siloe abbates habent, Capitulo & vnioni Bursfeldensi iuramento subiectos. Multa deniq; monasteria

*Ioannes abbas quibusdam probatæ conuersationis Bursfeldiā remittitur.*

*Ex Bursfeldia multa monasteria reformantur.*

*Successio abbatum Bursfeldensium in reformatione.*

*Nomina monasteriorum nostra vnioni reformatorū.*

*In diœcesi Mogūtinensi.*

*In diœcesi Treuirensi.*

*In diœcesi Spirensi.*

*In diœcesi Bambergēsi.*

*In diœcesi Colonien si.*

*In Saxonia partibus.*

monialium ordinis nostri ex ista sancta institutione reformata sunt, quæ etsi abbatibus vnionis nostræ sint vt plurimum commissa, tamen præter illa duo monasteria prædicta, in Siloe & in Clara aqua, nostro Capitulo minime sunt vnita. Sunt & alia quædā monasteria per nostros reformata, quæ ex certis causis Capitulo nostro annuali & vnioni nō sunt hoc tempore incorporata; monasterium in Wissenburg, monasterium in Rasteten iuxta mare, monasterium in Lutzenburg, monasterium in Steina, monasterium in Hulmershusen & monasterium in Corbeia: hæc quidem reformata sunt, sed nobis nondum vnita.

MCCCCXXX.

*Otto archiepiscopus Treuirensis obiit.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi Abbatis nostri XXXIX. obijt Otto de Zegenhan archiepiscopus Treuirensis in Confluentia ex veteri morbo calculi, Treuirimque relatus ante altare beatæ virginis in ecclesia maiori sepultus est. homo certe magnificus, & in Deū singulari deuotione præditus, qui ecclesiā suā optime rexit & multa bona fecit. Caput S. Mathię Apostoli, cp multis annis in castro Erenbreitstein, iuxta Confluentiā inter Pontificum thesauros seruatum fuerāt, ad maiorem ecclesiam Treuirensem cum ingenti deuotione transtulit, cp in eadē ecclesia vsq; in præsentem diē seruatur in magna veneratione & honore. In eadē ecclesia Treuirensi missam de beata Dei genitrice semper virgine Maria instituit, quæ perpetuo post matutinas ibidem solenniter omni die à Choralibus decātatur. Amator & benefactor erat pauperum, atque debellator superborum fortissimus. Ipse primus ordinis nostri monasteria circa Treuirim cum multis laboribus & impensis reformauit, in cp sanctum opus Iohannem Rode (sicut supra diximus) de Carthusia extractum, abbatem S. Matthiæ constituit. Ottone autem Reuerendissimo archipresule mortuo, multa in ecclesia Dei apud Treuiros mala subsequuta sunt. Nam Canonici in electione discordantes, maior & pars sanior elegit Iacobum de Sirck, maioris ecclesiæ Scholasticum, Herbipolensemque Præpositum, virum bonum & omni honore dignum. Alia pars infirmior, videlicet Fridericus de Cracouia, Præpositus Treuirensis, & quidam alius Canonicus, dictus de Pittringen, elegerunt Vdalricum de Manderschit. Ex qua dissensione Treuirensis ecclesia maxima suscepit incommoda. Vdalricus enim, etsi iure infirmior, tamen armis potentior, auxilio suorum, Comitumque de Virnenberg, & aliorum Nobilium, castella & munitiones Archiepiscopatus contra Iacobum, viribus imparem, obtinuit, & à subiectis hominibus ecclesiæ consueta homagia suscepit. Hinc Iacobus necessitate compulsus, auxilium summi Pontificis inuocauit. At papa citatis partibus auditisque causis, reprobauit electionem factā, & vtroq; abiecto Archiepiscopatum Treuirensem Rabano de Helmstat episcopo Spirensi, promotione Ludouici comitis Palatini Rheni assignauit. Hinc orta sunt infinita mala, & ecclesia Treuirensis plus quam in cccc millibus florenorum damnum suscepit. Totius enim patriæ comites, Barones & militares Vdalrico adhærentes, Apostolica mandata spernebant; & contra Rabanum sæuientes, vrbem Treuirorum, quæ illi fauebat, biennio ferme obsederunt, lapides & bolos è vicinis montibus in eam frustra iacientes. Sed tandem re infecta confusi abierunt. Denique papa intelligens mandata sua contemni, terram diœcesis Treuirensis ecclesiastico supponit interdicto ferme per IV. annos. Tandem Conradus archiepiscopus Moguntinus, Theodericus archiepiscopus Colonienſis, & Fridericus episcopus Wormatiensis, vices suas interponentes, contentionibus finem per amicabiles tractatus imposuerunt, & sic demum Rabanus archiepiscopatum pacifice obtinuit pro maiori parte annis ferme V. post IV. videlicet annos quibus contentiones istæ durauerant. Comes tamen de Virnenburg contra Rabanum veterem continuauit rancorem, inferens ei plura damna, incendia & rapinas, maxime in pago, qui Engersgau nuncupatur; quousque tandem pro summa quadraginta quinq; millium florenorum in pignus accepit quædam castra & dominia; scilicet Schoneck in Eyflia, Schonenberg, Dune, Kempeng & Hammerstein, quibus cum literis assecurationis acceptis, ab inquietatione Rabani deinceps manifesta cessauit. Vdalricus autem de Manderscit non potens resistere Rabano, Romam proficisci statuit, venienſque Thuregum morbo correptus interijt, & Rabanus Episcopatum pacifice gubernauit.

*Caput S. Mathiæ Apostoli.*

*Missa beatæ Mariæ in maiori ecclesia Treuirensi instituitur.*

*Schisma in ecclesia Treuirensi factum.*

*Pars senior elegit Iacobū de Sirck.*

*Pars infirmior elegit Vdalricum de Manderschit.*

*Papa vtroq; abiecto archiepiscopatum Treuirensem assignat Rabano de Helmstatt.*

*Comes de Wirnēburg impugnat Rabanum.*

MCCCCXXXI.

*Gotfridus Prior obiit.*

Hoc anno, qui fuit Bernhardi abbatis nostri XL. obiit Gotfridus Prior huius monasterii, in ordine Priorum XXVI. anno Prioratus sui IX. sub cuius tempore aut nulla aut parua era in hoc monasterio regularis disciplinæ obseruantia, quanquam abbas Bernhardus nō parum pro reformatione laborarit. Post Gotfridum Fridericus Prior huius loci XXVII. institutus fuit, homo illius temporis & morum, quos reperit, studiosus defensor; præfuitque annis VII.

*Fridericus Prior huius loci 26. instituitur.*

Eodem

Eodem anno Fridericum & Wilhelmum, monachos & Procuratores huius monasterij, Bernhardus Abbas ab officio prouisionis suæ, quod annis ferme VIII. gesserant, deposuit, & contra eorum computum quem fecerant, XXXVIII. articulos excepit. Iterum ergo prouisorem instituit secularem, quem eius successor Gobelinus postea remouit. *Prouisorum huius cœnobii mutatio.*

Eodem quoque anno, in mense Decembri, inchoatum fuit generale Concilium in ciuitate Basilien si, & durauit plus quam XIII. annis; in quo XLIV. sessiones publicæ habitæ sunt. Initium habuit pulchrum & gloriosum, sed finem debilem & confusum; propterea quod Eugenius Papa IV. cum ipso concilio non consentiens, multas aduersum illud machinationes concitauit, à quo priuatus honore & dignitate Papali non curauit obedire Concilio, sed ipsum reuocauit, & primogenitum regis Franciæ Delphinum, in eius dissipationem contra Basilienses (vt suo loco dicemus) mitti procurauit. Multa hinc sequuta sunt in ecclesia mala & scandala, necdum in toto sopita, alijs Papam supra Concilium prædicantibus, alijs dicentibus oppositum. *Basiliense concilium inchoatur.*

Anno quoque prænotato magna Episcoporum, Principum, & nobilium & ciuium contra Hussitas expeditio facta est in Bohemia; sed fructus nullus, detrimentum vero plurimum accessit Catholicis. Nam propter ambitionem & auaritiam Principum denuo hæretici contra nostros præualuerunt, cæsisque multis, cæteri cum damno & ignominia fugierunt; omnibus equis, curribus, clenodijs, pecunijs, totaque suppellectili amissis. *Expeditio secunda contra Hussitas in Bohemia.*

MCCCCXXXII.

Anno Bernhardi abbatis nostri XLI. hyems fuit asperrima, & tandem glacie & niuibus resolutis tanta inundatio aquarum subsequuta est, vt villæ, domus, & ecclesiæ circa Rhenum complures nimia inundationis vehementia in diuersis locis subuerterentur, magnaque in sementis & blatis damna sequerentur. *Hyems asperrima.*

Eodem anno, in die sancto Parasceues, sub officio venerunt ad villulam, non longe à cœnobio S. Catharinæ positam, quæ Wiler appellatur, duo Iudæi, qui blandis sermonibus atque promissis quendam puerulum capientes, VII. annum ætatis agentem, extra villam occulte duxerunt in vicinam syluam, quæ Dumus lupina (vulgariter Wolffsheck) appellatur, & est huius monasterij possessio; ipsumque crudeliter martyrizantes interfecerunt, & collecto eius sanguine abierunt, innocentis pueri corpusculum inter ipsa frutera insepultum relinquentes. Repertum vero postea innocentis cadauer, ad Creutznacht cũ honore perlatum est, & diebus aliquot insepultum in cœmeterio parochialis ecclesiæ stetit, sperantibus multis, q̃ signis & miraculis martyrium eius per Dei clementiam foret declarãdum. At vbi miraculum apparuit nullum, sepelierunt illud in cœmeterio retro chorum, versus orientem, vbi crux illa lapidea hodie cernitur erecta. Iudæi quoq; deprehensi in Creutzenacht extra oppidum igne combusti sunt. *Puerulus de Wiler à Iudæis interficitur in Lupina dumete.*

Eodem quoque anno, XI. die mensis Maij, qui fuit Dominica Iubilate, celebratum fuit VIII. nostri ordinis prouinciale Capitulum, apud S. Vdalricum in Augusta; in quo præsederunt Ortvvinus S. Petri in Erphordia Moguntinensis, Iohannes in Stein Constãtiensis, & Henricus in Amorbach æque Moguntinensis diœcesium, monasteriorum ordinis nostri abbatis, & plura in eo decreta sunt. *Capitulum prouinciale S. celebratur.*

Hoc ipso anno Sigismundus, potentia Philippi Ducis Mediolanensium adiutus, Romam profectus est, & ab Eugenio Papa imperiali diademate coronatus. *Sigismundus Romæ coronatur.*

Eodem quoq; anno Bernhardus huius monasterij abbas XVIII. senio & morbo calculi prægrauatus, V. cal. Iunij obijt, anno ætatis suæ LXXVIII. assumpti vero regiminis XLI. cũ tribus mensibus & IX. diebus cõpleto. Hic cum sibi mortem adesse sentiret, confessione cum lachrymis præmissa, & sumptis cum ingenti deuotione Sacramentis ecclesiasticis, totum ad se conuentum fecit vocari, quo astante dixit: *Fratres mihi in Christo quidem semper dilecti, vos nunc videtis mihi finẽ instare præsentis vitæ, nec amplius vobiscum posse morari: rogo itaq; ad mentem reducite iniurias, quas & mihi & Deo totiens intulistis, qui volenti mihi ad integritatem monasticæ conuersationis mores vestros reducere, semper contumelioseq; nimium restitistis: Ecce nunc prior, & si bene feci, merces mea mecum est; vos autẽ (vehementer timeo) post mortẽ meam tribulationẽ habebitis, vt qui me patrem audire noluistis, alium non patrẽ audiatis. Cõsiderate ergo precor, vitæ præsentis breuitatem, & emendate mores secundum regulã monasticam & decreta sanctorum Patrum; ne vos in articulo mortis, in quo me constitutum videtis, temeritatis pœniteat. Insuper cõmitto vobis, quatenus curtes illas duas in Winsheim, quarum alteram precio comparaui, alteram à fratris mei filio iudiciario edicto conquisiui, post mortẽ meam ab iniustis possessoribus quantotius repetatis. Quod si ille de Coppenstein se ius aliquod in eis habere prætenderit, noueritis allegationẽ eius esse falsam: ego enim (sicut scitis) in illã discordia, quæ fuit inter me & vos ante hoc ferme quinquennĩ (quã nobis Deus ignoscat)* *Bernhardus abbas moritur. Verba abbatis moriturij ad fratres. Futura prædicit. De duabus Curtibus in Winsheim repetendis.*

*nimia indignatione prouocatus, ex vehementi commotione & displicentia animi mei feci quod iure non potui, tradens illas sine consensu vestro (quod constare non potest) dicto Ieckel de Gemunden, quas Meynhardus de Coppenstein iniusto titulo nunc possidet, ita mihi propitius sit Deus in hac extrema necessitate mea. Ecce dixi vobis rei totius ordinē, si vos alienatas curtes repetere neglexeritis, Deo respōdeatis, ego animam meam exoneraui.* His dictis in Domino quieuit. Erant autem præsentes, qui hanc contestationem audierunt, Fridericus Prior, Wilhelmus comes Rheni monachus, Fridericus comes Rheni monachus, Gerardus monachus, Fridericus de Nackheim monachus, & Iohannes monachus, huius cœnobij omnes professi; Iacobus quoque de Cleberg monachus & Capellanus, Volkerus Laicus & Cellerarius huius monasterij, eodem anno in die Innocentum institutus, & alij ex familiaribus complures. Mortuo autē Bernhardo abbate, fratres iuxta commissionem eius curtes ipsas repetentes, fœnum metere cœperunt; sed armata manu per seruitores illorum de Coppenstein fuerunt violenter expulsi. Et licet postea sæpius per plures abbates contra eos mota fuerit querela, vt infra dicemus: nihil tamen contra violentiam profecerunt.

*Nomina in obitu abbatis præsentium.*

*DE GOBELINO, HVIVS MONASTERII ABBATE XIX. QVI PRÆFVIT annis VII. mense I. diebus XIV. & de variis gestis tam eius quam illius temporis.*

POST mortem Domini Bernhardi abbatis venerandi, tribulatio, quam viuens monachis prædixerat, superuenit. Nam mox vt Iohannes Comes de Sponheim vltimus abbatem esse defunctum audiuit, ad monasterium personaliter vna cum comite Veldentiæ accessit, & fratribus, ne sine eius præsentia, cōsensu & voluntate nouum abbatē eligerent, districta prohibitione interdixit: ꝙ forsitan non fecisset, si obitus defuncti abbatis à casu ad eius notitiam tam subito non fuisset perlatus, quod ita contigisse memoriæ traditum est. In ipsa hora, quando pro defuncto abbate campanarum hic in monasterio fiebat compulsus, contigit à casu ipsum Comitem cum satellitibus suis de Winterburg versus Creutzenacht cœptum continuare iter, atque sub ipsa compulsatione non procul à monasterio rusticum habere obuium, qui interrogatus ab ipso, quid pulsus ille cāpanarum insolita hora prætenderet; abbatem respondit esse mortuum: quo Comes audito, mox ab itinere declinans monasterium intrauit, prohibitionem (quam diximus) contra iustitiam & priuilegium monasterij fecit, constituens Fratribus diem pro electione noui pastoris ad oppidum Creutzenacht tertium immediate sequentem, quæ fuit dies sanctorum martyrum Abdon & Sennes, 3. videlicet cal. Augusti. Habebat autem comes monachum quendam Cisterciensis ordinis, de monasterio S. Disibodi secum nomine Gobelinum, hominem astutum & curialem, quem plurimum diligebat, eratque apud eum in magno precio, interque secretarios primus. Hunc ergo monachum nacta opportunitate, pro eius in se fidelitate cupiēs honorare, promouere in abbatem huius monasterii summopere laborabat; cui fratres, propter prauos eorum mores & vitæ dissolutionem, contradicere non audebant. Itaque adueniente termino pro electione statuto, monachi huius cœnobij necessitate compulsi, ad Creutzenacht (vt iussum erat) venerunt. Adunatis autem illis in Curia comitis, ipso & Comite Veldentiæ cum quibusdā aliis præsentibus, Comes de Sponheim in hunc modum fuit exorsus: *Non æstimetis, domini fratres, propterea quod euocauerim vos in hunc locum pro noui abbatis electione, me aut hostem vestrum esse, aut monasterii vestri inuasorē: Ego enim tanquam Aduocatus & tutor atq; defensor vestri monasteriiq; fidelis, maxime cupio videre profectum vestrum tā in conuersatione spirituali quam etiā in substantia rerū temporalium; neq; monasterium, ꝙ progenitores mei ad honorē Dei cōstruxerunt, ego vllatenus destruere velle, sed potius in omnib. ad meliora prouehere secundum vires meas credendus sum. Cum ergo monasterium vestrum Sponheimense iam à multis annis in vtroq; statu notabiliter defecerit, opus est certe, si debeat reduci ad pristinā institutionem, viro sapiente in multisque experto, & qui velit & possit vobis vtiliter præsidere. Habeo virum penes me, notū vobis, prudentem & expertum, dominum Gobelinū, quem vt in abbatem vobis eligatis suadeo & rogo, scio enim ꝙ per eius sapientiam & industriā status monasterii vestri in melius reducetur.* Quibus auditis fratres subito nimium consternati sunt, & quid agerent penitus ignorarunt. Verum post multa tandem consilia, post multas preces in contrarium Comiti porrectas, cum nihil omnino proficerent, consilio Comitis de Veldentia & aliorum, qui animum comitis nostri sciebant non esse à cœpto flexibilem, acquiescentes, ne quid eis deterius cōtingeret (sicut verisimili cōiectura ex minis elici poterat) inuiti consentientes, ipsum Gobelinum taliter qualiter in abbatem suum elegerunt. Electus est ergo, quamuis alterius ordinis, Gobelinus in abbatem huius cœnobij Sponheimensis XIX. anno prænotato Domini MCCCCXXXII. indictione X. penultima die mensis Iulii, confirmatusque à Conrado Archiepiscopo Moguntino, & per eius in Pontificalibus Vicarium

*Comes de Sponheim liberam electionē fratribus interdicit.*

*Quomodo mors abbatis ad notitiam comitis peruenerit.*

*Fratres in Creutznacht pro electione cōueniunt.*

*Comitis verba ad fratres, monentis vt Gobelinū in abbatem eligant.*

*Gobelinus in abbatem assumitur electione coacta.*

Vicarium in die S. Laurentij martyris ordinatus, hic in monasterio præfuit annis VII. mẽse vno, diebus XIV. & multas tribulationes & aduersitates, maxime post obitum ipsius comitis, sustinuit. Fuit autem oriundus ex comitatu Sponheimẽsi, ex oppido Creutzenacht, humili quidem sed honesta parentela creatus, cuius pater Andreas, mater vero Barbara, ciues ibidem vitam mediocrem laboribus manuum suarum & mercatura sustentabant. Qui cum adhuc esset puerulus, ad discendum literas præceptoribus traditur à parentibus fuit, quibus cum annos plures impendisset operam, tandem in monasterio S. Disibodi Cistercienſis ordinis, monachus est factus, in quo, cum esset ingenio subtilis, in multis supra coætaneos suos profecit, & inter alia etiam curiosis artibus insudans, Alchymiæ & Medicinæ studium impendit frequentius. Cum autem in his aliquantulum profecisset, in notitiam & familiaritatem prefati comitis Iohannis de Sponheim vltimi deuenit, per quem de monasterio extractus, primo Capellanus eius, deinde Secretarius ac postremo (sicut diximus) Abbas huius monasterij factus est, qui tamen raro hic in monasterio fuit, sed frequentius in Trauerbach cum Comite morari consueuit. Habebat ibidem domum propriam, in qua cum familia necessaria impensas partim de mẽsa & curia comitis, partim de monasterio suscipiens, seorsum morabatur. De eius gestis latius per ordinẽ annorũ mentio fiet.

*Vita & origo Gobelini.*

*Quomodo Capellanus & Secretarius comitis factus sit.*

MCCCCXXXIII.

Anno Gobelini primo, Conradus archiepiscopus Moguntinus, & Ludouicus Lantgrauius Hassiæ graues inter se dissensiones & inimicitias habuerunt, qui post cõmiserunt, incursiones, prædas & incendia, tandem ad prælium in campo conuenerunt, in quo post longam & ambiguam concertationem, non paucis hinc inde occisis, Conradus archiepiscopus præfatus à Ludouico Lantgrauio victus est, & plus quam sexcenti suorum ab ipso prouinciæ Comite capti sunt, qui se postea non sine damno archiepiscopi cum pecunia redemerunt.

*Prælium inter archiepiscopũ Moguntinũ & Lantgrauium Hassiæ.*

Eodem anno Vdalricus de Manderschitt, Decanus Coloniẽsis, qui contra Iacobum de Sirck (vt supra diximus) ante Rabanum indissensione consilio duorum in archiepiscopum electus fuerat, & per Papam vna cum Iacobo abrogatus, inimicum animum gerens aduersus ipsum Rabanum archiepiscopũ, contemnensque mandata apostolica, Treuirẽsem antiquissimam Europæ ciuitatem, auxiliante comite de Virnenberg, per biennium obsedit, machinas & bombardas in montibus vicinis posuit, lapidesque & sagittas com plures intra ciuitatem misit. Verum cum se nihil posse proficere cerneret, propter ciuium custodiam, & Ludouici comitis Palatini assistentiam, qui Rabano plurimum fauebat, soluta obsidione cum ingenti damno & confusione recessit.

*Ciuitas Treuirensis per bienniũ obsidione vallatur.*

*Bombardarum vsus hoc tẽpore.*

MCCCCXXXIV.

Anno Gobelini Abbatis secundo, obijt Conradus archiepiscopus Moguntinus x. die mensis Iunij, in ecclesia Moguntina sepultus. Cuius tempore Sigismundus Imperator Romanorum omnes Iudæos, qui erant in ciuitate Moguntina, custodiæ mancipari præcepit, & magnam ab eis pecuniam pro dimissione extorsit. Eo quoque præsulante inter clerum & ciues Moguntinos discordiæ & variæ dissensiones subortæ sunt, quæ in tantum creuerunt, quod clerus per Ciuitatenses fuit violenter expulsus ab vrbe, domus sacerdotum effractæ, & spolia multa deportata. Post mortem Conradi Theodericus Schenck de Erbach in oppido Bingen eodem anno in archiepiscopum Moguntinum fuit à capitulo electus, confirmatusq; ab Eugenio Papa IV. præfuit annis ferme XXV. homo bonus & mansuetus, qui in pace & tranquillitate rexit ecclesiã sibi cõmissam, & reformationẽ nostram, capitulum annale, & eius constitutiones cum multa benevolentia primus confirmauit.

*Conradus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

*Clerus Moguntinensis per ciues expellitur.*

*Fridericus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem quoq; anno Gobelinus Abbas omnia priuilegia, literas & monumẽta libertatis huius monasterij Sponheimẽsis, qua nescimus occasione, sine scitu & voluntate cõuentus sui occulte abstulit, Tranerbach iuxta Mosellã (vbi cõmorari solebat) deportauit, nõ sine grauissimo huius cœnobij & totius posteritatis nostræ damno irrecuperabili. Multa enim ex eis tali occasione fuerunt amissa, quæ ad monasteriũ nullo vnq; tempore reducẽtur. Et licet sæpius fuerit per conuentũ super eorum restitutione admonitus, tandemq; ad concilium Basilienſe coram præsidentibus capituli (vt dicemus postea) citatus delatione visitatorũ, ac per Abbatẽ S. Matthiæ, Cõmissarium concilij ad hoc specialiter deputatum ad se restituturum omnia iurare compulsus, tamen nunquam potuit induci, vt promissioni suæ ac mandatis superiorum satisfaceret. Fuerunt qui dicerent ipsa priuilegia in manus comitis peruenisse, & propterea, quoniam nonnulla suæ voluntati viderentur contraria, per Abbatem non potuisse restitui. Quod vt verum credamus, argumento inducimur probabili. Maior enim literarum & priuilegiorum huius monasterij pars tem-

*Abbas Gobelinus priuilegia monasterii abstulit.*

*Quomodo & per quem priuilegia fiat ad monasterium reducta.*

pore reformationis vltimæ, quæ facta est anno Domini MCCCCLXIX. reperta fuit inter literas comitatus Sponheimensis in testudine castri Tranerbach, & per dominũ Fridericum, illustrem Christianumque Principem, Comitem Palatinum Rheni & ducem Bauariæ, primum reformatorem nostrum, nobis & monasterio fuit restituta. Supputatis itaque annis ab hinc ad reformationem introductam, fluxerunt anni non minus XXXV. in quibus priuilegia monasterij fuerunt deperdita, quãquam nec hodie sint restituta omnia, quemadmodum ex certis copijs & rescriptis, quorum originalia non habemus, edocemur. Sed & quædam preciosa Bibliothecæ nostræ volumina, quæ priores illi epulones intacta reliquerant, secum asportauit, quæ in diuersis locis circa Tranerbach distracta, nunquam ad nos reducentur. Nam (sicut antea diximus) raro in monasterio fuit abbas, sed curiam Comitis sequebatur, & inter Consiliarios eius erat primus. Vnde interea statis monasterij tam in spiritualibus quam in temporalibus nimium defecit, in tantum quod propter nimia debita conuentus quasi frequenter in excommunicatione fuit, qui in principibus festiuitatibus (sicut patet ex regestris eorũ mantualibus) vt diuina celebrare permitterentur, vexam pecunia redimentes, relaxationem censurationum à iudicibus Moguntinæ sedis ad tempus impetrare solebant. Elapso indulti termino rursus in censuras antea latas inciderunt, intermittere diuina coacti officia. Durauitque hæc miseranda calamitas per annos plures, vsque ad vltimam reformationem Bursfeldensem, quæ facta est anno Domini MCCCCLXIX.

*Abbas Gobelinus libros bibliothecæ deportat.*

*Status huius monasterii malus eo tempore fuit.*

*Contentio inter abbatem & Capellanum S. Quintini.*

*Nota. Dis Kerngefelt noch einem Pfarhern zu S. Quinten zu Mentz.*

Anno autem prænotato, Gobelini abbatis nostri secundo, grauissima & diuturna contentio inter ipsum & quendam Crafftonem, Altaristam beatæ Mariæ semper virginis in ecclesia S. Martini Moguntiæ, fuit exorta, super XX. maldris siliginis annui census, à domino Bernhardo quondam abbate, sine scitu & voluntate conuentus, ad prædictum altare de bonis nostris in Blenich, qua occasione vel ratione nescitur, per quoddam instrumentum (vt asseritur) promissis. Cum ergo dominus Gobelinus abbas, successor Bernhardi, prædictam siliginem de consilio fratrum dare, nisi prius doceretur quare, omnino recusaret, ab ipso Crafftone XL. annorum prætendente, primum in Blenich coram iudicio seculari impeditur, ac deinde ad concilium Basilienſe citatur. Durauitque ista contentio per annos VI. non sine maximis & grauissimis expensis, & tandem sententia per Iohannem Decanum S. Gingolfi Moguntinensem, Commissarium præfati cõcilij Basilien- sis pro ipso actore super possessorio contra abbatem prolata fuit, in graue dispendium & damnum cœnobij præsentis. Nam & ipse abbas Gobelinus in propria persona ob eam rem bis fuit in concilio Basilienſi: fratrem monachum ad Basileam sæpius misit, multas reisas & expensas per continuos VI. annos in eadem causa fecit, quam minus consulte inchoauit.

*Abbas pro hac re bis fuit in concilio Basiliensi.*

*Mirabile signum apparuit in cœlo.*

Eodem quoque anno mirabilia in cœlo visa sunt: apparuerunt enim VII. circuli in modum Iridis, arcus contra arcum mirabili ordine dispositi, eratque hyemis eiusdem anni satis dura, frigida & prolixa, quæ pauperes nimium afflixit.

*Expeditio contra Hussitas in Bohemia.*

Item eodem anno duces Austriæ & Misnenses cum magno Christianorum exercitu contra Bohemos Hussitas ad bellum procedentes, plus quam XII. millia ex eis peremerũt, cæteris cum dedecore fugientibus. Ex nostris autem III. millia ceciderunt.

*Ventus horrendus.*

Eodem autem anno VII. die mensis Octobris in nocte ventus horrendus & validissimus ab Aquilone veniens, à mari Anglico per ascensum Rheni & omnes adiacentes illi regiones vsque ad Italiam, tam in aquis quam in terra desæuiens, infinita hominibus damna intulit. Enimuero domus fortissimas, turres, ecclesias, & arbores innumerabiles subuertens, multa hominum vtriusque sexus & ætatis millia oppressit.

MCCCCXXXV.

*Capitulum prouinciale 9. celebratur.*

Hoc anno, qui fuit Gobelini abbatis III. celebratum fuit capitulum prouinciale ordinis nostri IX. XXVI die mensis Iunij, quæ fuit Dominica post festum natiuitatis S. Iohannis proxima, in Basilea, tempore concilij generalis in cœnobio fratrum Prædicatorum, in quo præsederunt Ortvvinus S. Petri in Erphordia, Fridericus S. Marci in Augia maiori, Iohannes S. Georgij in Steyna, & Henricus in Faucibus, monasteriorũ ordinis nostri abbates. Ad hoc prouinciale capitulum Gobelinus abbas, autoritate concilij fuit citatus delatione Visitatorum accusatusque coram præsidentibus in multis articulis, potissime quod priuilegia, literas & libertatum monumenta de monasterio alienasset, computationem non faceret, & extra monasterium vt plurimum resideret. Qui super his omnibus, vt potuit, respondens, impetrauit à concilio & capitulo, per medium Ludouici comitis Palatini, abbatem S. Matthiæ Treuirensem in Commissarium sibi deputari, qui causam propria

*Abbas Gobelinus ad Capitulum per concilii citatur.*

ptia persona hic in monasterio auditã iusto determinaret consilio, promisitq; præsidentibus eius se decreto velle acquiescere. Eodem igitur anno in mense Decembri venit abbas S. Matthiæ, fultus authoritate concilij Basiliensis & totius capituli nostri prouincialis, commissioni suæ satisfacturus, factaque visitatione (vt moris est) cognouit veram ad capitulum fuisse delationem, abbatemq; impulit ad promittendum in omnibus emendationem. Computationem de triennio perceptis & expositis in Creutzenacht coram amicis ipsius Gobelini audiuit, vbi pacem & concordiam inter Abbatem & conuentum, prout potuit, composuit. Huius visitationis, computationis & compositionis expensæ solum in Creutzenacht, summam L. florenorum, (vt ex regiſtris procuratorum inuenimus) excesserunt, & tamen nullus aut paruus prouentus inde prouenit.

*Abbas S. Matthiæ visitat hic auctoritate cõcilij.*

Anno quoq; prænotato abbas Gobelinus in die S. martyris Dionysij, Iohannẽ quendam, ecclesiæ in Sulme Pastorẽ, Prouisorẽ, Cellariũ & Procuratorem huius monasterij constituit, eiq; regimen totius monasterij in temporalibus commisit, ipseque more suo cum comite in Tranerbach commoratus rarissime in monasterio fuit.

*Secularis Prouisor ab abbate instituitur.*

Anno quoq; præscripto XII. die mensis Octobris Ernestus dux Bauariæ iuuenculã quandã speciosissimam, filiã cuiusdam rasoris de Augusta, quã filius suus Albertus nimio dilexit amore, & pro concubina habebat, de ponte in Stravvbingẽ præcipitari fecit in Danubium & submergi, filio procul absente & rem penitus ignorãte. Qui reuersus, vbi patris crudelitatem in amantissimã sibi amasiam commissam audiuit, præ nimio dolore cordis primo in amentiã cecidit, ad se postea reuersus amarissime fleuit, & iurauit se nec patri nec patriæ parciturũ, quousq; innocentẽ amatricis suæ mortẽ vindicasset. Magna ergo inter filiũ, & patrem nobilesque & cooperatores necis iuuenculæ discordia fuit subsequuta, quę vix tandẽ cum maxima difficultate potuit sedari. Super sepulchrũ mulieris, cogente filio, pater nouã fundauit Capellã, in qua omni die perpetuo vna missa pro ipsius anima celebraretur. Fuerunt qui dicerent Albertum ducem matrimonium occulte contraxisse cum ea, & patrem propterea motum, quod nobilitatem generis sui cum tam humilis prosapiæ persona vituperasset, mandatum vt necaretur dedisse. Male fecisse patrem omnes clamauere, quod tam pulchram, honestam, & innocentem, filioque suo super omnes dilectissimam iuuenculam amoris causa, occidi iussisset, cum multi olim nobilissimi reges & principes, virtute vel amore perurgente, sibi ex humiliori genere ciuium aut rusticorum sine confusione desumpsissent vxores.

*Miserabile factum Ernesti ducis Bauariæ.*

Eodem quoq; anno hyems fuit asperrima mensibus III. ita quod nimio frigore arbores, sementa & vites in multis locis perierũt. Vinum etiam omnino in caro pretio fuit, quia & (præter in Alsatia) parum vbiq; creuit, & nimis acerbum.

*Hyems asperrima.*

MCCCCXXXVI.

Anno Gobelini abbatis nostri IIII. Iohannes comes de Sponheim vltimus, altare S. Pancratij martyris in castro Sponheim cum omnibus prouentibus, reditibus & attinentijs suis huic monasterio cum iure patronatus (eui aperte renunciauit) incorporandum contulit, in augmentum præbendarum monachorum, sicut patet ex literis, quas conuẽtui desuper dedit. quarum Datũ est *in die S. Martini episcopi, anno Domini* MCCCCXXXVI. Hanc donationẽ Theodericus archiepiscopus Moguntinus per Iohannẽ de Lisura, decretorũ Doctorem, in spiritualibus Vicarium suum, ad instantiam abbatis & conuentus huius monasterij, postea confirmauit, vt patet in literis desuper confectis, quæ datæ sunt *anno Domini* MCCCCXXXIX. *die Veneris, mensis Martii.*

*Ioannes comes altare castri Sponheimensis huic monasterio refert.*

Anno Gobelini abbatis prænotato Albertus dux Bauariæ (de quo priori anno dictũ est) vxorẽ duxit Annã ducis Brunsvvicensis filiam, & nuptias in Monaco celebrauit.

*Albertus dux Bauariæ ducit vxorem.*

Hoc ipso anno vinum bonũ & in magna copia creuit, & pro vili pretio vendebatur.

MCCCCXXXVII.

Anno Gobelini abbatis nostri V. obijt Iohannes comes de Sponheim vltimus in castro Starckenburg iuxta Tranerbach, relinquens in manib. Gobelini Secretarij sui testamentũ conscriptũ, q̃ tamen contradictione hæredũ interueniente, ad effectum non fuit perductum, quamuis ipse Gobelinus propterea in propria persona ad concilium Basiliense profectus, literas & cõmissiones ab eo necessarias impetrauit, prealere tamẽ contra potẽtiam ducis & Marchionis minime potuit, sed magnũ sibi & huic monasterio incommodum excitauit. Comes enim præfatus biennio ferme antequã moreretur, XII. millia florenorum ad custodiam Gobelini abbatis nostri deposuit, quos ipse abbas ad eius imperiũ exponens in diuersis causis, prout occurrebant, dispensauit. Mortuo autem Comite dux Bauariæ & Marchio Badensis, qui comitatum Sponheimensem in possessionẽ acceperãt,

*Ioannes comes de Sponheim vltimus moritur.*

*Depositum comitis abbati nostro Gobelino commissum.*

*Abbas Gobelinus quasi ad anni spatium retinetur captiuus.*

Gobelinum Abbatem in Winterburgk, quasi ad vnius anni spatium, in custodia honesta detinebant, cupientes ab eo, tanquam à Secretario defuncti comitis, habere non solum rationem depositi, sed etiam thesauros nescio quos, à comite (vt ipsi asserebant) commissos. Morabatur vero per totū illud tempus Abbas Gobelinus in publica taberna, ex mandato Principum in Winterburgk captiuus, vno fortissimo famulo ad custodiēdum illum deputato, & deambulare quidem intra muros, custode eius vestigia semper prosequente, vbique pro libitu poterat, egredi autem vicum non audebat. Tandem post menses captiuitatis suæ transactos, legalem depositi rationem & calculum sufficientem Consiliarijs Principum ad se missis fecit, & de suspicione thesaurorum, quod nihil sibi conscius esset, confidenter asseruit. Dimissus ergo tandem ab exilio ad monasterium redijt, & nulla testamenti exequutio subsequuta fuit.

*Ludouicus comes Palatinus, auus Philippi moritur.*

Eodem quoque anno, vltimo die mensis Decembris, obijt illustris & Christianissimus Princeps, dominus Ludouicus Comes Palatinus Rheni duxque Bauariæ, filius quōdam Ruperti regis Romanorū, dictus cum Barba, vel etiam dux cæcus, qua post reditum à terra sancta morbos, & ex his cæcitatē incurrit: vir bonus, pius & sanctus, qui fuerat protector atque defensor concilij Constantiensis, & Iohannem Papam XXIII. post eius depositionem, à concilio sibi traditum, triennio in castro suo Manheim custodiuit. Reliquit autem post se tres filios, quorum primus fuit Ludouicus Comes Palatinus Rheni duxque Bauariæ, & princeps Elector, vir pius, iustus, & deuotus, qui duxerat in vxorem Margaretham, filiam ducis Sabaudiæ Amedei (postea Papæ Felicis in cōcilio Basilienſi contra Eugenium electi) de qua genuit Philippum inuictissimum principem, hodie longe lateque dominantem de quo postea suo loco faciemus mentionem: Secundus filius Ludouici Barbati fuit Fridericus ille dux potentissimus, qui post obitum fratris fuit tutor Philippi clarissimi, qui non duxit vxorem, de quo etiam postea dicemus: Tertius fuit Rupertus, archiepiscopus Colonienſis post Theodoricum, cuius mentionem infra faciemus.

*Filij ducis Ludouici barbati.*

*Sigismūdus Imperator obiit.*

Anno etiam prænotato in mense Decembri obijt in Morauia Sigismundus Imperator Romanorum, rex Vngariæ & Bohemiæ, Princeps Christianissimus, amator Dei, defensor cleri, & pauperum aduocatus, sepultus in Alba regali cum magno honore, non sine opinione sanctitatis.

*Adolphus dux Montēſis & Iuliacenſis moritur.*

Adolphus quoque dux Montenſis & Iuliacenſis eodem anno in mense Decembri Coloniæ in monasterio S. Panthaleonis, ordinis nostri, sine liberis obijt, cui Gerardus de Rauenburg, filius fratris, in ducatu vtroque pacifice successit. Propter continua bella nimium exhaustus pauper obijt, & terram suam in maximis pecuniarum summis impignoratam nepoti reliquit.

*Fames magna.*

Eodem anno maxima fames in omni regione, & præcipue in partibus infetioribus, in Hollandia, Selandia, Hannonia, & circa Rhenum vbique exorta est, & frumenta in nimis caro precio, ita vt multi pauperes tam in ciuitatibus, quam in villis fame perirent.

MCCCXXXVIII.

*Machtildis, auia Philippi com. Pal. moritur.*

Hoc anno, qui fuit Gobelini Abbatis nostri VI. obijt Machtildis relicta vxor Ludouici comitis Palatini ducisque Bauariæ, auia Philippi principis nostri clarissimi, XII. die mensis Maij, deuota mulier in Deum & sancta, in pauperesq; pijssima.

*Albertus dux Austriæ fit rex Romanorum.*

Eodem anno circa medium Quadrāgesimæ conuenerunt Principes Electores ad Franckfordiam, & vnanimiter elegerunt in regem Romanorum Albertum ducem Austriæ, generum Sigismundi defuncti Imperatoris, virum strenuum, pium, bonum & sanctum, qui regnauit annis tantum duobus: qui post obitum soceri obtinuit multa regna, & ducatus & comitatus, iure hæreditario pacifice absque tumultu aliquo, sicut regnum Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, ducatum Morauiæ, & alias terras multas, fuitque inter omnes principes Germaniæ potentior & locupletior. Fuit autem electus (sicut diximus) XIII. calend. Aprilis in medio Quadragesimæ, Princeps quo dignus non erat mundus, ideo consumatus in breui expleuit tempora multa.

*Episcopus Leodienſis fit coadiutor ecclesiæ Treuirenſis.*

Anno prænotato Rabanus de Helmstatt archiepiscopus Treuirensis & Spirensis episcopus senio grauatus, videns se minus ad regimen tanti pontificatus sufficere, quorundam vsus consilio, Iohannem episcopum Leodiensem in coadiutorem ecclesiæ Treuirensis, contra voluntatem multorum de capitulo assumpsit: vnde non paruam (vt multi asseuerant) iacturam ecclesiæ Treuirensis, incommodum & damnum suscepit.

*Ernestus dux Bauariæ moritur.*

Eodem quoque anno, 1. die mensis Iulij obijt Ernestus dux Bauariæ, in Monaco sepultus, relinquens vnicum filium, nomine Albertum, de quo supra dictum est.

In eodem anno iterum venit Iohannes Abbas S. Matthiæ Treuirensis authoritate concilij

concilij Basiliēsis & capituli nostri prouincialis, Visitator generalis & specialis deputatus, & denuo hic visitauit, relinquens instrumētum quoddā visitationis suæ, in quo præcipue monet Abbatem de duobus. Primum vt iam deinceps residentiam suam extra monasterium non continuaret, sed potius maneret cum fratribus suis in cœnobio, propriæque & suorum intendens saluti, præsertim comite iam mortuo, cuius ministerio non amplius vrgeretur: Secundum vt literas & priuilegia, dudū à monasterio per eum alienata (quemadmodum diximus supra) ad monasteriū reducere quantotius curaret. Alterum horum primum fecit, alterum facere non erat in potestate eius, quanquam & illud sæpius attentauerit. Nam propter priuilegia in testudine arcis Tranerbach dudum recluſa, ad quæ ipse non poterat habere accessum, & propter testamenti comitis defuncti impeditam executionem, suique in Winterburg captiuitatem & detinentiam, inimicum animum aduersus ducem Stephanum concepit, eumq; de iurisperitorum consilio iuridice aggressus, primo per Commissariū concilij Basilienſis, ac demū per clementissimū Principē Ludouicū comitē Palatinum, ad restitutionē & satisfactionem compellere cœpit: sed interea morte sublatus, inchoatum negotium imperfectum dereliquit, nihilq; amplius factum est.

*Abbas S. Mathiæ domo hic visitat.*

*Abbas Gobelinus contra ducem Stephanum litigat.*

MCCCCXXXIX.

Anno Gobelini abbatis nostri VII. Eugenius Papa, vt dissiparet concilium Basiliēse, Ludouicum Delphinum Viennensem regis Franciæ primogenitum in arma concitauit, precibus & precio (vt ferebatur) contra Imperium Rom. & Germanicam nationē. Qui adunato magno exercitu, XXV. millium armatorum venit in Alsatiā, & circa Basileam, Argētinam, & circumiacentes ciuitates incēdia, prædas, & damna, in villis & in agris, multa fecerunt. Cum Svitensibus bellum non longè à Basilea habuerunt atrocissimum, in quo nō pauciores de suis amiserunt, quam de illis occidissent. Acta sunt hæc in mense Martio. Tandem Ludouicus comes Palatinus, cum auxilio Principum vicinorum, & ciuitatum imperij, Argentinensium, Basilienſium & præcipue Schlettratenſium, turmam illam, quæ Armeniaca dicebatur, cum eorū Principe Delphino de Alsatia potenter expulit, multis eorū occisis, ita quod de tota illa multitudine XXV. millium valde pauci euaserunt. Magna hanc Armeniacorum in Alsatia cladem, pestilentia, fames & caristia in omnibus regionibus cisrhenanis sequuta est, & multa millia obierunt.

*Delphinus cum Armeniacis occupat Alsatiā.*

*Armeniaci cæsi pellumtur in Alsatia.*

Eodem anno concilium Basilienſe dedit Bullam vnam pro reformatione ordinis nostri in Germania, quæ sic incipit. *Inter curas multiplices, quib. inter occurrentium rerum & negotiorum vniuersalis ecclesiæ distrahimur varietatibus, &c. Datum Basileæ X. cal. Martii, anno à natiuitate Domini* MCCCCXXXIX. In hoc sacro concilio XII. abbates ordinis nostri fuerunt deputati visitatores & reformatores omnium monasteriorum ordinis nostri per Germaniam, & præcipue per prouinciam Moguntinam. Inter quos fuit vnus Iohannes Abbas S. Matthiæ prope Treuirim, qui isto anno visitauit hic tertio, præfati concilij authoritate suffultus. Finaliter tamen parum profecit, quia monachi prauis moribus assueti, monentis verba parum curabant, quippe qui in deformitate (vt ita dixerim) nati & enutriti, aliter viuere, quam didicerant, non volebant. Nimia enim paupertas & inopia rerum temporalium eos ad spiritualis vitæ desperationem perduxerant, qua se non posse credebant, quod faciliter potuissent.

*Concilium Basilense Bullam dedit pro reformatione.*

Eodem anno, XXVI. die mensis Aprilis, quæ fuit Dominica Iubilate, celebratur X. ordinis nostri capitulum prouinciale Nurenbergæ, in monasterio S. Ægidij, in quo præsederunt Hartungus S. Petri in Erphordia, Nicolaus S. Basilij in nigra silua, & Henricus Amerbach, monasteriorum ordinis nostri abbates. In hoc prouinciali capitulo præsentata fuit patribus Bulla concilij Basilienſis præscripta, pro reformatione ordinis nostri per Germaniam, cum multa (sicut diximus) maturitate ædita, quam Patres cum reuerentia susc:pientes seruari ab omnibus mandauerunt.

*Capitulum prouinciale 10. celebratur.*

Anno quoq; prænotato Rabanus de Helmstatt archiepiscopus Treuirensis cōsiderans ætatē suā decrepitā, viribus exhaustā, ad onera tanti pontificatus non sufficere, habito suorū consilio, maxime coadiutoris sui Iohannis episcopi Leodiensis, ipsum archiepiscoparum Treuirensem Iacobo de Sirck, qui ante ipsum cum Vdalrico de Manderschitt (sicut suo loco diximus) in dissensione fuerat electus, de cōsensu totius capituli resignauit, & pro nanciscenda quietudine ad ecclesiā suā Spirensem, q̄ interea commendatā tenuerat, reuersus est. Sed mox episcopatum etiā Spirensem in fauorē Reinhardi de Helmstatt majoris ecclesiæ præpositi, resignauit, cui Papa de eodē episcopatu prouisionē fecerat, cōsentiente capitulo Spirensi. Et sic Reinhard. in episcopū Spirensis ecclesiæ confirmatus, præfuit annis ferme XVII. in tranquillitate. Porro ipse Rabanus eodē anno XIV. die Nou. Spiræ

*Rabanus archiepiscopus Treuirensem resignat Iacobo de Sirck.*

*Episcopatū quoq; Spirēsem Reinhardo de Helmstatt.*

obijt, in corpore ecclesiæ sepultus: vir certe magnificus, & totus pro ecclesia Dei laboriosus. Iacobus autem Sirck post resignationem domini Rabani confirmatus ab Eugenio Papa IV. in castro Mayensberg in archiepiscopum consecratus fuit, & præfuit annis XVII.

*Iacobus fit archiepiscopus Treuirensis.*

vir præstans, animo bonus & magnificus, qui prudentia & magnanimitate sua multos æmulos & aduersarios Treuirensis ecclesiæ vicit & superauit, & Canonicos quosdam maioris ecclesiæ, sibi rebelles, auxilio summi Pontificis ad subiectionem & obedientiam firmiter coartauit. In primo introitu suo ecclesiam Treuirensem omnino depauperatam, & omnia castra, oppida, telonia ac census impignorata, promptuariaque omnia vacua reperit, & nihilominus LX. millia florenorum Iohanni episcopo Leodiensi, coadiutori quõdam Rabani, ratione administrationis suæ dare & exsoluere coactus fuit.

*Ioannes episcopus Herbipolensis ab illis de Hirschhorn captur.*

Anno quoq; præscripto, Iohannes episcopus Herbipolensis (propter quam causam, non satis mihi constat) per Domicellos de Hirtzhorn captus est, & III. mensibus in eorum custodia detentus. Sunt qui scribunt, causam fuisse pecuniarum, & ipsum Iohannem Pontificem ecclesiam suam multis debitorum oneribus aggrauasse, & mutuum à prefatis Domicellis acceptum, in tempore constituto non restituisse, ob eamque causam ab eis captum fuisse & detentum.

*Albertus rex Romanorum moritur.*

Eodem etiam anno, VI. calend. Nouembris, obijt Albertus rex Romanorum, biennio in regno nondum completo, in Alba sepultus, relicta vxore prægnante, Princeps liberalitate & fortitudine clarus. Sed mihi videtur in historijs erratum. Nam si anno præcedente XIV. calend. Aprilis fuit electus, & in isto VI. calen. Nouembris obijt, non plus quam anno I. mensibus VII. & diebus VII. regno potitus fuit. Defuerunt ergo de biennio adhuc menses IV. & diebus XXI. vt clare patescit, menses & dies intermedios bene calculanti.

*Abbas Gobelinus moritur.*

Anno suo præscripto Gobelinus, Abbas huius monasterij Sponheimensis XIX. senio & infirmitate grauatus, vitam præsentem deseruit, & XVIII. cal. Octobris in Domino quieuit: posteaquam in Abbatia completerat annos VII. menses I. & dies XXIV. vir certe animo constans & ingenio prouidus, ne dicam callidus, qui tempore sui regiminis multa aduersa constanti animo sustinuit, & potius vincere quam cedere paratus fuit: Maius damnum quod tempore sui regiminis huic monasterio intulit, fuit alienatio priuilegiorũ & librorum, quæ vsque in præsentem diem necdum omnia sunt nobis restituta. Corporalis etiam residentiæ subtractio nnn parum huic monasterio nocuit, dum monachi, quasi truncati capite, nullum ordinem penitus neque in spiritualibus neque in temporalibus obseruarent. A tempore enim Philippi abbatis vltimi, vsque ad nouissimam huius loci reformationem, per annos ferme LXXIX. prouisores & procuratores per Abbatem successiue deputati, tam monachi quam seculares, maiori ex parte sicut ex registris eorum manualibus apparet (exceptis paucis) monasterio infideles exstitisse inueniuntur. Quantumlibet enim pauper ante officium prouisionis quispiam exstitisset, tamen post annos in procuratione paucos infideliter exactos, diues euasit, semperque post computationem peractam plus exposuisse inueniebantur in summa notabili pro monasterio, quam ab illo ratione officij in omnibus recepissent. Qui interrogati, Vnde superueniens accepissent, alterà matre, amico, vel quolibet alio superinducto, mutuum accepisse mentitus est. Itaque monachis vitio proprietatis aperto quasi licenter laborantibus, quid aliud ab eis foret expectandum, quam furari, subtrahere, fraudem facere, mentiri, decipere, & monasterium ad extremam paupertatem vel inopiam deducere. Miseranda eorum conuersatio, huic monasterio tantam cladem & desolationem superinduxit, quod vsque in præsentem diem vix aliqualiter maximis laboribus potuit releuari.

*Prouisores monasterij fures.*

*Quid profuerit proprietas monachorum monasterio.*

## *DE FRIDERICO NACKHEIM, HVIVS MONASTERII SPONheimensis Abbate XX. qui præfuit annis V. mensibus VII. diebus IV. & variis gestis illius temporis*

MORTVO autem Gobelino, Abbate huius monasterij XIX. anno & die prænotatis, atque secundum consuetudinem ecclesiasticę traditionis sepulto, tertia die sequente, hoc est, XVI. calend. Octobris, conuenerunt fratres ad locum capitularem, animo & intentione nouum super se constituendi Pastorem. Erant autem pauci numero. Qui habita inter se deliberatione tandem vnanimiter in Abbatem elegerunt Fridericum de Nackheim, huius cœnobij monachum professum, in sacerdotio constitutum, qui confirmatus à Theodorico archiepiscopo Moguntino, & ab eius in pontificalibus Vicario benedictus, præfuit huic monasterio annis V. mensibus VII. & diebus IV. & postea resignauit, vt suo

*Fridericus de Nackheim fit abbas 20.*

loco

loco dicemus. Fuit autem Fridericus iste de militari prosapia ortus, qui monasterio in iuuentute traditus, parum literariæ scientiæ apprehendit, quemadmodum & cæteri illius temporis pene omnes sine eruditione existentes, ex consuetudine potius quam ex arte canebant. Erat autem homo quietus & laborum impatiens, & propterea ad regimē curæ pastoralis minus sufficiens. Ipse suo tempore monasterio, quantum ad eius personam pertinet, nec multum profuit, nec etiam multum nocuisse repertus fuit. Curam vero temporalium rerum prouisoribus commisit, more illorum, qui eum in abbatia præcesserunt, & ipse suo vacans solatio se de paucis rebus intromisit. *Genus & origo Friderici abbatis.*

MCCCCXL.

Anno Friderici abbatis nostri I. monasterium S. Iacobi in Mōte specioso iuxta mœniaMoguntinæ ciuitatis, instantia & cooperatione Theodorici archiepiscopi Moguntini, per monachos Bursfeldenses in Saxonia reformatum est, monachis antiquis & deformatis, qui reformationi subdi noluerant, procul eliminatis. Primus autem pro manu tenenda sanctissima reformatione abbas fuit institutus, venerandæ religionis pater Lubertus, cum alijs fratribus de Bursfeldia missus, qui deuote vixit & sancte obijt. *Monasteriū S. Iacobi reformatur.*

Eodem anno Iohannes Herbipolensis episcopus obijt, cui Sigismundus filius ducis Saxoniæ continuo successit, & præfuit vix tribus annis. Nam triennio nondum elapso, de episcopatu per Dominos de capitulo & nobiles fuit expulsus, propter nimiam fatuitatem & inertiā suam. Qui confugiens ad fratres suos in Saxoniā, vt homo fatuus & destructus in quodam castello ab ipsis custodiæ mancipatus est, interueniente pensione annua pro eius sustentatione ab ecclesia Herbipolensi, iuxta concordata, vt suo loco inferius dicemus. *Sigismūdus fit episcopus Herbipolensis.*

Hoc ipso anno in medio Quadragesimæ cōuenerunt principes Electores ad Franckfordiam pro electione noui regis, & post maturam deliberationē præhabitam vnanimiter in regem Romanorum elegerunt Fridericum eius nominis tertium, Ernesti ducis Austriæ filium, & Alberti quondam regis ex sorore nepotem, imperauitq; annis LIII. vir mitis & pacificus, amator cleri, ad iniurias patiens, annorum XXVI. cum regnare cœpisset. *Fridericus dux Austriæ fit rex Romanorum.*

MCCCCXLI.

Anno Friderici abbatis nostri II. vltima die mensis Aprilis, celebratum fuit XI. ordinis nostri capitulū prouinciale, in monasterio S. Ægidij Nurenbergæ, cum continuatione dierum sequentium, vt moris est: in quo iterū præsederunt Hartungus S. Petri Erphordiēsis, simul & Georgius S. Ægidij Nurenbergēsis, Nicolaus S. Blasij in nigra silua, & Henricus beatæ Mariæ semper virginis in Amorbach, monasteriorū ordinis nostri abbates, & multa statuerunt pro inchoanda & continuanda reformatione, sed executores necessarij defuerunt. Eodem anno hyems fuit dura & asperrima, ninesque magnæ super faciem terræ, & à festo S. Martini vsque ad festum beatæ Mariæ virginis purificationis durabant, intantum quod multi homines pauperes egeni frigore & inopia mortui fuerint. *Capitulum prouinciale II. celebratur.* *Hyems asperrima.*

Eodem quoq; anno Ludouicus dux Bauariæ, cognomento Gibbosus, cōtra patrem suum Ludouicū in Ingelstatt, auxilio Marchionis Brandenburg. Alberti, oppidum Nuenburg ad ripas Danubij obsidione vallauit, quo tandem, ciuibus se dedentibus, capto, patrē cepit, & præfato Marchioni in prædam dimisit, quem ille Henrico duci de Lantzhuta, æmulo eius acerrimo, vendidit pro magno auri pondere. Sed diuina potestas tam nefandum in patrem scelus filij nō diu tolerauit impunitum, sed eum in breui, minime timentem, sine liberis de medio tollens suo iudicio præsentauit. *Impium scelus Ludouici Bauariæ ducis in patrem.*

Hoc etiam anno Theodericus archiepiscop. Colonien sis, magno congregato suorum exercitu, ciuitatem Westphaliæ Susatum obsedit, sed ciuibus se fortiter defendentibus, eam obtinere non potuit, tandemq; concordia facta cum damno suo ad sua remeauit. *Susatiū obsidetur.*

MCCCCXLII.

Hoc anno, qui fuit Friderici abbatis nostri III. in mense Iunio, Fridericus rex Rom. electus cum principibus & magna comitiua nobilium per Rhenum descendit nauigio vsque ad Bonnam, & vlterius equester ad Aquas grani, ibique per Theodericum archiepiscopum Colonien sem in regem Romanorum solennitate consueta vnctus & coronatus est. Coronati autem à Papa, propter schisma, quod erat inter Eugenium & Felicem, diu distulit, tandem à Nicolao V. coronatus fuit. *Fridericus in regem coronatur.*

Eodem anno vinum in magna copia creuit bonū valde, & suaue ad bibendum, vendebaturq; plaustrum pro duob. florenis, & in omni terra vini abundantia fuit. Erat enim æstas temperatissima, & ad omnem crescētiam victualium pulchre dispositā, quo factum est, vt & vini & frumenti copia proueniret. Sed & tempore messis aura fuit serenissima, ita quod fruges sine aliquo impedimento humiditatis collectæ, in multos annos sine corruptione seruari potuissent. *Vini & frumenti abundantia.*

*Cardinalis Panormitanus dat Indulgentias hic.*

Anno prænotato Fridericus abbas huius monasterij, consilio vsus amicorum, Nicolaum Panormitanum ordinis nostri, olim in Sicilia abbatem, Romanæ ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, & Basilicnsis concilij per Germaniam de Latere legatum, Franckfordiæ tunc existentem in legatione accessit, eique præsentis monasterij necessitatem & desolationem exposuit, rogans vt per largitionem indulgentiarum fidelium mentes, in subuentionē paupertatis tantæ, incitare dignaretur. Cui vir magnificus iusta petenti liberaliter consensit, & magnas indulgentias v. annorum sub forma quæ sequitur concessit.

*Copia Indulgentiarum.*

*Nicolaus miseratione diuina Basilicæ* XII. *apostolorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Panormitanus vulgariter nuncupatus, sacrosanctæ generalis Synodi Basiliensis in spiritu sancto legitime congregatæ vniuersalē ecclesiam repræsentantis, per Germaniā legatus de Latere, vniuersis & singulis Christi fidelibus, præsentes literas inspecturis, salutē in Domino sempiternam. Licet is, de cuius munere, vt sibi à fidelib. digne & laudabiliter seruiatur, de abundantia suæ pietatis, quæ merita supplicum excedit & vota, bene seruientib. sibi multa maiora retribuit, q̄ valeant promereri: nihilominus tamen desiderantes Domino populū reddere acceptabilē, & bonorū operum sēctatorem, fideles ipsos adēo placendum ei, quasi quibusdā allectiuis muneribus, indulgentiis videlicet & remissionibus, inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ acceptiores. Cum itaq; (sicut accepimus) monasteriū de Sponheim, ordinis S. Benedicti, Moguntinensis diœcesis, propter vrgentes guerras, & alias extremas conditiones caristiæ, & aliorum, quæ retroactis temporibus acriter viguerunt, suis reditib. & ædificiis multum fallatum & depauperatum existat, ac paramentis, libris, & aliis clenodiis, necessariis ad diuinū cultū, plurimum indigeat, adq; facultates fabricæ eiusdem monasterii minime sufficiunt, propter quod Christi fideliū suffragia noscuntur plurimū opportuna: Nos cupientes, vt dictū monasterium congruis honoribus frequentetur, ac in dictis necessitatibus eidē subueniatur, & vt fideles ipsi libentius eo confluant, nec non ad reparationē conseruationemq; huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ vberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, autoritate confisi, omnib. vere pœnitentib. & confessis, qui ad dictū monasteriū quibuscunq; diebus, causa orationis & deuotionis accesserint, peccatorū suorū venia imploraturi, vel qui ad fabricā luminaria, vestimenta, aut aliqua alia ornamenta ad ipsius monasterii necessaria, & in festis S. Martini & octauis eiusdē (ob cuius reuerentiā fundata est ecclesia in ipso monasterio) omniū sanctorum & sanctarū habentiū octauas, ac patronorū altarium omnium, ipsi ecclesiæ pertinentium, dictā ecclesiam deuote visitandi, manus ipsas adiutrices porrexerint, aut in extremis laborantes quicquam facultatū suarum legauerint, donauerint, aut miserint ipsi monasterio, quinq; annos & totidem quadragenas, de iniunctis eis pœnitētiis, misericorditer relaxamus præsentibus perpetuo valituris. Volumus autem, quod si dictis ecclesiæ & monasterio aliquæ indulgentiæ quomodolibet concessæ fuerint, ad tempus vel in perpetuum adhuc duraturæ, vim roboris habeant, eas de nouo confirmantes tenore præsentium. Datū in oppido Franckfordiensi, Moguntinensis diœcesis, sub nostri Cardinalatus appensione sigilli,* III. *nonas Augusti, anno à natiuitate Domini* MCCCCXLII.

*Narratur monasterij paupertas.*

*In his festis specialiter accedens.*

MCCCCXLIII.

*Hyems fuit asperrima.*

Anno Friderici abbatis IV. fuit hyems longissima & valde frigida, quæ duxauit à festo sancti Martini quasi vsque ad medium Maij, defecerunt que iumentis pabula, & in pluribus locis nec fœnum habebatur nec stramen, cogebantur pauperes rustici domorum suarū stramineā tecta præ inopia deponere, & stramina, præ vetustate pene corrupta, iumentis in escam præparare. Multi etiam pecora sua, propter defectum pabuli, mactare coacti sunt: alij ea minantes in campos & nemora lupis voluntarie deuoranda exposuerunt.

*Sigismundus episcopus Herbipolensis propter nimiā stultitiam deponitur.*

Eodem quoque anno Sigismundus episcopus Herbipolensis (de quo supra diximus) homo fatuus & omnino dementi persimilis, propter nimiam stultitiam suam fugatus & in Saxoniam ad fratres suos remissus: qui posuerunt eum, vt hominem destructum, in quodam castello perpetuo custodiendum, pro sustentatione eius non modicum ab ecclesia Herbipolensi pensionem (vt suo loco diximus) recipientes. Isto autem deposito successit electione capituli Gottfridus de Limpurg, præfuitque annis XII.

*Gotfridus fit episcopus Herbipolensis.*

MCCCCXLIV.

*Capitulum prouinciale 12. celebratur.*

Anno Friderici abbatis nostri V. x. die mensis Maii, quæ fuit Dominica cantare, capitulum ordinis nostri prouinciale XII. celebratum est Erphordiæ in monasterio S. Petri, in quo præfuerunt abbates monasteriorum ordinis nostri, videlicet S. Petri ibidem, S. Galli, S. Ægidij Norinbergensis, S. Stephani Herbipolensis, in quo multa pro reformatione ordinis nostri necessaria statuta fuerunt.

*Conuentus Principum.*

Hocipso anno Fridericus rex Romanorū magnū & insignem conuentū Principū Norin-

Norinbergæ habuit, in quo multa pro republica, & maxime super expeditione in Turcos fuerunt concluſa, quorum aut nullus aut paruus ſequebatur effectus. Eo enim tempore Turcus fines Chriſtianorum inuaſit cum magna multitudine: nam in die S. Martini anno prænotato inter Chriſtianos & Turcos bellum atrociſſimum, quale in Europa vix ſimile factum legitur, factum eſt, in quo diu anceps pugna conſeritur, ſed Turci tandem multitudine vicerunt. In hoc prælio plus quam octoginta millia hominum occiſa ſunt. Ibi Ladislaus Poloniæ rex, inſignis adoleſcens, qui & Vngariæ regnum armis petebat, & Iulianus Cardinalis S. Angeli, apoſtolicæ ſedis legatus, cum multis laudabilibus viris interierunt.

*Belli inter Chriſtianos & Turcos atrociſſimi.*

Eodem anno ciues oppidi Suſatenſis in Weſtphalia, repudiato domino ſuo Theodorico archiepiſcopo Colonienſi, ſe Cliuenſi Domino ſubdiderunt. Hinc ſequuta ſunt inter eos multa mala, rapinæ, incendia & bella, cum maximo vtriusq; partis incommodo. Archiepiſcopus enim contra Cliuenſes & Suſatenſes, collecto ex Bohemia maximo exercitu, ſuisque adiunctis, Weſtphaliam cum magna potentia intrauit, incēdio & rapina deuaſtans omnia, multaque caſtella, villas & munitiones circa Suſatum funditus deſtruxit, & tam nobiles quam ignobiles complures ſecum abduxit.

*Bellum archiepiſcopi Colonienſis cōtra Weſtphalos.*

Eodem quoque anno Fridericus rex Romanorum introduxit Armeniacos de Francia in Alſatiam, plus q̄ octoginta millia contra Suitenſes: & multa mala fecerunt in terra.

*Fridericus rex Romanorum oppugnat Suitenſes.*

Eodem anno magna inter ducē Lotharingiæ & Metenſes diſſenſio ſuborta eſt, quæ intantū creuit, quod dux contra eos procedens cum magno ſuorū & Armeniacorum ex Francia exercitu, in breui omnia Metenſium caſtella & munitiones cepit, eosque ad petitionem pacis cum magno eorum incommodo & damno coartauit.

*Bellum Metenſium.*

Eodem etiam anno bellum inter Arnoldum ducē Gelriæ & Gerardum ducem Iuliacenſem factum eſt, in quo Iuliacenſes pauci numero magnam Gelrenſium multitudinem fugauerunt, nonnullis etiam occiſis, tandem concordia facta eſt.

*Bellum Gelrenſium.*

MCCCCXLV.

Hoc anno, qui fuit Friderici abbatis noſtri VI. obiit Fridericus epiſcopus Wormacienſis, qui expulſis monialibus Ciſtercienſis ordinis de cœnobio, quod hortus Mariæ (vulgariter Kirſchgarten) extra muros Wormacienſes appellatur, Canonicos de Windesheim reformatos ſub regula S. Auguſtini introduxit. Huic in epiſcopatu ſucceſſit electione capituli Ludouicus de Aſt, vtriusq; iuris Doctor, maioris eccleſiæ præpoſitus, & Ludouici ſereniſſimi principis Palatini Secretarius, vir bonus & Deum timens, præfuit diebus tantum XL. Enimuero cum eſſet homo prudens & amans Deum, conſiderauit quam ſit periculoſum regimen animarum, & ideo quorundam vſus conſilio amicorum, quadrageſimo poſt electionem ſuam die reſignauit epiſcopatum in manus electorum, malens à ſe in humilitate quietus conſiſtere, quam regiminis animarum curam cum ſui periculo ſubire. Poſt hunc in epiſcopum Wormaciēſis eccleſiæ fuit electus Reynhardus de Sickingen, vir bonus & pacificus, qui præfuit eccleſiæ ſuæ ſatis & ſtrenue annis fere XXXVI.

*Fridericus epiſcopus Wormatiēſis moritur.*

*Ludouicus fit epiſcopus Wormatiēſis.*

*Ludouicus epiſcopatum reſignat.*

*Reynhardus fit epiſcopus Wormatiēſis.*

Eodem anno concilio Baſilienſe adhuc perdurante, Iohannes epiſcopus Lauſanenſis, Guilermus Archidiaconus Metēſis, Rudolphus de Rudersheim præpoſitus ſancti Pauli Wormacienſis, & Iohannes de Bachenſtein Archidiaconus Sagrabienſis, Iohanni abbati, (nam præfati concilij Baſilienſis cauſarum erant auditores) Burſfeldenſi cōmiſerunt, quatenus ordinarium diuinorum, modumque cantandi & legendi corrigeret pro vnione & capitulo noſtro annali, apocrypha reijceret, & ſuperflua amputaret, ſicut ex literis deſuper confectis patet, quarum Datum eſt *anno Domini* MCCCCXLV. XVII. *die menſis Iulii.*

*Ordinarij noſtri vnionis correctio.*

Hoc anno Ludouicus comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ & Princeps elector, Ludouici Barbati quondā filius (de quo ſupra plura diximus) vxorē duxit filiā ducis Sabaudiæ Margaretham (ſicut diximus) de qua genuit Philippum Principem. Eodem anno Fridericus abbas huius monaſterij, cernens ſe propter inopiā loci & malitiā temporum nec in ſpiritualibus nec in temporalibus poſſe proficere, tædio affectus abbatiam in manus conuentus XIIII. cal. Martij reſignauit, penſione annua pro vitæ ſuſtentatione congrua ſibi à conuentu addicta, ſuperuixitque poſtea annis XVIII.

*Ludouicus Palatinus ducit vxorē.*

*Fridericus abbatiam reſignat.*

## *DE CONRADO HVMBRECHT, HVIVS MONASTERII SPONheimenſis Abbate* XXI. *qui præfuit annis* XVI. *diebus* XX. *& de variis geſtis tam eius quam illius temporis.*

VACANTE igitur abbatia huius monaſterij poſt liberā reſignationē Friderici de Nackheim vltimi abbatis, anno & die præſcriptis, monachi huius cœnobij, qui tū pauci erant numero, ne diutius viuerent ſine paſtore, mox eodē die, XIII. cal. Martij ad locū capitularē in vnū conuęniētes, concorditer in abbatē elegerūt Conradū Humbrecht de Gau-

*Cōradus fit abbas* 21.

Odernheim, alio nomine vulgariter Schiltvveck vocatũ, qui per Theodericũ archiepiscopũ Mogunt. confirmatus, & per eius in pontificalib. Vicariũ benedictus, præfuit huic monasterio annis XVI. & diebus XX. Hic fuit oriundus de Odernheim honestis parentib. natus, ex prosapia militari, qui in iuuentute sua ad monasteriũ traditus, mores quos reperit imitatus est. Fuit autem secularis, leuis & inconstans, qui ludis & cõmessationib. nimium delectari consueuit, & parũ imo penitus nihil de religione curabat. Ordinatus autẽ in abbatem pristinos mores prauos non statim mutauit, sed per annos aliquot diu noctuq; cõmessationibus, & ludis taxillarijs, alijsq; intentus, nihil omnino curare de profectu monasterij videbatur. Non. n. raro, sed sępe & multũ taxillario ludo substantiã monasterij turpiter dissipauit, aliquando x. aliquando XX florenos, aut plaustrũ vini, aut annulos ex digitis in ipso vanitatis studio simul amittendo expossuit. Tandẽ post aliquot annos metu reformationis Bursfeldensis, cuius tunc fama percelebris erat, & Nicolai Cusani apostolicæ sedis legati, qui multos subire reformationem aut monasteria dimittere compellebat, deterritus, se quantũ ad prouidã gubernationẽ rerum temporaliũ pertinet, satis emendauit, ludos, cõmessationes, & vagos discursus, quib. eatenus operã dederat, intermisit, & monasterij profectui studiosius intendit. Veruntamẽ mores tam suos q̃ subditorũ ad puritatẽ regulę non correxit, nec emendare defectũ spiritualis institutionis curauit. Reperit autẽ statũ monasterij in temporalib. nimis tenuẽ & exhaustũ, & plus q̃ in mille sexaginta florenis creditoribus obligatũ. Verum posteaq̃ erga profectũ monasterij cœpit intendere animũ, infra paucos annos maiorẽ partẽ debitorum exsoluit, & plura denuo ædificia construxit. Inter alia enim construxit eam domũ quæ nunc est coquina, & illã quæ hodie est pistrinũ, pro quarũ impensis plus q̃ CXXX. florenos (iuxta computationis sue tenorẽ) expossuit: molendinũ quoque inferius à fundamentis reparauit, vineas de nouo plures non sine magnis expensis plãtauit, & piscinas duas in integrũ reparauit. Alia quoq; nonnulla, tam in curtibus extra, q̃ in monasterio intra ædificia, horrea, domus & stabula construxit, quorũ omniũ singulariter facere mentionem superfluum iudicamus.

*In principio fuit dissolutissimus.*

*Postea emẽdauit se cõpetenter.*

*Debitã reperit mille sexaginta florenorum. Ædificia per eũ constructa.*

MCCCCXLVI.

Anno Conradi abbatis I. obijt Ludouicus Prior huius monasterij, XXVIII. in ordine Priorũ à principio fundationis, qui post Fridericũ, anno Gobelini abbatis VI. mortuũ, fuit institutus, & præfuit in officio prioratus annis ferme VI. homo mundanus, qui parũ de religione curaret. Post hũc in Priorẽ XXIX. fuit substitutus Iohannes Mariæ, qui etiã aliquã diu officiũ Cellerarij simul cum Prioratu tenuit, propter paucitatẽ personarũ, mansitq; Prior annis ferme XIV. vir magis ad temporalia natus, quã ad curas monasticæ disciplinæ. Contigit autẽ in illo tempore aliquando, ipsum & Priorẽ esse & totũ repræsentare conuentum, eo q̃ præter ipsum nõ esset in cœnobio monachus vllus. Abbas. n. seorsum habebat mansionẽ suam, pariformiter Fridericus de Nackheim olim abbas, qui resignauerat, aliquãdo in monasterio in domuncula propria, aliquando in Creutzenacht morã trahere consueuit: eratq; monasteriũ præsens, quondã monachis plenum, derisioni rusticorũ expositum, dum quasi prouerbio sumpto de ipso vulgariter diceretur: *In monasterio Sponheim sunt duo abbates, & monachus vnus, cuius altera pars conuentus est.* Numerus tamen personarum ex monachis alienis augebatur.

*Ludouicus Prior 28.mo vitur.*

*Iohannes Prior huius loci 29. instituitur.*

*Prouerbium de monasterio.*

Anno Domini prænotato, die mensis Aprilis XVII. quæ fuit Dominica Palmarum, in nocte mare in partibus circa Dordracũ terminos suos cum maximo impetu, dissoluto aggere, exiuit, & plus quam centum millia hominum cum omnibus rebus & pecoribus miserabili calamitate subito & inopinate submersit. Eodem quoque die Palmarum tonitrua & coruscationes fuerunt horribiles in comitatu Zutphanensi, intantum quod fulgetra cadens de nubibus in ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ in oppido Zutphaniæ turrim & campanas consumpsit, hominesque plures grauiter læsit, & XIII. numero interfecit. Eodem quoque die ventus magnus & frigidus ab Aquilone veniens per ascẽsum Rheni, tantam copiam niuis adduxit, quod omnibus vijs niuibus oppletis, nemo extra domum quoquam egredi potuisset. Et eiusdem mensis Aprilis die penultima in multis locis sata & vineta frigore nimio læsa perierunt.

*Mare terminos suos exiens centum millia hominum submersit. Tonitrua & coruscationes horribiles. Ventus magnus & frigidus. Sata & vineta frigore perierunt.*

Anno prænotato Theodericus archiepiscopus Colonensis cum magno suorum exercitu iterum intrauit Westphaliam contra Susatenses, sed magno suo suorumque damno & incommodo. Ciues enim egressi viriliterque pugnantes ducentos ex melioribus nobilioribusque de parte archiepiscopi viros ceperunt, eosque ad oppidum captiuos introducentes, non prius, quam se magna pecuniarum summa redimerent, liberos dimiserunt, à quibus plus quam quinquaginta millia extorserunt.

*Archiepiscopus Colonensis rursus magno exercitu intrat Westphaliam.*

Eodem

Eodem quoque anno bastardus Philippi ducis de Burgundia, cupiens potiri dominio Treuirorum, duos ex ciuibus non infimos, quorum alter de militari genere ortus Wigandus Schenck, alter Iohannes Longus dicebatur, secreto conuenit, eosque promissa magna pecunia, in traditionem ciuitatis animauit. Cum autem super traditione huiusmodi consilium de modo haberēt, in quodam hospitio in oppido Lutzenburgensi, contigit nutu diuino famulam domus eorum audire tractatum, per quam auisati Treuirēses, ipsos traditores tormentis exposuerunt, confessosque capitibus amputatis in quatuor partes diuiserunt. Huius facti historia in carmine vulgari longo tempore postea decantatur à pueris, quę iam pene à memoria hominum aboleuit, in quo Bulmannus Magister ciuium & alter dictus Magister Michael, qui primus in traditores manum iniecit ad capiendos, introducuntur. *Ciuitatis Treuirensis attentata traditio.*

MCCCCXLVII.

Anno Conradi abbatis nostri II. celebratum fuit ordinis nostri capitulum prouinciale XIIII. in monasterio Petri domus in Constantia, VII. die mensis Maij, quæ fuit Dominica Cantate, cum continuatione dierum sequentium, in quo præsederunt ordinis nostri abbates, Petri domus ibidem, S. Ægidij Nurenburgensis, S. Stephani Herbipolensis, & sancti Gothardi Hildensheimensis. Multa in eo capitulo pro reformatione ordinis fuerunt decreta. *Capitulum prouinciale 13. celebratur.*

Eodem anno post natiuitatem S. Iohannis Baptistæ, Theodericus archiepiscopus Colonienſis conductis ex Bohemia XXVI. millium armatorum, vna cum Saxoniæ duce, & episcopo Hildensheimensi, processit denuo cum innumerabili exercitu contra ciues Susatenses in Westphalia, & contra ducem Cleuensem, & multa damna fecit in terra, Susatum tamen non obtinuit. Obsidione autem soluta Bohemi omnem terram ducis Montensis peruagantes, incendio & rapina desolauerunt, ecclesias & monasteria omnibus rebus & ornamentis spoliauerunt: sacra Dominici corporis vasa, fuso in terram Sacramento, rapuerunt, moniales Deoque sacratas virgines, quas senium ornauit, igni combusserunt, iuuenculas autem & pulchras abduxerunt in Bohemiam captiuas, quibus incredibili furore libidinis palam abutebantur. *Archiepiscopus Coloniensis Bohemorum auxilio Susatij obsidet. Immane scelus Bohemorum.*

MCCCCXLVIII.

Hoc anno, qui fuit Conradi abbatis nostri III. reformātur duo ordinis nostri monasteria in Colonia, S. Martini videlicet & S. Panthaleonis, & ad capitulum & vnionem obseruantiæ Bursfeldensium susceptā fuerunt. *Duo monasteria in Colonia reformantur.*

Eodem anno calend. Septembris, hoc est, in die sancti Ægidij solis defectio fuit. *Defectio solis.*

Hoc anno Conradus abbas curtes illas in Winsheim, quas abbas Bernhardus olim, (vt supra diximus) anno suo XXXVI. sine consensu fratrum suorum alienauit, à Mainhardo de Coppenstein repetiuit, conueniens eum corā aduocatis * Principum in Creutzenacht, Friderico de Lerenstein & Iohanne de Wachenheim, producens quorundam testimonia, qui reuocationem Bernhardi abbatis iam mortui super iniusta alienatione earundem audierant. Vnde aduocati, partibus auditis, commiserunt abbati, vt petitionem suam redactam in scriptis alia vice præsentaret, Mainhardusque similiter in scriptis responderet, quo facto, se velle quod iustum esset decernere. Fecit abbas quod iubebatur, petitionemq; suam contra Mainhardum aduocatis præsentauit in scriptis. Verū aduocati, siue curis nimijs impliciti fuerunt, siue parti aduersæ (quod tum credebatur à multis) nimiū inclinati postu latione abbatis & cōuentus recepta, sententiā distulerunt, verbis bonis animum abbatis suspendentes de die in diem, iam hoc nunc illud pro impedimento allegantes, & sic negotium pendet vsque in præsens. *Conradus abbas curtes in Winsheim repetit.* ** Vogt, oder Fauth.*

Eodem anno dudū inter Wilhelmū Saxoniæ, & Philippū Burgundię duces dissensione pro ducatu Lutzenburgensi, altero ius hæreditariū, altero pignoraticiū allegante, suborta, finis tandē dissensioni imponitur. Cum Nobiles & incolæ terræ Lutzenburgēsis dominam suā ducissam Bauariæ contemptui habere cœpissent, & Fridericus Rom. rex ducatū ipsum duci Saxoniæ, Wilhelmo præfato tradidisset pro certa summa pecuniarū, comitem quendā de Glichen cū exercitu illo misit, qui ducatū nomine suo gubernandū susciperet. Veniens autē ad Lutzenburg præfatus comes de Glichen, maiorē terræ illius partē obtinuit, & dispositis per regionē militibus, ipse cū aliquib, in oppido Lutzenburg resedit. Interea cū Domina terræ Saxones haberet infensos, Burgūdiæ ducē Philippū fecit occulte vocari, omne ius suū in manus eius promittēs se traditurā. Itaq; nacta oportunitate dominus Philippus misit illuc Capitaneū suū cum decē millib. equitū, Saxonibusque minus caute agentibus, Burgundiones in mēse Nouembri quadā nocte, traditione quorundā ci- *Dissensio duorum ducū pro Ducatu Lutzenburgēsi.* *Comes de Glichē Lutzenburg obtinet arcis.* *Ducatus Lutzenburgensis venit ad Burgundiones.*

uium intromissi, oppidum Lutzenburg & arcem obtinuerunt, Saxonib. fuga lapsis. Et hic ducatus Lutzenburgensis ad imperium ducis Burgundiæ accessit, manetq; subillo vsq; in præsentem diem.

*Concilium Basiliense terminatur.* Hoc anno concilium Basiliense, quod multis annis durauerat, terminatur.

MCCCCXLIX.

*Pestis magna.* Anno Conradi abbatis IV. magna in omni Alemannia pestilentia fuit, quæ multa millia hominum in breui tempore miserabili plaga consumpsit.

*Bellū inter Marchionē Brandiburgensem & Nurenbergenses.* Eodem anno Marchio Brandenburg. Albertus, in auxiliū nonnullis principib. conspiratis, scilicet archiepisc. Moguntino, Marchione Badēsi, comitib. de Wirtenberg, episcopo Bambergensi, & episcopo Eistatensi, contra ciuitates & oppida Imperii, & præcipue aduersum Nurenbergenses (quib. infestissimus erat) mouit exercitum, cæde, incendio, præda, & agrorū deuastatione, vinearumq; exstirpatione, in eos per annū & VI. menses nimis inhumaniter sæuiens. Ciues autē primo impetu, terrore perculsi, intra muros se cōtinuerunt. Postea comparato exercitu, principum agros potenter inuadunt, igne, ferro, & præda cuncta deuastare cœperunt: donec tandem exhaustis vtriusque partis promptuarijs inite concordiam & pacem seruare coacti fuerunt.

MCCCCL.

*Iubileum Romæ celebratur magnū.* Anno Conradi abbatis V. maximus concursus populorū ex omni Christianorū orbe factus est Romā, pro indulgentijs & remissionib. Iubilæi: tantaq; fuit multitudo hominū peregrinorū Romæ, q̄ domos, & plateas omnes repleuerunt, & tāta præ multitudine pressura ducenti fere homines in ponte S. Angeli quadā die in Tyberim de ipso ponte prolapsi fuerunt, vrgentib. se hominib. mutuo ante & retro ad transeundū. Iacobus etiā archiepisc. Treuirensis, adunato sibi Conrado episcop. Metensi, cum centū & quadrāginta equitibus pro indulgentijs Iubilæi Romam proficiscitur, susceptusque honorifice à Papa Nicolao V. multa pro decore Treuirensis ecclesiæ impetrauit. Inter quæ illud fuit præcipuum sedis apostolicæ indultum, quod in ciuitate Treuirensi Gymnasium posset instituere generale, in quo omnium facultatum Præceptores haberentur.

*Ludouicus Palatinus moritur.* Anno Iubilæum præcedente, hoc est, Conradi abbatis nostri IV. in die S. Hyppoliti martyris, obijt Christianissimus Princeps, Ludouicus comes Palatin. Rheni & dux Bauariæ, Archidapifer & Princeps Elector, relinquens vnicū filium Philippū, inclytum Principē, primum annū ætatis agentē, cui tutorē constituit Fridericū fratrē suum, cōmendans ei ipsum filium, vxorē & omnia quæ sui iuris habebat, ita videlicet, vt quam primū filius annum ætatis XVIII. attingeret, ei paternū ducatum cum omnib. pertinentibus ad eum sine contradictione restitueret. Hisq; sic dispositis obijt, in ecclesia sancti spiritus sepultus. Itaq; post obitum fratris Fridericus ducatum eius omnem gubernandum suscipiens, vsque ad mortem suam per annos XXVI. vsque ad annum ducis Philippi XXVII. strenue gubernauit, defendit & auxit, & multa bella committens, necessitate impulsus, vbique fortunatus omnes aduersarios suos feliciter superauit.

*Maior eccle sia Spirensis cōburitur.* Anno autem prænotato Dominicæ incarnationis MCCCCL. VI. die mensis Maij post mediū noctis circa primā horam, per incuriā & negligentiam eorum, qui organum in die reformauerant, magnus in ecclesia maiori Spirensi incēsus est ignis, qui totum ædificium corporis ecclesiæ, tectum, organum, turrim & campanas consumpsit.

*Ars impressoria enumeratur.* His quoq; temporib. ars imprimendi & characterizandi libros à nouo reperta est in ciuitate Moguntina, per quendā ciuē, qui Iohannes Gutenberg dicebatur, qui cum omnē substantiā propter nimiā difficultatē inuentionis nouæ in eam perficiendā exposuisset, cōsilio & auxilio bonorum virorū, Iohanis Fust & aliorum adiutus, rem inceptam perfecit.

*Primus huius artis dilatator fuit Petr. Schoffer von Gernsheim.* Primus autē huius artis dilatator fuit post ipsum inuentorem Petrus Opilionis de Gernsheim, qui multa volumina suo tempore impressit. Morabatur autem præfatus Iohannes Gutenberg Moguntiæ in domo, dicta zum Iungen, quæ domus vsque in præsentem diem illius nouæ artis nomine dignoscitur insignita.

MCCCCLI.

*Capitulum prouinciale 14. celebratur. Apostolica sedis Legatus interfuit Capitulo.* Anno Conradi abbatis nostri VI. celebratum fuit XIV. ordinis nostri prouinciale capitulum, XXIII. die mēsis Maij, quæ fuit Dominica IV. post festū Paschatis, cum cōtinuatione dierum sequentiū, in monasterio S. Stephani Herbipolensis, Nicolao de Cusa, cardinali tituli S. Petri ad vincula, apostolicæ sedis legato præsente ac capitulo præsidente, vna cū abbatibus S. Ægidij Nurenbergensis, S. Burckhardi Herbipolensis, S. Petri in Erphordia, & S. Gothardi in Hildēsheim, in quo quidē capitulo multa pro reformatione ordinis per præfatū Cardinalē & patres fuerunt tractata. Deniq; omnes abbates tūc præsentes pro se, & absentiū procuratores pro his quorū procuratores erāt, ad sancta sanctorū, in manū cardina-

lis, post decantatam per eum missam, stantes ante altare S. Stephani, iurauerunt, quod sub pœna omnium dignitatum & priuilegiorum, infra vnius anni spatium, reformationem dudum conclusam vellent sine dilatione assumere, & tam in se quam in subditis secundum regulam & statuta Patrum fideliter conseruare. O quam multi deinceps, non curantes facta, periuri fuerunt. Magnam diligentiam fecit pro reformatione ordinis nostri præfatus Legatus Nicolaus de Cusa, & non modicum profecit. Inprimis enim post Capitulum fecit vnam constitutionem de modo & forma reformationis & visitationis, in qua satis diffuse de monasticæ institutionis integritate & conuersatione tractauit. Obseruantiam quoque & vnionem Patrum reformatorum de nuncupatione Bursfeldensium (quæ tunc nouella erat) primus confirmauit, quæ tamen postea per papam Pium II. denuo confirmata est, anno videlicet Conradi abbatis nostri XIII.

*Constitutiones facit pro reformatione.*

Eodem anno Fridericus rex, Ladislao Vngariæ & Bohemiæ rege Alberto fratre Duce Austriæ, ac magno procerum exercitu comitante, Italiam cum sponsa Helionora filia Etvvardi regis Portugalliæ, ingreditur, & XVI. die mensis Martij coronam ferream, quam Mediolani ob Ducis pertinaciam suscipere non potuit, de manu vnius Cardinalis per papam ad hoc ordinati suscepit. Deinde XX. die eiusdem mensis Martij, quæ fuit Dominica Lætare, in medio Quadragesimæ, Nicolaus papa V. regem in ecclesia S. Petri cum magno honore corona aurea solenniter decorauit. Postea discedens ab Vrbe iter diuertit ad Neapolim, vbi nuptiis cum desponsata celebratis, salutatoque rege Aragonum Alphonso, ad propria remeauit.

*Fridericus rex Romanorũ in Italiam proficiscitur.*

*Coronatur Roma à Nicolao papa 5.*

Hoc ipso quoque anno (sicut diximus) Papa Nicolaus V. Legatum de latere in Alemanniam misit cum indulgentijs lubilæi & auctoritate magna, Nicolaum de Cusa, patria Mosellanum, sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ tituli S. Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem, episcopum Brixensem, virum vndecunque doctissimum, & Christianæ fidei zelatorem præcipuum, ad reformandum inter Principes Alemanniæ pacem & excitanda corda fidelium in subuẽtionem Græcorũ, qui tunc à Mahumete Amorati filio Principe Turcorũ oppugnabãtur. Venit ergo ad Treuirim Legatus Apostolicus, & deinde ad alias Germaniæ ciuitates, & tã per se in propria persona, q̃ per alios viros cõplures eruditos, multos in publico fecit sermones, exhortando fideles in subuentionẽ Christianæ fidei periclitãtis.

*Legatus Apostolicus venit in Germaniam.*

MCCCCLII.

Hoc anno, qui fuit Conradi Abbatis nostri VII. Fridericus Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, frater Ludouici p j (de quo supra diximus) Idibus Ianuarij, hoc est, in octaua Ephiphaniæ Domini, consensu omnium procerum & Comitum Palatinatus, auctoritate quoq; Apostolica & confirmatione, assumptus est in tutorem & gubernatorem, ac in patrem Philippi infantis filij fratris sui, cum titulo & prærogatiua principatus electionis imperij Romani, simul & Palatinatus Rheni, vt Princeps Elector Imperij ab omnibus haberetur & esset. Huius prærogatiuæ constitutio inprimis displicuit Theoderico archiepiscopo Moguntino, Duci quoq; Stephano Geminipontensi, Iacobo Marchioni Brandenburgensi & eius filio, Comitibus quoq; de Lutzelstein, qui in vnum cõspirantes multa cõtra Ducem Fridericum machinati sunt. Post multas autẽ iniurias sibi à præfatis comitibus de Lutzelstein (qui tunc erant valde potentes) Dux Fridericus diutius dissimulare nequiẽs Lutzelstein anno prænotato cum valido suorum exercitu firmissima obsidione per duos menses & dies septem vallauit, & tandem in vigilia S. Martini episcopi castrum cum oppido violenter obtinuit. Comites autem se fuga saluantes, omnia quæ habebant amiserũt: & sic totus Comitatus de Lutzelstein vsq; in præsentem diem Palatinatui subiectus est. Eo tempore Schaffhardus comes de Liningen, Ducis Friderici familiaris & consiliarius, à Comitibus præfatis in arce Lutzelstein tenebatur captiuus, quem Dux ipse obtenta victoria, cum magno gaudio liberauit. Altera vero post festum S. Martini die, Sinhartzhusen, cuius tertia pars erat præfatorum Comitum obsedit & obtinuit.

*Fridericus Palatinus pro Philippo imperium sumit.*

*Lutzelstein capitur à Friderico Palatino.*

*Schaffhardus comes de Lyningen ex captiuitate liberatur.*

Hoc ipso anno Nicolaus Cusa Cardinalis, & Apostolicæ sedis Legatus, ordinariũ diuinorum reformationis & vnionis nostræ Bursfeldensis, per certos Abbates correctum & emendatum (vt nunc est) diligenter examinans, autoritate Apostolica confirmauit.

*Ordinarium vnionis Bursfeldensis cõfirmatur.*

MCCCCLIII.

Anno Cõradi abbatis nostri VIII. reformatum est monasterium S. Iohãnis Baptistæ in Ringauia, ordinis nostri, per monachos vnionis Bursfeldẽsis de cœnobio S. Iacobi prope Moguntiam assumptos, auctoritate & iussione Theoderici archiepiscopi Moguntini. Hanc reformationem Nicolaus Cusa Cardinalis prædictus, & Rodolphus de Rudesheim, Episcopus Vratislauiensis, magnopere promouerunt, quæ vt fortius posset in suo

vigore persistere, cœnobium monialium sub pede montis, quod Clausula dicebatur, cum omnibus reditibus & prouentibus suis, præfato monasterio reformato, expulsis monialibus, quæ & paucæ erant & dissolutissimæ conuersationis, in perpetuum annexerunt.

*Constantinopolis à Mahumete capitur.*

Eodem anno Mahumetes Turcorum Imperator, anno imperij sui tertio, famosissimam illam Græcorum vrbem Constantinopolim, 3. cal. Iulij, maxima vi armorum tetra marique expugnans, quinquagesimo die obsidionis cepit, omnesque vtriusque sexus homines, qui ætatis sextum annum excessissent, occidit. Constantinum Paleologum Imperatorem capite truncauit, & monachos multis tormentis affectos crudeliter interfecit. Ibi infinita millia hominum occisa sunt, ita vt tota ciuitas, quasi flumine quodam, sanguine exundaret. Virgines autem & moniales, decoraque mulieres, post inauditum furorem libidinis in eas perpetratum, Turci miserabili cruciatu peremerunt. Nihilo minus Patriarcha Græcorum cum multis Christianis aufugiens, saluatus est. Ea tempestate nefandus ille Turcorum Imperator, regia ciuitate obtenta, omnes ecclesias prophanauit, templum S. Sophiæ toto orbe famosissimum, stabulum equorum constituit, omnes reliquias sanctorum, quas reperit, in lutum proijci, & militum suorum ab equis conculcari præcepit. Verum cum milites ossibus mortuorum tantam inferre contumeliam recusarent, prior ipse cum equo super Diuorum reliquias truculentius insiliit, & conuersus ad milites iratus dixit: *Quicunque me sequutus non fuerit, per Mahumetem magnum Dei nuncium hoc die morietur.* Vnde perterriti milites Sanctorum reliquias, super lutum dispersas, equorum suorum discursu & conculcatione in profundum luti (proh nefas) demerserunt. Sacros etiam fidei Christianæ & orthodoxorum Patrum libros, quotquot inuenit Dei crudelissimus hostis, nauibus perforatis imponi fecit, & in profundum maris demergi, ne qua ibi dimitteretur occasio scientiæ fidei Christianæ. Constantinopoli autem capta, totius imperij Græcorum consequenter crudelis inimicus obtinuit principatum, nostris Imperatore & Principibus, præter verba nihil in contrarium facientibus.

*Virgines cõstuprantur & postea occidũtur.*

*Reliquiæ sanctorum in lutum dispersa conculcantur.*

*Libri nauibus perforatis impositi demerguntur in profundum.*

*Bellũ inter regem Poloniæ & Magistrũ Teutonicorum.*

His quoque temporibus Pruteni aduersus Magistrum Teutonicorum conspiratione facta, quinquaginta quinque ciuitatum & oppidorum tumultum in eum suscitant, quorum maior pars non diu postea defecerunt ab ipsis Teutonicis, & se Regi Poloniæ subdiderunt. Ordo dehinc inter eos grauissimo bello, rex deuictis Teutonicorum copijs, oppida eorum capit; inprimis Montem regium, Mariæque montem, cum alijs; principale quoque oppidum Dantiscum ad Polonos defecit. Itaque victus Magister, qui Regibus quondam comparari poterat, cum suis Teutonibus, & pene dominatu amisso, Barbaris cedere & subesse coactus est. Hoc illi propterea, quod sui nimis pro libito in ciues tyrannidem agerent, accidisse dicitur.

MCCCCLIV.

*Capitulum prouinciale 15 celebratur.*

Anno Conradi abbatis nostri IX. celebratum fuit XV. ordinis nostri Capitulum prouinciale in monasterio S. Marcellini & Petri in Selgenstat, XII. die mensis Maij, cum continuatione dierum sequentium, & fuit Dominica tertia post festum Dominicæ resurrectionis; in quo præsederunt Wolfframus in Hirsaw, Christianus S. Petri in Erphordia, Vdalricus in Wiblingen, & Bertholdus S. Stephani in Herbipoli, monasteriorum ordinis clarissimi Abbates, & ibi multa pro reformatione ordinis statuta fuerunt.

*Dracolus Wayda tyrannidem exercet in Walachia inauditam.*

*Idem ad fidem conuersus baptizatur.*

His temporibus tyrannidem inauditam & incredibilem in Walachia exercuit Dracolus Wayda, Princeps seu Capitaneus gentilis crudelissimus, qui multa millia hominum vtriusque sexus & ætatis innocentes occidit, maxime Christianos, nouo & inaudito prius genere tormentorum. Qui tandem captus à Matthia rege Vngariæ, conuersusque ad fidem baptizatus, & post aliquot annos suo dominio restitutus, bene & modestissime deinceps conuersatus est, & multa bona fecit. Eius crudelia gesta partim vno libello circumferuntur vulgari lingua impressa.

*Imperator Turcorum Mysiam & Walachiã armis obtinet.*

Anno quoque prænotato Mahumetes Imperator Turcorum Mysiam inferiorem & Walachiam, dedentibus se Principibus non habentibus auxilium, obtinet.

*Cœnobium Clausæ Eberhardi fundatur.*

His quoq; temporib⁹ cœnobium in diœcesi Treuirensi fundatur, nõ longe à Berncastel & Cusa, canonicorum regularium de reformatione Windesheymẽsi, q⁹ Eberhartzclaus dicitur, ex oblatione fidelium. Quidam enim pauper Villanus de villa de littore Mosellæ constituta, quæ Pitzbort nuncupatur, oriundus, paruum ibi tugurium fecit, in quo imaginem beatæ Mariæ semper virginis, filium in sinu hora vesperarum tenentis collocauit, de qua multa ferebantur miracula, factusque est exillo tempore ad ipsam iconem populorum concursus, vsque in præsentem diem, de quorum eleemosynis cœnobium ibidem constructum est, & in necessariis sufficienter prouisum; qui rusticus, quia dicebatur

Eberhar-

Eberhardus, nomen loco Clausa Eberhardi dedit. Huius cœnobij fundationem Iacobus Archiepiscopus Treuirensis confirmauit, & ecclesiam nouam in persona propria consecrauit. Idem archiepiscopus Treuirensis conuentum minorum in Confluentia reformauit, & canonicos regulares de Windesheim bene reformatos in nouo monasterio non procul à Confluentia in quadam insula Rheni iuxta Vallendor instituit.

*Cœnobium regularium in insula inferiori fundatur.*

MCCCCLV.

Anno isto, qui fuit Conradi abbatis nostri x. Dux Ludouicus cognomento Niger, Comes in Veldentia, filius Stephani comitis Palatini Rheni Ducisque Bauariæ & Comitis in Zvveinbrucken, & frater Ducis Friderici in Simeren, se contra Fridericum Palatinum, tutorem Philippi Principis nostri erexit, prædas & incendia in Principatu eius hinc inde exercuit. Hunc Fridericus Dux semel, secundo, & tertio per literas charitatiue monuit, vt à male cœptis desisteret, & ius alienum non iniuriâ temeraret. Vt autem se contemni ab illo vidit, non amplius dissimulandum fore ratus, oppidum Montis Zabern-iam, quod Ludouicus Dux in præsidium habuit, obsidione vallauit, quod tribus diebus & v. hebdomadibus expugnatum, tandem in die sancti Tiburtij martyris obtinuit. Verum postea in quadam concordia præfatum oppidum Bergzabern, ad instantiam amicorum, præfato Duci Ludouico restituit; sub ea videlicet conditione, quod contra ipsum Palatinum nihil in posterum præsumeret & ageret; quod tamen (vt patebit) non custodiuit. Dehinc magnanimus Princeps Fridericus Comes Palatinus præfatus, insolentia Richardi à Hoenburg prouocatus, castellum quod Cleberg dicitur, non procul à Weisenberg obsedit, illudque cum omnibus pertinentijs suis in biduo capiens acquisiuit.

*Dissensionis inter Palatinū & dūcē Ludouicū initium.*

*Bergzabern à Friderico Palatino capitur.*

*Cleberg à Friderico Palatino capitur.*

Anno Domini prænotato feria tertia post Dominicam Palmarum obijt Gottfridus Episcopus Herbipolensis, cui Iohannes de Grumbach succedens præfuit annis XII. homo bellicosus; & quamuis indoctus, tamen cleri amator atque defensor, & bene rexit ecclesiam suam.

*Iohannes fit Episcopus Herbipolensis.*

His quoque temporibus in præfata diœcesi Herbipolensi, non procul ab Hippohnen *, in quodam loco qui Bircklingen dicitur, in solitudine, quædam imago beatæ Mariæ semper virginis, in quadam arbore posita, multis cepit coruscare miraculis, ad quam maximus populi concursus factus est, & multæ fidelium oblationes impensæ, per quas temporis successu monasterium Canonicorum regularium de reformatione Windesheimensi fuit constructum & sufficienter prouisum.

*Cœnobium Bircklingen fundatur.*

MCCCCLVI.

Anno Conradi abbatis nostri XI. celebratum fuit in monasterio sancti Petri in Erphordia XVI. Capitulum ordinis nostri prouinciale, Dominica tertia post festum Dominicæ resurrectionis, cum continuatione, (vt moris est) dierum sequentium; in quo præsederunt Bertholdus S. Stephani Herbipolensis, Iohannes S. Michaelis Hildensheimensis, Vdalricus in Blaburen, & Lupertus S. Iacobi prope Moguntiam, monasteriorum ordinis nostri præclari abbates. Multa in isto Capitulo pro reformatione & conseruatione ordinis nostri statuta fuerunt.

*Capitulum prouinciale 16. celebratur.*

Eodem anno VIII. die mensis Maij obijt in palatiolo Iacobus de Sirck Archiepiscopus Treuirensis; cuius corpus Treuirim relatum, ante summum altare in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis tumulatur, anno pontificatus sui XVII. præsul omni laude celebrandus, qui non solum ecclesiam suam in pace & tranquillitate rexit, sed etiam inter Principes & aliarum ecclesiarum Pontifices pacem sæpe reformauit. Eo autem mortuo Canonici maioris ecclesiæ pro eligendo nouo Pontifice ad diem mensis Iunij XXI. conuenerunt, habitoque inter se longo tractatu in duo sunt diuisi; vna pars Dietherum de Eisenburg Moguntinensis & Treuirensis ecclesiarum canonicum (qui postea Moguntinus archiepiscopus factus est) in Archipræsulem elegerunt; alia pars numero potior, Iohannem filium Iacobi Marchionis Badensis, fratrem Caroli Marchionis, annum ætatis XXII. agentem: quamuis Dietherus confirmationem eius apud sedem Apostolicam impedire magnopere conaretur, præualuit tamen Iohannes, & à Calixto Papa III. confirmatus est, & præsidet ecclesiæ Treuirensi vsque in præsentem diem sanus & incolumis, annum pontificatus sui XLVI. ætatis vero LXVIII. agens.

*Iacobus archiepiscopus Treuirensis moritur.*

*Iohannes fit archiepiscopus Treuirensis.*

Eodem quoque anno, XIV. cal. Aprilis obiit Reynhardus de Helmstat episcopus Spirensis, & in medio ecclesiæ sepelitur; cui successit Sifridus de Venyngen, electus per Capitulum XXIX. die mensis Martij, & præfuit annis III. mensibus V. diebus IV. qui multa bona fecit ecclesiæ in tempore tam breui.

*Sifridus fit episcopus Spirensis.*

*Montfort castrū prædonū à Friderico Palatino destruitur.*

Anno prænotatō Idib. Octobr. magnanimꝰ princeps Fridericus, comes Palatinus Rheni, tutor Philippi, cum auxilio Archiepiscopi Moguntini Theoderici, Montfort castrum commune prædonum, quod parum distat ab hinc, obsidione vallauit, & diebus v. illud fortiter expugnans, XIX. die mensis Octobris cepit, ac funditus destruxit; sicque manet destructum vsque in hodiernum diem, nec reædificari potest sine consensu Palatini, qui pro tempore fuerit, & archiepiscopi Moguntini. Ecclesia enim Moguntina ex hoc prædonum castello multa pertulit damna per eos, qui mansionem inibi habere potuerunt.

*Turcorum Imperator Nicopolim Christianorum vrbem obsedit.*

Anno quoque prænotato Mahumetes Imperator Turcorum magno suorum destinatō exercitu, Nicopolim ciuitatem Christianorum insignem (quam Schiltavv appellant) obsidione fortissima circumduxit, Christianis qui intus erant, muros, turres & mœnia fortiter defendentibus. Verum Turcis ad muros cum machinis audacter properantibus, nostri exhortatione Iohannis Capistrani, ordinis Minorum de obseruantia, viri docti & religiosissimi, ad pugnandum pro Christiana fide animati, portas ciuitatis erumpunt, Iohanne Cardinali S. Angeli Legato Apostolico, vexillum S. crucis præferente, Turcosq; tum fortiter cum tanta audacia inuadunt, cædunt, percutiunt, occidunt, omnesque mox in fugam conuertunt, quod præ nimia festinatione multi eorum in flumine submersi fuerunt, multi quoque à nostris interempti. Ob hanc Christianorum victoriam Calixtus papa III. festum Dominicæ transfigurationis 8. idus Augusti quotannis instituit celebrandum.

*Christianorum contra Turcos insignis victoria.*

*Festum Dominicæ trāsfigurationis institutur.*

*Corinthum expugnatur à Mahumete.*

Eodem tempore Mahumetes Corinthum expugnat, multis millibus Christianorum occisis, atque in omni Peloponneso tributa Christianis imponit.

*Concursus puerorū ad S. Michaëlē magnus.*

His etiam temporibus magnus puerorum concursus ad S. Michaelem in Hispaniæ finibus ex omni Alemannia oritur, qui relictis & inconsultis parentibus cum incredibili feruore, simul in ordinem conducti, pergebant, nemine eos prohibere potente, mendicantes de S. Michaele cantantes, sub vexillo eiusdem angeli depicto in ordine procedentes: nec sciri poterat, quis ille spiritus, qui tam fortiter iuuenilem ætatem ad iter tam arduum incitasset, vt per tot milliaria pueri X. aut XII. annorum passuum sine viatico transirent. Postremo non solum pueri, sed etiam viri, mulieres, serui, ancillæ & virgines subito (nescio quo spiritu inspirati) relictis omnibus ad idem se iter præcinxerunt.

MCCCCLVII.

*Ladislaus Bohemiæ & Vngariæ rex moritur.*

Anno Conradi Abbatis nostri XII. in mense Nouembri obijt Ladislaus Bohemiæ & Vngariæ Rex, iuuenis XVIII. annorum, per Hussitas veneno interemptus in ciuitate Pragensi, sepultus ibidem in ecclesia S. Wenceslai.

*Prior & Cellarius constituitur nouus.*

Eodem anno, in die S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ, Conradus abbas huius monasterij Prouisorem & Cellarium instituit Iohannem Mariæ (de quo supra diximus) qui fuit Prior & Cellerarius aliquandiu. Fridericus autem de Nackheim, olim abbas, his temporibus morabatur in Creutzenacht, de sua pensione viuens.

*Abbas computationem facit cōuentui suo.*

Hocipso anno Conradus abbas computationem fecit suo conuentui, in qua fuit compertum, quod maiorem partem debitorum exsoluerat, & nihilominus sæpius censuris ecclesiasticis ad instantiam creditorum subiacere, & diuinorum celebrationem intermittere fratres cogebantur. Nam sicut ex eorum manualibus colligitur, quatuor vicibus hoc anno relaxationem censurarum precio compararunt.

MCCCCLVIII.

*Aquarum inundatio maxima.*

Hoc anno, qui fuit Conradi Abbatis nostri XIII. feria sexta post Dominicam inuocauit, maxima fuit aquarum inundatio Rheni, Mosellæ, Nahæ, & omnium in circa regione fluminum, quæ multa hominibus intulit damna. Resolutis enim niuibus aquarum inundatio creuit intantum, quod etiam ecclesiam parochialem in insula Creutzenacht, totam aqua implentes, altaria quædam subuerterēt, parietes concuterent, à sepulchris mortuorum lapides dimouerent, multisque damnis illatis pene templum destruxissent.

*Vnio Bursfeldensis à papa confirmatur.*

Eodem anno Pius papa secundus, anno Pontificatus sui I. reformationem vnionemque Bursfeldensem & Capitulum annale confirmauit, & cum multis priuilegiis quæ dedit, etiam priuilegia congregationis S. Iustinæ de Padua, quæ multa & magna sunt, ad vnionem nostram Bursfeldensem extendit.

*Ecclesia S. Iacobi Moguntia construitur.*

Eodem quoque anno ecclesia S. Iacobi extra muros Moguntinos, ordinis nostri, quæ modo cernitur, ædificari cœpta est, & anno sequenti perfecta. Ex eo namque tempore, quo monasterium vltimo fuit desolatum, post obitum Matthiæ Archiepiscopi, non fuit ecclesia in monte præfato præter Capellam beatæ Mariæ semper virginis.

His etiam temporibus Conradus abbas huius monasterij magnas lites & contentiones ha-

nes habuit, cum quodam Nicolao, dicto Ritter de Mēgirfreit, clerico, propter altare S. Nicolai, quod eo tempore nondum incorporatum erat monasterio, & diu durauit. Tandem sententia pro ipso clerico contra Abbatem per iudices Moguntinę sedis prolata fuit, quod factum ingens damnum huic monasterio intulit. *Cōtentio inter abbatē huius loci & clericū.*

Eodem quoque anno Ludouicus Dux Bauariæ, cognomento Diues, filius Henrici & pater Georgij Ducis, magno exercitu Bauarorum, Bohemorum & Australium congregato, ciuitatem Eystatensem obsedit, sed concordia interueniente discessit. Inde duxit exercitum contra Marchionem Brandenburgensem, cepitque duo castella illius Landeck & Stauff, ac funditus subuertit. Exijt autem contra eum cum magno exercitu Albertus Marchio, habens secum Saxoniæ Ducem Wilhelmum; sed nihil memoria dignum egerunt. Verum concordia taliter facta, quod Marchio Duci Ludouico ad manus resignaret quasdam literas certas & priuilegia, contra eum ab Imperatore data, reciperetque feuda sua ab ecclesia Herbipolensi (quod ante recusáuit) vt Burggrauius Nurenburgensis, ab inuicem discesserunt. Postea in quadam die Nurenbergiæ ad hoc constituta, Marchio (sicut promiserat) tradidit Duci Ludouico literas Imperatoris in prætorio publico, quas ille mox in conspectu omnium lacerauit. Quod cum audisset Imperator ægerrime tulit, & Ducem Ludouicum crimen læsæ Maiestatis incurrisse volebat: & ob eam causam factam inter eos concordiam reclamauit, & multa mala inde sequuta sunt. *Eystatt obsidetur. Bellū inter ducē Bauariæ & Marchionē Brādenburgensem. Ludouicus dux Bauariæ literas Imperatoris.*

MCCCCLIX.

Anno Conradi abbatis nostri XIV. pridie nonas Maij obijt Theodericus Schenck de Erbach Archiepiscopus Moguntinus, cui Dietherus de Isenburg per Capitulum XIV. Cal. Iulij electus succedens, præfuit fere annis III. contra quem Adolphus de Nassavv per triennium litigauit, & fuit incentiuum multorum malorum, quia tota prouincia propter eos turbata fuit. *Dietherus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno secunda die mensis Septembris obijt Sifridus episcopus Spirensis, cui Iohannes Nix* de Hoeneck, dictus Ensberg, per Capitulum XVII. die Septembris electus, succedens præfuit annis V. Qui adhærens Marchioni Badensi & Ludouico Duci Nigro cum cæteris complicibus aduersus Fridericum Comitem Palatinum, tutorem Philippi, ecclesiam suam in multis damnificauit, totamque diœcesim incendio, rapinis & deuastationi inimicorum & amicorum exposuit. *Iohānes Nix fit episcopus Spirensis.*

Anno quoque prænotato, XVII. ordinis nostri prouinciale Capitulum Nurenberge celebratum est, post festum Dominicæ resurrectionis secunda Dominica; in quo præsederunt Georgius S. Ægidij ibidem, Bertholdus S. Ægidii in Brunsvvick, Euerhardus montis S. Iacobi prope Moguntiam, & Henricus in Ettenheim, cœnobiorum ordinis nostri religiosissimi abbates. *Capitulum prouinciale 17. celebratur.*

Eodem anno Fridericus Imperator mandauit omnibus ciuibus Imperij, vt Marchioni Brandenburgensi Alberto totius viribus contra Ludouicum Ducem Bauariæ supra dictum, læsæ Maiestatis (vt ipse volebat) reum, auxilia ferrent, quod omnes in Sueuia, præter Nurenbergenses, fecerunt. Vnde commotus Dux Ludouicus magno Bauarorum, Bohemorum & Australium congregato exercitu, terram Marchionis ingreditur, villas, castella, & oppida multa capit, incendia & prædas exercet, & infinita ei damna infert, nemine potente resistere. At vero post hæc Marchio conuocatis Imperij ciuibus, Ludouico (nescio pro qua causa) in Bohemia existente, terras illius pari marte ingreditur, deuastat, spoliat & incendit. Postremo iterum concordia per Bohemiæ regem facta est, ita quod ablata restituerentur. *Fridericus Imperator ciuitates Imperij contra ducem Bauariæ excitat.*

MCCCCLX.

Anno Conradi abbatis nostri XV. obijt Albertus Dux Bauariæ, filius quondam Ducis Ernesti, relinquens V. filios; Iohannem, qui sine liberis obijt, Sigismundum, Christophorum, Albertum, Wolffgangum, & filias III. Elizabeth Ducissam Saxoniæ, Margarethā Comitissam de Mantua, & Annam monialem, in cœnobio apud Monacum pro Christi amore inclusam. Porro Albertus Christophorum fratrem suum præfatum aliquandiu in vinculis tenuit, cuius historia omnibus nota est. *Albertus dux Bauariæ moritur. Filij & filiæ ducis Alberti. Principes 13. in vnum coniurantes fiūt inimici Friderici comitis Palatini.*

Eodem anno Albertus Marchio, Dietherus archiepiscopus Moguntin⁹, Ludouicus Dux Niger, & Emicho Comes de Liningen cum adhærentibus sibi, contra Fridericū comitem magnanimum in vnum conspirantes, publici inimici & defidati eius facti sunt, cū quibus erat Comes Vdalricus de Wirtenberg, qui Philippi matrem prius duxerat in vxorem. Necessitate itaque compulsus Dux Fridericus, ad vlciscendas iniurias congregauit exercitum, & primo quidem Schavvenberg castrum in Strata montensi (vulgariter *Schavvenberg à Friderico Palatino capitur.*

*An der Bergstrassen*) quod pertinebat ecclesiæ Moguntinæ, fortissimum & Bombardis, victualibus & defensoribus optime erat munitum, obsedit, & in VIII. diebus cepit, anno prænotato in Dominica octauæ Dominicæ resurrectionis: in quo reperit XVIII. equites & XXX. pedites balistis & Bombardis tela & lapides iacientes, qui omnes sine alicuius exceptionis conditione capti fuerunt.

*Concordia inter Marchionē Brādenburgensem & ducē Bauariæ facta, interrumpitur.*

Eodem quoque anno, cum inter Marchionem Brandenburgensem & Ludouicum Ducem Bauariæ concordia facta (sicut supra diximus) Friderico Comiti Palatino non placeret, denuo interrupta est, & bellum inter eos de nouo instauratum. Comes enim ipse Palatinus & Dux Bauariæ Ludouicus, cognomento Diues, contra Principes XIII. numero tam spirituales quam seculares toto tempore fortiter steterunt; inter quos fuerunt præcipue Dietherus Archiepiscopus Moguntinus, Ludouicus quoque Dux Niger comes Veldentiæ, Vdalricus Comes de Wirtenberg, Carolus Marchio de Baden, Albertus Marchio de Brandenburg, Wilhelmus Dux Saxoniæ, Emicho comes de Liningen, cum multis alijs confœderatis eorum Principibus, Ludouicus Dux Bauariæ præfatus contra Marchionem Brandenburgensem, Saxoniæ Ducem, & ciuitates Imperij bellum gessit in Bauaria, Præfecto Comitis Palatini prænominati in Amberga adiutore: vbique vicit, vbique miranti-

*Ludouicus dux Bauariæ bellū gerit contra Marchionē Brand. Saxoniā ducē & ciuitates imperij.*

bus cunctis triumphauit. Interea Fridericus Comes Palatinus, nec minis terrendus nec multitudine vincendus, animo fremens in aduersarios suos, exercitum cōtra Dietherum archiepiscopum Moguntinum produxit cum adhærentibus eius, & oppidum milliario aut parum amplius distans à Wormatia, Pedersheim nuncupatum, quod ecclesiæ pertinebat Moguntinæ, magno exercitu munitum, aggreditur, capit, spoliat & deprædatur, captis ex aduersarijs plus quam sexcentis Comitibus, Nobilibus & armigeris: inter quos fuerunt Iohannes de Nassavv, Wilhelmus comes de Werthen, Otto comes de Hennenberg, Philippus comes de Liningen, & Comes de Runckel; insuper obtinuit ibi comes Palatinus quingentos equos sellatos, omnes quoque aduersariorum currus cum equis, machinas & bombardas in magno numero. Ibi multi Rinckavvgienses capti sunt, & multo plures occisi. In hac expeditione fuit cum Palatino, mercede conductus, Ludouicus Hassiæ Lantgranius cum multis equitibus. At vero præda omnis ad Westhofen euecta inter milites fuit diuisa. His peractis concordia inter archiepiscopum Moguntinum & comitem Palatinum præfatos in hunc modum fuit concluſa: *Comes Palatinus castrum Schawenberg, Hentschucheim, & Dobsenheim, cum omnibus pertinentiis suis impignoratum habebit ab ecclesia Moguntina, pro expensis suis* XXX. *millibus florenorum: insuper quod Ringauienses ipso Palatino darent* IX. *millia florenorum pro quibusdam prouentibus iuxta Lorg, quos iure obtinuisset.* Verum ab hac concordia Dux Ludouicus de Veldentia, comes de Wirtenberg & comites de Liningen cum sibi adhærentibus sunt excluſi. Hæc Palatini victoria facta est anno prænotato in die S. Vdalrici Confessoris, qui est quarto nonas Iulij, & fuit illo anno feria sexta.

*Fridericus Palatinus exercitum producit cōtra archiepiscopū Moguntinum.*

*Pedersheim à Friderico Palatino capitur.*

*Comites, nobiles & equites à Friderico Palatino capiuntur plus quā sexcenti.*

*Concordia inter Palatinū & archiepiscopū Moguntinū facta est.*

*Ingelnheim à Moguntino archiepiscopo obsidetur.*

Anno quoque prænotato, prius tamen quam Fridericus Palatinus exercitum produceret ad Pedersheim, Dietherus archiepiscopus Moguntinus, Ludouicus Dux Niger & Emicho Comes de Liningen cum adhærentibus sibi, magno coadunato exercitu Ingelnheim intrantes, combusserunt. Villanis autem in aulam imperialem confugientibus, & muros fortiter defendentibus, nihil aduersarij proficere potuerunt. Interea Princeps Palatinus nunciatur venturus, quod illi audientes, soluta obsidione recesserunt. Palatinus autem veniens cum exercitu, prope Moguntiam domos aliquas sacerdotum apud S. Victorem, S. Albanum & S. crucem in campis destruxit, & IV. millia florenorum abipsis sacerdotibus, vt eos de incendio faceret securos (quod vulgariter appellatur *Brantschatz*) extorsit. Concordia autem cum Diethero archiepiscopo Moguntino facta (quemadmodum præmisimus) Fridericus Princeps Palatinus exercitum suum contra Ludouicum cognomento Nigrum, produxit, & eum in Meisenheim fortissime obsidens, ad petitionem pacis coartauit. Concordia itaque secundo inter eos tali conclusione facta est: *Dux Ludouicus mediam partem quingentorum florenorum in telonio Bacheracensi quotannis sibi cedentium, Palatino in perpetuum remitteret, & reliquam partem ab eo & successoribus eius in feudum, cui nunquam renunciari possit, accipiet, castrum quoque Scharpffenburg resignabit.* Ab hac vero concordia Comites de Liningen & cæteri aduersarij Palatini excluſi fuerunt. Post hæc Princeps magnanimus Fridericus exercitum duxit contra Comites de Liningen, & inprimis obsidione cinxit fortissimum castrum Hasloch, quod captum incendit, destruxit & solo æquauit; ibi multos ex suis captiuos liberauit, & prædam diuersæ suppellectilis copiosam reperiens asportauit. Inde mouens exercitum aliud castellum comitum de Liningen, Minfelt obsedit, expugnauit & destruxit funditus, prædamque asportauit.

*Fridericus Palatinus exercitum producit cōtra Ludouicū nigrum.*

*Concordia inter Fridericum Palatinū & ducē Ludouicū facta est.*

*Fridericus Palatinus exercitum producit cōtra comites de Liningen.*

*Hasloch à Friderico Palatino subuertitur.*

*Minfelt similiter.*

Anno

Anno prænotato Iohannes cognomento Mariæ, Prior huius monasterij XXIX. obijt; post cuius mortem prioratus fere ad biennium vacauit. Fuerunt enim pauci numero monachi, in summa V. videlicet, Petrus de Blenich, Andreas de Traiecto, Iohannes, Conradus, & Vdalricus postea abbas. *Iohannes Prior huius loci 29. moritur.*

MCCCCLXI.

Hoc anno, qui fuit Conradi Abbatis nostri XVI. Pius papa II. scripsit & commisit & mandauit episcopo Eystetensi, quatenus assumptis ad se viris probis, religiosis & peritis, conuocatisq; euocandis, tres illas obseruantias ordinis nostri, in Alemannica natione nouiter instauratas, Bursfeldensem, Mellicensem & Castellensem, & si quæ essent aliæ, reduceret in vnum autoritate Apostolica, contradictores per censuras ecclesiasticas ad obedientiam cõpellendo. Huius occasione mandati multi interea sunt facti labores & expensæ diuersis temporibus, sed vsque in hunc diem nullus est sequutus effectus, propter nimiam diuersitatem ipsarum trium obseruantiarum in multis. *Triũ obseruantiarum, Cisio cõmittitur à Papa.*

Hocipso anno Dietherus archiepiscopus Moguntinus per Pium papã II. deponitur, & Adolpho de Nassavv de Archiepiscopatu per eundẽ prouidetur. Causas eiusmodi depositionis fuisse ferunt q̃ plurimas. Prima, quod summã pro confirmatione & pallio sibi impositã papæ non soluerit. Secunda, q̃p infra tempus sibi constitutum in Sacerdotem se ordinari nõ fecerit. Tertia, q̃p Apostolicæ sedis Legatos irreuerẽter tractauerit, eorumq; mãdatis inobediens & contrarius fuerit. Cæteras aũt explicare causas depositionis eius nõ iudicamus esse necessarium. Contra hanc iniuriam & violentiam sibi factã, Dietherus archiepiscopatu suo nequaq̃ volens esse priuatus, auxilium Friderici Comitis Palatini potentis inuocauit, & habere promeruit. Adiutorio itaq; Palatini Dietherus IX. oppida & ciuitates in sua obedientia retinuit, reliquis ab eo deficientibus. Ratione huius assistentiæ idem archiepiscopus Dietherus dedit & assignauit præfato Principi Palatino Friderico Starckenberg castrum, Heppenheim, Bensheim, & Morlebach oppida, cum omnibus pertinentijs pro centũ millibus florenorum, in vsum Palatinatus tã diu habenda, quousq; eam pecuniarum summã ab ecclesia Moguntina reciperet. Adolphus etiã Ludouicum Ducem Nigrum in auxilium vocans, ei pro stipendio Bickelnheim castrum & villam, Sobernheim, Montzegen, Nusbaum, & Vlmam non procul à Moguntia castrum, cum omnibus pertinentijs eorum, pro certa summa pecuniarum in pignore assignauit. Quæ omnia Fridericus Palatinus non diu postea (sicut dicemus) ab eo armis potenter diripuit. Marchioni Badensi pro assistentia dedit Algesheim & Gavvbeckelnheim, cum omnibus pertinentijs eorum. Comitem Wyrtenbergensem pro XX. millibus florenorum in auxilium conduxit, Wilhelmo quoque Saxoniæ in adiutorium coempto; similiter & Henrico Comiti de Schvvartzenburg pro mercede stipendioque donauit in Eyhsfeldia quædam oppida, castella & villas cum bonis prouentibus annuis. Comiti quoque de Lapide regio (vulgariter Konigstein) qui sororem eius habebat in vxorem, Comitatum de Holtzheim pro suo stipendio, ne gratis seruiret, assignauit. Hinc orta sunt mala, & famosissima illa quondã Ecclesia Moguntina pene in nihilum redacta fuit. Cum his omnibus archiepiscopus Treuirensis, Episcopus Metensis, Iohannes Nix episcopus Spirensis, Albertus Marchio Brandenburgensis, multique alij Comites, Barones & Nobiles Adolpho contra Dietherum adhæserunt. Igitur in primis Dietherus ipse cum suis, habens secum pro auxilio sa pedictum Comitem Palatinum & Philippum Comitem de Katzenelnbogen, exercitum produxit contra Rinckavvgiam, ad cuius aduentum Rinckavvgienses præsidia sua deserunt; sed propter aeris inclementiam cito soluta fuit obsidio, quoniam exercitus diutius nõ potuit manere. Post hæc quasi certa ad Dietherum venit promissio, si denuo veniret, q̃p Rinckavvgienses in eius deditionem transirent. Venit ergo iterum cum potentia, & promissionem sibi de deditione factã inanem & falsam inuenit. At Dux Fridericus fortium virorũ assumens phalangem contra Vdalricum Comitem de Wirtenberg mouit exercitum, incendio & præda deuastans omnia vsq; ad Stuckardiam, principalem Wirtenbergensium Comitum ciuitatem. Deinde magnanimus Princeps Palatinus vna cum Henrico Hassiæ prouinciali Comite exercitum mouit aduersus Ludouicum Ducem Nigrum Comitem Veldentiæ, & villam Gavvbeckelnheim obsidione vallans quam breui cepit, muros, turres, & omnia fortalitia funditus destruxit, ducens ex ea captiuos equites LX. & centum pedites ad bella expeditissimos, & omnes machinas eorum.

*Dietherus archiepiscopus Moguntinus à Papa deponitur.*
*Causa depositionis.*
*Fridericus Palatinus assistit Dietthero cõtra Adolphum.*
*Quomodo strata montana venit ad Palatinatum.*
*Nomina assistentium Adolpho cõtra Dietherum.*
*Rinckavvgia obsidetur à Dietthero.*
*Fridericus Palatinus deuastat terrã Wirtenbergensem.*
*Palatinus exercitum mouet contra ducem Ludouicum.*
*Gavvbeckelnheim à Friderico Palatino capitur.*

Anno prænotato Dominicæ natiuitatis MCCCCLXI. Conradus Humbrecht, abbas huius monasterij Sponheimensis XXI. 7. iduum Martij hora V. post meridiẽ obijt, & ante gradus presbyterij sepultus fuit. Eius infirmitas ex quodam phantasmate nocturno sic *Conradus abbas huius cœnobij 21. moritur.*

accidit: Piscari fecerat nouam piscinam, quam ante septennium circa fontem ad occidentalem monasterij plagam instaurauit & purgauit, piscesque captos in viuario quodam ad hoc fabricato ibidem posuit; qui ne furtim nocturno tempore subtraherentur à rusticis, in hoc opus semper paratis, nocte solus cum fuste exiuit, & ad custodiam piscium ibidem vigilauit. Et ecce intempesta noctis (Deo permittente) Diabolus quibusdam phantasmatibus eum terruit, & mox, vt ascendit gelidus ad præcordia sanguis, infirmari cœpit, & post dies paucos (vt prædiximus) mortuus fuit. Homo satis laboriosus, & qui monasterio in temporalibus bene præfuit. Reformationem vero detestabatur summopere, vixitque secundum carnem, filios relinquens & filias, non sine damno monasterij & animæ suæ graui periculo.

*Conradus abbas relinquit & filios & filias.*

Eodem quoque anno MCCCCLXI. post horam vndecimam, minuto XXVIII. in nocte post meridiem, Cal. Februarij, hoc est, in ipsa nocte festum purificationis beatæ Mariæ semper virginis præcedente, natus est Iohannes Trithemius, postea huius cœnobij abbas XXV. in villa Tritenheim, quarto à Treuiri in descensu Mosellæ miliario, vt infra dicetur.

*Iohannes Trithemius natus est.*

## DE VDALRICO DE ZEISKEIM, HVIVS MONASTERII SPONheimensis abbate XXII. qui præfuit annis V. diebus XXIII. & de variis gestis illius temporis.

CONRADO abbate huius monasterij mortuo atque sepulto, conuenerunt in vnum fratres, qui tunc erant conuentuales, altera die sequente, hoc est, 6. Iduum Martij, mane hora IX. vel quasi, ad locum Capitularem pro nouo eligendo pastore; habitisq; inter se tractatibus, tandem vnanimiter elegerunt Vdalricum de Zeiskeim, non procul à Germersheim oriundum, qui confirmatus ab Adolpho archiepiscopo Moguntino, & per eius in Pontificalibus Vicarium ordinatus præfuit huic monasterio annis V. & diebus XXVIII. Hic in iuuentute sua traditus à parentibus monasterio in Fels, Argentinensis diœcesis, quod postea fuit ab ordine translatum, omne tempus leuitati, ludis & commessationibus indulsit, & nec scientiam literarum hausit, nec obseruantiam ordinis amauit. Verum post plures annos, cum sumptuose & nimis prodigaliter inter fratres, qui omnes erãt proprietarij & nimium dissoluti, vixisset, pondere debitorum suorum prægrauatus diutius ibidem manere non potuit, nimia creditorum instantia pertubatus. Licentia igitur Abbatis sui interueniente, clam inde discessit, & veniens huc, in conuentualem huius monasterij susceptus est. Ordinatus autem Abbas mores pristinos non mutauit, commessationibus & vagis inutilibusque discursionibus vacans, hoc monasterium ad extremam paupertatem & inopiam perduxit. Tanta enim in quinquennio contraxit debita, tantaque vendidit & alienauit bona occulte, prata, agros, census & prouentus, quod simul computatis tempore sui regiminis nocuit & damnificauit huic monasterio plus quam in tribus millibus florenorum. In emendo & vendendo improuide multa inutiliter expendit, quippe qui multotiens equum pro 6. florenis vendidit, quem ipse infra paucos dies pro XX. aureis comparauit. In computationibus autem suis notatum est, quatuor eum & viginti comparauisse pro sua persona equos in V. annis, quos mox vt emisset, verbis vendentium deceptus, pro nimium viliori precio iterum vendere consueuit. Vendidit autem census redituscque annuos absque scitu & voluntate conuentus sui in multis locis, videlicet, in Odernheim agros pro CXXIII. florenis, in Mesenheim, in Heimbach superiori tres marcas perpetui census vendidit, in Budesheim circa Bingen, in Lorchersheim, in Gysenheim, in Winckel, in Creutzenacht, in Heimersheim multos & pretiosos agros pro magna summa pecuniarum vendidit, in Sobernheim. Et in diuersis alijs locis multa vendidit occulte, quæ vsque in præsentem diem monasterio alienata permanent. Nihil in vel extra monasterium suo tempore construxit, vt nec ruinosa ædificia in aliquo restaurauit: debita quoque sua, quæ olim non parua contraxit in Fels, de substantia huius monasterij exsoluit. In Moguntia quoque nonnulla contraxit debita, priusquam ad hunc locum veniisset, quæ nihilominus de huius monasterij substantia per eum postea fuerunt occulte soluta. Multa etiam turpiter expendit, prædecessoris sui exemplo; vterque enim concubinam publice tenuit, aliquando in monasterio, aliquando in villis circumiacentibus, quibus multa in damnum cœnobij animarumque suarum dispendium expenderunt. Sed de his hactenus satis dictum est, cætera Vdalrici gesta per ordinem prosequamur.

*Vdalricus fit abbas huius monasterij 22.*

*Vita Vdalrici abbatis nostri.*

*Monasterium multis debitis onerauit.*

*Multa reditus occulte vendidit.*

*Nulla ædificia construxit.*

*Aliena debita soluit.*

*Turpia monachorum gesta.*

MCCCCLXII.

Vdalricus abbas statim in principio ordinationis suæ Prouisorem & Cellerarium huius monasterij Sponheimensis instituit Ottonẽ, monachũ præsentis loci conuentualẽ, qui pau-

*Otto Hewyen fit Cellerarius.*

qui paulo ante venerat de Colonia ex monasterio S. Panthaleonis, virum bonum & mansuetum; qui tamen non diu permansit in hoc officio, sed in Priorem (vt postea dicemus) per eundem Abbatem fuit ordinatus.

Anno prænotato Dominicæ incarnationis MCCCCLXII. Carolus Marchio de Badē, Georgius episcopus Metensis frater eius, Iohannes Nix episcopus Spirensis, & Vdalricus comes Wirtenbergensis, simul coadunati congregauerunt exercitum, & contra Fridericum Comitem Palatinum procedentes (quem putabant procul absentem) omnē terram eius, vna cum oppido mansionis eius Heidelberg, in prædam sibi promiserunt. Inprimis ergo Hildesheim oppidum, non longe à Brugsal, obsidione cinxerunt; quod vbi Palatino fuit nunciatum, Heidelsheim personaliter cum suis occulte intrauit, hostibusque per triduum acriter muros vrgentibus, ipse fortiter oppidum defensauit. Postridie videtes se prævalere non posse, soluta obsidione recesserunt, mouentes exercitum ad districtum oppidi Heidelbergensis, nescientes Palatinum esse in terra. Existimabant enim, literis quibusdam (vt fertur) decepti, quod eo tempore esset extra patriam. Venientes autem præfati Principes noctu ad terram Palatini, non procul ab Heydelberga exercitum locauerunt, dimissisque in castris peditibus, ipsi cum mille equitibus ad pugnandum expeditis, versus Heydelbergam iter paulatim flectere cœperunt. Interea Palatinus, cui per exploratores aduentus & intentio aduersariorum mane innotuerat, cum septingentis equitibus Heydelbergam occulte exiuit, cui se Dietherus Moguntinus quondam Archiepiscopus, veniens à casu, cum trecentis equitibus coniunxit. Abscondentes autem non longe à Seckenheim in nemore Palatinenses, aduersarios nihil de eorum præsentia suspicantes, transire permiserunt, quousque inter Rhenum & Neccarum concluſi, non amplius fugere potuerunt. Tunc erumpentes de nemore Palatinenses, impetum in aduersarios audacter fecerunt. Acriter vtrobique pugnatum est, sed victoria mox cessit Palatino, & magno honore de aduersarijs suis (auxiliante Deo) triumphauit. Ibi à Palatino capti fuerunt, Carolus Marchio Badensis, cum fratre suo Georgio episcopo Metensi, Iohannes Nix episcopus Spirensis, Vdalricus Comes Wirtenbergensis, & quingenti Comites, nobiles & equites, qui omnes vincti ad Heydelbergam perducti sunt. Cæteri vero ccc. qui non ceciderant, fugerunt. Ex parte Palatini pauci ceciderunt. Acta sunt hæc in latissimo campo non procul à Landenburg, vltima Iunij. At vero Principes præfati, postea quam in captiuitate aliquandiu fuerant detenti, cum aliter non possent, pecunia se redemerunt. Georgius episcopus Metensis pro sui liberatione Palatino dedit XLV. millia florenorum, & se cum tota militia sua; tribusque castellis, Bergard, S. Theobaldi & S. crucis Palatino fecit per literas & iuramentum perpetuo obnoxium. Carolus Marchio Badensis pro sui liberatione obtulit Palatino c. millia florenorum, pro quibus, quia pecunia non erat in promptu, partem suam Comitatus Sponheimensis, ad Creutzenacht pertinentem, ipsi Palatino in pignus cum vsufructuario assignauit; similiter & oppida Pefeckheim, Bensheim cum castro, telonio & feudalibus pro eadem summa pecuniarum in manus Palatini assignauit: insuper reemptioni, quam se habere prætendebat super Heydelsheim & Eppingen, atq; venationibus, aquis & piscationibus, super quibus lis antea fuerat, circa Rhenum inter Gemersheim & Fulis, omnino renunciare coactus fuit: oppidum quoque Porcēse feudale constituit, seq; & militiam suam & iuramēto & literis necessarijs Palatinatui obnoxium fecit. Vdalricus Comes de Wirtenberg taxatus fuit pro c. millibus florenorum, quorum XL. millia fuerūt soluta, & XX. millia ratione ecclesiæ Moguntinæ super impignoratione Stratæmontensis fuerunt assignata, vltra c. millia pro quibus antea (sicut supradiximus) per Dietherum archiepiscopum Moguntinum Palatino fuerat obligata: porro de reliquis XL. millibus pensionem duorū millium florenorum singulis annis se daturum literis & cautionibus exhibitis promisit: insuper Marpach Palatino feudale constituit, & se cum tota militia Palatinatui obnoxium fecit. His cautionibus præstitis prefati Principes dimissi fuerunt. Post hęc Fridericus Comes Palatinus exercitū mouit contra Iohānem Nix episcopum Spirensem, cuius militia partim, non persona, cum Principibus ante dictis capta fuit, qui & ipse hostis publicus erat; & inprimis obsedit oppidum Rotenburg & castellum annexum, qp vtrumq; cepit. Tandem fuit inter eos concordia facta sub tali conditione: Quod Rotenburg oppidum & castrum perpetuo in manibus Palatini debeant permanere, cum quibus Wersavven & venatio in nemore ecclesiæ Spirensis (Lushart, dicto) Palatino tradita sunt.

Interea dum hæc agerentur circa Rhenum, Albertus Marchio Brandenburgensis ex mandato Imperatoris ciuitates imperiales sibi associans, denuo contra Ducem Bauariæ Ludouicum cognomento Diuitem exercitum mouit, incendio & præda terram eius

*Quatuor Principes contra Fridericū Palatinū procedunt.*

*Heidelsheim obsidetur.*

*Insignis victoria Friderici Palatini.*

*Quatuor Principes & quingēti comites nobiles & equites à Friderico Palatino capiūtur.*

*Episcopi Metēsis taxa liberationis.*

*Marchionis de Baden taxa liberationis.*

*Oppidum Pheresense feudum.*

*Comitis Wirtēburgensis taxa liberationis.*

*Marbaccūm feudum.*

*Fridericus Palatinus exercitum mouit cōtra episcopum Spirensem.*

*Rotenburg à Friderico Palatino capitur.*

*Cōcordia inter Palatinū & episcopū Spirensem facta.*

*Bellū inter Brandeburgensem & ducem Austriæ.*

vbiq; deuastans. Contra cuius impetum Dux Ludouicus in manu valida producens exercitum, Navv villā opulentissimam cum alijs ferme LX. numero obtinuit, ex quibus Vlmēsium fuere complures, quas ad nihilū pene redegit. Hæc aūt circa carnis priuium contigerunt. Postea XVI. die mensis Iulij Marchio prædictus cū multis nobilibus & valido exercitu suorum & Comitū Wirtenbergensium ac ciuitatum imperij, Heidenheim, qp Ludouicus Dux antea ceperat, obsidione vallauit. Quod Ludouicus Dux cū audisset, contra eū mouit exercitum, & XIX. die mēsis Iulij Marchionē de obsidione fugauit, castra eius obtinuit, nobilium & militū plures occidit, plures cepit; Marchio vix cum duobus euasit, seq; in castellum Albeck recepit. At vero Dux Ludouicus multā substantiam in castris Marchionis reperit, in auro, argento, equis, curribus & armis. Deinde iterū inter eos concordia facta est.

*Heidelheim à Marchione obsidetur.*

*Dux Ludouicus cōtra Marchionē triumphat.*

Eodem quoque anno in vigilia Simonis & Iudæ apostolorum, Diethero de Eysenburg archiepiscopo, & Philippo Comite de Katzenelenbogen Fridericum Comitē Palatinum supra dictum exspectantibus, in ipsa nocte, traditione quorundam ciuium, Ottvvino & Dudone traditionis principibus, Moguntia in manus Adolph de Nassavv tradita fuit, Ludouico Duce Nigro, & Domino de Konigstein cum Rinckaugiensibus & alijs vrbē incendentibus & miserabiliter deprædantibus, multis ciuium crudeliter occisis. Porro Dietherus & comes de Katzenelenbogen per murum submissi, nauicula per Rhenum fugientes, euaserunt. Prædam ibi non vnius ciuitatis, sed pene totius patriæ, hostis inuenit, q̄ ex villis & monasterijs circumiacentibus metu aduersariorum multa bona ad ciuitatē antea fuerunt deportata. Domus sacerdotum & Iudæorum, ab eis spoliatæ, miserabiliter desolatæ sunt, & ipsi sacerdotes cum Iudæis ignominiosē capti, ad Altamvillam, aliaq; loca, fuere perducti. Ex his aūt qui in ciuitate fuerunt, ciues fere quingenti occisi; mulieres pulchræ & virgines stupratæ, & multa præter charitatis & honestatis Christianæ ordinem gesta. Post hæc inter Adolphum & Theodericum de Isenburg concordia in Franckfordia facta est sub tali conclusione: *Quod Dietherus Pontificatum Moguntinum cum omnibus debitis & grauaminibus suis Adolpho dimitteret, & ipse prosustentatione vitæ, quamdiu viueret, libere possideret Lainstein oppidum, castrum & telonium, cum omnibus prouentibus suis* (quod Iohānes episcopus præscriptis guerris durantibus, bina vice cum magno exercitu contra Dietherum obsederat, sed oppidanis cū Diethero fideliter sentientibus, seq; fortiter defendentibus, obtinere non potuit; imo cum damno suo & ecclesiæ suæ Treuirensis non modico recedere coactus fuit.) *Item Hoest oppidum, castrum, & telonium, oppidum quoq; Dieppurg, omnia cum omnibus eorum prouentibus.* Ista Dietherus obtinuit, & sic inter eos concordatum fuit. Porro Friderico Comiti Palatino, pro impensis & victualibus quæ Diethero exposuerat, mille florenorum pensio quotannis in telonio Erenfels assignata fuit. Pro summa autem IX. millium florenorum, quam illi Rinckavvgienses debuēre soluere (sicut superius anno Conradi abbatis nostri XV. diximus) Pedersheim in pignus susceptit ab ecclesia Moguntina.

*Moguntia ciuitas per Adolphum traditione quorundam ciuium capitur.*

*Sacerdotes & Iudæi spoliati capiuntur.*

*Concordia inter Adolphū & Dietherum.*

*Pedersheim Friderico Palatino datur in pignus.*

Eodem quoque anno, quo Moguntia fuit capta, Cancellaria Heydelbergæ cum aliquibus literis & regestris fuit igne casuali exusta, Sabbato post diem assumptionis beatæ Mariæ semper virginis.

*Cancellaria Heydelbergæ exusta.*

Eodem quoq; anno Fridericus illustris comes Palatinus iudicium Curiæ quater in annis seruandum instituit, qp viris doctis in iure atq; nobilibus, ad dicendum vnicuique quod iustum est, plurimum decorauit. Hoc iudicium Curiæ * satis vtiliter institutum, excellentissimus Princeps Dominus Philippus Comes Palatinus vsque in præsentem diem, adauctum neruis & sapientia, laudabiliter continuauit, in quo multarum litium prolixitas amputatur.

*Fridericus comes Palatinus iudicium curiæ sue instituit.*

** Hessenichi.*

Eodem quoque anno, 6. cal. Maij Vdalricus, Abbas huius cœnobij, Ottonem Havvisen, de Colonia, quem ante mensēs ferme V. Cellerarium statuerat, in Priorem huius monasterij XXX. ordinauit, posteaquam conuentus per biennium fere sine Priore steterat, qui præfuit in officio Prioratus IV. annis, exceptis XXIII. diebus, & Abbatiam Vdalrico resignāte, (sicut dicemus) ipse in Abbatem electus est.

*Otto fit Prior huius loci 40.*

MCCCCLXIII.

Anno Vdalrici Abbatis nostri II. reformatum fuit cœnobium Montis monachorum prope Bambergam, & Capitulo annali vnionis & obseruantiæ Bursfeldensis (vt moris est) vnitum. Abbatiam eiusdem monasterij Pius papa II. Euerhardo de Venlo, abbati S. Iacobi prope Moguntiam contulit, & vt illo se transferret pro conseruatione introductæ reformationis, mandauit. Huic in Abbatia S. Iacobi successit Iohannes de Ittstein, abbas montis S. Iohannis in Rinckavvgia, cui ibidem in Abbatia successit Iohannes de Luterbach, & ambo non diu vtrobique præfuerunt.

*Cœnobium montis monachorum reformatur.*

Eodem

Eodem anno Idibus Februarij obijt Theodericus de Moërs Archiepiscopus Colonienſis, anno Pontificatus ſui XLIX. in maiori eccleſia Colonienſi tumulatus. Poſt quem eodem anno penultima die Martij per Capitulum in archiepiſcopum vnanimiter fuit electus Rupertus, filius Ludouici Comitis Palatini ac Ducis Bauariæ, dicti cum Barba, frater magnanimi Principis Ducis Friderici, tutoris Philippi, & præfuit annis XVII. in multis tribulationibus, vt poſtea dicemus. *Rupertus fit archiepiſcopus Coloniēſis.*

Eodem quoque anno in menſe Nouembri facta eſt ſupraſcripta inter Dietherum de Eyſenburg & Adolphum de Naſſavv concordia, per medium quorundam Principum. *Concordia inter Dietherum & Adolphum facta.*

Hoc ipſo anno omnia victualia in copia creuerunt, & paruo precio comparabantur. Vinum in vili precio erat: nam in multis locis vna menſura vini pro vno obulo Hallenſi emebatur, & tria maldra ſiliginis pro vno floreno. *Anni fertilitas.*

MCCCCLXIV.

Anno Vdalrici abbatis noſtri III. Capitulum ordinis noſtri prouinciale XVIII. in Herbipoli apud S. Stephanum celebratum fuit, Dominica tertia poſt feſtum reſurrectionis, cum continuatione dierum ſequentium; in quo præſederunt Bertholdus ſancti Stephani ibidē, Iohannes S. Michaelis in Hildensheim, Melchior ſancti Vdalrici in Auguſta, & Euerhardus Montis monachorū ordinis noſtri abbates, & pauca in ſtatuta ædita fuerūt. *Capitulum prouinciale 18. celebratur.*

Eodem anno VI. cal. Februarij, obijt Fridericus de Nackheim, quondam Abbas huius monaſterij, qui abbatiam reſignauerat, Abbate Conrado ſuccedente. *Fridericus olim hic abbas moritur.*

Eodem anno, V. die menſis Maij Iohannes de Aldendorff, abbas S. Burckardi iuxta Herbipolim, ordinis noſtri, vna cum monachis ſuis reprobis & auerſis, ordinem ſanctum & ſacræ habitum religionis, in quo profeſſi educati erant, temere exuerunt, falſis papam narrationibus circumuenientes, vt ſupra hoc ſedis Apoſtolicæ licentiam extorquerent; & facti ſunt ex monachis reprobis ſeculares Canonici mali, multum exemplum poſteris apoſtatandi relinquentes. Huic impiiſſimæ translationi ſe ordo noſter & prouinciale Capitulum oppoſuit; ſed pecunijs & fauore multorum contra religionem cogitantium interpoſitis, nihil profecit. Mercedem ſuam apoſtatæ iam dudum receperūt, qui omnes mala morte perierunt, manifeſtum damnationis ſuæ poſteris iudicium relinquentes. *Monaſterium S. Burckardi transfertur ab ordine.*

Eodem quoque anno, VIII. die menſis Auguſti, Iohannes Nix epiſcopus Spirenſis, qui contra Fridericum Comitem Palatinum inconſulte bellando ſine cauſa, damnum irrecuperabile eccleſiæ ſuæ intulit, Epiſcopatum in manus Capituli reſignauit, & mœrore animi tabeſcens in ſemetipſo, vix ad anni ſpatium ſuperuixit. Nam præter mala ſuperius enumerata, quę Fridericus Comes Palatinus propter eum intulit eccleſiæ Spirenſi, etiā domos & molendina ſacerdotum, circa eccleſiam S. Germani extra muros ciuitatis Spirēſis, omnes tam Vicariorum quam Canonicorum, anno Vdalrici abbatis noſtri I. claro die nemine reſiſtente incendit, & funditus deſtruxit. Huic in Epiſcopatu, prouiſione ſummi pontificis Pij ſecundi, de conſenſu Capituli, eodem die ſucceſſit Matthias de Raming nōdum capitularis, Friderici præfati Domini Palatini Cancellarius, & præfuit annis XIV. vir doctus, deuotus & magnanimus, qui virtute & ſapientia eccleſiam ſuam optime rexit, & iura, priuilegia & libertates eius ſtrenue ſemper defendit. *Ioānes Nix epiſcopus Spirenſis epiſcopatum reſignat.* *Matthias fit epiſcopus Spirenſis.*

MCCCCLXV.

Hoc anno, qui fuit Vdalrici Abbatis noſtri IV. Adolphus Dux Gelriæ Arnoldum patrem ſuum noctu dormientem in lecto nudum cepit, & in quodam caſtello Bobeck includens, tenuit multo tempore captiuum. Quo facto, compulit omnes Ducatus homines ſibi, patre abiurato, præſtare iuramentum homagij. Sed hoc impium ſcelus animaduerſione diuina condigna in eo vindicauit vltione. *Dux Gelriæ patrē ſuum captū tenet.*

Eodem anno Leodienſes poſt multas lites & contentiones in curia Romana & extra cum Iohanne de Burbon epiſcopo ſuo electo & confirmato habitas, innatam feritatē abſque ratione ſequuti, illo nec reſignante nec depoſito, Marcum Iacobi Marchionis de Baden filium, Iohannis epiſcopi Treuirenſis & Caroli fratrem, in Adminiſtratorem ſui & eccleſiæ Leodienſis aſſumpſerunt, quem Archiepiſcopus & Carolus fratres prædicti cum cc. equis Leodium à Colonia perduxerunt. Verum non diu poſtea improbitate eorum & malitia offenſus, & prope interitum poſitus, dimiſſis omnibus recedens, vix manus eorum potuit euadere. *Nicolaus de Badē ſit adminiſtrator eccleſiæ Leodienſis.*

Hoc ipſo anno monaſterium Lisbornenſe, ordinis noſtri, Monaſterienſis diœceſis, aſſenſu & cooperatione Præſulis eiuſdem reformatum eſt, & cum Henrico ipſius abbate ad vnionem & Capitulum Burſfeldenſis obſeruantiæ ſuſceptum. Monaſterium quoque in Iſenburg pari modo reformatum Capitulo vnitum fuit. *Cœnobium Lisbornenſe reformatur Iſenburg ſimiliter.*

*Vdalricus abbas multa damna infert huic monasterio.*

Eodem quoque anno Vdalricus abbas huius cœnobij, præter multa debita quæ cõtraxit occulte & manifeste, multa sine scitu & voluntate conuentus vendidit, distraxit & alienauit in Gisenheim, Odernheim, Freymersheim, & alijs diuersis locis, in non paruum huius monasterij damnum, pecuniam non solum inutiliter, sed (quod est deterius) etiam turpiter consumens cum leuibus personis & fomitem malitiæ nutrientibus.

MCCCCLXVI.

*Canobium S. Gothardi.*

Anno Vdalrici abbatis nostri v. monasterium S. Gothardi in Hildensheim, ordinis nostri de nouo reformatum ad Capitulum & vnionem obseruantiæ Bursfeldensis cum Lupoldo eius Abbate primum fuit susceptum admissumque.

*Rudolphus fit episcopus Herbipolensis.*

Eodẽ anno, feria VI. post festũ Dominicæ resurrectionis, obijt Iohannes de Grũpach episcopus Herbipolensis Post quẽ Rudolphus de Scherenberg vltima die mensis Aprilis electus per Capitulum succedens, præfuit annis XXIX. vir industrius atque pacificus, qui multa bona fecit Ecclesiæ suæ Herbipolensi, ingentia persoluens debita, reducensque multa per eius antecessores ab ecclesia dudum alienata.

*Vdalricus abbas 22. abbatiam resignat.*

Eodem quoque anno, posteaquam Vdalricus Abbas huic monasterio annis v. & diebus XXIII. male præfuisset, ipsumque monasterium ad extremam inopiam & paupertatem deduxisset, non habens amplius vnde viueret, necessitate compulsus, III. nonas Aprilis Abbatiam in manus conuentus sui libere resignauit, relinquens debita plus quam duorum millium & quingentorum florenorum, præter occulta damna, quæ monasterio intulerat, bona, reditus & prouentus sine consensu fratrum suorum varios vendendo, ac penitus à monasterio alienando.

## *DE OTTONE HAWYSEN, HVIVS MONASTERII SPONHEImensis abbate* XXIII. *qui præfuit annis* III. *mensibus* IV. *diebus* XVI. *& variis gestis illius temporis.*

*Otto fit abbas huius loci 23.*

POST resignationem Abbatis Vdalrici (heu nimis seram) eodem die fratres huius monasterij ad locum Capitularem de mane, circa horam X. conuenientes, necessarium inter se de nouo pastore eligendo cœperunt habere tractatum. Erant autem v. numero, quorum ista erant nomina, Vdalricus olim abbas. Otto Prior. Petrus de Blenich Cellerarius, Andreas de Traiecto, Iohannes quoq; de Kirgberg, & Iohannes de Bockenavv, qui iam triginta annis tenetur in vinculis, vt suo loco causam dicemus. Tãdem ergo post maturam deliberationem vnanimiter in abbatem elegerunt præfatum Ottonem de Colonia, dictum Havviſen, huius monasterij Priorem XXX. qui confirmatus ab Adolpho Moguntino archiepiscopo, & per eius in Pontificalibus Vicarium ordinatus anno prænorato in die S. Iohannis Baptistæ in ecclesia S. Barbaræ collegiata in oppido Bingẽsi, præfuit huic monasterio annis trib⁹, mensibus IV. diebusq; XVI. Hic Otto fuit (sicut & diximus) de Colonia oriundus, ex quadã mercatorum familia, quæ nuncupatur Havviſen, qui in iuuẽtute sua monachus in cœnobio S. Panthaleonis factus, vsq; ad ætatẽ virilem in eo permansit. Postea cum anno Domini MCCCCXLVIII. monasterium præfatũ S. Pãthaleonis (sicut ibidem diximus) per patres vnionis & obseruantiæ Bursfeldensis esset reformatũ, aliquandiu adhortatione parentũ in eo perseuerans, ad probandũ si rigorẽ ordinis perferre posset, & mores & ceremonias obseruantialium cõpetenter didicit, & tamẽ postea fatigatus ac inde recedens, sub Conrado abbate ad hoc monasteriũ venit, & conuentui incorporatus fuit.

*Genus & origo Ottonis abbatis.*

*Otto abbas vir fuit mansuetus & pacificus.*

Erat aũt ingenio mitis & pacificus, & plus q̃ mores monachorũ illius tẽporis in cœnobio requirebant præsenti, mansuetus; qui magnã pro viribus suis diligentiam in sua præsidẽtia fecit, & libenter monasteriũ in vtroq; statu reformasset, sed nõ potuit. In temporalibus enim fuit omnino depauperatũ, & in spiritualibus omni regulari obseruãtia destitutũ. Veruntamen plus in tẽporalibus q̃ in spiritualibus profecit. Quid in spiritualibus optauerit tentaueritq; sequenti anno ex parte dicemus. Eo aũt in abbatem ordinato, nõ fuit Prior aliquis certus post eũ institutus toto tẽpore quo ipse in abbatia præsedit, per annos III. & IV. menses, vsq; ad institutionem abbatis Kolenhausen, vt infra dicemus.

*Hoc tempore non fuit Prior in præsenti cœnobio.*

MCCCCLXVII.

*Otto abbas reformationem nõ durantem incipit.*

Hoc anno Dominus Otto abbas, & fratres huius cœnobij cõuentuales, metuentes ad instantiã Principum per patres de obseruantia Bursfeldensi in fauorẽ reformationis expelli (q̃ eis tunc sæpe intẽtabatur) consilio accepto semetipsos reformare statuerunt; miserunt nuncios & literas supplicatorias ad Abbates Treuirẽses, qui tum (præter cœnobiũ S. Martini) reformati erant, & maxime ab abbate S. Maximini, qui non sunt de vnione Bursfeldensi, eis nimium odiosa; pro duobus monachis instantius supplicantes, qui huius monasterij monachos & nouitios in moribus & ceremonijs, obseruantiæ regulari congrũ-

congruentibus,informarent:verum à Treuirensibus nullum impetrare potuerunt. Post hæc miserunt ad Coloniam,& inde duo fratres de S.Panthaleone venerunt, qui primum aduentantes gratanter fuerunt susceptí, & ad instituendum monachos huius conuentus Magistri per abbatem sunt deputati:nimia enim improbitate & malitia monachorũ, maxime iuuenum,vexati,derisi,& interdum etiam verberibus affecti, cum se nihil proficere posse cernerent,ad Coloniam,vnde venerant,sunt reuersi. *Duo monachi reformati de Colonia huc venere.*

Eodem anno,XIX.die mensis Aprilis, quæ fuit Dominica post festum resurrectionis Dominicę III.celebratum fuit XIX.ordinis nostri prouinciale capitulum in Monte monachorum iuxta Bambergam,in quo præfederunt Iohannes Bursfeldensis,Melchior Augustensis,Henricus S.Michaelis Hildensheimensis,& Iohannes S.Crucis in Werdea, monasteriorum ordinis nostri præclari ac celeberrimi abbates. *Capitulum prouinciale 19. celebratur.*

Hoc anno,XV.calend.Aprilis obijt Andreas de Traiecto inferiori, monachus huius cœnobij,vir studiosus,& tam in diuinis quam in secular. bus scripturis eruditus, qui reliquit non pauca ingenij sui opuscula, scilicet,*Soliloquiorum hominis ad Deum,lib.I.De profectu virtutum lib.I.De abstinentia carnium lib.I. De vsu floccorum in ordine nostro lib.I.* Sermones quoque varios,carmina,orationes,& epistolas plures ad diuersos,& quędam alia,quæ partim habentur adhuc,partim per negligentiam sunt distracta. *Andreas monachus huius loci moritur. Opuscula quædã Andreæ monachi.*

His temporibus venit ex Basilea quidam homo pauper,habens secum filium paruulum,nomine Theodericum,sex annos & duos menses ætatis habentem , qui moribus & verbis tam erat maturus & compositus, ac si XL. annorum fuisset,loquebaturque latine tam ornate & diserte,vt oratori facundissimo similis videretur,suamque infantiam & inscitiam vtraq; lingua tam pulchre potuit excusare , & de quibuslibet loqui,vt omnes verteret in stuporem. *Puer 6. annorum latine ornatissime loquitur.*

Anno prænotato,in mense Iunio obijt Philippus dux Burgundiæ, qui multa in vita sua cõmiserat bella,filium relinquens nomine Carolum, paterni principatus legitimum hæredem vnicum,qui & ipse multa strenue patrauit. *Philippus dux Burgũdiæ moritur.*

MCCCCLXVIII.

Anno Ottonis abbatis nostri II.Carolus dux Burgundiæ contra Leodiẽses validum produxit exercitum,& post conflictum acerrimum cum eis habitum, in breui tandem omnem terram eorum,vna cum ciuitate Leodiensi obtinuit, eosque ad obedientiam episcopi eorum coartauit. *Carolus dux Burgũdiæ Leodiũ obtinet.*

Anno prænotato Adolphus archiepiscopus Moguntinus autoritate sua ordinaria obseruantiam,vnionem & capitulum annale Patrum ordinis nostri reformatione Bursfeldensium(eo quod Bursfeldia sit in diœcesi Moguntina)priuilegia quoque vnioni & capitulo præfatis à sede apostolica quomodolibet adulta,gratiose admisit. *Archiepiscopus Moguntinus priuilegia nostra confirmat.*

Eodem anno Matthias episcopus Spirensis,III.die mensis Ianuarij ecclesiam S.Germani extra muros ciuitatis Spirensis vna cum clero & ornamentis vniuersis ecclesiæ S. Mauritij intra muros vniuit & incorporauit,& vnum canonicorum ibidem instituit,propter desolationem domorũ sacerdotum S.Germani ante factam, per Fridericum comitem Palatinum contra Iohannem Nix episcopum. *Ecclesia S. Germani extra muros ciuitatis Spirensis incorporatur ecclesiæ S. Mauritii intra muros.*

Eodem anno Carolus dux Burgundiæ cum maximo armatorũ exercitu contra Ludouicum regem Franciæ processit in Galliã,& per plures dies ibi mansit, ac multa in toto regno damna incendio & deprædatione exercuit. Interea dum hæc in Francia agerentur,Leodiensis populus factiosus, inconstans , & omni tempore ad seditionem paratus, denuo ad rebellandum se parat,& contra episcopũ suũ solito more insanire cœpit. Quod cum ipsi episcopo innotuisset,cum VII.millib.ex Burgundionibus & magno apparatu veniens de Francia,Leodiũ obsidere in manu valida disposuit. Qui cum venisset ad ciuitatẽ, quæ Tungris appellatur,& præpositũ eius Leodiensibus innotuisset,noctu cũ duob.millibus ciuitatem intrantes,episcopum ceperunt,cum multis nobilib. & comitibus,multisq; occisis,& cæteris fuga lapsis,captiuum ad Leodium Episcopum suum perduxerunt. Interea vero inter ducem & regem Franciæ concordia facta est.Cum ergo fama facti Leodiensium ad ducem Carolum peruenisset,nimio furore commotus, maximum pugnatorum ex Picardia & Burgundia habens exercitũ,Leodiũ firmiter obsedit , regẽ Francorũ in propria persona,in armis potentissimũ secũ habens,quẽ ad hoc precibus induxerat, cõcordia inter eos facta.In mense itaq; Nouembri dux præfatus obsedit Leodiũ cũ exercitu XL milliũ armatorũ,quorũ ferme duo millia in ipsa obsidione amisit , & post multos labores ciuitatẽ tandem obtinuit,& inauditã in ciues crudelitatem exercuit. Erat autem ciuitas situ & ædificijs pulcherrima,in qua fuerunt ecclesiæ parochiales XXXII. collegiatæ vero ec- *Dux Burgũdiæ deuastat Franciam. Leodienses contra episcopum rebelles. Episcopus à Leodiensib. capitur. Leodiensis ciuitatis miserabile excidium.*

clesiæ VIII. monasteria abbates habentia V. cœnobia fratrum mendicantium III. & aliæ ecclesiæ & capellæ plures cum cœnobijs monialium & hospitalibus pauperum. In eâ quoque fuerunt ciues ad bella expediti plus quam XX. millia, & omnium rerum copia & ingentes diuitiæ. Capta igitur ciuitate dux Carolus nulli ordini, nulli dignitati, nulli sexui, nulli pepercit ætati, sacerdotes omnes captiuos episcopo præsentari fecit, & etiã nonnullos occidit. Viros omnes, adolescentes & iuuenes in ore gladij consumpsit, mulieres cum infantibus, viduas & virgines omnes in flumine submersit. O quot millia innocentes tunc fuerunt occisi, qui nec verbo nec facto huiusmodi causam præbuerunt. Muros ciuitatis, domos & habitationes vniuersas, omnemque ciuitatem, pontes, & cuncta ædificia in ea igni succendens, destruxit, complanauit, & in fauillam redegit, ecclesias omnes & monasteria spoliauerunt, auferentes omnia quæ reperissent, ornamenta, libros, calices, monstrantias, clenodia, & campanas: nihil enim in tota ciuitate penitus reliquerunt, sed vniuersa rapientes, inæstimabilem prædam abduxerunt. Hoc Leodiensis vrbis miserabile excidium tam crudele fuit, vt nullis verbis, nullis scripturis à nobis valeat sufficienter explicari aut scribi.

*Leodiũ fundatus euertitur & omnes inuẽti necantur.*

*Ruperti archiepiscopi Coloniensis malorũ initium.*

Anno quoque prænotato Rupertus archiepiscopus Coloniensis nimia paupertate & inopia oppressus, cum non haberet vnde viueret, omnibus quæ ad mensam pertinebãt episcopalem, per antecessorem suum impignoratis, cõsilium & auxilium à canonicis suis & feudalibus postulauit: sed non erat, qui attenderet: Iam enim odium contra eum nonnulli conceperant. Vnde necessitate compulsus fratris auxilium inuocauit & obtinuit. Fridericus itaque Palatinus frater eius, cognita necessitate, misit ei pecunias, frumenta, & milites, quibus auxiliarijs iniuste alienata recuperare potuisset, & eorum (vt postea dicemus) multa recuperauit.

MCCCCLXIX.

*Palatinus exercitum duxit ad Coloniensem diœcesim.*

*Nomina oppidorũ, quæ Fridericus Palatinus armis recuperãs archiepiscopo Coloniensi restituit.*

Hoc anno, qui fuit Ottonis nostri III. Fridericus comes Palatinus Rheni cum exercitu & machinis bellicis in auxilium Ruperti fratris sui, descendit ad Coloniensem diœcesim, & in valida manu obtinuit plurima oppida & castella, quæ ab ecclesia Coloniẽsi fuerant sub impignorationis titulo alienata. Hæc sunt oppida quæ ad manus archiepiscopi resignauit, Bonna & telonium, Nussia oppidum, Lechineck oppidum & castrum, Zulvvich oppidum, Bruel castrum & oppidum, Nurberg castrum in Eyfflia, Aliennar castrum, Rimbach castrum oppidum & telonium, castrum de Diehart, Andernach oppidum, Rolandiseck castrum, Gudenavv castrum & oppidum, Zins castellum oppidũ & telonium, Lins oppidum castrum & telonium, Gutenberg castrum, Kempẽ castrum & oppidum, Erpenrod castrum, Keysersvverd castrum oppidum & telonium, Nyet castrum, Papenberg castrum, Hersberg castrum, & alia multa. Omnia oppida præscripta & castella Fridericus Palatinus de manibus eorum, quibus erant impignorata, sine pecunijs recuperans armis & comminationibus, Ruperto archiepiscopo Coloniensi fratri suo & Agrippinæ ecclesiæ restituit, At vero pro suis expensis, quos propter ecclesiam Coloniensem fecit, oppidum & castrum Keysersvverde cum telonio & omnibus prouentibus impignoratum suscepit.

*Keysersvverde impignoratur Friderico Palatino.*

Eodem anno, cum insigne monasterium ordinis nostri in Wisenburg male regeretur per Iacobum de Ponte abbatem, & ex comitibus Antonium de Liningen præpositum, & pene ad vltimam paupertatem deuenisset, illustris & clarissimus Princeps Fridericus comes Palatinus prædictus statuit illud, ad instantiam consilium & directionem Euerhardi abbatis Montis monachorum prope Bambergam, & Hermanni abbatis montis S. Iacobi prope Moguntiam, ordinis nostri, de reformatione Bursfeldensi visitatorum capituli prouincialis, ad meliorem statum reducere, & expulsis deformatis monachis alijsque de obseruantia introductis penitus reformare. Misit ergo cum præfatis abbatibus, autoritatem apostolicam, consensum & Bullam Papæ ad reformandum habentibus, ex consiliarijs & militaribus suis viros prudentes & eruditos, & cum consensu ciuium Weysenburgẽsium, qui manutenere negotium omnino promiserant, cœnobium reformauit. Ecce autem, quid egit diabolus. Sub officio diuinorum Iudoco de Kalbe sacræ Theologiæ Doctore, consiliario principis, ad populum faciente sermonem, tumultus in populo contra missos à Principe oritur, & clamor turbæ concitatæ in altum eleuatur. Tandem commotione vulgi sedata, & principi satisfactione porrecta, inceptum opus consummatum fuit. Porro monachi deformati clam fugientes, literas, priuilegia & clenodia monasterij subtraxerunt, in castellis prædonum amicorum suorum ea reponentes. Verum non diu ciuium

*Cœnobium in Wisenburg per Friderici Palatinum reformatur.*

*Tumultus oritur in oppido Weysenburg cõtra missos.*

erga

erga manutenentiam reformationis Principi fidelitas promissa durauit, sed cito fuit mutata, sicuti sequenti anno dicemus.

Hoc anno, III. iduum Augusti obijt Iohannes abbas Bursfeldensis, secundus in reformatione, cui succedens Theodericus, in reformatione tertius, præfuit annis sedecim. *Ioannes abbas Bursfeldensis moritur.*

Eodem anno, Fridericus comes Palatinus Rheni, Adolphus archiepiscopus Moguntinus & Rudolphus episcopus Herbipolensis, simul confœderati produxerunt exercitum contra prædones illos de Rosenberg, Georgium, Arnoldum & Michaelem, cum eius adhærentibus, qui diabolico furore concitati, mandata Principum contemnebant, episcopos omnes, quotquot reperissent, spoliabant, sacerdotes amputatis virilibus castrauerunt, & per omnem terram inter Franckoniam & Neckarum, in via publica deprædationes exercentes, multa mala perpetrabant. Nuncios quoque Principum ad se missos, in eorum contumeliam, literas quas attulissent, comedere coegerunt. Vnde præfati Principes commoti, anno sequenti castrum prædonum prædictorum Bocksberg tribus hebdomadibus fortiter obsidentes, & machinis concutientes, ceperunt, prædonibus noctu cum septuaginta equitibus fuga lapsis. Acta sunt hæc anno sequente, videlicet MCCCCLXX. in V. feria cœnæ Domini. Post hæc castrum Schupf fortissimum obsidione vallarunt, & in VIII. diebus ceperunt, & funditus euerterunt in octaua Dominicæ resurrectionis. Et sic prædonum illorum temeritas humiliata & confusa principibus obedire deinceps fuit compulsa. *Prædones illis de Rosenberg domãtur per Principes.* *Audax facinus prædonum, Castella prædonum euertuntur.*

Sed quia præsens monasterium nostrum Sponheimẽse anno prænotato fuit reformatum, abbasq; Otto depositus, operæ precium est modum, tempus & personas, autoresque reformationis eius iuxta seriem & ordinem temporis breuiter cognoscere, volentibus maxime posteris testimonio scripturarum ad notitiam deducere.

## *DE REFORMATIONE HVIVS MONASTERII SPONHEIMENsis, & depositione domini Ottonis supradicti abbatis XXIII. cæterisque in illo tempore hic gestis.*

ANno igitur prænotato Dominicæ natiuitatis MCCCCLXIX. Indictione secunda, cum præsens monasterium propter malum regimen abbatum, & vitam dissolutam Monachorum ad extremam deuenisset paupertatem, esset que tam in spiritualibus quam in temporalibus omni decore suo penitus destitutum, illustris & deuotissimus Princeps Fridericus comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ, & comes in Spõheim, filius ducis quondam Stephani, & frater Ludouici ducis Nigri, qui mansionem suam in Siemern habuit, dolens super contritione & desolatione huius quondam insignis cœnobij, statuit illud ad honorem Dei reformationi subijcere, & in vtroque statu pro viribus ad obseruantiam regulæ instaurare. De consensu itaque & bona voluntate clarissimi principis domini Friderici comitis Palatini Rheni, ducis Bauariæ, & principis Electoris in Heydelberga commorantis (de quo multa in præcedentibus dicta sunt) duos Commissarios in hoc opus ab Adolpho Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopo impetrauit, Hermannum videlicet S. Iacobi prope Moguntiam, & Conradum de Rodenberg S. Iohannis in Rinckavvgia, monasteriorum ordinis nostri abbates, cum quorũ consilio & directione tam necessarium & sanctum opus ad finem deduceret optatum. Igitur Adolphus præfatus committens eis autoritate ordinaria vices suas, visitandi ac reformandi præsens monasterium in spiritualibus & temporalibus, eis dedit tale mandatum suo sigillo munitum. *Fridericus dux Bauariæ comes in Sponheim reformator huius monasterij.*

*Adolphus Dei gratia Mogũtinæ sedis archiepiscopus, sacri Romani imperii per Germaniã Archicancellarius ac Princeps Elector religiosis & deuotis, Hermanno S. Iacobi extra muros ciuitatis nostræ Moguntinæ, & Conrado S. Iohannis in Rinckavvgia, monasteriorũ abbatibus, ordinis S. Benedicti, nostris Christo dilectis, salutem in Domino semper. Inter cæteras sollicitudinum curas nostris humeris ex pastoralis nobis crediti officii debito incumbentes, illas præcipue conamur subire, per quas iuxta sacrorum canonum instituta & sanctorum Patrum decreta, fideles curæ nostræ subiectos decenter visitare, eorum mores, statum & conditiones vberius exquirere, & bene gesta confirmare, male facta corrigere, insolentias compescere, desolata reformare, atque errantes ad semitam iustitiæ & veritatis reducere valeamus, ne sanguinem ipsorum de nostris manibus requiri contingat. Sane nuper ad nostrum, non sine cordis nostri displicentia, peruenit auditum, monasterium in Sponheim, nostræ diœcesis, ordinis memorati, in spiritualibus & temporalibus existere multipliciter deformatum, & Rectores ipsius de negligentia executionis officiorum suorum notatos fuisse, & merito corrigendos: quæ absq; debiti appositione remedii non debemus sub dissimulatione transire. Nos igitur de præmissis digne dolentes, & ad dicti monasterii reformationem, rectorumque & membrorum illius correctionem & reductionem, ad* *Copia commissionis archiepiscopi Moguntini super reformationem.*

*consilia meliora paternis ac sollicitis studiis intendere cupientes, sed ad præsens diuersis nostris & ecclesiæ nostræ arduis præpediti negotiis, ad hoc specialiter intendere non valentes, vobis, de quibus specialem in Domino gerimus fiduciam, & cuilibet vestrum in solidum: persecutionem & executionem huius operis committimus, cum potestate monasterium iam dictum visitandi, fratres in regulari obseruãtia instructos autoritate nostra ordinaria introducendi, & illis qui in eodem hactenus exstiterunt, & obseruantiam debitam seruare voluerunt, adiungendi, rebelles vero & contradictores eliminandi, de vtilitate moderni abbatis & aliorum officialium inquirendi, ipsumque abbatem & alios officiatos, qui vobis inutiles aut non vsquequaq; seu adeo vtiles, vt expediret, pro reformatione videbuntur, amouendi, & abbatem alium pro hac vice ex reformatis, in debita obseruantia instructis, & testimonia digna fide habentibus, eligendi, deputandi, constituendi, aliaque, quæ pro reformatione & ipsius debita continuatione vtilia vel expedire videbuntur, ordinandi, statuendi, & agendi, quæ nos ipse ageremus & agere possemus, si præsentes essemus, ipsosq;, abbatem & fratres dicti monasterii, ad obtemperandum in præmissis, & quæ (vt præfertur) ordinanda duxeritis, adimplendum, ac cæteras, tam spirituales quam seculares personas, cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis exstiterint, iurisdictionis nostræ subiectos, si in præmissis vel circa ea vobis impedimentum præstiterint, directe vel indirecte, quouis quæsito colore, sub excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque censuris & sententiis ecclesiasticis, requirendi, cohortandi & compellendi, inuocato ad hoc (si opus fuerit) etiam præter censuras ecclesiasticas, auxilio brachii secularis. Testes vero nominandi ac producendi, si se gratia, odio, amore, vel timore subtraxerint, simili censura cogentes, veritati testimonium perhibere: harum nostrarum, quibus sigillum nostrum præsentibus appensum est, testimonio literarum. Datum in ciuitate nostra Moguntina, die vltima mensis Iulii, anno Domini* MCCCCLXIX.

*Potestates per censuras compellendi rebelles.*

Hac commissione susceptа, præfati abbates eam quantotius in notitiam Principis supradicti Friderici deducere curauerunt, quibus ille cognitis, diem statuit mensis Augusti XIX. hic in monasterio mane comparendi occulte seu inopinate, ita quod nullus in circuitu manentium, antequam venirent, quicquam perciperet. Aduenientе autem die præfixa, quæ fuit Sabbatum post festũ assumptionis beatæ Mariæ semper virginis, missi à præfato Principe consiliarij armata manu præsens cœnobium de mane post primas intrauerunt, diligentissime præcauentes, ne quisquam monachorum effugeret, aut de monasterio aliquid deportari posset. Interea post horam supervenerunt etiam supra dicti abbates, Hermannus S. Iacobi & Conradus S. Iohannis, qui mox vt intromissi fuerunt, locum capitularem intrantes, abbatem & conuentum adesse fecerunt: Quibus congregatis, in præsentia consiliariorum principis mandatum sibi factum ab archiepiscopo Moguntino, legi per Notarium publicum coram omnibus fecerunt. Erant autem monachi huius monasterij cum abbate numero v. videlicet, Otto abbas, Petrus de Blenich Cellerarius, Iohannes de Kirgberg, Conradus de Kirchberg, Iohannes Nutkin æque de Kirchberg, & sextus (qui modo iacet in carcere, nequior cunctis) Iohannes de Bockenavv. Qui cum audissent commissionem super monasterij reformatione lectam, animo consternati sunt, & deliberatione paulisper inter se habita, vnanimiter responderunt, *Aliter se viuere, quam didicissent, non posse, nec reformationẽ Bursfeldensem, nimis austeram, sibiq; importabilem, aliquatenus posse subire.* Commissarij autem his & alijs multis, quæ contra reformationem afferebant, auditis, & neminem cito condemnare volentes, monuerunt, vt melius deliberarent, ipsi quoque officium visitationis inceperunt, inquisitionem de vtroque statu monasterij facientes. Sequenti vero die, quæ fuit XX. mensis Augusti, Dominica videlicet & festum sancti Bernhardi abbatis, inquisitione peracta, cum Visitatores comperissent, abbatem huius loci dominum Ottonem, tum propter corporis sui debilitatem, tum etiam propter minorem in obseruantia regulari experientiam, ad curam pastoralem sub reformatione introducendam, non esse idoneum vel vtilem, post pias admonitiones ei tandem, vt dignitati cederet abbatiali, persuaserunt, ne sanctum reformationis negotium aliquomodo vellet impedire. Resignauit ergo abbatiam, anno & die præscriptis, coram Notario & testibus, & recepta pensione annua pro sustentatione corporis, non diu postea in monte S. Ruperti iuxta Bingen Præpositus monialium factus est, & ibi tandem in Domino quieuit. Resignatione autem (vt præmisimus) facta, eo die & sequenti Commissarij vna cum Secretarijs ducis ad hoc missis computationem & calculum omnium prouentuum ac debitorum huius monasterij ab ipso resignante acceperunt, Inuentarium (vt moris est) manu Notarij conscribentes, inuentumque est, monasterium pene ad extremam inopiam deuenisse. Omnia enim fuerunt impignorata, curtes & reditus, ita vt nihil pro sustentatione monachorum liberum restaret. Summa debitorum, quibus fuerat impignoratum, duorum millium & ducentorum florenorum calculum excessit, præter alia nimis multa gra-

*Consiliarij ducis hunc locum præoccupant.*

*Abbates Commissarij aduenium.*

*Nomina monachorũ huius loci tempore reformationis.*

*Otto Abbatiã resignat.*

*Omnia sunt impignorata, & debitorũ summa maxima.*

uamina

uamina paupertatis. Omnia ædificia monasterij erant ruinosa, & singula quæ videbantur nimia calamitate operta. Vtensilia domus aut non fuerant, aut prius propter metũ reformationis erant subtracta, vt primo aduenientes neq; mensalia, neque scutellas, neq; quicquam pene aliud, ad regimen domus necessarium inuenirent. Porro quam primũ fratres de reformatione hunc locum inhabitare cœperunt, nõ solum pecunias mutuo recipere, verumetiam blada & vinum commodato ab alijs, pro vitæ sustentatione, petere necessario coacti sunt. Primi autem fratres, qui ad reformationem huius monasterij venerunt, ex cœnobio S. Iacobi prope Moguntiam fuerunt, numero IV. scilicet, Iohãnes de Kolenhausen, qui ibi Cellerarius fuit, & hic in abbatẽ est ordinatus, Henricus de Geilenhausen, qui permansit hic vsque ad mortem per annos XVIII. Bruno, qui non diu mansit, Iohannes Hocheim, qui Cellerarius fuit institutus, sed non permansit. Enimuero propter nimiam paupertatem & inopiam huius monasterij, apud S. Iacobum in delicijs enutriti, hic manere diu contempserunt. Illis autem ad S. Iacobum redeuntibus, alij in locum eorum remissi, ad tempus manserunt, quibus etiam abeuntibus, iterum alij ad hunc locum missi fuerunt. Multis itaque annis nullus monachorum de S. Iacobo venientium, præter Henricum præfatum, in hoc loco stabilis perseuerantię fuit. quousque tandem collecti iuuenes, ex scholis venientes, & secundum cõsuetudinem ordinis instituti atque professi, tandem excursibus finem necessarium imposuerunt. Magna fuit eo tempore huius monasterij paupertas. Rarissimi in edulio fratrum pisces erant, sed frequenter pro piscibus pira, in fornace quadam exsiccatione decocta, & postea resoluta in caldari, brodioque perfusa, commestioni fratrum parabantur. Voluntariam in egestate patientiam pro Dei amore habuerunt, & tam in victu quam in amictu magna extremitate laborantes, nihil amplius quam monasterium extantis oneribus debitorum sua temperantia & parcitate quantotius cupiebant leuare. Ornamenta pro decore domus Domini pauca erant & nimis exilia, & præter mitram pontificalem clenodia in ecclesia nulla. Bibliotheca nulla fuit, quia monachi deformati non libros, sed ludos & voluptates sequebantur. Octo enim volumina, præter Bibliam in duabus partibus diuisam, parui precij aut valoris tempore reformationis fuerunt tantum in hoc monasterio inuenta. Nam (sicut longe supra diximus) bibliothecam quondam satis preciosam, posteaquam regularis disciplina cœpit in hoc loco paulatim declinare, & rerum quoque temporalium substantia cum integritate monasticæ cõuersationis deficere, monachi, qui tũ omnes erant proprietarij, distraxerũt, vendentes furtiue libros pro vili precio, ita vt nihil remanserit voluminũ tantorum, quod alicuius fuerit æstimationis. Sed nunc iam institutionẽ noui abbatis prosequentes, ordinem historiæ compleamus, quia sicut omnẽ huius cœnobij miseriã explicare nõ possum⁹, ita diutius reprobam vitam monachorũ deformatorum immorari superflue iudicamus.

*Nomina fratrũ huc primo venientium.*

*Magna paupertas huius monasterij.*

*Volumina bibliotheca nulla.*

*Quomodo libri fuerint alienati.*

## *DE IOHANNE KOLENHAVSEN, HVIVS MONASTERII SPONHEIMENSIS abbate XXVI. qui præfuit annis XIV. mensibus XI. & diebus III. & de gestis variis tam eius quam illius temporis.*

ANno autem prescripto MCCCCLXIX. indictione II. feria tertia post festũ S. Bernhardi, hoc est, XXII. die mensis Augusti, mane circa horã VIII. supradicti abbates & Cõmissarij domini Adolphi archiepiscopi Moguntini cum Notario & testibus locũ capitularẽ huius cœnobij intrantes omnes monachos hic repertos denuo ad se vocari fecerũt: quib. venientibus, & in loco prænominato residentibus, in præsentia Iohannis de Lansheim Cãcellarij, & aliorũ qui missi à Principe fuerant, sæpe dicti Cõmissarij & visitatores eis omnibus modis pie ac paterne cõsulere ac persuadere conati sunt, vt abiecta deformitate, pristinæ cõuersationis sanctæ reformationi colla submitterent, ac se morib. fratrũ, quos ad reformandũ hunc locũ adduxissent, pro salute animarũ suarũ conformarent. Verum cum informationibus pijsq; admonitionibus Patrũ nullatenus vellẽt acquiescere, visitatores & Cõmissarij præfati, autoritate sibi ab ordinario facta, omnes de monasterio eliminarũt, omni iure ad præsens cœnobiũ in electione & alias omnino per sententiã priuantes. Deinde animũ suum ad institutionẽ noui abbatis, iure electionis ad archiepiscopũ deoluto, cũ nullæ adessent monasterio incorporatæ personæ, intendentes, vsiq; authoritate cõmissa, de cõsilio & cõsensu fratrũ pro reformatione introducenda præsentiũ, Iohannẽ Kolenhausen, alias *de Butzbach*, monachũ & Cellerarium S. Iacobi prope Moguntiã, tunc præsentẽ, nomine & vice domini Adolphi Mogunt. archiep. in abbatẽ huiꝰ monasterij nominauerũt, deputarunt & instituerũt: qui sic per eos institutus, anno & die præscriptis, onꝰ regiminis ex mãdato sui abbatis suscepit, cõfirmatusq; Moguntię 3. die mẽsis Octob. per Si-

*Monachi huius cœnobij reformari nolunt.*

*Monachi antiqui eliminantur.*

*Iohannes Kolenhausen fit abbas huius loci 24.*

fridum episcopum Cyrenensem, domum Adolphi archiepiscopi Moguntini in pontificalibus Vicarium, ex eius commissione speciali, ac demum ab eodem ordinatus (vt moris est) præfuit huic monasterio, à die institutionis suæ præscripta annis XIII. mensib. XI. diebus tribus, in magna paupertate, inopia & patientia.

*Genus & origo Iohannis Kolnhausen abbatis.*

Oriundus fuit ex quodam oppido Wederauiæ, Butzach nominato, genere militari, quod de Colnhausen præfert insignia, qui in pueritia sua positus ad litteras, prima puerorum rudimenta percepit. Postea cum esset annorum ferme XIII. dimissis scholis equitare cum quodam Domicello, amicorum instantia cepit. Verum cum esset corpore gracilis & tener, nec sufferre labores equitum & onus armorum posse videretur, post IV. aut V. annos vsum equitandi dimisit cum officio militandi, consilio suorum, & denuo ad scholas se contulit.

*Iohannes Kolnhausen ad studium Erphordiense se confert.*

Recuperatis ergo, quæ aliquandiu intermiserat, studijs, ad Gymnasium generale in Erphordia se contulit, & in breui tempore multa perdiscendo non mediocriter profecit. Mathematicæ autem & Astronomiæ propensus operam dabat, & satis eruditus in ea scientia euasit. Verum propter debilitatem capitis non vsque adeo intendere harũ artium speculationi potuit, sic vt voluntas animi requirebat. Cum ergo per annos aliquot in præfato Gymnasio literis operam dedisset, Philosophiæ Doctor omniũ consensu factus est, & multos in ea facultate Magistros eruditione & scientia facile superauit.

*Magister factus domum reuertitur.*

Dimisso post hoc publico studio literarum, ad locum natiuum se contulit, & ibi in domo, quondam paterna, manere vno cum famulo cœpit. Sed cum eum cura familiaris & domestica sollicitudo nimium vexare & inquietũ reddere cœpisset, nimio affectus tædio, quid ageret, vel quem vitæ statum assumeret, ignorabat. vxorem ducere propter occasiones, quas consulto transimus non sibi satis tutum videbatur: sacerdotium subire, & in seculari societate conuersari periculosum iudicans, non voluit, manere sicuti erat, multo minus poterat. Statuit ergo tandem post multã deliberationem seculum deserere & monasterium intrare. Sed cum esset nimis gracilis, & delicatæ complexionis, arduum regularis iter aggredi timuit, ne forte cogeretur postea cum ingenti confusione descrere, quod inconsulte ac nimis temere assumpsisset. Ad vnius itaque spatium anni proponens ac metuens, in ambiguo stetit, & quid sibi esset vtilius concludere non potuit. Ordinem Carthusiensium, veluti nimis austerum, abhorruit, Mendicantium religionem, propter multa quibus mouebatur, ingredi noluit, nostram vero obseruantiam intrare, propter pene continuam & perpetuam carnium abstinentiam, æque formidauit. Sed tandem lumine diuinæ miserationis præuentus, moras rupit, metumque omnem deposuit, & ordinatis rebus suis ad monasterium S. Iacobi prope Moguntiã venit, & petijt suscipi in monachum, & obtinuit.

*Iohannes Kolnhausen fit monachus S. Iacobi.*

Factus autem monachus, in omnibus religiose & sine alicuius offensione conuersatus est, ita vt etiam cæteris in exemplum præpositus videretur. Ordinatus deinde Presbyter, ac postea Cellerarius præfati monasterij, quoniam satis idoneus esse videbatur, postremo (sicut diximus) abbas huius monasterij in reformatione primus institutus est. Fuit autem statura mediocris, nec breuis nimium nec rursus alta proceritate longus, macilentus & corpore gracilis, ac viribus tenuis, ingenio subtilis, miris, & multũ affabilis, sed velocis & vehementis iræ, cui perturbatio mentis & cito venit, & cito transiuit: nulli tamen ira eius plus nocuit quam sibi. Reformationem introductam, quantum in ipso fuit, bene cõtinuauit, & semper religiose vixit, cum summa maturitate & honestate sine querela omni tempore conuersatus.

MCCCCLXX.

*Capitulum prouinciale 2n. celebratur.*

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri I. XV. die mensis Maij celebratum fuit prouinciale capitulum ordinis nostri XX. in monasterio S. Petri in Erphordia, in quo præsederunt, Guntherus eiusdem, Melchior S. Vdalrici in Augusta, Sebaldus S. Ægidij in Nurenberga, & Paulus S. Mariæ in Elchingen, monasteriorum ordinis nostri abbates, & multa in eo fuerunt statuta & renouata pro conseruatione ordinis.

*Monasterij præsens Capitulo Bursfeldense vnitur & incorporatur.*

Eodem anno, II. die mensis Septembris celebratum fuit annale capitulum vnionis & obseruantiæ Bursfeldensis, in monasterio S. Matthiæ prope Treuirim: in quo Iohannes huius monasterij abbas, & monasterium præsens ad vnionem & participationem omnium indultorum, priuilegiorum & gratiarum eiusdem in forma consueta meruerunt incorporari, literis necessariis præstitis ac consuetis.

*In præfatis monachis Iohannis de Bockenawy.*

Eodem quoque anno vnus ex monachis antiquis deformatis, qui anno priori fuerant eliminati, Iohannes de Bockenawy, sacerdos iuuenis & temerarius, contra fratres reformatos

formatos animum gerens amarum, lædere illos aut etiam occidere (si posset) occulte laborabat. Veniens ergo ad abbatem & fratres, simulata intentione, ad reformationem petit admitti, promittens se in omnibus velle obedire mandatis seniorum, & latens venenũ dulci verborum modulatione abscondit. Quid moramur? susceptus ad probationẽ. ouib. lupus coniunctus est. Vt autem omnia, propter quæ venerat exploranda, didicisset, introitum videlicet & exitum ad dormitorium, fratrum quoque singulorum cellas & lectorum dispositionẽ, & alia quę ęius proposito conduxissent, nacta opportunitate clam de cœnobio aufugit. Post menses II. aut III. noctu sub matutinis cellas fratrũ ingreditur, quicquid sibi placens reperit furatur, & se quosdã ex eis perempturum comminatur. Erat autem eo tempore dormitorium fratrum ad occidentalem plagam claustri, vbi nunc est dormitorium donatorum.

*De monasterio fugit occulte.*

Quadam igitur nocte venit cum gladio in dormitoriũ quiescẽtium monachorum, accedensq; silenter ad stratum Brunonis, quẽ maiore prosequebatur od'o, gladium in eius guttur se figere putans, pedẽ seu tibiam vulnerauit: verterat enim illa nocte Bruno pedes ad illum locum, quo caput antea ponere consueuit, nescio an consilio vel à casu. Mox autem vt vulnus sensit pungentis, experrectus clamauit, vnde territus latro aufugit.

*Monachos conatur occidere.*

Postea messe iam collecta, nocte quadã rediens, horreũ vnum cum frugibus incendit, & plus quã quadraginta maldra frumentorũ exussit, sublatoq; ex stabulo equo, per portam quæ tendit ad vineas, aufugit. Tandẽ venit ad Hornbach, ibique inter monachos sub hospitis forma ad tempus receptus, non diu nequitiã suam potuit abscondere, sed furatus in ecclesia ex cistulis oppidanorũ, illic propter immunitatẽ loci positis, pecunia, vestibus, detentus & in publica custodia positus est. Qui cum ibidẽ pane tantũ vesceretur & aqua, Iohanni Kolnhausen abbati nostro, cuius non erat monachus, scripsit, ac instantius rogauit, quatenus eum de carcere durę afflictionis eriperet. Bonus ille ac nimiũ misericors, cum illum, vt sibi nulla professione subiectũ, tanquã incorrigibilem prorsus & iure de monasterio eliminatũ, in sua iniquitate captũ, potuisset dimittere, misericordia motus est, & solutis quæ furtim in ecclesia abstulerat, vna cum expensis in carcere factis, eum indeliberauit. Venit ergo de carcere liber, sed iniquitatis seruus, veniã petiuit, iterũ susceptꝰ fuit, sed prauos mores in nullo penitus emendauit. Postremo cũ nimiã temeritate omnes turbasset, iterum aufugit, & multas vbique nequitias & iniquitates perpetrauit, quousque tandẽ anno Iohannis præfati abbatis III. per equites ducis Friderici captus, ad perpetuos carceres hic in monasterio positus fuit, & iste est annus incarcerationis eius XXIX.

*Horreum cũ frugibus incendit. Sacrilegium committit. In Hornbach incarceratur.*

*Ioannes abbas noster eum de carcere liberat.*

*Ad perpetuos carceres ponitur.*

Cæteri autem monachi antiqui nihil tale contra reformationẽ tentarunt, quorum senior Petrus de Blenich venit ad monasteriũ Sunsheim, & ibi in deformatione sua mortuus est: Otto quondã abbas, in monte S. Ruperti prope Bingẽ (sicut diximus) monialium confessor factus, ibidem in Domino quieuit, sepultus in Capella beatæ Mariæ semper virginis ibidem. Alij tres iuuenes ad obseruãtiam redierunt, quorum duo breui postea obierunt, tertius Iohannes Nutigin de Kirchberg plus quã XX. annis confessor monialium fuit in Bibelis Argentinensis diœcesis, donec tandẽ improbitate monialiũ cedere coactus fuit & ad monasteriũ Schmerlebach Moguntinæ diœcesis, per Iohannẽ Trithemium, abbatẽ huius cœnobij, iterum cõfessor monialiũ institutus est, vbi adhuc viuit senex & infirmus.

*Quo deuenerint monachi antiqui.*

Anno Domini prænotato MCCCCLXX. ciues oppidi Weissenburgẽsis, qui priori anno in verba comitis Frederici iurauerãt, se totis viribus velle manutenere per ipsum Principẽ (sicut supra diximus) introductam reformationẽ in monasterio nostri ordinis ibidẽ, nescio qua ratione moti, sententiam contra iuramentum ꝙ fecerant mutantes, antiquos monachos deformatos in habitu muliebri occulte intromiserunt, ipsisq; reformatis cum ignominia expulsis, cœnobium antiquis tradiderunt: hostes quoq; & inimicos principis Palatini, sicut Wiricum Hoffart cum quibusdam alijs, hospitio recipientes fouerunt, prefectum quoque principis in Weissenburg captum & exactionatum contumelijs affecerunt. Vnde commotus magnanimus Princeps, oppidum Weissenburg cum valido fuorũ exercitu per totã hyemẽ durã satis obsedit, positoq; in desolata præpositura quatuor turrium præsidio, vrbẽ fortiter impugnare cœpit. Interea pro concordia laborabant Argentinenses cum quibusdam alijs in Alsatia ciuitatibus, & sub conditionem satisfaciendi pro contumelia principi pax fuit concluſa, & obsidio soluta. Sed nõ manserunt in conclusione, quam acceptauerant Weissenburgenses: missis enim ad Imperatorem legatis, Palatinum imperialium persequutorem accusabant, postulantes sibi contra impetum eius ducem Ludouicum cognomento Nigrum Comitem Veldentiæ in Captancum imperatorio nomine constitui. Fecit Imperator quod rogatus fuerat, animum contra Palatinum

*Ciues Weissenburgenses reformatis expulsis cœnobium deformatis rursus tradidere.*

*Weissenburg à Friderico Palatino obsidetur.*

*Causa secũda dissensionis inter Palatinum & ducem Ludouicum.*

alioquin habens offensum, constituitq; præfatum ducem Ludouicum Capitaneum per literas imperiales patentes, nomine sui & totius imperij Romani, quam constitutionem dux Ludouicus acceptans, iuramento Palatino (sicut supra dictum est) obnoxius, contra eum agere cœpit. Itaque necessitate compulsus inclytus Princeps Fridericus, recensuit milites suos, & quasi rugiens cum exercitu suo egrediens contra Ludouicum, Stralburg castrum & Schryesheim oppidum obsidione cingens, in VIII. diebus cepit, & præda

*Schreyesheim à Friderico Palatino capitur.*

capta XVI. ex peditibus fecit submergi, cæteris in captiuitatem deductis. Post hæc oppidum ducis Ludouici, quod Armsheim dicitur, satis munitum obsedit, illudque machinis, bombardis & fossis fortiter expugnans in die commemorationis S. Pauli in deditionem accepit. In ea victoria milites XVIII. equites vero XLII. Palatinus accepit captiuos. Oppidanis autem pro pecunia taxatis, & peditibus XL. ad Altzen in custodiam missis, murum in circuitu destruxit, turres & propugnacula euertit, arma, bombardas & omnem apparatum bellicum abduxit. Captiui autem pedites in Altzen ducti, quasi omnes fuerunt submersi, quia hanc Princeps Palatinus consuetudinem habuit, quod neminem viuum dimisit, qui cum esset eius proprius, & ei seruili conditione subiectus, contra eum inimicitias præsumpsisset, nisi causam habuisset excusabilem. Deinde Palatinus castrum Wachenheim obsedit, & magnis insultibus expugnatum cepit, in quo magnum apparatum bellicum inuenit. Hoc autem castellum aliquandiu in præsidium tenuit, sed tamen postea illud (sicut hodie cernitur) funditus euertit. His factis etiam oppidum Wachenheim obsedit, sed cum audisset ducem Ludouicum cum comitibus de Liningẽ & Bitsch cum valido exercitu per Alsatiã venturos, obsidione soluta, & machinis bellicis in Didisheim repositis, obuiã illis processit. Qui eius aduentu recognito retrocesserunt, nec ausi fuerunt ante faciẽ eius venire. Iterũ posthæc Palatinus fortissimũ castrum Rupertzeck obsedit, quod maximus insultibus, bombardis & fossis impugnatũ, tandem in deditionem accepit, in quo alimenta, equos, machinas & apparatũ bellicos in magna copia reperit, ac nobiles XIII. equites XLVI. cum alijs nonnullis, quos omnes cepit. Inter nobiles captiuos fuerunt, Reinhardus comes Hirsutus (vulgariter *Rugraff*) & Iohannes de Landeck, Capitanei cæterorum omnium.

*Wachenheim castrũ à Friderico Palatino capitur & euertitur.*

*Rupertzeck castrum à Friderico Palatino capitur.*

*Monasterijũ Limpurg spoliatur.*

Anno prænotato, cum Fridericus Palatinus comes inclytus ea quæ diximus contra suos ageret inimicos, pedites qui in Wachenheim ex parte ducis Ludouici aduersus Palatinum præsidia tenuerũt, eruptione facta in vigilia assumptionis beatæ Mariæ semper virginis, monasterium Limpurg, nostri ordinis, intrauerunt, & apertis violenter sacristia & bibliotheca, omnia quæ inuenissent rapuerũt, tam in ecclesia, (præter reliquias) quam extra in toto monasterio, sublatisque currib. & equis monachorum prædam ad Wachenheim deduxerunt.

*Turcus capit Euborã Christianorũ Insulam.*

Eodem quoque anno Mahumetes Imperator Turcorum cum classe XL. nauium & exercitu C. millium equitum Eyboram, Christianorum præclaram Insulam, inuasit, eamque XXX. dehinc die cepit, & multa millia Christo credentium miserabiliter occidit, vrbes & castra funditus subuertit.

*Comes Ferrariæ creatur in ducẽ per papam.*

Eodem anno idibus Aprilis, Paulus Papa II. inter sacra missarum solennia Borsum Estensem Ferrariæ comitem creauit in ducem, quod tunc multis nõ ad Papam sed potius ad Imperatorem pertinere visum est: alioquin si Papæ licet creare duces, licet & Imperatori (vt quondam) instituere pontifices & abbates. Verũ Imperator Fridericus (quod vix aliquis ante eum fecisset) hoc factũ, sicut & alia multa, in desolationem imperij dissimulauit.

*Donatus fit Prior huius loci 31.*

Hoc anno post quadriennalem ferme prioratus monasterij huius vacationem, Iohannes Kolnhausen abbas supra dictus Priorẽ XXXI. institu t Donatum, monachum quendam, qui non diu præfuit in ipso officio, sed ad Weisenburg postea, ad cœnobium quoddam monialium, translatus est: præfuit autem annis III.

MCCCCLXXI.

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri II. Fridericus comes illustris Palatinus exercitũ validum XIV. millium armatorũ in persona propria contra Ludouicum ducem Veldentiæque comitem producens, oppidum illius Wachenheim, quod ante hyemẽ obsederat, rursus obsidione vallauit, quod machinis, armis, bombardis & fossis virili insultu coartans, in die sancti Bonifacij episcopi & martyris in deditionem accepit. Oppidoantem capto cum VIII. nobilibus, XXXV. equitibus & LXX. peditibus, oppidanos pro certa pecuniarũ summa taxauit, muros & turres euertẽs solo æquauit, fossata complanauit, & omnes machinas abduxit. Peditũ vero, qui ecclesias & monasteria spoliauerant, pauperes interfecerant, aut domos incenderant, LVI. fuerunt submersi, & tunc mercedem spoliationis monasterij Limpurgensis, quã priori anno fecerãt (Domino iniuriã vindicãte) receperũt.

*Wachenheim oppidũ à Friderico Palatino capitur.*

Post

Post hoc Palatinus mouit exercitum ad Bockenheim villam maiorem & minorem, vtramque fossatis & propugnaculis bene munitam, quæ pertinebant comitibus de Liningen, easque ambas obsidione cinxit, & in VIII. diebus obtinuit, nobilibus & equitibus cum quibusdam alijs fuga lapsis; præter militares IV. equites XV. & pedites XX. qui inuenti fuerunt & capti, ac nonnulli peditum submersi. Muri omnes, sæpes, turres & munitiones omnes destructæ fuerunt, fossæ complanatæ, & domus incensæ, & villæ ambæ funditus destructæ & desolatæ, in die mensis Iunij XIV. *Grosbockẽheim à Friderico Palatino capitur & euertitur.*

His autem peractis magnanimus Princeps Palatinus mouit exercitum contra ducẽ Ludouicũ, & obsedit Vlmen castrum & oppidum, quod impignoratum dux ipse Ludouicus ab ecclesia Moguntina tenebat, & multa ex illo Palatino damna intulerat. Quibus auditis canonici Moguntini metuẽtes, ne si Palatinus castrum obtinuisset, in perpetuum ab ecclesia Moguntina alienaretur, se per modum cõcordiæ interposuerunt, ita videlicet, *Quod Princeps equites & pedites, in castro existentes, cum bonis eorum abire permitteret, castrum quoque & oppidum ecclesiæ Moguntinæ restitueret, in manus Ludouici ducis non amplius concedendum, & ipse pro expensis suis ab ecclesia Moguntina* IV. *florenorum millia reciperet.* *Vlmen à Friderico Palatino obsidetur.*

Acta sunt hæc & concordata in die S. Iacobi apostoli, anno præscripto. Exinde Palatinus cum suorum exercitu fortissimo Lansheim oppidum, situ, aquis, fossis, muris & propugnaculis munitissimum, obsedit, in quo fuerunt XXXIV. nobiles & equites, pedites ex Suitensibus solario conducti plus quam CCC. qui cum post biduum obsidionis vidissent insultus & fortitudinem Palatinensium, obtenta securitate abeundi, cum iuramẽto contra Palatinum hac dissensione durante non faciendi, dimissis oppido & equitibus abierunt: deinde manu valida Princeps oppidum obtinuit, Philippum Lusser præfectũ cum XV. nobilibus, XXXI. equitibus & XX. peditibus cepit, sed pedites ipsos submergi fecit. Ciues in arma Principis iurare coacti sunt Dominica post vincula Petri. Post hæc idem Princeps magnanimus obsedit Dorckheim, inter omnia oppida comitũ de Liningen & maius & præstantius, pro cuius munimine & fortitudine comites ipsi per continuos XX. annos neq; laboribus pepercerunt neque impensis. Posuit ergo præsidiũ Princeps in monasterio monialiũ in Sebach, nostri ordinis, & toto annisu machinis, bombardis, fossis & varijs bellandi modis oppidum expugnare aggreditur, & post multos labores & pericula illud in deditionem accepit, Dominica post festum assumptionis beatæ Mariæ semper virginis, anno prænotato: muros, turres & omnia fortalitia (quemadmodum hodie cernitur) solo adæquauit & penitus subuertit, omnes quotquot duci Ludouico pertinentes ibi reperit, captiui fuerũt abducti. Oppidani autem homagia & iuramentum fidelitatis & subiectionis ipsi principi Palatino præstiterunt. Inter alios capti fuerũt comites tres, Philippus & Dietherus comites de Liningen, & Petrus Dominus & comes quidã Gallicanus: militares autẽ XXIV. capti fuerunt, equites C. & sex meliores, qui in toto circuitu fuerunt, pedites cõductitij XL. ciues LI. & viri LXX. ex comitatu Lyningensi illuc ad defensionẽ positi, qui vna cũ oppidanis pro pecunia fuerunt ab eo taxati. In hac expugnatione Dorcheimẽsi ceciderunt ex parte principis Palatini nobiles & ignobiles ferme CC. viri, ex parte autem comitũ in oppido LXXXIX. *Lansheim à Friderico Palatino capitur.* *Dorckheim à Friderico Palatino capitur & subuertitur.*

Post ista Princeps magnanimus omnem exercitum mouit contra ducẽ Ludouicum, & inprimis obsedit Sobernheim, oppidum ecclesiæ Moguntinæ, ipsi Ludouico cum alijs (quemadmodũ supra diximus) impignoratũ, quod cum ciues audissent, statim in deditionem eius venerunt, scientes se & tanto exercitui non posse resistere & auxilium à suo duce nullũ habere, Montzingen quoq;, Merxheim, & Nosbaum pari forma eodẽ anno & die, in vigilia scilicet Bartholomæi apostoli in deditionẽ Palatini comitis venerũt, quæ & ipsa de impignoratione Moguntinæ ecclesiæ in manu ducis Ludouici fuerant. Beckelnheim quoq; castrum per deditionẽ Conradi Schlarpff de Gysenheim, cum nullũ ducis Ludouici suppeditare videretur auxilium, in manus Palatini Principis cum adiacẽtibus villis & viculis eodẽ ferme tempore deuenit. Deinde comes Palatinus mouit exercitũ, feria II. post festum S. Bartholomæi apostoli ad obsidionẽ castelli Lansberg & Moscheln castrum & vicum, & tunc primum dux Ludouicus veniam petiuit, cum iam & multa castra & oppida perdidisset, & omnibus auxiliaribus destitutus esset. Facta est igitur inter ipsum Palatinum concordia, & in secunda feria post diem S. Ægidij confessoris Heidelbergæ literis & monumentis necessarijs conclusa: ita quod omnia castra, & alia quæ Palatinus obtinuit, in eius permaneant potestate. Non placuit Friderico Imperatori ista concordia, quam tamẽ infringere non potuit: quia dux Ludouicus deinceps maluisset Imperatorẽ inimicum, quã offendere Palatinum denuo eius iussu. Cæteri etiam Principes in circuitu omnes vires Palatini metuentes, non mutire contra eum præsumebant. *Sobernheim Merxheim. Montzingen & Nosbaum capiuntur.* *Beckelnheim deuenit in manus Friderici Palatini.* *Concordia fit inter Palatinum & ducem Ludouicum.*

Eodem quoque anno, feria IV. post festum XI. millium virginum, præfatus Princeps Fridericus, antea cum Nicolao duce Lotharingiæ confœderatus, communicato exercitu, castrum Gerolseck & oppidum Morsmonster, in quibus prædones & inimici præfati ducis morabantur, obsedit, fugaque lapsis prædonibus castrum & oppidum Morsmonster cepit, muros destruxit ac funditus euertit.

*Gerolzeck castrum & Morsmonster oppidū prædonum à Friderico Palatino capitur.*

Iterum posthæc in mense Decembri eodem anno, Princeps Ieonanimus Palatinus exercitum suum misit ad terram, quæ vocatur Odenvvalt, & obsedit Dorsbach & Waltbach, castella prædonum: quorum primum tertia feria post diem S. Luciæ martyris, & aliud die sequenti cepit, incolis vtriusque aut fuga lapsis, aut captis vel occisis. Sicque per eum itinera viatoribus reddita sunt tutiora.

*Dorsbach & Waltbach similiter.*

Anno quoq; prænotato Dominicæ natiuitatis MCCCCLXXI. Iohannes Kolnhausen abbas huius cœnobij obtinuit quorundam altarium, scilicet Capellam S. Georgij in Dalen, S. Antonij hic monasterio & aliorum, quæ omnia incorporata huic monasterio, Friderico Imperatore III. regnante vel antea, per Franciscum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, tituli S. Eustachij Diaconum Cardinalem, apostolicæ sedis legatum (vt patet in literis) confirmata sunt.

*Altaria quædam nobis incorporantur.*

Eodem quoq; anno, in mense Decembri & per Ianuarium anni sequentis Cometa horribilis & ingens apparuit, per dies ferme octoginta, igneo colore, in principio Libræ rutilans, qui caudam in longum protendens, atque in septentrionem paulatim circumflectens, omnes in pauorem & admirationem conuertit.

*Cometes apparuit.*

MCCCCLXXII.

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri III. inter Rupertum archiepiscopū Colonienſem & capitulum maioris ecclesiæ grauissima dissensio oritur, quæ in tantum præsulis animum concitauit furorem, vt in diuersis locis extra Coloniam reditus Dominorum de capitulo in manu valida raperet, & suis vsibus applicaret: quod sibi nō cessit in bonum, sed potius in damnum & opprobrium sempiternum, sicut anno proximo & sequentibus suo loco dicemus plenius.

*Dissensio inter archiepiscopū Colonienſem & Capitulum*

Eodem quoq; anno tres viri ordinati fuerunt & magno precio cōducti, vt oppidum Nussienſe in manus archiepiscopi Colonienſis præfati tradere debuissent. Horum vnus nomine Basilius accepta etiam à Nussienſibus pecunia, consonos suos Fridericum Schruff & Eberhardum Bock in manus eorum tradidit, qui statim vt ad Nussiam venerunt, nauigio descendentes, dato ab his traditore capti sunt, criminis voluntatem confessi capite truncati, & in partes quatuor diuisi sunt. Hinc Pontificis in Nussienſes furor, hinc malum omne sumpsit exordium.

*Attentata traditio oppidi Nussiæ.*

Eodem quoque anno Fridericus Palatinus misit episcopum Wormacienſem Reynhardum cum quibusdam alijs de consilio ad Coloniam, pro concordia inter archiepiscopum & capitulum tentanda: sed sine effectu redeuntes in ascensu, non longe à Rodenkirchen, vna cum missis præfati archiepiscopi capti, spoliati & abducti fuerunt.

*Episcopus Wormatiēſis ad Coloniam mittitur.*

Anno prænotato, circa festum S. Martini, Fridericus Comes Palatinus misit exercitum suum ad Syluam Bohemorum, ad destructionem cuiusdam castelli prædonum, quod Dissavve nominabatur, & violenta manu ab eis captum est, prædones occisi, & castrum euersum soloque æquatum: Capitaneus abductus in Amberg captiuus. Et sic stratæ per Bauariam viantibus factæ sunt tutiores.

*Capitur. Dissavve castellum prædonum per exercitū Palatinū capitur.*

MCCCCLXXIII.

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri IV. monasterio Weyſenburgenſi post bella & seditiones multas ad obseruātiam reducto, Donatus Prior huius monasterij XXXI. illo missus est, qui post annos aliquot inde missus ad Lobenfelt, cōfessor monialiū factus, tandem in Domino quieuit. Et notandum, quod ante & post eum Interpriores aliquando fuerunt, quos *Præſidentes* appellant. Nam statim ab initio reformationis Interprior fuit Iohannes de Wesalia, monachus S. Iacobi prope Moguntiam, vir quidem bonus & mansuetus, qui non diu hic perseuerans ad suum monasterium est reuersus. Post Donatum institutus est Prior huius monasterij XXXII. Iohannes de Liningen, monachus S. Iacobi huc missus, & hic stabilitus, & præfuit in officio Prioratus annis ferme VIII. paruo tempore intermediante excepto, quo Interprior fuit Iohannes de Oppenheim monachus S. Iacobi, sed non diu hic mansit.

*Donatus Prior 31. ad monasteriū Weisenburg mittitur. Præſidentes.*

*Ioānes Prior huius loci 32. instituitur.*

Eodem anno canonici maioris ecclesiæ Colonienſis in gubernatorē suū & ecclesiæ Colonienſis contra Rupertum archiepiscopum assumpserunt Hermannū, prouincialis comitis Hassiæ filium, canonicum suum & ecclesiæ Aquensis præpositum, qui post mor-

*Hermānus Hassia comes fit Gubernator Colonienſis.*

tem

tem Ruperti archiepiscopus factus est. Huic Gubernatori facto ciues & oppidani Bunnenses & Andernacenses, à domino suo archiepiscopo deficientes, homagium fidelitatis fecerunt, & sequuta sunt plurima mala in ecclesia Colonienſi. Adunato enim suorum exercitu Hermannus Gubernator præfatus, quædam castella domini sui archiepiscopi obsedit & cepit, & in suam atq; capituli potestatem redegit.

MCCCCLXXIV.

*Fridericus rex Romanorũ venit ad Treuerim.*

Anno Iohannis Colnhausen abbatis nostri v. Imperator Fridericus III. cum multis principibus venit ad Treuirim, & duobus fere mensibus ibidem in Palatio Archiepiscopi permansit. Fuit inter alios Principes eo tempore apud Treuiros Carolus dux Burgundiæ vltimus, qui mansionem in cœnobio S. Maximini extra muros Treuirenses habuit, & ibi coram Imperatore, principibus & omni populo magnificentiam potentiæ & diuitiarum suarum ostendit. Sunt qui dicant, cum regni gloriã ambiuisse, & ob eam semper Imperatorem inuitasse ad Treuiros, vt ab eo sublimatus in regem, cætera cum insigniori pompa perageret. In argumentum facit, quod diadema, sceptrum, pila, & reliqua ad coronationẽ regis pertinentia, cum magno fuerant decore præparata. Verum Imperatore postea clam recedente spe sua frustratus est. Rupertus archiepiscopus Colonienſis præfatum ducẽ Burgundiæ Carolum in tutorẽ & defensorem suũ contra Hermannum Gubernatorẽ & capitulum Colonienſem assumpsit, qui statim eodẽ anno IV. cal. Augusti Nussiam oppidũ insigne obsedit, vice & nomine ipsius archiepiscopi in maxima multitudine armatorũ, Hermanno Gubernatorẽ præfato in oppido existente, ac toto tempore obsidionis per menses x. & dies XXVII. cũ oppidanis perseuerãte. Habuit autẽ Carolus in exercitu suo multa millia hominũ, & cũ machinis & bombardis maximos sæpe fecit insultus, sed tamẽ nihil profecit

*Careli Burgundi magnificentia.*

*Nussia obsidetur à duce Burgundiæ.*

*Capitulum prouinciale 21. celebratur.*

Anno præcedẽte celebratũ fuit XXI. ordinis nostri capitulũ prouinciale Nurenbergę.

*Philippus Palatinus ducit vxorem.*

Eodem quoq; anno MCCCCLXXIV. Philippus inclytus comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, Dominica Quinquagesimæ duxit vxorem in Amberg, Margaretham filiam ducis Ludouici Bauariæ cognomento diuitis, sororem ducis Georgij, ex qua genuit Ludouicum ducẽ, Philippum episcopum Phrisingensem, Rupertum ducem, Fridericum ducem, & alios tam filios quam filias. Porro vxor ipsa obijt anno Iohannis Trithemij, abbatis huius loci, XVIII. vt suo loco dicemus.

MCCCC'LXXV

*Dietherus sterum fit archiepiscopus Moguntinus.*

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri VI. c[illegible]t Adolphus de Nassavv, archiepiscopus Moguntinus, VIII. idus Septembris in castro [illegible] Altauilla. Post cuius mortẽ canonici maioris ecclesiæ sapienti consilio vsi, qu[illegible]i vnum prouentus ecclesiæ reducerent, Dietherum de Isenburg, quondam abrogatum, denuo in archiepiscopum elegerunt, qui præfuit secundario annis VI. & mensibus totidem. Hic Dietherus aream in fine ciuitatis Moguntinæ de nouo construxit, quam castrum S. Martini appellari voluit. Iste archiepiscopus Dietherus secundo Præsul factus vniuersitatem Gymnasij generalis in ciuitate Moguntina primus instituit, quam aliqualiter dotatam à summo Pontifice confirmari & consuetis priu legijs & gratijs cumulari impetrauit.

*Vniuersitatis Moguntinæ institutio.*

*Obsidio ciuitatis Nussiensis soluitur.*

Anno prænotato, in vigilia sanctorum Petri & Pauli apostolorũ, Carolus Burgundiæ dux obsidione Nussiensis oppidi soluta recessit, suasu & consilio Imperatoris, qui tunc in auxilio Nussiensium præsens cum maxima multitudine armatorum hominum, Principum ciuitatumque imperij omnium. * Post cuius decessum Hermannus Gubernator ecclesiæ Colonienſis castella, oppida, munitiones & villas pro maiori parte episcopatus paulatim obtinuit, ita quod obedientia Ruperti valde fuit in breui minorata, quod erat miserabile videre. At vero dux Carolus exercitum mouit contra ducem Lotharingiæ circa festum S. Martini, & fugato duce omnem terram eius totumque ducatum Lotharingiæ in deditionem accepit, omnesque incolas præstare sibi homagium coegit.

*Dux Burgundia obtinet Ducatũ Lotharingiæ.*

Eodem anno idibus Decembris obijt Iohannes archiepiscopus Magdeburgensis, Germaniæ primas, Stephani ducis Bauarię comitisq; Sponheimensis filius, & frater ducis Friderici de Siemern reformatoris nostri, vir deuotus & sanctus.

*Iohannes episcopus Magdeburgensis moritur.*

MCCCCLXXVI.

*Capitulum prouinciale 22. celebratur.*

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri VII. celebratum est XXII. capitulum prouinciale ordinis nostri, in Monte monachorum prope Bambergã, tertia Dominica post festum paschatis, in quo præsederunt Martinus in Schvvartzbach, Hermannus S. Iacobi prope Moguntiam, Henricus in Blaburen, & Iohannes S. Ægidij in Nurenberga, monasteriorum ordinis nostri abbates.

Hoc ipso anno fuit in Franconia tympanista quidam, brutorũ pastor animaliũ, ho-

*Concursus populi ad Niclashausen.*

mo pauper & idiota, apud villulā Niclashausen, qui dixit beatā Dei genitricem Mariam in campis sibi apparuisse, & in mandatis dedisse, vt publice populo prædicans vitia cleri corum & auaritiam redargueret, telonia & pedagia principibus non esse soluenda, omnes aquas, piscationes, nemora & venationes omnibus esse communia, sacerdotum & episcoporum mandatis non esse parendum, nec eorum curandas esse sententias, neque decimas dandas esse neque census alicui. Ad hunc fatuum ex omni Alemannia, tanquā ad sanctissimum aliquē Prophetā, populorum concursus factus est, multæ pecuniæ oblatæ, miracula conficta, & multa contra puritatē Christianæ fidei patrata. Stabat homo ille fatuus in domo aliqua, & per fenestrā, quodam fugitiuo monacho verbum inggerēte, populo prædicabat, qui tanto eum libentius audiebant, quanto libertatē ecclesiasticam & dominia

*Vesana stultorū hominum temeritas.*

principum lædere & imminuere conabatur. Mira stultorum insania. De longinquis regionibus fama Prophetæ noui concitata, maxima multitudo hominū confluebat, miserumq; illum & omnino fatuum hominē flexis in terrā genibus adorabant, clamentes, eo audiente & tolerante, *Vir sancte miserere nobis.* Sed & pecias vestimentorū eius pro sanctuario & reliquijs diripiebant, seque felicē æstimabat, qui eum tangere, videre vel audire meruisset. Continuus & sine intermissione populorum cursus illuc fiebat: iacebant homines vtriusq; sexus & ætatis noctu in campis, pratis & nemoribus vicinis, & multæ fiebant impuritates. Tandē Rudolphus episcopus Herbipolensis, in cuius parochia Niclashausen est,

*Pseudoprophota igne crematus interiit.*

ipsum Pseudoprophetam, missis armatis hominibus suis, cepit, confessum dolum & impietatem præsumptam fecit exuri, & sic stultorum illuc peregrinatio cessauit.

MCCCCLXXVII.

*Abbatie super Wolfen Apostolica commissio.*

Anno Iohann. sKolnhausen abbatis nostri VIII. Sixtus Papa IV. ad instantiam domini Friderici ducis Bauariæ & comitis in Sponheim, & Marchionis Christophori de Badē, constituit eum apostolicum Commissarium super incorporatione quarundam præbendarum ecclesiæ nouiter collegiatæ in Wolffen iuxta Mosellam in diœcesi Treuirensi, quā præfati principes fratribus Griseis de communi vita nuncupatis, tradiderunt perpetuo possidendam, & factum in toto confirmauit.

*Vniuersitas Tubingēsis instituitur.*

Eodem anno Euerhardus senior comes de Wirtenberg, qui postea per Maximilianum regem Romanorum apud Vangiones in ducem fuit sublimatus, Gymnasium seu studium generale instituit in oppido suo Tubingen, Constantiensis diœcesis. In prouincia Moguntina ecclesiam quoque S. Georgij parochialē erexit in collegiatam, & tam ipsam quam vniuersitatem sufficienti stipendio prouisam à Papa Sixto IV. fecit confirmari, priuilegijsque necessarijs, more aliarum vniuersitatum communiri.

*Carolus dux Burgūdiæ occidit.*

Eodem quoque anno dux Lotharingiæ confœderatis Suiceris Carolum ducē Burgundiæ, à quo priori anno ducatu pulsus fuerat, aggreditur, eumque superatum occidit. Post cuius mortē præfatus dux Lotharingiā recuperauit. Rex Franciæ Burgundiā suo sceptro subegit, vsque in præsentē diem: atque alij principes alia rapientes Caroli dominium minuentes dissiparunt, & sicut paulatim creuit, ita subito defecit. Filiam reliquit vnicam nomine Mariam, Maximiliano Austriæ duci desponsatam, cum qua Hollandiam, Hannoniam, Selandiam, Brabantiam cum ducatu Lutzenburgensi obtinuit, & Philippo filio concessit, ipsius & Mariæ filio. Pro ducatu Gelriæ multos labores & bella habuit, sed eum vsque in præsentem diem minime potuit obtinere.

*Fridericus comes Palatinus moritur.*

Anno prænotato, XII. die mensis Decembris, obijt illustris & Christianissimus Princeps Fridericus comes palatinus Rheni & dux Bauariæ, sacri Imperij Archidapifer ac princeps elector, in habitu Minorum Heydelbergæ apud eos cum ingenti pompa sepultus, amator cleri, monachorum omnium obseruantialium promotor, defensor pauperum & viduarum, ecclesiarum aduocatus integerrimus, qui tanta fecit, quanta nullus in Germania princeps in trecentis retro annis, pro pace & defensione suorum omnium, adiutorium eius postulantium. Qui (vt mea fert opinio) si Romanorum fuisset Imperator, non tot regna, tot prouincias, tot vrbes à Christianorum dominio Turcus rapuisset, aut si Imperator fuisset, qualis iste erat. Quo mortuo excellentissimus princeps noster, hodie feliciter

*Philippus Palatinus principatur.*

imperans, paternum ducatum, quem ille post obitum patris tutorio nomine gubernauerat annis XXVI. regendū, hoc ipso anno suscepit, annum ætatis agens XXVIII. princeps inclytus, mansuetus, ingenio clarus & subtilis, non minus consilio quam armis valens, amator pacis, & subditorum suorum defensor & tutor acerrimus.

MCCCCLXXVIII.

*Ludouicus fit episcopus Spirensis.*

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri IX. obijt Matthias de Raming episcopus Spirensis, illustris principis magnifici comitis palatini Cancellarius, vir insignis & Ecclesiæ

suæ

suæ promotor ac defensor constantissimus; cui in episcopatu successit Ludouicus de Helmstat, qui hodie in Pontificatu Spirensis ecclesiæ annum agit XXIV. vir pacificus, mansuetus, amator cleri, omnisque honestatis ac religionis fautor, qui ab omnibus, vt talis, testimonium puritatis & probitatis meretur.

Eodem anno, secunda die mensis Iulij, hoc est, in die Visitationis beatæ Mariæ semper virginis, hora fere III. post meridiem, natus est in arce Heydelbergensi Princeps inclytus Ludouicus, primogenitus clarissimi principis nostri Philippi Comitis Palatini, Bauariæque Ducis qui hodie XXIV. agens annum ætatis, nondum habens vxorem. *Ludouicus primogenitus Palatinè nascitur.*

Eodem quoque anno, circa festum Pentecostes, Rupertus archiepiscopus Coloniensis, traditione quorundam à militibus Henrici prouincialis Comitis Hassiæ, fratris Hermanni Gubernatoris Colonienſis, captus est, & in castello Blanckenstein in custodiam positus, per biennium in maxima calamitate superuixit, & in eadem obijt. *Rupertus archiepiscopus Coloniæ sit captus.*

Hoc ipso anno, obijt Otto quondam abbas huius monasterij, in monte S. Ruperti prope Bingen, vbi per annos VIII. Confessoris gessit officium, sepultus ibidem in Capella beatæ Mariæ semper virginis, iuxta introitum ad claustrum. *Otto, quondam hic abbas, moritur.*

Eodem quoque anno Iohannes Schonborn Decanus ecclesiæ S. Iohannis Moguntinensis, ex commissione Papæ Sixti IV. anno præcedente facta, parochialem ecclesiam huius villæ Sponheim, ad instantiam Iohannis Kolnhausen Abbatis, huic monasterio incorporauit. *Parochialis ecclesia villæ Spōheim incorporatur monasterio.*

Eodem quoque anno Iohannes Abbas præfatus portam monasterij principalem, quæ sita fuit ad meridionalem plagam, vbi nunc est habitatio Abbatis, propter nimium transeuntium cursum clausit, & nouam versus orientem, vbi nunc est, fecit. *Porta huius monasterij transfertur.*

## MCCCCLXXIX.

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri X. condemnatus fuit apud Moguntiam Iohannes Ruchard de Wesalia superiore, sacræ Theologiæ Doctor, & ad reuocationem quorundam articulorum, quos in ecclesia Wormatiensi publice prædicasse ferebatur, per Doctorem & inquisitorem coactus; cuius volumina ipso inspectante omnia igni tradita & combusta sunt, & ipse pro pœnitentia peragenda ad conuentum fratrum Augustinensium ibidem relegatus, mœrore consumptus in breui obijt. Primus articulus, quem prædicasse ferebatur, fuit; *Quod prælati ecclesiæ non haberent autoritatem condendi vel aliquid addendi ad ea, quæ Christus & Apostoli præcepissent: imo quod nec Apostoli nec summi Pontifices talem potestatem à Christo acceperunt.* Secundus articulus: *Nulli hominum, quantumcunque sancto, docto vel erudito, licet verba Christi & Euangelium exponere, & quod sacra Scriptura non sit per sanctos patres eo spiritu interpretata, quo primitus tradita fuit & instituta.* Tertius articulus fuit contra papam & auctoritatem clauium sanctæ matris ecclesiæ; quia dixit, *Indulgentias nihil aliud esse quam pias fraudes & deceptiones Christianorum, eosque stultos esse & fatuos qui pro indulgentiis Romam pergerent, quas domi, modo si essent vere contriti de peccatis suis cum emendandi proposito, inuenire potuissent.* Quartus articulus ex primo; *Quod mandata ecclesiæ, Papæ, & aliorum Prælatorum, non obligent ad mortale peccatum, pro eo, quod non habeant autoritatem legis condendi.* Quintus articulus, *quod non sit, nec vnquam fuerit, originale peccatum: nec paruulos in originali concipi, neque propterea damnari, se quoque nunquam originali subiacuisse peccato.* Sextus articulus fuit, *Quod omnes presbyteri realiter sint Episcopi & papæ, soloque nomine & hominum institutione differant: quodque Papæ, episcopi & sacerdotes nihil hominibus conferant ad salutem sed fide, concordia & pace saluari posse sine sacerdotibus.* Septimus articulus: *Ieiunium cum non sit à Christo institutum, non obligat nos ad ieiunandum: Ecclesia enim obligare non potest nolentem in eo, quod Christus non præcepit, cum non habeat auctoritatem canones & leges condendi, vt in primo articulo.* Octauus articulus; *Quod extrema vnctio non sit Sacramentum, quia non per Christum sed per homines sit instituta: sed sit oleum & manet oleum sicut antea fuit.* Nonus articulus fuit: *Cum nusquam legatur, quod Spiritus Sanctus procedat à filio, in sacra scriptura, sed potius contrarium: potius est credere cum Græcis sapientibus, Spiritum Sanctum à Patre tantum & non à filio procedere, quia filius hoc dixit.* Alios quoque plures articulos erroneos prædicasse perhibetur; sicut de horis Canonicis non dicendis, de non seruandis festis, de continentia clericorum non seruanda, & quod etiam possit errare errauerit que de benedictionibus rerum inanimatarum in Ecclesia, herbarum, luminum, aquæ, vasorum, vestium, & similium non curanda, & alios multos, quos tamen omnes anno præscripto in Dominica *Esto mihi* publice reuocauit.

*Doctor Iohannes condemnatur Moguntiæ ob sequentes articulos.*

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

*Plures articuli.*

*Omnia reuocat.*

Eodem anno Ludouicus Rex Franciæ in valida manu obtinuit Ducatum

*Rex Franciæ obtinet Burgundiã.*

Burgundiæ,& Comitatum cum multis oppidis & ciuitatibus Artoys & Picardiæ, quæ de iure ad Ducem Austriæ cum vxore fuerant deuoluta. Eodem etiam anno Maximilianus Dux Austriæ præfatus,auxiliante Duce Cleuensi,cum exercitu intrauit terram Gelrẽsem,tanquam hæres legitimus,post obitum Ducis Caroli soceri sui : quem cum incolæ terræ admittere noluissent, sperantes se Dominum suum, captiuum regis Franciæ,recepturum,obsedit Nouimagium;sed parum profecit. Nam eruptione facta, qui fuerant in oppido,exercitum eius in fugam conuerterunt,machinas bellicas & apparatum non modicum rapientes.

*Maximiliani ducis Austriæ bellum contra Gelrenses.*

*Capitulum prouinciale 23. celebratur.*

Anno quoque prænotato, Dominica secunda post festum Paschatis, celebratum fuit XXIII. ordinis nostri prouinciale Capitulum, in monasterio S. Ægidij Nurenbergæ; in quo præsederunt, Martinus in Schvvartzbach, Leonardus in Castello, Bernhardus in Hirsavven,& Hermannus S.Iacobi prope Moguntiam,ordinis nostri abbates; & multa in eo pro reformatione ordinis statuta fuerunt.

*Ludouicus Bauariæ dux cognomento diues moritur.*

*Reliquit filiũ & filiã.*

Eodem anno obijt Ludouicus Dux Bauariæ, cognomento Diues, vir fortis & strenuus,qui multa contra Marchionem Brandenburgensem Albertum;imo prouocatus ab Imperatore Friderico,contra multas Imperij ciuitates, bella fortiter gessit,& semper victor euasit; relinquens filium vnicum Georgium Ducem,qui habuit in vxorem Hatvvigum,filiam regis Poloniæ;qui obijt anno Iohannis Trithemij abbatis XIX. & filiam vnicam Margaretham nomine,quæ nupserat Philippo Comiti Palatino,Principi clarissimo, de qua suo loco dicemus.

MCCCCLXXX.

*Philippus secundogenitus Palatinis nascitur.*

Hoc anno,qui fuit Iohannis Kolnhausen abbatis nostri XI. mensis Maij die VII. natus est secundogenitus filius illustrissimi Principis nostri Philippi comitis Palatini Ducisque Bauariæ principis electoris, nomen patris consequutus in Baptismo, appellatusque Philippus,Frisingensis postea factus episcopus.

*Rupertus archiepiscopus Coloniensis obiit.*

Eodem anno,VII. cal. Augusti,obijt in sua captiuitate miseranda Rupertus archiepiscopus Colonienſis in castro Blanckenstein & (sicut dicebatur) in excommunicatione papæ,cuius cadauer Bõnam delatum,in ecclesia S.Cassij post menses aliquot fuit tumulatum.O fortuna,ô inuidia,ô tempora & mores,quid non præsumit ambitio.

*Hermãnus succedit.*

Mortuo illo,Hermannus filius prouincialis Comitis Hassiæ, Gubernator Capituli & ecclesiæ Colonienſis, III. iduum Augusti vnanimiter electus est, agitque nunc in suo pontificatu annum XXII. vir bonus,excellens,mansuetus, consilio & actione præcipuus, qui toto tempore Nussiæ obsidionis strenue certauit pro ciuibus.

*Sigismũdus, quondã episcopus Herbipolensis moritur.*

Eodem quoque anno obijt Sigismundus Dux Saxoniæ,quondam episcopus Herbipolensis;post cuius obitum Rudolphus de Scherenberg episcopus, fratribus eius plus quã XXXIII. millia florenorum pro pensione retardata soluere coactus fuit.

*Mater Philippi Palatini moritur.*

Anno etiam prænotato obijt Margaretha,inclyti Sabaudiæ Ducis Amedei filia,mater illustrissimi Principis nostri Philippi Comitis Palatini supra dicti,quę post obitum Ducis Ludouici prioris mariti,patris videlicet Philippi,nupserat Vdalrico Comiti de Wirtẽberg, relicto filio paruulo in tutela(vt dictum est) Friderici.

*Cœnobium minorum in Creutznacht fundatur.*

Circa hæc tempora fundatum est cœnobium fratrum Minorum de obseruantia in Creutzenacht, per Fridericum Comitem Palatinum Ducemque Bauariæ ac Comitẽ in Sponheim,patrem Iohannis Ducis in Siemern hodie commorantis,cooperante oblatione fidelium.Nam ciuis quidam præfati oppidi Creutzennacensis imaginem paruulam S. Wolffgangi de ligno sculptam in Capellam seu ecclesiam eiusdem nouæ fundationis posuit, ad quam tantus in breui populorum concursus fieri cepit, ac miracula prædicari, quod totum opus inceptum ex oblatione populi citissime fuit consummatum. Nec miraculorum cessauit opinio,quousque fratres,pacis & paupertatis amatores, imaginem deposuerunt;& tunc cessauit fama signorum,ac concursus populorum paulatim imminutus est.

*Insula Rhodus à Turco obsidetur.*

Anno quoque præscripto,Mahumetes Imperator Turcorum cum ingenti classe & maximo bellatorum exercitu Rhodum Insulam Christianorum trimestri obsidione terra marique fatigat:sed nostris muros fortiter defensantibus confusus abscessit,maximam exercitus sui partem post se relinquens occisam.

MCCCCLXXXI.

*Monasterii Limpurg reformatur.*

Anno abbatis nostri Iohannis XII. reformatum fuit monasterium Limpurg ordinis nostri, Spirensis diœcesis, per abbatem S.Iacobi prope Moguntiam Hermannum, & præfatum Abbatem nostrum Kolnhausen. Vbi in abbatem fuit ordinatus Bonifacius monachus

thus S. Iacobi, sed non diu præfuit. Ad hoc autem Limpurgense monasterium, in fauorem reformationis nouiter introductæ. Iohannes Colnhausen misit Iohannem de Liningen, Priorem huius monasterij XXXII. non sine detrimento huius loci. Post quem instituit Priorem XXXIII. Henricum de Holtzhausen Saxonem, monachum professum in Northeim, virum doctum, religiosum & deuotum, regularis obseruantiæ Zelatorem præcipuum, qui biennium in Prioratu vix compleuit, fuitque depositus per inuidiam quorundã, qui secundum carnem ambulantes corripientem odio habebant.

*Prior huius monasterij mittitur ad Limpurg.*

*Henricus fit Prior huius loci 33.*

Eodem anno obijt Mahumetes Imperator Turcorum magnus, Christianorum persequutor acerrimus, relinquens duos filios, quorum alter Bagyasith, vsurpato sibi Turcorum imperio, fratrem suum alterum nomine Zyzymi, de regno fugatum, primo apud Rhodios, deinde apud Gallos, ac postremo apud Romanos exulare coegit; consignatis in expensis quotannis XLV. mille Ducatis his qui illum detinebant.

*Mahumetes Imperator Turcorũ moritur.*

*Filij eius.*

Eodem quoque anno obijt Iohannes Dux Cleuensis, vir magnanimus & bellicosus.

*Dux Cleuẽsis moritur.*

MCCCCLXXXII.

Hoc anno, qui fuit Iohannis Colnhausen abbatis nostri XIII. obijt Dietherus de Eysenburg archiepiscopus Moguntinus, VII. die mensis Maij, in maiori Ecclesia cum tali superscriptione sepultus:

*Dietherus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

*Bis præsul factus Comes Ysenburg Dietherus*
*Moguntinam arcem struxit * atq; scholam.*

Vir bonus fuit, atque obseruantiam monasticam valde dilexit, multaque deuotis Deo ac religiosis personis viuens beneficia & gratias contulit. Post mortem eius (quemadmodum ipse adhuc viuens ordinauerat) Albertus filius Ernesti Ducis Saxoniæ Misnensisque Marchionis, annum agens ætatis XVIII. per Capitulum in Administratorem ecclesiæ Moguntinæ susceptus est, & à Sixto Pontifice Romano confirmatus, etiam succedendi in Archiepiscopatu prouisionem, ad patris instãtiam, suscepit. Sed biennio in Administratione sua completo, innocens iuuenis mortuus est.

*Albertus fit Administrator ecclesiæ Moguntinæ.*

Eodem anno, XII. Cal. Augusti, obijt Reynhardus de Sickingen episcopus Wormatiensis in Capella S. Ægidij sepultus, quam ipse de nouo iuxta maiorem ecclesiam construxit: cui successit Iohãnes Camerarius de Dalburg, maioris ecclesiæ Præpositus, vir maiori dignus honore; Pontificum decus, nobilium ornamentum, omnium Philosophorũ & eruditorum hominum princeps ac gloria, in omni scientia doctissimus, cui inter Pontifices Germania non habuit parem, nec Italia meliorem; ad quem Iohannes Trithemius, abbas hui⁹ monasterij, postea inscripsit librũ suum *De scriptoribus ecclesiasticis*, opus varium.

*Iohannes de Dalburg fit episcopus Wormatiensis.*

Eodem quoque anno Iohannes Trithemius, postea abbas, monachus huius cœnobij satis miraculose & præter eius intentionem factus est, quod ita contigit. Cum ex Heydelbergã iter instituisset cum socio Scholari ad patriam, monasterium hoc (quia in via erat) comite non modo persuadente, sed cogente potius, visendi gratia VIII. cal. Februarij mane circa horam IX. intrauit, factoque prandio, nihil minus quam religionem cogitans, inceptum iter continuaturus recessit. Cumq; viarum ignarus, ad montem villulæ Bockenauw contiguum ambo venissent, cepit oriri subito niuium immensa congeries densaque tempestas nubium, quæ non solum viarum tramitem oppleuit, verum etiam facies exaduerso confundens, oculos pene excæcauit. Suadenti ergo comiti itineris ad monasterium reditum, cum progredi non liceret, Trithemius respondit: *Verecundum est nimis redire, progrediamur potius quantum possumus.* Verum præstolantibus eis vsq; tertio sub arborum tutela finem tempestatis, cum prorsus augeretur, iterum Trithemius ad comitem suum dixit: *Reuertamur ad cœnobium oportet, ecce me ibi mansurum videbis.* Hoc nescio quo inspirante numine dixit, nihil etiã minus, cum ea diceret, q̃ religionis introitum cogitãs. Inuitus igitur, sed necessario, ad hunc locũ reuersus, anno & die præscriptis, iuxta verbũ suum q⁹ nesciens dixerat, permansurus, Henrich de Holtzhausen Prioris nostri persuasione inducẽ⁹, animũ mutauit, & in die purificationis beatæ Mariæ semper virginis secularẽ habirum exuit, & nouitius in die sanctissimi patris nostri Benedicti factus est, & eodem anno in festo purissimæ conceptionis Mariæ cum alijs tribus professus secundum regulam fuit.

*Iohannes Trithemius miraculose hic venit.*

Anno quoque prænotato celebratum fuit ordinis nostri XXIV. Capitulum prouinciale in Blaburen, post Paschæ festum Dominica III. in quo præsederunt Georgius S. Stephani in Herbipoli, Iohannes in Willingen, Vdalricus Montis monachorum, & Iohannes S. Ægidij in Nurenberga, monasteriorum ordinis nostri Abbates.

*Capitulum prouinciale 24. celebratur.*

Eodem anno Iohannes de Burbon episcopus Leodiẽsis à quodam milite occisus est.

Anno etiã supradicto, cum Henricus de Holtzhausen, Prior huius monasterij deuo-

tissimus, regularis disciplinæ obseruantiam summo studio manutenere & ampliare conaretur, odium quorundam carnaliter sapientum incurrit, ad quoque instantiam Iohannes Colnhausen Abbas noster (proh dolor) motus, eum de Prioratu, ad perpetuam iactu-

*Henricus Prior depositur.*

ram monasticæ disciplinæ huius cœnobij, deposuit; missumque ad Lobenfeld Wormatiensis diœcesis, in Confessorem monialium ordinauit, vbi non diu perseuerans ad Northeim monasterium suum in Saxoniam reuersus est. Habebat enim præfatus Dominus Iohannes Kolnhausen abbas noster, eo tempore tria cœnobia monialium nostri ordinis commissa; scilicet Bibelis in diœcesi Argentinensi, Nuvvenburg & Lobenfeld in diœcesi Wormatiensi, quibus prouidere cogebatur. Post hunc non fuit Prior ad biennium, sed Interprior siue Præsidens per dictum abbatem institutus, Henricus molitoris de Gelnhausen, vnus ex primis reformatoribus de S. Iacobo huc missis, homo bonus & mansuetus, sed ad correctionem delinquentium nimis remissus, & propterea postea depositus fuit.

*Henricus fit Interprior.*

MCCCCLXXXIII.

*Wilhelmus Lãdgrauius Hassiæ moritur.*

Anno Iohannis Kolnhausen abbatis nostri XIV. obijt Wilhelmus prouincialis Comes Hassiæ, qui filiam Philippi vltimi Comitis de Katzenelenbogen habuit vxorem, cum qua Comitatum ipsum post obitum soceri cum maximo thesauro obtinuit, & comitatui Hassiæ vsque in præsentem diem coniunxit.

*Comitatus Katzẽelenbogẽ in Hassios translatus.*

Eodem anno, XVII. die mensis Iulij, post obitum Reynhardi Abbatis, Dominus Iohannes de Kolnhausen huius monasterij Abbas XXIV. consensu & voluntate Domini Alberti Administratoris Ecclesiæ Moguntinæ, ad abbatiam monasterij sanctorum Marcellini & Petri in Selgenstat translatus est, conuentu huius cœnobij id reclamante totisque viribus contradicente, sed nihil perficiente; nostramque abbatiam in manus Conuentus

*Iohannes Kolnhausen transfertur ad Selgenstatt.*

postea resignauit, XXVII. die mensis eiusdem, quæ fuit dies Dominica post festum S. Iacobi proxima. Rexit autem præfatum monasterium Selgenstat annis ferme IX. postea senio & morbo grauatus Abbatiam etiam ibi resignauit, & XXX. mensibus superuiuens obijt; homo certe optimus, qui tam isti monasterio quam illi multa bona fecit.

## *DE IOHANNE TRITHEMIO, ABBATE HVIVS MONASTERII XXV. & de quibusdam gestis per eum, variisque actis illius temporis; qui præfuit annis XXIII. mensibus II. & diebus XIV. translatus Herbipolim.*

POST translationem & resignationem Iohannis Kolnhausen abbatis huius monasterij ad Selgenstat; Henricus præsidens & fratres Capitulares pro electione noui pastoris diem mensis Iulij XXIX. præfigentes, & per nuncios & literas interea vocauerunt à monasterio absentes, præmissoque triduano ieiunio & orationibus consuetis, Visitatoribus sibi ab ordine deputatis, Hermanno S. Iacobi prope Moguntiam, & Conrado S. Iohannis in Ringauia monasteriorum Abbatibus, ad præfixum terminum vocatis, & vna cum domino Iohanne Kolnhausen, quondam hic, tunc vero abbate in Selgenstat, comparentibus, negocium electionis in Dei nomine ipso die Felicis Papæ & martyris, quæ est IV. cal. Augusti, & fuit tertia feria post festum S. Iacobi, celebrandum inchoarunt. Igitur missa de Spiritu Sancto solenniter celebrata, conuenientes ad locum Capitularem fratres, viam compromissi (quæ videbatur tutior) in electione seruandam suscepерunt, compromittentes in duos Abbates, Hermannum S. Iacobi & Iohannem Selgenstatensem, actres de conuentu, Henricum de Gelnhausen Præsidentem, Iohannem de Donna Custodem, ac Iohannem de Dreysa Magistrum donatorum: vt auditis in occulto votis singulorum coram Notario & testibus, illum in abbatem huius monasterij nomine totius conuentus eligerent, in quem maior & sanior pars sua vota direxisset. Scrutatis igitur votis omnium, maior & sanior pars Iohannem Trithemium in Abbatem elegit, qui VIII. menses & dies VII. post professionem suam duntaxat in ordine fuerat: erat omnibus professis in ordine iunior, vtpote qui à tempore assumpti habitus nouitiorum anno I. mensibus III. & diebus VII. & non amplius vsque ad diem electionis suæ in monasterio conuersatus fuerat. Igitur electione publicata omnes vnanimiter in eum consenserunt, & decreto electionis singuli manu propria subscripserunt. Electus itaque anno & die præscriptis, eodem anno in die assumptionis beatæ Mariæ semper virginis per Albertum Administratorem Ecclesiæ Moguntinæ in castro Steinheim confirmatus est, præsentibus ibidẽ Hermanno S. Iacobi, Iohanne in Selgenstat, & Melchiore in Schoinavven ordinis nostri Abbatibus, & alijs compluribus. Post hæc eodem anno V. iduum Nouembris, quæ fuit Dominica ante festum

*Forma electionis fuit cõpromissi.*

*Iohannes Trithemius fit abbas.*

*Confirmatus in die assumptionis Mariæ.*

festum S. Martini, à Bertholdo episcopo Pariadensi, præfati domini Administratoris in Pontificalibus Vicario, munus benedictionis accepit in ecclesia S. Iacobi prope Moguntiam, astantibus sibi ex more pontificalibus indutis, Hermanno eiusdem loci, & Anselmo Lympurgensis cœnobij, ordinis nostri Abbatibus, ab eo rogatis. Fuit autem iste Iohannes Trithemius patria Mosellanus, ex quadam villa Trittenheim, quæ à Treuiri, in descensu Mosellæ fluminis ad leuam, distat ferme IV. milliaribus, oriundus, parentibus honestis, mediocris fortunæ, liberis tamen, natus patre Iohanne de Monte gentili, matre vero Elizabeth de Longouico nuncupata progenitus, quibus vini cultura vitæ necessaria ministrabat. Cum autem puer esset vnius anni, pater defunctus est, matre ob amorem infantis, ne tenellus iniurijs vitrici (vt fieri solet) exponeretur vidua per septennium permanente; quo tandem elapso, secundum duxit maritum, cum quo & alios liberos procreauit plures, qui tamen omnes, præter vnum filium, in iuuentute obierunt. Iohannes vero, cum esset annorum XV. inuitis parentibus & cognatis omnibus, amore literarum tactus, & quadam visione mirabili de futura scientia quodammodo certificatus, literas furtiue discere cepit. Quod vbi vitrico innotuisset, duris eum verbis durioribusque verberibus aggreditur, & à proposito literario, quod habebat, trahere totis viribus conatur. Verum quanto illum plus prohibendo quotidie afflixit, tanto feruentiori desiderio literarum incendit. Noctibus enim (quia diebus, nisi festiuis, & id furtiue, non licebat) dormientibus cunctis domum exiens, ad vicinum quendam amicum, qui literis olim dederat operam, pergere consueuit, à quo puerilium institutionum rudimenta tempore breuissimo percepit, ita vt etiam præceptor ipse vehementer miratus diceret, se nunquam tam docile ingenium & memoriam viuaciorem in aliquo homine conspexisse: & hanc visionem quam habuit præsignauit, quam (eo reuelante) talem fuisse cognouimus. Ad vnius anni spatium ieiunijs & orationibus continuis duo quædam maxima à Domino Deo cum maxima intentione postulauit, quorum alterum fuit scientia scripturarum, alterum nulli vnquam se manifestasse dixit. Ecce quadam nocte iuuenis claro habitu sibi dormienti astare visus est, qui habebat duas tabulas in manibus, quarum altera scripta literis, altera depicta quibusdam imaginibus fuit, qui dixit ad eum: *Elige ex his duabus tabulis vnam quam volueris:* Qui mox amore literarum, quas adhuc penitus illo tempore ignorabat, etiam dormiendo flagrans, eam tabulam quæ scripta videbatur elegit. Cui iuuenis, qui apparuerat, dixit: *Ecce Deus orationes tuas exaudiuit, dabitque tibi vtrumque quod postulasti, & quidem plus quam petere potuisti.* Altera mox die, nihil eo de visione cogitante, mirabili occasione data fuerunt principia literarum cupienti. Aliquandiu ergo in eadem villa operam dedit literis in occulto, quia publice metu parentum non audebat. Alphabethum, orationem Dominicam, cum salutatione Angelica, Symbolum quoque Apostolorum, Confessionem altaris, benedictionemque cibi & potus in VII. diebus perfecte didicit ac memoriæ tenacissime commendauit. Sed & libros linguæ Teutonicæ post hæc à semetipso legere perfectissime in vno mense assueuit. Videntes autem amici, & maxime sacerdotes, tantum ingenium iuuenis & amorem ad literas, patruo eius Petro de Monte gentili, viro maturo atque seuero persuaserunt, quatenus quid sibi tam vehemens literarum cupiditas in eo prætenderet, experiretur. Consensit ille, & se tutorem iuuenis (quia patruus) reclamante vitrico, in medium exhibuit, & iam deinceps patrimonij eius rationem habere cepit. Sed quot verbera, quot iniurias, quot contumelias iuuenis innocuus à vitrico sustinuit, quot imbres lachrymarum angustiatus effudit, priusquam iugum eius, omni seruitute crudelius, subterfugere potuerit. Euasit tandem domum nouercam, sicut Israelitica turba Ægyptum, & iter trium dierum amore literarum in deserto peregit; primum apud Treuiros, deinde in partibus inferioribus, ac postremo in oppido Heydelbergensi; & sic via trium dierum in terra aliena (sicut diximus) peracta, tandem se in præsenti cœnobio Domino Deo in holocaustum perpetuum immolauit. Factus autem monachus, inter fratres sine querela conuersatus est, studiumque literarum & solitudinem cellæ omnibus delicijs huius mundi prætulit, nihilque in hoc mundo amplius quam scientiam scripturarum sitire videbatur. Verum paucitas librorum huius cœnobij eum aliquantulum à proposito suo retardauit: quam tamen mox, vt abbas ordinatus fuit, emendare studuit. Nam (sicut ex inuentario bibliothecæ patet) vix XLVIII. volumina, imputatis omnibus, tempore ordinationis suæ in hoc monasterio reperta sunt, paruæ æstimationis, & minoris vtilitatis ad veram eruditionem. Ipse autem posteaquam regimen huius monasterij adeptus est, cœpit paulatim libros & multos & varios in omni facul-

*Origo & patria Ioannis Trithemij.*

*Visio quam habuit super scientia scripturarum.*

*Patruo cooperante scholas visitare permittitur.*

*Bibliotheca à Trithemio comparatur maxima.*

tate studiosius comparare, Græcos atque Latinos tot & tantos, vt hodie in tota Germania nulla Bibliotheca nostræ similis esse dicatur; in qua tot rara, tot secreta, tot varia, paucis cognita volumina habeantur. Tantus enim hodie est in hoc monasterio numerus librorum, quod locus vnus non sufficit ad eorum repositionem; plures enim sunt quam æstimari queant: de quorum numero dicemus anno Iohannis Trithemij abbatis nostri XIX. quia tunc voluminum per eum registratio facta est. Bibliotheca namque huius monasterij hodie in omni terra prædicatur in tantum, vt multi Principes, episcopi, Doctores, Magistri, Nobiles, viri clarissimi, non solum è vicino, sed etiam è regionibus longinquis, nomine & fama Iohannis Trithemij Abbatis & voluminum eius excitati, hunc locum visitare voluerint, inuiserintque, quibus antehac nec nomen quidem cœnobij constabat: inter quos vel paucos commemorari non erit inutile, sub compendio, qui cæteris præstantiores ob famam Trithemij præsens cœnobium inuisere dignati sunt. Iohannes Camerarius Dalburgensis episcopus Wormatiensis, Iohannes quoque Capnion Portzensis, Conradus Celtis Protucius Poëta Laureatus, Franciscus Bononius Tergestinus, Reginæ Romanorum Secretarius, Orator & Poëta insignis, qui quatuor viri sunt in omni scientia doctissimi, eruditissimi Oratores, Poëtæ, & Theologiæ vere profundi viri speculatores; latinæ, græcæ, & hebraicæ linguarum peritissimi, & non minus pietate quam prudentia insignes. Horum aliqui non contenti semel vidisse locum & hominem, bina trinaque vice reuersi sunt; & quanto diutius hic manebant, tanto ampliore desiderio voluminum, loci, hominisque tenebantur. Sed & vir ille doctissimus Aquensis vrbis Patricius, Iodocus Beyselidus; Henricus quoque Bunaugius miles, in omni scriptura probe eruditus, Saxoniæ Principum Secretarius, Iohannes Cuspinianus Francus, Poëta Laureatus, inclytæ ciuitatis Wienensis in Austria Physicus, Andreas Stiborius Bauarus, Theologus & Mathematicus profundissimus, Iacobus Wimfelingus Schletztatinus, Theologus, Orator & Poeta insignis, Rutgerus Sicamber Canonicus Dumetensis, vir multæ lectionis, Aquinus natione Suedus, Mathematicus omnium subtilissimus, Wilhelmus Monapus, Arithmeticus, Mathematicus & Theologus singularis, Iohannes Palyonidorus, magni studij vir, Matthæus Herbenus, Traiecti superioris incola, Orator facundus & Musicus excellentissimus, Iacobus Prior Wilhelmitarum Brugis, Historiographus, Ægidius Delphius, Theologus Parisiensis & Poeta omnium præstantissimus, Iohannes de Westphalia, Theologus & Historiographus diligentissimus, Iohannes Tholassius Bauarus, Canonicus Ratisbonensis, Iurista & Astronomus vere admirabilis, Adam Wernherus Themarensis, Iurista & Poeta laudatus, Iason Italus, Poeta, Iacobus Draconcius, Orator & Poeta celebris, Iodocus Gallus Rubiacensis, Theologus, prædicator ecclesiæ Spirensis, Orator & Poeta suauissimus, Franciscus Wiler, Poeta & Theologus, Gabriel Biel, Theologus famosissimus, Iohannes Spegeler Minorum ordinis, Theologus, Marianæ conceptionis contra Maculistas defensor acerrimus, Theodericus Gresmundus iunior, Poeta & Iurista excellens, Mutianus Ruffus, Rhetor, Historiographus & Poeta doctissimus, Iohannes Vigilius Sonshemius, Iurista, Philosophorum mecœnas, Iohannes Lanshemius, Præpositus Dumetensis, homo studiosus & multa componens. Omnes præscripti fama Trithemij prouocati, quidam ex vicinis quidam ex remotis, omnes vero ex suis locis huc venientes, aliqui semel, aliqui bis, nonnulli vsque tertio & eo pluries, Trithemium & huius monasterij Bibliothecam visuri aduenerunt. Inter quos fuerunt & alii multi, quorum nomina memoriæ non occurrunt, eodem spiritu concitati, quorum aliqui ad mensem, alij ad duos vel tres, nonnulli vero ad vnius anni spatium, solutis expensis, amore literarum tam latinarum quam græcarum, quibus instructus affatim habebatur abbas Trithemius, in hoc manere cœnobio. Verum cum esset homo mansuetus & pacis amator integerrimus, audisset que nonnullos ex fratribus propterea murmurare, quod vel monachos vel etiam seculares alienos, discendi gratia, in monasterio tolleraret (quanquam citra monasterij detrimentum) omnes dimisit, & difficulter postea induci potuit, quamuis se multi offerrent, & Doctores & alii locupletes, vt ad manendum vellet assumere quempiam. Habebat enim Monachos & simplices & rudes; è quibus (duobus vel tribus exceptis) rarus qui literas amaret, inueniebatur: ob id scribendo alienis laborare maluit quam suis. Sed nos, cum sciamus vitam eius per quendam discipulum & amicum huius loci, quamuis alienum, plenius esse descriptã, calamum eo maxime in humanis agente consilio temperamus, scientes eum quasi in cacumine positum, infimorum exacerbatione non caruisse, quæ nobis & monasterio non ci nocuerit.

*Viri præstantes ingenio hunc locum visitarunt.*

*Omnes causa discendi huc venerunt.*

MCCCCLXXXIV.

MCCCCLXXXIV.

Anno Iohannis Trithemij abbatis nostri I. Albertus Moguntinus Administrator, bonæ spei adolescens, I. die mensis Maij obijt, in ipsa ecclesia Moguntina sepultus. Quo mortuo Canonici maioris ecclesiæ XX. die mensis Maij in archiepiscopum vnanimiter elegerunt, Bertholdum de Hennenberg, præfatæ ecclesiæ Decanum, virum prudentem, consilio & opere præcipuum, qui hodie ecclesiam suam strenue gubernans annum in Pontificatu agit cum pace & tranquillitate XVIII. *Bertholdus fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno Trithemius Abbas Priorem huius monasterij XXXIV. instituit Iohannem de Tonna, natione Thoringum, primo cœnobij Gerodensis postea huius loci monachum, hominem quidem bonum & disciplinatum, sed sine neruis, & plerumque cerebro plus quam oportebat fumoso: propterea in Prioratu diu perseuerare non potuit, quia mensuram distribuendis vnicuique pro loco & tempore quod debuit, nesciuit. *Iohannes fit Prior huius loci 4.*

Anno quoque prænotato II. feria post octauas Paschatis Iohannes Trithemius abbas huius monasterij, Altare in Sacristia consecrari fecit in honorem S. Annæ matris beatissimæ Dei genitricis, sancti Hieronymi Presbyteri, & sancti Benedicti Abbatis, S. Seruatij episcopi Tungrorum, & S. Barbaræ virginis & martyris, per Bertholdum Pariadensem episcopum, Alberti Moguntini tunc Administratoris adhuc viuentis in Pontificalibus Vicarium, in quo multæ reliquiæ sanctorum ex more fuerunt reconditæ. *Altare in Sacristia consecratur.*

Eodem anno fratres Minores de obseruantia locum & cœnobium cis in Creutzenacht per ducem Fridericum Comitemque in Sponheim, quondam commorantem in Siemern (sicut supra diximus) anno Iohannis Kolnhausen Abbatis IX. constructum inhabitare cœperunt. *Minores venunt ad Creutznacht.*

Hoc ipso anno maxima creuit abundantia vini in omni terra, qualis vel quanta in hominum memoria non fuit. Hæc autem copia primum in ipso vindemiæ tempore considerata fuit, & ob id vasorum magna penuria superuenit. Nam vas vnum quod tribus florenis emptum (*plaustrale** nuncupant) vnius floreni duntaxat vinum continebat, vendebaturque vini optimi plaustrum pro vno floreno monetæ communis, cum vas pro tribus aureis emptum exstiterit. Intantum enim viluerat hoc anno vinum, vt rusticorum aliqui, neglectis aquis, cæmenta murorum cum vino conficerent: alij vt vinum nouum haurire possent, vetus in terram effunderent: nonnulli etiam colligere totum præ nimia vbertate non curarent. Et nobis (quod nec ante nec postea contigisse in memoria hominum est) centum vini plaustra hoc anno creuisse constat, quorum copiam sequentis anni inopia compensauit. Ingratitudo enim populi, Dei vindictam promeruit, quemadmodum res ipsa ostendit. *Abundantia vini maxima.* ** fuderig.*

MCCCCLXXXV.

Anno Iohannis abbatis nostri II. in medio Quadragesimæ Dominica Lætare, Bertholdus electus & confirmatus in Archiepiscopum Moguntinum consecratus est per Iohannem Camerarium Dalburgium episcopum Wormatiensem, Moguntiæ in ecclesia principali, astantibus Ludouico Spirensi & Bertholdo Panadensi episcopis, Abbatibusque multis, Iohanne Trithemio huius monasterij, S. Iacobi, S. Iohannis, in Blidenstat, in Selgenstat, in Amorbach, in Lympurg, in Eberbach, in Otterburg, in Monte S. Disibodi, & alijs plerisque, in magna pompa & solennitate; qui omnes officio peracto ad mensam eius vocati transierunt. *Bertholdus archiepiscopus Moguntinus consecratur.*

Eodem anno, Dominica III. post festum Paschæ, celebratum fuit XXV. ordinis nostri prouinciale Capitulum in monasterio S. Vdalrici in Augusta; in quo præsederunt Iohannes S. Ægidij in Nurenberga, Iohannes Trithemius huius nostri, Henricus in Wissenburg, & Paulus in Elchingen, monasteriorum ordinis nostri abbates, & multa in eodem pro conseruatione Ordinis fuerunt instituta. *Capitulum prouinciale 25. celebratur.*

His fere temporibus monasterium in Salsa, Argentinensis diœcesis ad instantiam apostatantium monachorum cooperatione sua quærentium, ab Ordine in seculare collegium translatum est, & ex monachis malis facti sunt Canonici deteriores; qui votum Deo factum sine caussa violantes, mercedem sceleris inuenient. *Monasterium Salsa transfertur ab ordine.*

Hoc ipso anno Deus ingratitudinem rusticorum, sibi anno priori exhibitam, dura satis animaduersione puniuit: quoniam quanta illo fuerat abundantia vini, tanta inopia isto anno est subsequuta, valde enim parum vini hoc anno creuit. Et vt ex nobis cæteros metiaris, qui præterito centum plaustra habuimus, vix vnum ex omnibus crescentijs, decimis & prouentibus cunctis hoc anno suscepimus. *Vini paucitas.*

Eodem quoque anno Iohannes Thoringus, Prior huius monasterij XXXIV. propter importunitatem suam, non valens in officio Prioratus quiescere, ad nimiam suam instantiam deponitur, & Iohannes de Dreysa Westphalus, antea & postea iterum monachus in Marienmonster, Prior huius loci XXXV. per Abbatem Trithemium ordinatur, qui & ipse mores suos non æque temperare potens, quanquam senexesset & canus priusquam biennium in Prioratu compleuisset, pro pace fuit depositus.

*Iohannes fit Prior huius loci 35.*

*Wilhelmus de Arburg occiditur.*

Eodem quoque anno Wilhelmus de Arburg, qui Iohannem de Burbon episcopum Leodiensem ante triennium interfecerat, per fratrem Iohānis de Horn episcopi succedētis captus est, ductus ad Traiectum iuxta Mosam capite truncatus, pace inter eos prius cōposita, quoniam nihil tale suspicabatur; & multa sequebantur mala in tota terra Leodiensi & Comitatu de Horn, multaque millia hominum occisa.

*Frumenta pro vili precio comparantur.*

Hoc ipso anno frumenta pro vili precio emebantur: nam tria maldra siliginis optimæ pro vno floreno poterant comparari, pluresque venditores occurrebant quam emptores, vinum in competenti foro ex abundantia proximi anni vendebatur.

MCCCCLXXXVI.

*Dissensio inter Bingēses & Dominos de Capitulo.*

Anno Iohannis Trithemij Abbatis nostri III. inter Canonicos maioris ecclesiæ Moguntinæ & ciues oppidi Bingensis dissensio grauis fuit exorta, propter venationes & iurisdictiones quasdam in nemoribus & extra, quas ad se pars vtraque pertinere dicebat. Interposuit autem vices suas Bertholdus Archiepiscopus, fecitque inter dissidentes concordiam & pacem, datis & receptis necessarijs monimentis literarum. Verum Bingenses oppidani post dies paucos promissionis obliti, pacem & concordiam temere violarunt, & denuo se contra dominos suos maioris ecclesiæ Canonicos in superbiam erexerunt. Quod cum Archiepiscopo præfato innotuisset, assumptis ferme CCCC. viris armatis, v. calend. Decembris anno prænotato ad Bingiam venit, & ad castellum quod oppido adiacet, per posticam intromissus occulte ciuibus nescientibus fuit. Itaque vocatis ad se vocandis, habitoque consilio quosdam ciuium, qui principes seditionis fuerant, ex oppido proscripsit, & reliquos ad obedientiam Dominorum coartauit. Deinde I. die mensis Decembris Consulatum, Scabinos & Iudices, qui multa perperam gesserant, deponens, nouos instituit: & ne fraudes & deceptiones continuarentur in negociis iudiciarijs, commune sigillum ciuitati dedit. Antehac enim quilibet Iudex vel Scabinus causam coram se tractatam, ad literas redactam, suo muniuit sigillo, & multæ deceptiones pauperum fiebant.

*Consulatus Bingēsis deponitur.*

*Media pars curtis Nosbach recuperatur.*

Eodem anno Iohannes Trithemius abbas huius cœnobij curtem in Nosbach, quā Craffto secundus ante c. annos impignoratam pro certa summa pecuniarum cuidam militi cognato suo tradiderat, cum multis laboribus & impensis reemptam ad possessionem monasterij pro media parte reduxit, alteram medietatem habere non potuit: quia venditio vltra hominum memoriam fuerat; & quod illa esset curtis monasterij quondam sub reemptionis titulo alienata, & non altera, satis clare non potuit ostendi.

*Stuba hōspitum construitur.*

Eodem quoque anno Iohannes Trithemius abbas maiorem Stubam hospitum iuxta ambitum de nouo construxit, & cameras similiter alterauit. Campanam etiam nouā, quæ pulsatur ad eleuationem collationemque fratrum, fieri cœpit.

*Vinū in caro precio.*

Hoc anno vinum in parua quantitate crescens, valde in precio ascendit: nam plaustrum, quod anno Trithemij Abbatis I. pro vno floreno vendebatur, hoc anno pro XX. florenis Rhenensibus aureis vix poterat comparari.

*Maximilianus dux in regē Romanorum eligitur.*

Eodem quoque anno, XVI. die mensis Februarij, in prima hebdomada Quadragesimæ, Maximilianus Dux Austriæ, filius Friderici Imperatoris III. ad maximam instantiam patris, in regem Romanorum apud Franckfordiam concorditer electus est, annum agens ætatis XXVIII. Electores autem fuerunt, Bertholdus Archiepiscopus Moguntinus, Iohannes Archiepiscopus Treuirensis, Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, Philippus Comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ, Ernestus Dux Saxoniæ, & Albertus Marchio Brandenburgensis. Post festum Paschæ præfati Principes cum multis alijs, electum suum cum honore maximo prosequentes ad Aquasgrani deduxerunt, eumque iuxta morem inungi & coronari fecerunt per manus præfati archiepiscopi Colonienſis, cum maxima pompa & solennitate, v. die Aprilis.

*Nicolaus Prior 36. instituitur.*

Anno quoque prænotato Iohannes Westphalus Prior huius cœnobij XXXV. propter morum suorum incompositionem deponitur, & post menses aliquot, quibus Henricus de Gelnhausen Interprior fuit, Nicolaus de Creutzenacht in Priorem huius monasterij XXXVI. ordinatus, qui & ipse non diu præfuit, propterea quod austeritas eius plærisque

plerisque visa nimia, pacis conseruandæ gratia fuit depositus, & in Cellerarium ex quadam necessitate superuenie:nte rubore plena constitutus.

MCCCCLXXXVII.

Hoc anno, qui fuit Iohannis Trithemij Abbatis nostri IV. XXV. die mensis Martij obijt Nicolaus ille famosus Eremita in Suita, in pago Suitensium siue Suicerorum, non longe ab oppido Lucerna, in solitudine vasta, qui multis annis in magna paupertate, humilitate, patientia, & sanctitate Domino in eadem eremo strenue seruiuit solitarius & ante mortem suam per annos XX. continuo sine cibo corporali vixit; quemadmodum hoc Episcopi Constantiensis, in cuius parochia morabatur, & aliorum complurium fide dignorum testimonio compertum habemus. Spiritum quoque Prophetiæ habuit, & nonnulla genti suæ (quæ postea contigerunt) futura prædixit. Magnus ad eum etiam ex remotis regionibus peregrinorum fiebat concursus, quoniam non procul à monasterio beatæ Mariæ semper virginis Eremitarum eius mansio fuit. Hic homo Dei nobis suo tempore miraculum fuit, qui cum esset omnium literarum penitus ignarus, intellectu tamen scripturarum mirabili subtilitate vigebat, dabatque ad interrogata quorumlibet eruditorum responsa, non secus ac sanctus ille Anthonius Eremita, Philosophus doctissimus, quondam sine literis reddidisse fertur: quanquam non omnes passim ad colloquium suum admittebat, nisi quos cognouisset diuino spiritu ad loquendum concitari: denique miraculis fertur corruscasse.

*Nicolaus admirabilis Eremita obijt.*

*Vitam duxit nimis austeram.*

Eodem anno, cum altare in castro Sponheim, huic monasterio dudum incorporatum, nimia esset vetustate cum Capella sua collapsum, & ruinam omni hora minaretur, ita quod nullus missam super eo celebrare audebat, Iohannes Trithemius abbas de consensu Archiepiscopi & Principum transferre illud huc ad monasterium cum omnibus iuribus ac prouentibus suis volebat. Verum precibus & instantia in valle iuxta castrum commorantium, consensit idem altare de castro in villulam ipsam transferri, ne penitus infirmi & senio grauati, non valentes progredi, diuinorum celebratione omni tempore priuarentur. De consensu itaque ordinarij & Principum, qui censum ipsi persoluunt altari, cooperatione cuiusdam Presbyteri secularis dicti Iohannes Rusinck de Winterberg, huius monasterij Præbendarij empti, Iohannes Abbas noster præfatus anno prænotato Capellam & altare transtulit, & in villam construi fecit, cum omni iure, censu, libertate & emolumento, quibus antea gaudebat; ita videlicet, quod altare cum omnibus prouentibus suis monasterio in perpetuum, sicut antea in castro, libere permaneat, & villani nullam vel in eo vel Capella potestatem vel dominium prætendant, nec vllo vnquam tempore vsurpent.

*Capella S. Pancratij in valle construitur.*

Eodem anno, III. iduum Iulij, hoc est, in die S. Margarethæ virginis & martyris, Iohannes Abbas noster prædictus eandem Capellam & altare consecrari fecit in honorem sanctorum Iohannis & Pancratij, Hieronymi Presbyteri, Bernhardi Abbatis, Catharinæ virginis & martyris, Catharinæ de Senis, & XI. millium virginum, per Henricum episcopum Venecomponensem, Bertholdi Moguntini Archiepiscopi in Pontificalibus Vicarium, datis indulgentijs consuetis. Qui peracto prandio duas nouas campanas, quarum alteram fundi fecit, alteram comparauit abbas Trithemius precio, hic in cœnobio solenniter benedixit.

*Capella prædicta consecratur.*

Anno quoque prænotato, Dominica III. post festum Paschæ celebratum fuit XXVI. ordinis nostri prouinciale Capitulum in monasterio sancti Iacobi prope Moguntiam; in quo præsederunt Henricus Wissenburgensis, Conradus in Wiblingen, Bertramus sancti Gothardi in Hildesheim, & Iohannes in Selgenstat, monasteriorum ordinis nostri Abbates.

*Capitulum prouinciale celebratur.*

Eodem anno, in die Natiuitatis Domini, obijt Conradus de Rodenberg abbas nostri ordinis in Monte S. Iohannis Rinckauiensis, vir valde religiosus, deuotus & eruditus regularis obseruantiæ amator præcipuus: Cui Iohannes Trithemius abbas noster scripsit Epitaphion, & iuxta eius sepulchrum fixit ad parietem:

*Conradus abbas S. Iohannis obijt.*

*Epitaphium à Trithemio scriptū.*

*Siste parum gressus, paulum, morare viator*
*Conradi Rodeberg hic quia busta vides:*
*Mons sacer* hunc, Rhenus celebris quem conspicit omnis,*
*Moribus, ingenio par cui nullus erat:*
*Huius cœnobii fuerat clarissimus Abbas,*
*Virtutum cultor, religionis amans.*

* *f. sacrat.*

*Primus enim nostræ iecit fundamina vitæ,*
*Quæ Bursfeldensi nomine clara viget.*
*Sobrius & castus, pius, integer atq; quietus,*
*Cui cibus & cultus parcus & asper erat.*
*Hic etiam magno Christi genitricis amore*
*Captus erat, laudes scripsit & ille suas.*
*Ipse pius magno fratrum dilectus amore,*
*Extinctus q; die qua sacra virgo parit.*
*Ergo Deum iusta cuncti ratione precamur,*
*Vt sibi sydereo det residere polo.*
*Hoc tibi pro merito posuit Trithemius Abbas,*
*Quem tua de Sponheim vota tulere patrem.*

*Iecit nostræ fundamina vitæ :* Quia ordinarium diuinorum & statuta (quæ ceremonias appellamus) ipse de mandato patrum annalis Capituli in ordinem & formam, sicut nunc habentur, primus cōportauit. Electioni abbatis nostri Trithemij adfuit, propterea in Epitaphio dicit.

*Quem tua de Sponheim vota tulere patrem.*

*Gerardus fit abbas S. Iohannis.*

Huic successit Gerardus de Montabor Cellerarius monasterij S. Iacobi, & præfuit annis VIII. mensibus IX. vir bonus & amator obseruantiæ regularis, qui in vtroque statu bene gubernat monasterium.

MCCCCLXXXVIII.

*Henricus de Gelnhausen monachus moritur.*

Anno Iohannis Trithemij Abbatis nostri v. 6. Calend. Aprilis obijt Henricus de Geilnhusen, monachus huius cœnobij, de monasterio S. Iacobi Moguntinensis in principio reformationis huc missus, vir competentis eruditionis, metro & prosa doctus, relinquens ingenij sui quædam non contemnendæ lectionis opuscula: scilicet, *De Institutione spirituali ad quosdam nouitios, exhortatoriam & longam Epistolam : Vitam quoque sancti Benedicti Elegiaco carmine descriptam, Contra pluritatem beneficiorum sermones quoque & Epistolas varias.*

*Maximilianus rex Brugis captus.*

Eodem anno Maximilianus rex Romanorum à Flandrensibus in oppido Brugensi conclusus capitur, & diu in custodia cuiusdam habitationis honestæ detinetur, omnibus familiaribus eius, præter vnicum coquum, prorsus exclusis; alijs ex nobilibus captis, nonnullis occisis, cæteris fuga sibi consulentibus. Cupiebant enim Flandrenses regem, quem oderant, excludere de regimine terrarum suarum, & filium eius Philippum, adhuc iuuenem ac puerum, habere pro domino; quem ipsi pro voluntate sua regerent potius quam regerentur ab eo. Sed Rex magnanimus iniquo desiderio eorum nullatenus voluit præbere consensum, propterea captus est. Interea Fridericus Imperator Romanorum, filij captiuitate cognita, maximum exercitum à Principibus & ciuitatibus Imperij, omnibus ignominiam regi factam detestantibus, congregauit, & cum tribus millibus quadringentis viginti duobus equitum; peditum vero quinque millium nongentorum & XXV. caterua, & curribus ducentis viginti duobus intrauit Flandriam, omnem terram incendio & præda deuastans extra ciuitates; Gandauum sex hebdomadibus obsedit, & filiū liberauit.

*Imperator exercitum mouet in Flandriam pro filio.*

*Ioannes abbas edition. librorū incipit. Cunctem-pullones ad scribendum.*

Hoc annō Iohannes Trithemius abbas noster, qui studio literarum (quantum licebat) alioquin semper erat intentus, cogitationes suas & adinuenta cepit literis demādare, duplicē causam cur hoc auderet afferens. Primam, q̄ dum hæc ageret, vanis & inutilibus, vel etiam noxijs cogitationibus mens videretur esse præclusa: Secundam, esto, q̄ ea quæ scriberet nulli prodessent, sibi tamen intellectum successu temporis perficerent, & ingenium vsu ad quandam facilitatem exercerent. Nec eum fefellit opinio, quia quotidiano & continuo scribendi vsu tā facilis ad quælibet occurrentia dictanda factus est, vt omnes etiam doctissimi de eius orationis facilitate mirarentur; & qui eum scribentem & tempore quocunq; non præmeditata viderūt, fluere orationem potius quam scribi confirmarint.

*Prima Trithemii opuscula.*

Scripsit ergo in principio quandam editionem prolixam in quatuor partibus, *De origine, acquisitione, pulchritudine ac vtilitate virtutum, in genere ac in specie*; quam quia non ita limare, propter nimiam prolixitatem & varias occupationes, sicut voluisset potuit, ignibus cremandam dedit. De laude quoque virginitatis opus magnum inchoauit, quod necdum compleuit. Anno autem regiminis sui III. quædam synthemata scripsit, quorū nonnulla hoc anno emendauit, nec postea prodire in publicum amicis postulantibus, ac imprimi permisit. Ad quendam Nicolaum Mernicensem Presbyterum, quondam conscholarem suū, rogatus scripsit *De iustificatione sacerdotali lib. 1.* qui est impressus: *De vanitate*

*quoque*

*quoque vitæ præsentis lib.1.* similiter impressum; *De proprietate Monachorum librum*, etiam impressum; *De scriptoribus Ecclesiasticis*, grande & laboriosum opus anno regiminis sui IIII. inchoauit, & XI. compleuit, quod similiter impressione diuulgatum est; *Exhortationum ad monachos, libr.2.* Item *De tentationibus Monachorum lib.2. In regulam sancti Benedicti similiter 2. De vita spirituali libr.1. & Inuestigatorium scripturarum.* Et *de vero modo studendi, similiter 1. speculum vitæ hominis religiosi lib.1.* his temporibus scripsit, quæ tamen adhuc non sunt in publicum ire permissa. Orationes multas in Capitulis, tam annali quam prouinciali, cum tempore dixit, quarum impressæ sunt aliquæ, cæteræ vero non.

*Libri eius nondum impressi quot hoc anno ediderit.*

Anno vero prænotato Nicolaus Prior huius monasterij XXXVI. pro quadam necessitate deponitur. Post aliquandiu Interprior siue Præsidens fuit Iohannes de Folda, homo licentiosus nimium, qui cum pro conseruatione disciplinæ minus videretur idoneus, reiectus est, & Iohannes de Bingen huius loci Prior XXXVII. fuit institutus, qui anno I. & mensibus VI. in Prioratu præsedit, & propter infirmitatem corporalem postea de necessitate fuit absolutus, vt sequenti anno dicemus.

*Ioānes Prior 37. constituitur.*

MCCCCLXXXIX.

Hoc anno, qui fuit Iohannis Trithemij Abbatis nostri VI. monasterium ordinis nostri sancti Nicolai in Camberg, Herbipolensis diœcesis, consensu & licentia Innocentij papæ VIII. ab ordine nostro, ad instantiam apostatantium monachorum, translatum est, & in Collegium canonicorum secularium commutatum. Monachi apostatæ, pleni scelere, ex malis claustralibus seculares priores facti sunt, principem suum perditionis auctorem, cum abbate sequentes. O patientia Dei, ô tempora, ô mores, quanta humanæ temeritatis licentia cunctis.

*Camberg ab ordine transfertur.*

Eodem anno Iohannes de Bingen, Prior huius monasterij XXXVII. propter infirmitates corporis continuas depositus est, & Iohannes de Colonia in locum eius Prior XXXVIII. constitutus est, qui posteaquam in Prioratu biennio præfuit, ad instantiam sui nimis importunam depositus est, & postea Confessor monialium in Nuvvenberg prope Heydelbergam institutus, vbi hodie viuit, quam diu incertus.

*Iohannes de Colonia fit Prior 38.*

Monasterium in Elvvangen ordinis nostri, Augustensis diœcesis, opulentissimum paucis ante hæc tempora annis ab ordine nostro fuit translatum, ad instantiam peruersorum abbatis & monachorum, qui licentiam falsis narrationibus impetrarunt, quemadmodum cæteri omnes & faciunt & ante fecerunt.

*Elvvangen ab ordine transfertur.*

Anno prænotato Iohannes Trithemius Abbas subiectos de nouo composuit libellos: *Vitam S. Irminæ virginis* (cuius sacrum caput habemus) *libel.1. Laudes sancti Andreæ Apostoli, libel.1. Laudes S. Ioseph nutricii Domini, libel 1. Laudes sancti Benedicti Abbatis, lib.1.* Incepit quidem & alia quædam, quæ tamen isto anno non compleuit. Nam studium, quod ante religionis ingressum, adhuc in seculo positus inchoauerat, quod iam per septennium ferme intermisit alijs intentus, ne per ipsum in obliuionem duceretur, rursus isto anno totis viribus assumpsit, in quo deinceps cum singulari diligentia perseuerauit vsque in præsentem diem. Habuit autem duos in literis græcis Præceptores, sibi inuicem succedentes: quorum primus fuit Conradus Celtis Protucius, natione Francus, Orator & Poeta Laureatus, à quo Grammatices, & prima Græcanicæ institutionis rudimenta percepit: Secundus fuit Iohannes Capnion (alias Reichlen) natione Suenus, ex oppido Portzensi oriundus, homo eruditissimus & singularis gratiæ docendi, à quo in altioribus Græcæ linguæ præceptis simul & Hebraicis meruit edoceri. In Hæbreo quendam Iudæum baptizatum pauperem Heydelbergæ habuit Præceptorem, quem postea effectus Abbas huc ad se in monasterium accersens, quam diu vixit, propter Deum enutriuit. In præscriptis duabus linguis multa volumina, & scripta & impressa, magna sagacitate, etiam adiutorio Principum, ex Italia & remotioribus terris, in omni pene facultate comportauit; de quibus inferius anno regiminis sui XIX. aliqualem mentionem in genere faciemus.

*Opuscula Trithemij huius anni.*

*Trithemij studium in Græcis literis.*

*Conradus Celtis Trithemij Præceptor.*

*Iohannes Reichlin, familiariter post eum.*

MCCCCXC.

Anno abbatis nostri Iohannis Trithemij VII. celebratum fuit XXVII. ordinis nostri prouinciale Capitulum, Dominica I. post octauas Paschæ, apud S. Ægidium in Nurenberga; in quo præfuerunt Georgius S. Stephani Herbipolensis, Iohannes S. Ægidij Nurenbergensis, Henricus in Blaburen, & Blasius in Hirsavv, monasteriorum ordinis nostri Abbates, & plura pro reformatione statuerunt.

*Capitulum prouinciale 27. celebratur.*

Eodem anno Iohannes Trithemius inter alia composuit *Formam visitationis ma-*

*Opuscula Trithemii huius anni.*

*nachorum Ordinis nostri*, quæ postea Nurenbergæ ex mandato prouincialis Capituli fuit impressa. *Laudes quoq; vitæ cœnobiticæ, lib. 1.* necdum impressum.

*Oppidū Bingen igne crematur.*

Eodem quoque anno, in die sancto Pentecostes, magnus in oppido Bingen ignis à casu exoritur, qui subito consumpsit plus quam ducentas quadraginta domos circa forum, à superiori oppidi parte vsque ad Rhenum. Prætorium quoque vna cum literis, registris & quibusdam priuilegijs, vna cum Capellis sancti Laurentij & S. Nicolai, ex toto fuit igni consumptum; perijsset que oppidum totum, nisi Ringaugienses in adiutorium succurrissent.

*Mathias rex Vngariæ moritur.*

Hoc anno moritur Vngarorum rex insignis Matthias, malleus Turcorum, qui pro fide Christiana multa certamina gerens de Turcorum copijs sæpe triumphauit. Quo mortuo, cum Maximilianus Romanorum rex Vngariam suo subijcere dominio parat, à Vdislao Poloniæ regis filio Bohemiæque rege præuentus est, qui se hæredem regni Vngariæ proximiorem affirmabat, & obtinuit, concordia inter eos facta.

*Ciuitas Metensis obsidetur.*

Eodem anno Renatus Dux Lotharingiæ ciuitatem Metensem obsidione vallauit, sed non diu perseuerans cum dispendio & damno, soluta obsidione, mox inde recessit.

MCCCCXCI.

*Montabur incēdio perijt.*

Hoc anno, qui fuit Trithemij Abbatis nostri VIII. in nocte media Dominicæ tertiæ post festum Paschæ, oppidum Montabur Treuirensis diœcesis, cum ecclesia, turribus & propugnaculis, igne casuali accensum, in spatio III. horarum miserabiliter perijt, & multa hominibus damna irrecuperabiliter fuerunt illata.

*Horreū Lapideum hic construitur.*

Eodem anno, cum horreum quoddam ligneum nimia vetustate consumptum, in hoc monasterio nostro corruisset, esset que necessarium aliud de nouo fabricari, post multam deliberationem præhabitam, Iohannes Trithemius abbas non ligneum (quia parui temporis) sed lapideum, quod diutius permanere posset, de nouo construere cœpit. Construxit ergo anno prænotato horreum illud magnum & lapideum à fundamentis, quod in superiore parte monasterij tegulis coctis vsque in præsens conspicitur.

*Caristia fuit.*

Frumenta hoc ipso tempore in his regionibus fuerunt in caro precio, ita vt vnum siliginis maldrum pro duobus florenis aureæ monetæ circumquaque venderetur.

*Nicolaus Andreæ fit Prior huius loci 39.*

Anno quoque prænotato, die mensis Octobris XXIV. Iohannes de Colonia Prior ad instantiam sui deponitur, & Nicolaus Andreæ de Reinig, dictus de Lutzelburg, in Priorem huius monasterij XXXIX. ordinatur, qui hodie in prioratu annum agit XI. Hic inter omnes huius cœnobij monachos, qui hodie viuunt, post Abbatem Trithemium in studio & scientia linguæ Græcæ facile obtinet principatum: nam & legere & intelligere, quæcunque in sacris apud Græcos habentur, perfecte didicit; scribere quoque tam Hebraice quam Græce, simul ac legere, perfecte nouit, harumque studium literarum non (vt plærique faciunt) intermittit, sed continuat semper.

*Clingēmonster ab ordine transfertur.*

Eodem anno translatum est ab ordine nostro monasterium in Clingenmonster, Spirensis diœcesis, per dispensationem summi Pontificis narrationibus falsis impetratā, cum nihil aliud fuerit in causa quam timor obseruantiæ regularis. Verum non diu postea Dux apostatantium abbas morte horrenda sublatus est, sicut frequenter omnes talia contra Deum præsumentes mori consueuerunt.

*Sponsa regis Romanorū rapitur à rege Gallorum.*

Eodem quoque anno Carolus rex Francorum Annam Ducis Britanniæ vnicam relictam filiam, Maximiliano Romanorum regi solenniter desponsatam, contra ius & æquitatem, amore Ducatus Britanniæ succensus rapuit, eamque sibi in vxorem sumpsit; repudiatâ non sine iniuriâ Margaretha, præfati regis Romanorum filia, quam prius in sponsam solenniter assumptam, diu penes se in Francia vt minorennem tenuerat, ab omnibus Reginam præceperat appellari. Magni occasionem scandali hoc factum in populo generauit.

*Bingiouum temeritas.*

Circa hæc tempora ciues oppidi Bingensis, non solum incendio suprascripto, sed etiam alijs occasionibus multa pericula & damna habuerunt: nimia enim cupiditate cæcati præcedentibus annis emporium, quod singulis IV. ferijs habere consueuerunt, teloneis, exactionibus, & alijs oneribus inconsuetis nimium aggrauarunt, clerum & monachos, sed & pauperes ex Palatinatu cum frumentis aduenientes, vltra modum exactionibus vexauerunt; neque minis neque precibus, vt insolita deponerent, acquiescere volebant. Vnde cum huius & multarum, quas pertransire liber, abusionum præsumptionumque temeritas ad inuictissimum principem Philippum Comitem Palatinum Bauariæque Ducem, relatione multorum peruenisset, habito suorum consilio, forum de Bingen transtulit ad villam Monster, quam à Rheni Comitibus eodem tempore compa-

*Emporium de Bingen transfertur ad Monster.*

comparauerat: ibique iuxta Naham fluuium Bingense emporium plus quam per triennium singulis IV. ferijs fuit ex more celebratum, & per omne illud tempus nullus ex omni hac terra quicquam, Palatino prohibente sub pœna, Bingionibus inferre præsumebat, erantque magna victualiũ penuria multo tempore angustiati, quoniam omnibus ex Palatinatu quæ voluissent ementibus, soli Bingiones in omni mercatura fuerunt excluſi.

*Dissensio inter Palatinum & ecclesiam Moguntinam.*

Fuit etiam his temporibus inter præfatum illustrissimum Palatinum & ecclesiam Moguntinam super multis articulis longa dissensio, quæ tam prædictæ subductionis emporij fuit occasio, quã multorũ malorũ in terra. Enimuero (vt cæteros pertranseã articulos, vno duntaxat cõmemorato) Bingiones mandato Dominorũ suorum obtemperantes, vias publicas & pontẽ super Naham fluuiũ ab vtraque parte circa leprosoriũ & monasteriũ S. Ruperti, aliquando in die, semper autem in nocte claudere volebant ad nutũ eorum, ne quis equester inde sine eorũ consensu pertransiret. Quod cum illustrissimus Princeps Philippus Palatinus nequaquã tolerare aut posset aut vellet (quippe quod nũcijs tã suis quã imperialibus iter omni tempore necessario tueretur apertũ) mandasset q; Bingionibus semel & iterum, quatenus pontes & vias per illũ ad ascensum & descensum necessarias omni tempore non præcluderent, oppidũ autem suum quanta vellent clausura munirent, & illi non aduerterent, tale remedium adhibuit. Habebat præfectum in Creutzenacht (quẽ vulgus Officiatũ appellat) Albertum Goler de Rauensperg, Sueuum natione, consilio & armis promptum virũ, ad omnia pericula audacissimum, & singulari sapientia & industria præditũ, per quẽ Bingios cum adhærentibus sine armorum strepitu magno ad obedientiam coartauit. Ille enim aliquando in die, aliquando in nocte, clausuras viarũ repagulaq; mirabili ingenio & arte succendit, confregit & deposuit, intantũ quod nulla Bingionũ custodia vel terreri in aliquo vel à cœptis potuerit reuocari. Vias itaq; omnes, quas illi clauserant, patulas fecit, tam in nocte quam in die vsque in p. æsentem diem, & multa miranda præclaraque perpetrauit.

*Albertus Goler de Rauensperg Bingiones domat.*

MCCCCXCII.

*Conuentus Principũ in Cõfluentia.*

Anno Iohannis Trithemij Abbatis nostri IX. Imperator Romanorum & rex conuentum Principum in mense Septembri habuit in Confluentia, in quo multa fuerunt tractata contra regem Francorum, qui (sicut diximus) desponsatam regi nostro vxorem præripuit, in quem Fridericus Cæsar animos Principum & exercitum, pro iniuria vindicãda filij, summopere nitebatur. Quos cum inuoluntarios pro vnius fœminæ raptu ad pergendum cerneret, pecunias quibus conduceret exercitum, postulauit, sed & ipsam negantibus vacuus recessit.

*Regnũ Granata capitur.*

Eodem quoque anno Ferdinandus Christianissimus Hispaniarum rex post longam obsidionem, impensas multas, & incredibiles labores regnum Granatæ cum vniuersis attinentijs suis de manu Baudelis Mauritaniæ regis Sarraceni glorioſissimo triumpho potenter obtinuit, & posteaquam annis plus octingentis Mahumeticis fœdatum spurcitijs fuerat, ad Christianæ fidei puritatem reduxit.

*Ioannis Trithemij huius anni opuscula.*

Hoc ipso anno Iohannes Trithemius Abbas huius monasterij, scripsit ad instantiam Abbatis Tuitiensis ordinis nostri Gerlaci, librum *1. De laude scriptorum* prænoratum: alium quoque *de modo celebrandi prouinciale capitulum*, & ambo postea fuerunt impressi: *De illustribus* etiam *ordinis nostri viris* opusculũ in IV. libros diuisum hoc anno inchoauit, quod quia laboriosum fuerat, sequenti anno compleuit.

*Prædonum erga clerum & sacerdotes sæuitia.*

His temporibus fuerunt quidam perditissimi homines, archiepiscopi & ecclesiæ Moguntinæ hostes & inimici (quorum nomina censemus indigna, quod ad notitiã posteritatis vllatenus debeant peruenire, quanquã ex militari genere fuerint procreati) contra clerum & sacerdotes Domini inaudita hactenus tormenta excogitantes, testiculos eorum quos ceperant, vt se ad loca præfixa si vellent liberari sequerentur, quibusdam seris & clausſtris ferreis tam fortiter incluserunt, formam & modum aperiendi quodam mirabili adinuento occultãtes, vt ab alio quam qui clausisset, nullo ingenio, nulla arte, nullaue lima tura potuisset aperiri. Nullus ex clero potuit esse securus, qui ad dominium ecclesiæ pertinuisset, sed capiebantur hic in circuitu sacerdotes, torquebantur, spoliebantur, & verberibus affecti, nonnulli etiã ex tormẽtis ipsis mortui sunt. Verum quotquot sub tuitione fuerant inuictissimi principis Palatini, erant securi, siue sacerdotes essent seculares siue claustrales. Nullatenus enim voluit permittere clarissimus Princeps, vt aliquis eorum, qui morabantur in suo principatu, à prædonibus illis iniuriam pateretur. Habebant autẽ præfati hostes cleri præsidium suum in Calden fels castello, non longe abhinc, ex quo damna ecclesiæ Moguntinæ incendio & præda quamplurima intulerunt. His in turbationi-

*Palatini Principis potentia.*

*Præsidium prædonũm Caldenfels.*

bus cunctis præfatus domicellus Albertus Goler de Rauensperg, officiatus Palatini in Creutzenacht, omnes tuitione eiusdem principis existentes fortiter defensabat.

*Melchior abbas Schonaugiensis moritur.*

Eodem quoque anno, vltimo die mensis Decembris, obijt Melchior abbas Shonaugiensis nostri ordinis, in finibus Treuirensis diœcesis, vir doctus & eruditus, obseruantiæ nostræ vnicum decus: qui inter cætera ingenij sui monimenta reliquit comportatam à se satis pulchre ἐν τῶν εἰς τέσσαρα, hoc est, *ex quatuor Euangeliis vnum*: orationes etiã quasdam in capitulis dictas, sermonesque & alia.

*De fulgetra insolitæ magnitudinis cadente.*

Anno quoque prænotato, VII. iduum Nouembris cecidit è nubibus in Sunckaugia, iuxta oppidum Ensheim, non longè à Basilea, fulgetra siue lapis miræ magnitudinis, qui (vt veraci testimonio cognouimus) trecentas libras pendebat: de cuius significatione multi multa opinando scripserunt, quæ silentio transimus.

MCCCCXCIII.

*Capitulum prouinciale 28. celebratur.*

Anno Iohannis Trithemij abbatis nostri x. celebratum fuit XXVIII. ordinis nostri prouinciale capitulum, ad Dominicam Iubilate, in monasterio sanctorum Petri & Pauli in Hirsaugia Spirensis diœcesis, in quo præsederunt Iohannes Trithemius abbas monasterij nostri, Conradus abbas in Wiblingen, Bartholomæus abas S. Crucis in Werdea, & Andreas Montis monachorum prope Bambergam, & multa fuerunt decreta. In eodem capitulo publice ad mensam Prælatorum & Doctorum, qui ex Thubingensi Vniuersitate cum alijs conuenerant videre capitulum & Patres, per triduum mane & sero, lectus fuerat opportune libellus Penthicus, id est, lugubris, *de ordinis nostri ruina*, quem præfatus abbas noster Iohannes Trithemius eodem anno, ad petitionem Blasij abbatis Hirsaugiensis & fratrum eiusdem monasterij, ediderat. Quem tum Patres ad finem cum intentione maxima lectum, omnes vnanimiter statuerunt, (sicut in recessu eiusdem capituli continetur) perpetuis temporibus ad mensam prælatorum in ipso capitulo, pro tempore celebrando legendum.

*Libellus Trithemij de ruina ordinis nostri publice ad mensam legitur.*

*Fridericus Imperator 3. moritur.*

Eodem anno, XII. calend. Septembris, obijt Fridericus Imperator Romanorum III. in Austria, sepultus in Wienna, tumulo antea sibi præparato, filium relinquens vnicum.

*Turci inuadant Croatiam.*

Eodem mense quo Imperator obijt, Capitaneus Bagiasith Imperatoris Turcorum maximo suorum coadunato exercitu Croatiam & Carniolum irrupit, cunctaque rapina, ferro, & cæde depopulatus. Contra quem cum se Christiani, qua poterãt virtute, in vnum conferentes, procederent ad bellum, quoniam numero impares erant, cæduntur, sternuntur, ac more pecudum abducuntur. Nouem ex eo certamine Christianorum millia cecidêrunt. Tam tristi accepto nuncio Maximilianus rex exequiarum pompam, quam celebrare genitori parauerat, intermittens, exercitum suorum validum in Croatiam mouit aduersus Turcos: quos fugisse interea cum didicisset, positis vbique præsidijs necessarijs, ad peragendum funeralia patris in Austriam est reuersus, quibus in Wienna Sabbato post diem S. Nicolai in præsentia multorum principum, ducum, comitum, nobilium, nunciorumque Romani pontificis, regum Franciæ, Hispaniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Neapolis, Siciliæ, Datiæ, ac omnium fere Principum orbis Christiani, pontificum, abbatum & prælatorum, cum octingentis missis solenniter peractis, multa inter ipsum regem, principes & legatos de pace Christianorum firmanda, & bella in Turcos mouendo studiose tractata sunt, quorum effectum vidimus nullum.

*Exequiarũ Cæsariã pompa.*

*Insulæ nouiter ab Hispanis inuentæ.*

Eodem quoque anno inuentæ sunt per Christopherum Columbum, classis Ferdinandi regis Hispaniarum Capitaneum, Insulæ quædam in mari Indico, omnibus antehac Europæ & Asiæ incolis penitus incognitæ, in quarum aliquibus inuenit homines nudos, more pecudum viuentes, de quibus cum sit historia per eum descripta, opus non est nos multis immorari.

MCCCCXCIV.

*Maximiliani regis Rom. nuptiæ solennes.*

Anno Iohannis abbatis nostri XI. Maximilianus rex Romanorum secundam duxit vxorem, Mariam Blancam ducis Mediolani Galeacij quondam filiam, nuptijs cum pompis (vt moris est) in Isbruck celebratis.

*Monasterium S. Ruperti reformatur.*

Eodem anno reformatum fuit monasterium monialium nostri ordinis in monte S. Ruperti iuxta Bingen, ex mandato Bertholdi archiepiscopi Moguntini, deformatis partim abeuntibus, partim ad breue tempus manentibus. Primæ autem reformatrices numero VI. de Schonaugiensi monasterio fuerunt assumptæ, inter quas Guda, *Specht* nuncupata, de Bubenheim in Magistram consensu omnium fuit ordinata, & præfuit annis ferme VII. virgo deuotissima, senio & sanctis moribus plurimum adornata. Verum cum

Diabo-

Diabolus prostibulum seruientium sibi cerneret esse præreptum, in quo omnes moniales illius temporis, quibus per ætatem licebat, Veneri studiose famulantes, matres se esse non virgines gaudebant & sacerdotum concubinas, indoluit, & varijs modis multisque machinationibus opus sanctum vel impedire, vel saltem ad minus turbare conatus est. In primis enim deformatæ, quæ Diabolo ante seruierant, per illum euocatæ, omnes, præter duas vetulas progredi nusquam valentes, de monasterio noctu fugientes, maiorem partem redituum monasterij in suos vsus, extra cœnobium in oppidis cõmorantes, quorundam auxilio secularium per vim & potentiam toto triennio conuerterunt. Denique inter hæc Ringauienses, populus indomitus & Palatinensibus aliquandiu infensus, nescio quo seminante rumorem, inuictissimum Principem Philippum comitem Palatinum, ad oppugnandum Bingiones somniauere venturum, nihil eo minus quam Bingiones cogitante: vnde mox, ne montem S. Ruperti assumeret in præsidium, preueniẽdum totis viribus decernunt. Mittunt ergo viros armatos ex omni Ringauia cum gladijs, balistis, bombardis, & varijs instrumentis bellicis cum magno numero, qui cœnobium S. Ruperti contra Palatini potentiam occuparẽt. Venerunt ergo missi ad locum, cœnobium castelli more fossatis & fortalitijs muniunt, machinas ad defensandũ ponunt, aduentum principis Palatini, quẽ potiores eorum sciebant non esse venturum, anxie præstolantur: optimas denique pulcherrimasq; domus in monasterio plures numero funditus propria autoritate (ne dicam præsumptione) destruxerunt, ligna earum comburentes, & omnia ædificia, præter clausttrum & duas ad Aquilonem domunculas foris positas, funditus euerterunt: murum quoque in circuitu monasterij pro maiori parte subuerterunt, ne forte Palatinus, cum venisset, poneret inibi fortalitia sua contra oppidum Bingionum, indeque machinis obrueret. Sed nos certissime constat Palatinum nihil minus quam vel Bingiones obsidere vel monasteriũ præoccupare voluisse. Nam si animo statuisset Montem inuadere, nõ diu Ringauienses obsistere potuissent. Iacuerunt itaque in ecclesia præfati cœnobij & fortalitijs quæ fecerant, monialibus in interioribus concluſis, multo tempore, quousque tandem cognouere deceptos, multaque sine causa inutiliter consumpserunt. Nocuit autem monasterio sancti Ruperti ista Ringauiensium temeritas in ædificijs destructis non paruam summam pecuniarum, occasionem datam quibusdam per eos contra illud transeuntes.

*Impedimenta diaboli multa.*

*Rumor falsus concitat populum.*

*Ringauienſes monaſterium in præſidiũ capiunt.*

*Domos euertunt & muros.*

Eodem quoq; anno Iohannes Trithemius Abbas nouam abbatiã partim ex veteri, partim ex fundamentis, construxit satis preciosam & ornatam, vt hodie cernitur ad orientalẽ monasterij plagã, vbi olim portæ introitus cõstituꝰ fuerat: in qua fecit Cameras duas pro Abbate, tertiam pro Capellano, & stubam vnã, æstuaria inferius duo, & Capellam cum altari, de cuius consecratione sequenti anno dicemus. Quam autẽ fuerit huius abbatialis domus necessaria constructio, nouerunt omnes, qui abbatialem habitationẽ videre priorem. Erat enim habitatio nimis angusta, inconueniens, & propter ignis periculũ metuenda, quanquam propter nudam & vacuam omnibus rebus mansiunculam nihil in ea fuerit. Eo namque die quo Trithemius abbatiam intrauit, præter libam vnam, byretum, & stratum cum necessarijs suis, nihil fuit in domo abbatiali repertum. Iohannes enim Kolnhausen abbas, simplicitatis amator, mansiones omnes angustas & nimium deiectas ædificare & hic & in Selgenstatt semper consueuit.

*Abbatia domus hic cõstruitur.*

Non erant hic in abbatia eo resignante promtuaria, non ciſtæ, non mensæ, non alia quæcunque reseruacula clausa vel tuta, in quibus reponi quidpiam potuisset. Trithemius ergo necessitate compulsus abbatiam sumptuoso pro sua paupertate construxit opere, promptuaria fecit, cameras ordinauit, seras apposuit, ciſtulas necessarias instituit, & alia multa (quæ hodie cernimus) non paruis impensis comparauit.

Anno quoq; prænotato Iohannes Trithemius Abbas ad petitionẽ Rumoldi à Laupach Prioris Carmelitarũ Franckfordiensis, viri optimi & custodis regularis obseruantiæ integerrimi, scripsit librũ hodie vulgatissimũ *de laudib. S. Annæ matris beatissimæ Dei genitricis, & virginis Mariæ*, qui à multis in magno precio habetur: in cuius 7. capite de purissima cõceptione Dei genitricis facit mentionẽ. Huius occasione surrexit quidã de ordine prædicatorum, Wigandus Cauponis nomine, prædicator conuentus Franckfordiensis, homo quidem satis doctus, sed nimium temerarius & superbus: opus, quãtum ad puritatem cõceptionis pertinet, impugnare voluit, literas contra Trithemiũ (occultato scribẽtis nomine sub fratris Pensantis-manus vocabulo) per nunciũ incertũ ad illũ misit, & quasi male de conceptione scripserit, satis timide increpauit. Cui Trithem. in hæc verba rescripsit: *Ægre ferrẽ cõuitia tua & opprobria, lector innominate, nisi te graui morbo animi laborare intelligerẽ, q*

*Trithemii liber de S. Anna.*

*Pensans-manus se cõtra Trithemiũ erigit.*

*vsque adeo in te prænatui sse cernitur, vt experientia medicorum principis Æsculapii necessaria ad tui curam videatur.* In fine autem sic epistolam concluſit: *Si religiosus es, si fraternæ charitatis amator, à conuitiis & maledictis te modo cohibere non negligas, neque in tua prudentia contra immaculatam Dei genitricem temere confidas nisi hoc feceris, erit tempus, quo scripta tua, irrisione dignissima, in caput tuum reiecta dolebis.* Cum his literis & alijs latioribus Trithemius misit virum quendã & eruditum ad Franckfordiam (erat autem in aduentu Domini) qui apud prædicatores exploraret subtiliter, quis esset ille frater Pensans-manus. Is cum illo venisset, industria vsus, comperit esse præfatum lectorem Wigandum Cauponis. Hoc cum ad Trithemium retulisset, ortum est grande literarium inter eos bellum, quod ferme per biennium inter eos durauit. Mox enim aduersus Wigandum plures viri doctissimi, defensores Marianæ puritatis, metro scripserunt & prosa: librum Trithemij & sensum eius de conceptione eius purissimã defensantes. Biennio tandem elapso, concordia inter Trithemium & Wigandum facta est per Rectorem Vniuersitatis Colonien sis Vdalricum Kreitvvys de Eslingen Doctorem S. Theologiæ famosissimum, maioris ecclesiæ Colonien sis canonicum ac archiepiscopi consiliarium, ac per Tomum de Scotia, & alios sacræ Theologiæ Doctores, ita quod Wigandus opinionem suam contrariam purissimæ conceptionis Mariæ & Trithemij opusculo abiurauit, veniamque temeritatis suæ petere ab ipso Trithemio compulsus fuit, & quod remissis iniurijs omnibus alter in alterum à modo inuectionem non scriberet. Nihilominus prædicatores postea in curia Romana sub Alexandro Papa vi. contra Trithemium impetrare aut laborare subdole conati sunt, sed nihil profecerunt. Habebat enim abbas Trithemius sibi constantissime adhærentes Vniuersitatem Parisien sem, Colonien sem, Thubingen sem, totumque ordinem Carmelitarum, ordinem Minorum, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ maiorem cœtum Cardinalium, archiepiscopos, episcopos, & principes multos, & pene omnem in Germania clerum, ac viros doctos & eruditos innumerabiles. Scripsit etiam eodem tempore: *Soliloquiorum hominis ad animam suam, lib. 1. De laude quoque & amore & vero studio scripturarum, lib. 1. De ordinis Carmelitarum exordio & progressu, lib. 11.* Statuta quoque prouincialis capituli nostri ordinis abbreuiando in vnum volumẽ collegit. Quæstiones etiam græcas ad Rutgerũ Sicambrum in euangeliorum dissonantia enucleauit. Item è græco in latinum vertit librum Maximi abbatis *de incarnatione Domini*, & quasdam epistolas tertiæ Synodi, S. Cyrilli archiepiscopi Alexandrini similiter, & quædam alia.

*Inquisitionẽ de illo quis esset fecit.*

*Concordia inter eos per Vniuersitatẽ Colonien sem facta.*

*Alia quædã opuscula Trithemi.*

*Maximilianus rex Gelrenses bello aggreditur.*

Anno etiam prænotato in mense Iulio Maximilianus rex Romanorum cum valido exercitu intrauit Gelriam contra Carolum ducem, qui aduentu regis audito ad Lotharingiam confugerat. Multa pedites regis conductitij mala fecerunt in terra, rapina, ferro & igne, nemini parcentes: viris enim ad ciuitatem confugientibus, mulieres pauperes in villulis manserunt, à quibus isti prædones, ne dicam homicidæ crudelissimi, pecunias extorquere cupientes, minis, torturis, ac nece inaudita scelera commiserunt. Equibus, vt cætera cogitentur, vnum referamus. Rusticus quidam audito regis aduentu, ad Notiimagium Gelriæ oppidum principale se contulit, vxore in villula cum paruulis relicta: veniũt isti sanguisugæ, prædam magis quã victoriam regis sitientes, mulierem ad proditionem pecuniæ maritalis minis & terroribus sollicitant. Sed cum nihil ab ea extorquere comminationibus possent, vt eam ad votum suum commiseratione impellerent, arrepto paruulo infante illius quem lactabat, lanceæ alligarunt, ponentes eum ad ignem, vt in conspectu matris viuus assaretur. Verum cum mater pecuniam, qua filium redimeret, non haberet, crudelissimi latrones, ea inspectante & gemente, puerum quousque moreretur, assauerũt. Multa & alia dictu horribilia in pauperes commiserunt. Rex autem Maximilianus, tam nefanda suorum scelera nescien s, victoria non obtenta cum damno & graui rerum suarum dispendio Gelriam exiuit.

*Crudele facinus sanguisugarũ.*

MCCCCXCV.

*Altaris in domo abbatiali consecratio.*

Anno Iohannis Trithemij abbatis nostri XII. consecratum est altare nouum in domo abbatiali, quod ipse priori anno cum testudine & tota habitatione construxerat, per Erhardum episcopum Venecomponen sem, Bertholdi archiepiscopi Moguntini in pontificalibus Vicarium, XV. calend. Iulij, qui fuit vigilia festi corporis Christi, in honorem S. Annæ matris beatissimæ semper virginis Mariæ, & S. Andreæ apostoli. Has autẽ reliquias sanctorum Trithemius abbas per præfatum episcopum altari fecit imponi in vase vitreo, de S. Andrea apostolo, de S. Nicolao episcopo, de S. Bonifacio archiepiscopo & martyre, de S. Laurentio martyre, de S. Luca euangelista, de S. Iohanne Baptista, de S. Paulo apostolo, de S. Lucia virgine & martyre, de S. Cecilia virgine & martyre, de vestimentis beatissimæ

*Reliquiæ sanctorum altari impositæ.*

simæ Dei genitricis Mariæ, & de sepulchro S. Iustinæ virginis & martyris. Dies autem anniuersarius dedicationis eiusdem altaris positus est ad diem mensis Iulij XXIX. hoc est, IV. cal. Augusti, quo die ipse Trithemius in Abbatem huius monasterij fuit electus, quem admodum in principio suæ institutionis dictum est. Huius autem consecrationi altaris interfuit Iacobus Wimphelingus Schlestatensis, Theologus, poeta & orator facundissimus, & hoc tetrastichon ex tempore cecinit:

*Dies dedicationis prædicti altaris.*

*Dum Sponheimensi præerat Trithemius ædi*
*Iohannes, alacri cum grauitate pater:*
*Diua Maria tibi, matrig, tuæ, & venerando*
*Andreæ, præsens ara dicata fuit.*

Est enim beatissima Dei genitrix Maria ipsius aræ patrona principalis, post eam sancta mater eius Anna, & tertio Apostolus Andreas. Porro Maria Magdalena Iesu Christi amatrix feruentissima biennio postea in compatronam, propter eius reliquias, quæ per Trithemium allatæ ex Gallia fuerunt, & ibidem repositæ, assumpta est. Denique pro decore eiusdem altaris Iohannes Abbas multas sanctorum preciosissimas reliquias successu temporis à diuersis principibus, episcopis, abbatibus, alijsque ecclesiarum & monasteriorum Prælatis impetrauit, quas huic monasterio nostro cum gaudio importans, tabulis prout potuit includi, & scrinciis pulchre fecit exornari, & iuxta præfatum altare cum reuerentia recondi. Sunt enim particulæ complures quantitate & merito sanctorum notabiles, cum honore maximo perpetuo seruandæ.

*Trithemius multas sanctorum comportat huc reliquias.*

Eodem anno præfatus Abbas Iohannes Trithemius miracula sanctissimæ matris Annæ nonnulla descripsit, & Catalogum *de scriptoribus Germanis*, quem ante annos ferme IV. inchoauerat, ad instantiam M. Iacobi Wimphelingij Schletzatensis supra nominati, hoc anno ex fœdis emendans, vt potuit compleuit.

*Opuscula Trithemij huius anni.*

Eodem quoque anno IV. cal. Aprilis obijt Rudolphus episcopus Herbipolensis, homo senio & calculi morbo grauatus, in ecclesia sua maiori sepultus. Post mortē cuiscerat ex more requisitus de mandato eius, & inuentus est lapis incredibilis magnitudinis, qui XXXIII. appēdebat lotones, & in signum miraculi in maiori ecclesia seruatur & ostenditur. Obijt autem annorum C. multam pecuniam & diuitias relinquens.

*Episcopus Herbipolensis moritur.*

Anno prænotato III. nonas Ianuarij obijt Iohannes de Colnhausen quondam Abbas huius monasterij, postea in Selgenstatt (vt dictum est supra) translatus.

*Iohannes Colnhausen quondā abbas hic moritur.*

Eodem quoque anno III. Iduum Septembris in quadam villa non longe à Wormacia, mulier partum edidit menstruosum & insolitum, duo corpora à capite distincta deorsum habentem, quorum capita superius à fronte in vnum compacta sunt, nec separari ab inuicem quolibet ingenio potuerunt. Adhuc hodie viuunt duæ fœmellæ capitibus iunctis, corporibus diuisis, agentes quælibet suum vel sensu vel intellectu officium, altera dormiente vigilat altera, & dum ista plorat illa ridere vel etiam aliud quidpiam agere potest. Monstrum hoc ex accidente fertur contigisse. Dum impregnata mater cum altera quadā secrete loqueretur in cœmeterio, stans vultu prope conuersa, superueniens quidam causa iocandi capita vtriusque in fronte ad inuicem modeste collisit, quo ex improuiso conterrita mulier, ad similitudinem casus edidit partum.

*Menstruosus partus circa Wormatiā.*

Anno quoque prænotato maximus conuentus Principum ex omni Romano imperio, Maximiliano rege indicente, per plures menses in ciuitate Wormaciensi habitus est in multa frequentia populorum, qui dinumerari non poterant. Ibi rege cum principibus electoribus (vt moris est) sedēte in maiestate, ac cæteris principibus, episcopis & abbatibus in ordine suo stantibus, XIV. die mēsis Iulij præfati Principes Electores, & postea cæteri, feudalia sua iuxta morem ab ipso rege iuramentis præstitis susceperunt. Altera die sequente Maximilianus rex Romanorum de consensu Principum sublimauit Euerhardum Comitem Wirtenbergensem in ducem Deccensem: virum strenuum, pium, magnanimum, & dignum honore ducatus, quippe qui fuit singularis religiosorum & cleri amator, constantissimusque defensor, multorumque cœnobiorum reformator.

*Conuentus Principum maximus.*

*Comes Wirtenbergensis creatur in ducem.*

Eodem anno monasterium in Odenheim, Spirensis diœcesis, ab ordine nostro fuit translatum in seculares, per consensum summi pontificis ad instantiam apostatantium monachorum, qui nullam translationis suæ causam legitimam habentes, pro veris falsa suggesserunt pontifici. De ipsorum apostatantium proteruo abbate, qui omnis mali fuit occasio quidam hoc tetrastichon cecinit:

*Odenheim ab ordine transfertur.*

*Depossi Benedicte tuam, rapuig, Petrinam*
*Vestem: sic ditem fallere posse ratus,*

*At mihi nil prodest veſtis mutatio, nam me*
*Prodit caluities, & mea lingua leuis.*

*Nuvviler similiter.* Horum veſtigia ſequuti Abbas & monachi in Nuvvyler, Argentinenſis diœceſis, de conſenſu præfati pontificis Alexandri VI. habitum cum ordine eodem ferme tempore depoſuerunt, facti ex monachis malis canonici peiores. Væ impijs.

*Regnũ Neapolitanum à Gallis deuaſtatur.* Anno quoque prænotato in menſe Nouembri Carolus rex Francorum cum maximo exercitu armatorum intrauit Italiam, tranſiensque per Romam ad regnum Neapolitanum, illud fugato rege ſuo imperio totum ſubiugauit, ponens ex ſuis in omnibus caſtellis, ciuitatibus & munitionibus homines cuſtodes. Quibus peractis in Galliam eſt reuerſus. Poſt cuius reditum rex Neapolitanus, qui antea fugerat in Hiſpaniam, ad regnum ſuum eſt reuerſus, interfectoque aut fugato Francorum præſidio, totum ſibi imperium denuo recuperauit.

MCCCCXCVI.

*Capitulum prouinciale 29. celebratur.* Hoc anno, qui fuit Iohannis Abbatis noſtri XIII. celebratum fuit XXIX. ordinis noſtri prouinciale capitulum in monaſterio Selgenſtatt, Dominica IV. poſt feſtum Dominicæ reſurrectionis: in quo præſederunt Hermannus S. Iacobi prope Moguntiam, Bernhardus in Northeim, Conradus S. Vdalrici in Auguſta, & Iohannes S. Ægidij in Nurenberga, monaſteriorum ordinis noſtri Abbates. Ibi Iohannes Trithemius dixit illam notiſſimam cunctis orationem quæ *De cura paſtorali* prænotata eſt.

*Nomina viſitantiũ ob famam monaſteriũ noſtrum.* Eodem anno IV. Nonas Iulij fuerunt hic in monaſterio noſtro, ad videndum Bibliothecam noſtram, quam fama vbique precioſam diuulgauit, Iohannes epiſcopus Wormacienſis, vir græce & latine doctiſſimus, Iohannes Reuchlin alias Capnion, legum doctor, Hebraice, Græce & Latine diſertiſſimus, ducis Wirtenbergenſis ſecretarius: Franciſcus Bononius Tergeſtinus, poeta & orator Græce ac Latine peritus, reginæ Romanorum ſecretarius, Henricus de Bunavve miles, in omni facultate eruditus, ducũ Saxoniæ, Friderici & Iohannis ſecretarius, & Iohannes Vigilius, vtriusq; iuris interpres, Philippi Palatini comitis ſecretarius, philoſophorũ omnium mecœnas. Hic omnes viri doctiſſimi viſa tanta multitudine rarorũ voluminum in hoc paupere monaſterio, nimium obſtupuerunt, ordinem preciumq; eorum, & ſtudium patris Trithemij induſtriamq; collaudantes.

*Iohannes fit abbas S. Iohannis.* Eodem quoque anno cal. Septembris obijt Gerardus Abbas monaſterij S. Iohannis in Ringauia, vir bonus, amator diſciplinæ monaſticæ, qui bene & ſatis vtiliter præfuit monaſterio ſuo, maxime quoad ſubſtantiam rerum temporalium. Huic ſucceſſit Iohannes de Segen, eiusdem cœnobij monachus, vir æque bonus & laborioſus, qui ambitum monaſterij ſui nouum à fundamentis pulchro opere lapideo conſtruxit, cum feneſtris & teſtudine, ſicut hodie cernitur, eleemoſynis & ſubuentione fidelium & amicorum adiutus.

*Seditio ciuili in Creutznacht.* Anno prænotato ciues oppidi Creutzenacht ſeditionem quandam inter ſe ſuſcitarunt, quæ multis in malum verſa eſt. Præfectus enim principis Palatini Albertus Goler de Rauensburg ciuem quẽdam propter demerita poſuerat in carcerem, quod cum quibusdam è ciuibus (neſcio quam libertatem allegantibus) diſpliciuiſſet, abſente præfecto carcerem effringentes captiuum eduxerunt, factoque conuentu in oppido verbis contumelia plenis contra principes effuſi ſunt. Verum cum res ad notitiam Principum delata fuiſſet, autores turbationis grauiter puniti ſunt, alij digitis abſciſſis, alij in fronte atque alij in maxillis ferro aduſti.

Eodem anno Hermannus archiepiſcopus Colonienſis cum potentia rebellionẽ ciuium ſuorũ in Andernacht ſuppreſſit, quibusdam qui autores inobedientiæ videbantur, captis, alijs punitis, atq; alijs de patria proſcriptis, & ſic eorum contumacia deſijt.

*Epiſcopus Colonienſis fit Adminiſtrator eccleſiæ Paderbornẽſis.* Anno quoque prænotato capitulum eccleſiæ Paderbornenſis propter ſeniũ & infirmitates epiſcopi ſui continuas, in Adminiſtratorẽ eccleſiæ ſuæ aſſumpſit Hermannum præfatum epiſcopum Colonienſem, qui adminiſtrat eandem eccleſiam hodie.

*Morbus vlcerũ S. Iob.* His temporibus morbus quidam puſtularum turgentium ex Gallis in Italos, & exilis in Germanos mirabili & eatenus inaudita calamitate humanũ genus affligens & corrumpens inuaſit, quem morbum Iob plerique appellauerunt. Incipere autem vplurimum ſolebat circa loca verenda, vel in aliqua corporis extremitate, virus ſuũ ad modum lepræ iurgente vlcere per totum corpus diffundens, ac miſerabiliter continuo dolore crucians ęgrotos, & contaminans approximantes.

*Philippus dux Auſtriæ ducit vxorẽ.* Eodem anno Philippus dux Auſtriæ ac Burgundiæ, filius Maximiliani Imperatoris Romanorum duxit vxorem, filiam Ferdinandi Chriſtianiſſimi regis Hiſpaniarum.

MCCCCXCVII.

MCCCCXCVII.

Anno Iohannis Trithemij abbatis nostri XIV. monasterium quod Sunsheim appellatur, non longe ab Heydelberg, in diœcesi Spirēsi, ad exemplum aliorum apostatantium monachorū, cum abbate & monachis ab ordine nostro est translatum in ecclesiam secularem, licentia & dispensatione Alexandri VI. Romani Pontificis, factique sunt ex monachis peruersis canonici seculares criminosi. *Sunsheim ab ordine transfertur.*

Eodem anno X. calend. Iulij Iohannes archiepiscopus Treuirensis contra ciues suos inobedientes oppidi Bopardiensis magnum produxit exercitum. Qui cum eius voluntati consentire recusarent, fortissima eos obsidione cinxit, habens secum quosdam potentissimos imperij Principes mercede conductos, cum multis pugnatoribus & machinis bellicis. Sed cum ciues tantæ se multitudini non posse resistere cernerent, XII. obsidionis die se pontificis imperio submiserunt. *Bopardia capitur.*

Anno quoque prænotato Laurentius episcopus Herbipolēsis, mortuo abbate Scotorum in suburbio eiusdem ciuitatis trans pontem, expulit monachos Scotos, quorū vix duo erant propter vitam eorum reprobam, & introduxit fratres nostri ordinis & obseruantiæ de monasterio S. Stephani prothomartyris. *Scoti à cœnobio Herbipolēsi pelluntur.*

Eodem quoque anno, cum Euerhardus dux Wirtenbergensis secundus, qui primo duci in Wormacia creato successerat, multa perperam & turpiter contra fidem & bonos mores à suis commississe diceretur, & nonnullos ex consiliarijs suis potiores neci destinare proponeret, auisati illi in eum capiendum perpetuisque mancipandum carceribus conspirationem fecerunt, priusquam ipsi necarentur ab illo. Quod cum ei innotuisset, IV. cal. Aprilis occulte fugit cum thesauris suis, primo ad regem Romanorum, qui tum erat in Vlma oppido Sueuiæ non infimo. Rex inter ipsum ducem & regentes terræ Wirtenbergensis in hunc modum concordauit: *Euerardo ducatum abdicanti, ac Vdalrico filio fratris paruulo cedenti, Wirtenbergenses quotannis VI. millia florenorum persoluant ad vitam.* Sed dux non acceptata concordia recessit, cum paucis vagus in terra, primo apud Argentinenses, postea in Baden, ac deinde in diuersis alijs locis mobilis, semper & vbiq; stoliditatis suæ relinquens vestigia: postremo confugit ad inuictissimum principem, dominum Philippū comitē Palatinum, & ad tempus fuit in Creutzenacht, postea in Heydelberga, & nunc in castro Lindenfels impensis eiusdem principis moram agit, in omni abundantia & libertate, ita tamen quod inde non fugiat. *Euerhardus dux Wirtēbergensis profugus.*

Eodem anno quidam Doctor Parisius fuit, ordinis fratrum prædicatorum, nomine Iohannes Veri, homo temerarius & præsumptuosus, qui in die conceptionis purissimæ semper virginis Dei genitricis (vt mos est illorum hominum) in oppido quodam Deppe Rothomagensis diœcesis, publice in ambone prædicauit, beatissimam virginem Mariam purgatam ab originali macula & non præseruatam. Ex qua prædicatione scandalum grande in populo fuit exortum, quia omnes ferme hodie (præter paucos Prædicatores) credūt, sentiunt & prædicant, Dei genitricem, omni laude dignissimam, originali nunquam subiacuisse peccato, sed præseruatam semper. Vnde citatus ad Vniuersitatē Parisiensem, propositiones suas erroneas & falsas XV. die mensis Septembris publice reuocare & abiurare compulsus fuit, cum iuramento quod nunquam aliter de conceptione beatæ Mariæ semper virginis sentire, credere, aut prædicare velit, quam præfata Vniuersitas determinauit. Sequenti autem die, hoc est, XVII. mensis Septembris, congregati sunt apud S. Maturinum in ciuitate Parisiensi LXXXII. sacræ Theologiæ Professores, viri doctissimi, & omnes in eadem Vniuersitate de rigore promoti, in præsentia totius Vniuersitatis, vno ore, vnaq; sententia, statuerunt & determinarunt, *Quod nemo deinceps præfatæ Vniuersitati adscribatur, nisi se huius determinationis, q̄ videlicet beatissima Dei genitrix & virgo Maria semper ab originali macula fuerit immunis & præseruata, assertorē strenuumq; propugnatorē pro viribus futurum confirmet iuramento:* ipsi etiā omnes antea iurauerunt, sicut in statuto continetur, se omni tempore huic veritati purissimæ conceptionis Marianæ firmiter adhæsuros. Mirum nobis videtur quod tantis viribus se nonnulli opponere audent. Horū exemplo prouocati sacræ Theologiæ Professores almæ Vniuersitatis Colonienſis simile statutum fecerunt anno Trithemij abbatis nostri XVI. vt infra dicemus. Moguntinæ quoq; Vniuersitatis Doctores anno Iohannis Trithemij XVIII. simile pro defensione purissimæ conceptionis decretum sanxerunt, vt suo loco dicemus. *Error conceptionis Mariæ Parisius reuocatur.* *Statutum vniuersitatis contra Maculistas.*

Eodem anno dux Saxoniæ Albertus, nomine regis Maximiliani cum exercitu inuasit Gelriam, & quibusdam castellis obtentis, præda, ferro & incendio multa pauperibus damna fecit in terra, donec treugis factis recessit. *Bellū contra Gelrenses.*

MCCCCXCVIII.

*Bellū inter Suiceres & regē Romanorum.*

Anno Iohannis Trithemij Abbatis nostri xv. magnum inter regem Romanorum totumque Imperium Romanum & confœderatos, qui Suitenses siue Suiceri dicuntur, bellum fuit exortum, & multa millia hominum ibi ab vtraque parte ceciderunt. Tandē inter regem & Suitenses, post multa percepta vtrimque incommoda, concordia facta est, quæ non multis placuit, maxime Sueuis & nobilibus de liga Sueuica, quam Imperator ante annos x. instituerat.

*Reliquiæ S. Hyldegardis Trithemius obtinuit.*

Eodem anno tumba S. Hyldegardis virginis in monte sancti Ruperti cum maxima reuerentia fuit aperta, in præsentia totius conuentus ibidem, & aliorum ad hoc ordinatorum, quorum vnus fuit Iohannes Trithemius Abbas noster, qui precibus obtinuit eiusdem sanctæ virginis brachium à Magistra & conuentu, quibus multa bona fecerat in tempore tribulationum earum. Has vero sacras reliquias cum alijs in quandam tabulam fecit includi.

*Blidenstatt ab ordine transfertur.*

Eodem ferme tempore Abbas & monachi ordinis nostri in Blidenstatt Moguntinę diœcesis, dispensatione summi pontificis narrationibus falsis impetrata, ab ordine apostatarunt, nullam causam habentes aliā, nisi peruersam voluntatem & odium disciplinæ regularis, facti ex monachis dissolutis clerici turpiores. Res mala & Deo sine dubio contraria. Videant ergo tam consentientes, quam assumentes huiusmodi iniquam translationem, quid Deo aliquando respondeant.

*Conuentus Principū in Friburg.*

Anno prænotato magnus conuentus Principum cum Maximiliano rege Romanorum habitus est in oppido Friburgensi per multos dies, & ibi multa fuerunt pro pace & vtilitate Reipublicæ tractata, sed nullus aut paruus subsequutus effectus. De bello mouendo contra Turcos, de continuando iudicio Cameræ imperialis, Wormaciæ ante triennium instituto, & de corrigendis rebellibus multa consilia sunt habita, sed quia neruis pecuniarum deficientibus, corpus Imperij ad bella maxime ardua non erat sufficiens. Contribuere autem multi consenserunt verbis, sed rebus contrarium multi facere non formidarunt.

*Lādgrauius Hassiæ ducit filiā Palatini.*

Eodem quoq; anno Wilhelmus prouincialis Comes Hassiæ duxit in vxorē filiam illustrissimi principis Philippi comitis Palatini Rheni ducisq; Bauariæ, & nuptiæ in Franckfordia cum maxima Principum & nobilium frequentia celebratæ sunt.

*Bellum Gelrense.*

Hoc ipso anno magnus in ducatu Gelrensi bellorum tumultus fuit, & rex Romanorum in propria persona cum alijs principibus multas munitiones in deditionem accepit, sed bello Suitensium eximprouiso superueniēte (vt sequenti anno dicemus) Gelrenses dimittere fuit coactus, & exercitum mouere in Heluetios, & tunc Gelrenses iterum ad ducem suum à rege defecerunt.

MCCCCXCIX.

*Capitulum prouinciale 30. celebratur.*

Anno Iohannis Trithemij Abbatis nostri xvi. celebratum fuit ordinis nostri prouinciale capitulum xxx. in monasterio S. Stephani Herbipolis Dominica iii. post festum Paschæ, in quo præsederunt idem Iohannes Trithemius, qui & orationem ex tempore dixit, & dux verbi * fuit, Andreas Montis monachorum, Iohannes Sancti Michaelis in Hildensheim, & Thomas in Selgenstatt, monasteriorum ordinis nostri & obseruantiæ Abbates.

**Das Wort gefuhrt.*

*Statutum Vniuersitatis Coloniēsis contra Maculistas.*

Eodem anno facultas Theologica almæ Vniuersitatis Coloniensis statuit & decreuit, constitutione firmissima tenendum, sentiendum, credendum, docendum, prædicandum, & constantissime defendendum ab omnibus suppositis suis, *Quod beata Dei genitrix virgo Maria ab omni labe originalis peccati, ex singulari prærogatiua diuinæ potētiæ semper fuerit præseruata, exempta & priuilegiata*, & qui contrarium fecerit, ab ipsa Vniuersitate resecatus, honoribus & emolumentis Theologicæ facultatis omnino & omni tempore sit priuatus, & ꝙ nullus in ea facultate promoueatur, nisi iurauerit se hoc statutum semper obseruaturū.

*Arnoldus Bostius moritur.*

Anno quoq; prænotato secunda feria post diē Palmarū Iohannes Trithemius Abbas huius monasterij Arnoldo Bostio Carmelitæ, Gandaui cōmoranti, viro doctissimo atque religiosissimo, per literas scisciātati quid scriberet, vt vero amico respōsurus rescripsit, *se in manib. habere magnū opus Steganographiæ, ad vnius principis petitionē, ꝙ tractaret de quibusdā rebus & artibus occultis atq; mirandis, ab eo nouiter inuentis, ꝙ nulli hominū antehac fuerint cognita, quemadmodū opus ipsum pbat.* Verū priusq; venisset epistola Gandauū, Bostius ipse, cui scripta fuerat, pridie nonas Aprilis, hoc est, 5. feria post festū Paschę (Trithemio nesciente) ad Dominū migrauit. Prior ergo cōuentus Gandaui missam Bostio epistolā aperuit, legit & quasi pro miraculo vbiq; diuulgauit, quæ breui temporis spatio per totā Galliā & Aleman. co-

ram

ram multis principibus & doctissimus viris fuit publicata, rescripta, & maxima omnium admiratione lecta, & pro nouo & inaudito miraculo habita. At vero cum nullus, quantumlibet eruditus, earum rerum quæ ibi promittebantur, vel principia vel rationes intelligere potuisset, ambiguam protulere sententiã. Alij Trithemium hominem diuinum, alij prædicabant eruditissimum, nonnulli, quibus & intellectus tardior & voluntas ad temeritatem parator, Magum cum & spirituum ministerio hæc agere cõfirmabant. Sed quam pura sint naturalia cuncta, quæ in eadem epistola referuntur, ex principio libri Steganographiæ patescit. Hac nouitate commoti plerique viri doctissimi, ex vltimis Galliæ finibus, videre & alloqui Trithemium, huc venerunt, qui visis libris & rebus ipsis, quorum famam longe positi audierant, demonstrationeq; lucidissima quantũ decuit à Trithemio assumpta, famam rebus & veritate longe inferiorem fuisse confessi sunt. Nonnulli etiam longe distantes, nuncios suos cum literis ad Trithemium miserunt, cupientes rei cognoscere veritatem, quam sola fama cognouerant.

*Fama Trithemij multi prouocati huc venêre.*

Horum aliquibus Trithemius ita rescripsit, vt & mirandorum suorũ operationem sine superstitione naturaliter intelligerent esse possibilem, & quod principia ipsius artis, operandiq; per eam tanta mirabilia rationem nescirent. Inter eos vero qui hisce de rebus Trithemium per literas conuenerunt, Vlascus Lusitanus, vir certe doctissimus, tanta subtilitate, tanta eruditione, tantaque varietate argumentorum literis cum Trithemio egit, vt nemo in proponẽdis quæstionibus talium rerum eo perspicacior vnquam fuerit à Trithemio compertus.

*Vlascus Lusitanus vir doctissimus.*

Eodem anno, IX. die mẽsis Septembris, canonici tam maioris quam aliarum ecclesiarum ciuitatis Wormacien sis, vnanimiter, rebus suis deportatis, Wormaciam exiuerũt, propter ciuium iniurias priuilegia clericorum temere violantium, & hodie tertius annus post exitum eorum agitur: sed nihil adhuc de reditu in vrbem actum inuenitur. Sæpe vices suas ad concordiam inuictissimus Princeps Philippus Comes Palatinus Rheni interposuit, sed propter vtriusque partis duritiem nihil profecit. Custodia portas diligentissime obseruant, ne quis canonicorum, qui sua sponte exiuerant, contra eorum voluntatem regrediatur ad ciuitatem Wormaciam.

*Clerus Wormatiensis egreditur.*

Hoc ipso anno Maximilianus Romanorum rex, suspenso interim Gelrensium bello, totum exercitum mouit in Suitenses, qui præcedente anno rebellionem inchoantes multa regi nescienti damna intulerant, veniensque in mense Martio ad fines eorum, plures conflictus inter se habuerunt, ita vt plus quam XII. millia cæsa vtrimque referantur. Ibi ab Heluetijs occisi fuerunt Comes vnus de Pitsch, & alius de Westerburg, cum nobilibus & strenuis viris multis. Tandem post pericula & incommoda multa mense Septembri concordia editur.

*Bellũ regis Romanorũ contra Suitenses.*

Eodem anno moritur Wilhelmus Lantgrauius Hassiæ, gener illustrissimi principis Palatini, sine liberis: vxor ad patrem reuersa viduitatis suæ deplorat incommoda vsque in præsentem diem, vtpote quæ maritum amantissimum tam cito amiserit prole non suscepta, & vix vnius anni spatio cum eo lætari potuerit. Post cuius obitum grauis inter Wilhelmum patrui filium, eius successorem, & clarissimum Principem supra dictum Philippum Comitem Palatinum, patrem viduæ relictæ principis defuncti, dissensio fuit exorta, ratione dotis filiæ ipsius Palatini per defunctum ante assumptum matrimonium adscriptæ. Vnde plures interhabuere diætas Moguntiæ, Franckfordiæ, Wormaciæ, & iam Herbipoli nouissime, sed nondum in concordiam venire potuerunt vsque in præsentem diem.

*Lãdgrauius Hassiæ moritur.*

*Dissensio inter Palatinũ & Lãdgrauium.*

M D.

Anno Iohannis Trithemij abbatis nostri XVII. & sequenti apparuerunt cruces in lineis vestimentis hominum, in camisijs, in peplis mulierum, in mensalibus & linteaminibus, non solũ in his quæ habebãtur in vsu, sed etiam in illis quæ in cistis inclusa nullum aeris influxum habere videbantur. In corporalibus quoque, & pallis altarium, & albis similiter, multotiens apparuerunt. In Sobernheim & Meysenheim primo visę sunt, cum maximo vulgi timore & horrore, tam subito, quod aliquando dum Salue cantaretur in ecclesia, XXX. homines cruces habuisse, quos antea non habuerant, inuenti fuerint. Posthæc apparuerunt in Creutzenacht & villis circumiacentibus, deinde in Bingen & in Moguntia, & cõsequenter in multis Alemanniæ locis. Erant autem cruces paruulæ, varij ac confusi coloris, ac si pãnus aliqua pinguedine mixti coloris esset iniunctus: nec poterant qualibet lotione deleri, sed post diem nonum aut decimũ per se deficientes euanuerunt. Has cruces magna pestilentia hominum in multis locis post biennium subsequuta est.

*Cruces apparẽt in vestimẽtis hominum.*

*Capitis S. Annæ furtiua ablatio à Moguntia.*

Eodem anno lapicida quidam, qui constructione turris, S Stephani Moguntiæ alquandiu laborauerat, caput sanctissimæ Annæ, matris Mariæ semper virginis, quod in eadem ecclesia habebatur argenteo incluſum vaſculo, cū ipſo argento furatus est, recedensque occulte ad oppidum Duren, ducatus Iuliacensis, & diœcesis Colonien sis, sacrum verticem detulit, qui à ciuibus cum honore susceptus fuit. Sanctum itaque caput à Durēsibus in magno habebatur honore, & quod Moguntiæ quasi penitus ignotum latuit, hodie in Duren maximo populorum concursu ex nostris hinc alijsque remotioribus prouincijs

*Miraculis claret.*

ingenti cum honore visitatur, precibus & oblationibus infinitis pene cumulatum. Ferunt autem ad inuocationem sanctæ matris Annæ signa ibi contigisse & miracula, de quibus cum nihil nobis constat, nolumus incertum indicare. Canonici autem præfatæ ecclesiæ labores & expensas pro restitutione sanctissimi capitis ablati facientes, oppidanos Durenses citauerūt ad regiam audientiā, sed nihil profecerūt, sancto pignore priuati vsq; in præsentem diem. Nulla enim ratione induci possunt, vt caput sanctum restituant. Quid vero posthac facturi sint Durenses, nos hoc tempore scire non possumus.

*Iacobus Marchio fit coadiutor Treuirēsis.*

Anno prænotato Iohannes archiepiscopus Treuirensis senio grauatus, in coadiutorem assumpsit Iacobum, Christophori Marchionis Badensis filium, ex fratre Carolo nepotem, virum ingenio & moribus excellentem, quē Papa Alexander VI. in sua assumptione confirmauit, cum prouisione succedendi. Hoc factum quatuor ex canonicis maioris ecclesiæ, Decano videlicet & alijs tribus, non placuit, nec placet vsque in præsentem diem. Vnde magna in ecclesia Treurensi post mortem archiepiscopi futura timetur dissensio, nisi Deus eam præuenire voluerit.

*Iubilæus Romæ celebratur.*

Hoc anno maximus populorum concursus ad curiam Romanam pro indulgentijs anni Iubilæi ex omni Europa factus est, & multa Romam pecunia illata. Currebant viri & mulieres, viduæ ac virgines, iuuenes ac senes, monachi ac moniales, permixti ac confusi, eratque res vitro sapienti admiratione digna. O vtinam aliquæ domi mansissent iuuenculæ virgines, & qui sub obedientia fuerant constituti. Multi etiam fame & peste consumpti, in itinere perierunt, nonnulli etiam occisi, aliqui venditi ad extrema pericula deducti sunt. Est cœnobium quoddā monialium ordinis nostri in diœcesi Spirensi iuxta Limpurg constructum, Iohanni Trithemio abbati nostro Papali authoritate commissum, cuius abbatissa sine licētia vel episcopi vel abbatis Romam pro indulgentijs Iubilæi profecta, in reditu obijt, & locum suum nimis inconsulte desolatum post se reliquit. Huic in abbatia per electionem successit canonicā Richmodis de Horst virgo nobilis & deuota, latinæ linguæ satis erudita, monialis cœnobij Macchabeorum in Colonia, regularis disciplinæ amatrix & custos integerrima, quæ inter alia ingenij sui monimenta integram de S. Anna historiam cum melodia composuit.

*Ciuitas Modon à Turco capitur.*

Eodem quoque anno, XI. die mensis Iulij Bagiasith Imperator Turcorum in propria persona cum exercitu millium armatorum obsedit Modon, ciuitatem Venetorum magnam atque pulcherrimam, eamque post multos labores & insultus IX. die mensis Augusti violenter cepit, & multa Christianorum millia crudeliter interfecit, cæteros in seruitutem turpissimam abduxit.

*Conuentus Principum in Augusta.*

Eodem anno iterum fuit conuentus regis & multorum Principum in Augusta, & multa contra Turcos concluſa fuerunt, & nihil amplius sequutū, propterea quod omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ fidei & necessitatis extremæ Christianorū. Ibi de consensu Principum generalis contributio pecuniarum pro necessitate imperij fuit imposita, sed quolibet suos per se nimium radente subditos, nihil Imperio poterat à pauperibus dari: & sic perit fides, perit pax, & concordia Christiana,

*Contentio abbatis cū Augiensib.*

Anno quoque prænotato incolæ villæ nostræ Avven requisiti per Iohannem Trithemium abbatem nostrum, vt sibi fidelitatis præstarent homagium, obedire satis proteruе recusarunt, præscriptionem allegantes, quod nulli abbatum homagium in memoria præstitissent. Verum cum abbas negotium differret ad inuictissimum Principem Palatinum, timentes rustici pericula & damna, homagium præstiterunt & exhibuerunt, nec immerito. Nam cum Abbatem huius monasterij, qui pro tempore fuerit, Dominum suum semper recognouerint, & nullum alium, ipsi & nulli alteri merito iurare debebunt.

*Virgo quædam Christi stigmatibus insignita.*

His temporibus claruit in Italia in ciuitate Ferrarien si virgo quędā deuotissima, Dominicæ passionis meditatrix feruentissima, nomine Lucia, soror professa sub tertia regula S. Dominici ordinis Prædicatorū, stigmatibus crucifixi visibiliter & sensibiliter insignita, quæ omni VI. feria sanguinem fluentem de se manifeste emittunt. Et licet præfata virgo con-

go continuum eorundem stigmatum sentiat dolorem, quartis tamen & sextis amplius cruciatur. Hæc stigmata multi viri docti & clarissimi & viderunt & palparunt, qui testimonium miraculo perhibent, quorum testimonio nos contradicere nec volumus, nec debemus.

M D I.

Anno Iohannis Trithemij Abbatis nostri XVIII. celebratum fuit ordinis nostri XXXI. prouinciale capitulum ad Dominicam tertiam post festum Paschæ in monasterio Fuldensi, in quo præsederunt Iohannes Trithemius præfatus Abbas noster, qui & verbum fecit, & Iohannes S. Ægidij in Nurenberga, Iohānes in Husburg, & Iohannes in Elchingen, monasteriorum ordinis nostri abbates. Nihil ibi de nouo fuit statutum, sed tamen multa ordine tractata. *Capitulum prouinciale 31. celebratur.*

Eodem anno Christophorus Marchio Badensis fuit hiemet tertius, equitatu ad Winterburg præmisso, ne multitudine nos grauaret. Venit autem videre bibliothecam & quædam arcana, pro quibus anno priore Trithemium ad se vocauerat ad castrum suum Lutzenburg, & in notitiam cognitionemque assumpsit. *Marchio Badensis venit huc videre bibliothecā.*

Eodem quoque anno in die conuersionis S. Pauli obijt Christianissima & vere deuotissima mulier, domina Margaretha vxor illustrissimi principis Philippi, comitis Palatini ac ducis Bauariæ, sepulta Heydelbergæ in choro ecclesiæ spiritus sancti, cuius tricesimum Princeps in Quadragesima solenniter peregit. *Margaretha vxor Palatini moritur.*

Anno etiam prænotato facultas Theologica Vniuersitatis Moguntinæ, exemplo Parisiensium Colonienſiumque prouocata, statutum fecit XIII. die mensis Octobris pro fidei veritate, ac defensione purissimæ conceptionis beatissimæ Mariæ semper virginis, determinans eam ab omni originali macula semper præseruatam, exemptam & immunem, contrariamque assertionem impiam erroneamque iudicauit. Et nihilominus decreuit neminem in Theologia promouendum deinceps, nisi iuret quod nunquam velit tenere opinioni contrariæ in aliquo. *Decretum Vniuersitatis Moguntinēsis contra Maculistas.*

Eodem anno, post mortē cuiusdam tyranni, qui pauperes inique oppresserat in Morauia, cum filius in hæreditate paterna succedens, quoddā eius castellū, nomine Giemps, cum vxore & filia inhabitauit: & ecce quadam die, eo ad mensam sedente, venerunt duo maligni spiritus in specie humana ad portam castri, petentes intromitti, quibus Portarius dixit; *Qui, vel vnde estis, oportet enim vt hæc Domino meo denunciem?* Cui illi respondentes dixerunt: *Nec ad te pertinet, nec ad Dominum tuum, qui vel vnde simus, sed quantotius intromitte, nos alioqui videbimus, quod nobis patefcat ingressus.* Portarius currens vt hæc Domino suo annūciaret, cum introisset vbi sedebat, vidit illos duos, quos extra portam dimiserat, corā Domino stantes, & præ timore nihil poterat loqui. Illi autem post multa minatoria & terribilia verba, horrisonasque visiones (vt sim breuis in narratione) illū cum omni familia sua exire de castro compulerunt: post quorū discessum multitudo Dæmonū conueniens magna castrum illud inhabitare cœpit, vlulantes die ac nocte, atq; plaudentes mirabilia faciunt. *Dæmones castrum in Morauia præoccupāt.*

Anno prænotato in die Epiphaniæ Domini sub missa, venit quidam de militari genere, nomine Iohannes de Eltz, cum quibusdam alijs militaribus, qui iura & libertates suas per archiepiscopum Treuirensem violari querebantur, cum nauibus & equitibus per Rhenum & terram, & præoccupauit Bopardiam, posuitque mox custodes suos ad muros, turres & portas obtinuitque oppidum nullo resistente, omnibus qui de parte archiepiscopi fuerant eiectis, & quid sequatur exspectamus. *Bopardia per militares capitur.*

His temporibus multiplicati fuerunt hæretici in Bohemia, qui vulgo *Fossarij* nominantur, propterea quod in fossis & occultis speluncis nocte conueniunt, turpitudinē sine differentia personarū, more bestiarū, exercentes, qui ecclesiā Dei & ministros eius contemnunt, sacramenta irridēt, infinitos scaturientes errores. Crescit hoc nefandissimū genus hominum, & mirum in modum quotidie augetur, intantum quod anno prænotato numerus eorum maior XIX. millibus fuit inuentus. Sed & Nobiles atque potentes quamplures in regno Bohemiæ ad eos turpissimos hæreticos declinarunt: ē quibus vnus, Christophorus nomine, vir nobilis & diues, quadraginta florenorum millia inter eosdem hæreticos pro eleemosyna distribuens, vnus ex eis factus est. *Hæreticorū in Bohemia multiplicatio.* *Hæreticorū in sua malicia pertinacia.*

His temporibus in Bohemia nobilis quidam Laurentius Glatzs de Rotēhausen, fidē & cōuersatione bonus Christianus, qui emerat oppidum quoddam, Gurricke dictum, in quo reperit oppidanos ferme omnes præfatæ sectæ hæreticos, qu b. cum legē proposuisset, vt aut renunciarent errori, aut bonis omnibus relictis ab oppido discederēt, omnes vna

nimiter in baculis ſuis exierunt, omnibus quæ habuerant relictis, profecti ad alios erroris ſui conſocios, à quibus tanquam martyres Chriſti fuerunt in gaudio & honore ſuſcepti, & in cunctis neceſſarijs copioſiſſime prouiſi. Apoſtolorum ſe profitentur imitatores, homines ſine Deo, ſine corde, Diabolo pleni. Sunt autē homines aſtutiſſimi, & in ſua ſecta mirabiliter docendo, diſputando ac defendendo periti, intantum quod non facile à quolibet rationibus diſceptando poterunt ſuperari: nullus tam groſſi intellectus reperitur, qui tamen vſum rationis habeat liberum, qui non mox hanc ſectam fuerit profeſſus, in ea defendenda rationibus (vt eis videtur) doctiſſimus euadat. Sed ne quis rem alicuius miraculi exiſtimet, cauſam tantæ mutationis dicemus, vt omnes non Deum ſed malignum ſpiritum in ipſis operantem intelligant. Quicunq; in illam ſecretam intromitti prudentiæ ſocietatem exoptat, primum aliquo celebrante catholico ſacerdote eccleſiam ingreditur, & ſtans in angulo, vel ſecreto aliquo loco, per totam miſſam verba quædam contumelioſa (quæ nos propter infirmos expiimere non decet) contra ſacramenta loquitur ſub ſilentio, cum intentione ſibi à docente propoſita, quibus poſt finem miſſæ completis, muſca magni corporis aduolat, & pennarum ſtrepitu ſignificans ſe adeſſe præſentem, oris introitum petit: at vero mox vt ille os ſuum aperuerit, ingreditur illa, & homo ſpiritu diabolico impletur, efficiturque in ea ſecta doctus & mirabiliter aſtutus. Verum ipſi muſcam illam non Dæmonem, ſed ſpiritum ſanctum eſſe confirmant, qui in eos, vt veros apoſtolorum imitatores, ſicut in die Pentecoſtes in illos quondam, deſcendens, eruditos faciat & conſtantes: & reuera nō conſtantes, ſed pertinaces fiunt, nec vllis tormentorū generibus à ſuis erroribus ad rectā fidem reduci vnquā potuerunt. Nouimus conuerſum vnū, qui hæreticorū deceptus cōſilio, ea (quæ diximus) ſub miſſa fecit & dixit, ſed cū ſtrepitū muſcæ caput circumuolantis audiſſet, pauefactus in terrā cecidit, & vix muſcā, ne os ingrederetur, abigere potuit. Verum non omnes, qui eam profitētur ſectam erroris, ad hanc ſecretam maligni ſpiritus infuſionem venire permittuntur, ob certas rationes & cauſas.

*Modus profitendi ſectā vllam.*

*Conuentus Principum Nurēberga.*

Anno etiā prænotato Trithemij abbatis XVIII. Maximilianus rex Romanorū ad feſtum S. Iacobi principibus ad Nurenbergam rurſus indixit conuentū, ſed paucis venientibus nihil memoria dignum ibi geſtum fuit. Contributio quidē illa vniuerſalis grauiſſima, quæ impoſita per regē Auguſtæ fuerat, annis ſex continuanda, pro Imperij neceſſitatibus releuandis, à quibuſdā poſtulata fuit, ſed omnibus ad tribuendum inuoluntarijs, nihil aut parum datum fuit, & qui dederant ſemel, manum retraxerunt.

*Cruces apparēt in veſtimentis.*

Eodem anno cruces ſanguineæ, varijq; characteres in peplis mulierum apud Leodienſes & Traiectenſes ſuper Moſam maxime apparuerunt, quę ſubito plerumque in conſpectu notabilium virorum ex aere lineis panniculis fuerunt impreſſæ. Scripſit de his crucibus & mirandis tractatum luculentū Matthæus Herbenus Presbyter eccleſiæ S. Seruatij in oppido memorato, homo fide & eruditione venerandus, Trithemij noſtri abbatis in literis Græcis quondam auditor atque diſcipulus.

*Homo in Gallia Magus apparuit.*

Apparuit his diebus Lugduni in Gallia homo, natione Italus, nomine Iohannes, qui ſe Mercurium maluit appellari propter omnimodam ſapientiam quam profitebatur antiquorum. Vxorem circumduxit & filios, omnes lineis indutos, & imitatione Apollonij Thyanenſis quondam philoſophi (vt Danus eſt teſtis) cathenam ferream à collo portantes. Magna promittebat, & ſe veterum Hebræorum, Græcorum & Latinorum omnium perfectiſſimam gloriabatur habere ſcientiam. Contemptor veterum, ſe cunctos eruditione excellere putabat, aſſerens neminem Græcorum vel Latinorum præter ſe vnicū fuiſſe ſapientē: ſe namq; in omni ſciētia mundi conſummatum oſtendit, rerum naturalium ac arcanorum omnium interpretem profund. ſſimum eſſe confirmat. Magnā prę ſe in publico fert grauitatē, moribus & inceſſu ſeuerus, cum mendacitate vitam ducit propheticam: ſe natum ad res ſummas teſtatur, & diuino numine plenum, metallorum tranſmutationem veram promittit, & nihil ignorare videri appetit: ſe felicia infelicitare, infeliciaque felicia reddere poſſe pollicetur: artem ſequutus magicam naturalem, quam priſci reges & ſapientes in precio habuiſſe cognoſcuntur. Aliquanto tempore apud regem Gallorum in precio fuit, cui duo triumphantiſſima dona contuliſſe memoratur: Alterum fuit enſis centum & LXXX. gladiolis refertus, alterum vero clypeus mirabili ſpeculo illuſtratus. Hæc duo miranda ſub certa conſtellatione mirabiliter facta in quodam libello commemorat, & quē ſint productura effectum vi naturę ſecretū manifeſtat. Denique rex volēs hominis experiri ſcientiā, præcepit Medicos conuenire omnes gratia diſputationis, qui facto examine dixerunt ad regem *illum ſupra hominem ſapere, & cunctos mortales ſapientia ſuperare.* Aurum quo illum rex honorauit, omne pauperibus diſtribuit, & ſua paupertate contentus ſibi ex omnibus penitus nihil reſeruauit.

*Nimium vanę glorioſus.*

*Dona regi mirāda dedit.*

Verum

Verum ista nobis scribentibus, Ferrandus Cordubensis ad memoriam reducitur, qui anno MCCCCXLV. iuuenis annorum XX. miles auratus, Artium, Medicinæ, & sacræ Theologiæ Doctor, cum VIII. equis de Hispania venit in Franciam, & totam Parisiorum scholã sua mirabili sciẽtia vertit in stuporem. Erat enim omni facultate scripturarum doctissimus, vita & cõuersatione honestissimus, non sicut ille (de quo iã diximus) arrogans & superbus, sed humilis multum & reuerẽtia plenus. Memoriter tenuit Bibliã totam, Nicolaum quoq; de Lyra, scripta S. Thomæ Aquinatis, Alexandri de Hales, Iohannis Scoti, Bonauenturæ, & aliorum in Theologia cõplurium: Decretũ quoq; & omnes vtriusq; Iuris libros: & in Medicinis Auicennã, Galenum, Hippocratẽ, & Aristotelem, atque Albertum: omneſq; Philosophiæ & Metaphysices libros & cõmentaria ad vnguem (vt aiunt) memoria conseruabat. In allegando fuit promptissimus, in disputãdo acutus, & nullo vnq; superatus. Deniq; linguas Hebraicam, Græcã, Latinam, Arabicam & Caldæã perfecte legit, scripsit, ac intellexit. Romam à rege Castellæ missus orator, in omnibus Italiæ Galliæque Gymnasijs publicis disputans, conuicit omnes, ipse à nemine vel in minimo conuictus. Varia de ipso inter Doctores Parisienses mouebatur opinio; alijs Magum illum ac Dæmone plenum cauillantibus, alijs sentientibus contrarium. Non defuerunt qui Antichristum putarent, propter incredibilem scientiam scripturarum, qua cunctos mortales videbatur excellere. Commentaria quædã in Almagestum Ptolomei edidit, & Apocalypsim Diui Iohannis expositione pulcherrima illustrauit. Scripsit ingenij sui & alia quædam plenæ eruditionis opuscula, quorum titulos ad memoriam hac vice non potuimus reuocare. Iste Fernandus erat, qui Carolo Duci Burgundionum astronomica vaticinatione longe antea prædixit interitum, quem ille spernens, non suspicabatur esse tam proximum.

*Alius homo scientia admirabilis.*

*Memoria memorabilis.*

*Disputator acutissimus*

Anno etiam præscripto abbatis Trithemij XVIII. venerunt ex Italia viri tunicis induti griseis, capite non velato, nudis pedibus incedentes, & crucem de ligno paruulã portabant in manibus, qui neque saccum habebant neque peram, sed neque pecuniam recipiebant in manibus neq; baculis vtebantur. Vinum & cereuisiam non bibebant, & semel tantum, præter Dominicam, se reficiebant in die, olera & radices cum sale & aqua sine pinguedine aliqua sumentes. In ecclesia prostrati in terram in modum crucis orabant, nihil præter crucem & tunicam portantes. Circumierunt per ciuitates & villas, & vltra XXIV. horas in vno loco non morabantur, nisi fuissent infirmi. Plures inter eos fuerunt ex ordine clericorum; & omnes pœnitere volentes (exceptis mulieribus) in suum consortium admittebant, quinquennio elapso cessauit eorum pœnitentia.

*Crucigeri pœnitentes.*

Anno etiam prænotato, die mensis Nouembris XIX. in festo S. Helizabeth, Philippus comes Palatinus Rheni & Dux Bauariæ inclytus, cum Ludouico ac Ruperto filijs suis huc venit ad Sponheim, gratia Trithemium alloquendi, & visendi monasterium simul & libros. Erat autem VI. feria, & præmisit coquos, panem, vinum, pisces, & omnia quæ ad victum fuerant necessaria: non enim volebat nos grauare in aliquo, propterea de suo omnia copiosissime prouidit.

*Palatinus venit in Sponheim.*

MDII.

Anno Trithemij Abbatis nostri XIX. magna vbique pestilentia sæuit in omnibus locis circumquaq; in Binga videl. & in Stauronesso, in Berckelnheim, & in omni Comitatu Sponheimensi; & multa millia hominum consumpsit, in toto pene grassans orbe terrarũ.

*Pestis magna.*

Hoc ipso anno, XII die mensis Martij homo quidam pauperculus in Waldenhusen, nomine Leonardus, igne combustus est propter monetam denariorum, quam in occulta percusserat æde falsam.

*Quidã comburitur.*

Eodem anno, XXI. die mensis Maij obijt Iohannes abbas Bursfeldensis, in ordine reformationis IV. vir moribus & vita sanctissimus. Cui Henricus eiusdem cœnobij monachus fratrum electione successit.

*Henricus fit abbas Bursfeldensis.*

Anno prænotato, VIII. die mensis Iulij, Bertholdus Archiepiscopus Moguntinus, conuocationi Principum in Nurenberga præsidens, vocauit ad se Iohannem Trithemiũ & quosdam alios Abbates, quibus intentionem suam aperuit, & quod ex tribus ordinis nostri obseruantijs, Bursfeldensi, Mellicensi & Castellensi, vnam facere cogitasset, indicauit. Verum cum se nostris constitutionibus non vellent subijcere Mellicenses & Castellẽses infecto negocio quique ad sua reuersi sunt.

*Conuocatio abbatũ Nurenberga.*

Item hoc anno plures à seruitio & fidelitate Comitis Palatini se subtrahentes, declinauerunt ad æmulos, futuri contra eum belli fundamenta iacientes: inter quos Emicho Comes de Liningen erat præcipuus, qui recedens à Palatino, se & sua Hassorũm Comiti subiecit.

*Plures à Palatino desiciunt.*

*Brandēburgensis literas mittit ad Tritho.*

Hoc ipso anno Ioachim Marchio Brandenburgensis nuncios & literas plures huc misit ad Abbatem Trithemium, quem voluit habere secum.

*Annus Iubilæus prædicatur.*

Reymundus Cardinalis S. Mariæ nouæ, Apostolicæ sedis Legatus Sabbato ante Palmas Moguntiam ingreditur, & gratia Iubilæi publicatur, quamuis propter inopiam hominum, lentum ac tardum habuerit concursum. Veruntamen postea creuit cum tempore deuotio, & magna pecuniarum summa in diuersis locis ad cistulas Iubilæi fuit oblata; quæ necdum in vsum promissum conuersa dignoscitur, sed in singulis locis à Principibus eorundem clausa seruatur.

*Trithemius Bibliothecā recensuit.*

Eodem anno Dominus Iohannes Trithemius abbas libros Bibliothecæ recensuit, & inuenta sunt in ea mille sexcenta quadraginta sex volumina, quæ omnia, præter quadraginta numero, ipse tempore sui regiminis in vnum comportauit. Denique in Græca lingua, cuius noticiam fuerat consequutus, multa volumina comparauit. In Hebraico quoque nonnulla volumina hoc ipso anno comportata recensuit, quæ omnes seorsum in vno registro suis nominibus diligenter conscripta habentur.

*Abbas Tuitiensis capitur.*

Hoc ipso anno, VIII. die mensis Aprilis, Gerlacus de Breitbach abbas Tuitiensis, per ministeriales Iacobi ex Marchionibus de Baden, Treuirensis ecclesiæ Administratoris, iuxta palatiolum, Treuirim ad Capitulum generale perrecturus, captus fuit, & per quatuor menses in custodia detentus, propter fratrem eius maioris ecclesiæ Canonicum, qui cum suis adhærentibus ipsi Marchioni (vt diximus) erat contrarius.

*Maior campana hic funditur.*

Eodem etiam anno in octaua S. Laurentij martyris, Dominus Iohannes Trithemius Abbas maiorem campanam ante decennium confractam, denuo, maioremque quam prius erat, fieri fecit, quindecim centenaria æris optimi appendentem, quam postea in die Cosmæ & Damiani per se solenniter benedixit, Conrado Celte Protucio Poeta Laureato, & Ladislao de Sontheim Historiographo, Oratoribus Maximiliani Regis Romanorum, ad ipsum Trithemium in quodam negocio missis, præsentibus.

*Pestis hunt locum inuadit.*

Anno quoque prænotato dum dira pestis Epidemiæ circumquaque sæuiret, etiam præsentem locum inuasit, & quasi in vnius mensis spatio quinque fratres de medio auferens consumpsit: media denique pars hominum villulæ Sponheim eodem morbo sublata fuit.

*Refectorium æstiuale depingitur.*

Item eodem anno Dominus Iohannes Trithemius Abbas refectorium æstiuale figuris & nominibus Abbatum huius monasterij nostri Sponheim fecit depingi, à principio fundationis per ordinem vsque ad hunc annum suum XIX. cum armis suis.

*Capitulum annale celebratur.*

Hoc ipso anno Capitulum annale apud S. Petrum in Erphordia celebratum est, die Dominica post festum S. Bartholomæi Apostoli, in quo Abbas noster Trithemius ad cœtum Patrum, Abbatum, Doctorum, atque studentium, insignem de laudibus religionis monasticæ fecit orationem, magnoque omnium fauore exceptus, non sine laude reuertitur.

MDIII.

*Hyems prolixa & æstas sicca.*

Hoc anno, qui fuit Iohannis Trithemij Abbatis nostri XX. fuit hyems dura & nimis prolixa, magnaque hic circa nos mortalitas pecorum ac hominum; maxima post siccitas æstatis fuit subsequuta in omni pene Alemannia, ita vt in plerisque locis non plueret in quatuor mensibus: vnde fœnum auenaque penitus exaruerunt, & in caro fuerunt precio, vsque adeo quod pauperes pecora venderent.

*Archiepiscopus Treuirensis moritur.*

Eodem anno XI. cal. Martij obiit Iacobus ex Marchionibus de Baden, archiepiscopus Treuirensis in maiori ecclesia Treuirensi cum debito honore tumulatus, cuius exequiæ apud Confluentinos in Quadragesima post Dominicam Reminiscere peractæ sunt cum ingenti pompa: quibus interfuit Iohannes Trithemius abbas noster, nomine clarissimi Principis domini Philippi Comitis Palatini Rheni Ducisque Bauariæ ac Principis Electoris orator missus (vt fieri solet) ac destinatus.

*Iacobus fit archiepiscopus Treuirensis.*

Postea Iacobus ex Marchionibus de Baden, filius Christophori Marchionis, coadiutor quondam defuncti (vt supra diximus) Archiepiscopi, per Alexandrum VI. Pontificem summum confirmatus in Archiepiscopum Treuirensem, à maiori parte Capituli & populi terræ assumptus est: vir elegans, doctus, & amator omnium eruditorum virorum dignissimus, quo vix melior ad Pontificatum hoc tempore inueniri potuisset alius, annorum ferme XXX.

*Marchio Badēsis venit ad nos.*

Eodem quoque anno, in mense Iunio, præfatus Christophorus Marchio Badensis iterum venit huc sine grauamine nostro (vt solet) videre & alloqui Trithemium Abbatem, cum quo in abditis naturæ mysteriis quædam secreta tractauit, nonnullisque participauit.

Anno etiam prænotato dominus Iohannes Abbas huius loci præmemoratus, nouam stu-

tiam stubam conuentualem pro refectorio fratrum hyemali à fundamento constr uxit, pulchro eam intrinsecus tabulato ligneo in circuitu exornans, ob fratrum charitatem, quia multum eis necessaria erat, quippe qui à tempore reformationis conuentualem stubam nullam habuerunt, sed tam hyeme quam æstate in refectorio æstiuali camino subterraneo erant contenti. Molendinum etiam quod erat inferius (vulgariter *Leymule* appellatur) nimia vetustate penitus collapsum, denuo à fundamentis parietibus lapideis nouum constr uxit. Incuria quoq; pecorũ hoc ipso anno domus vna funditus corruit, q̃ statim propter necessitatẽ de nouo pariete ligneo à fundamẽtis cum quatuor cameris constr uxit.

Eodem anno, quemadmodum pestilentia anno præterito, imo præteritis tribus, assumpserat; febres, calores, doloresque capitis cum dysenteria per omnem hanc regionem multa millia hominum inuaserunt, quibus consumpti plures vbique mortui sunt. Tam enim ingens & frequens fuit hæc infirmitas in Creutzenacht, Bingen, Moguntia, Franckfordia, Wormatia, Spira, villisque adiacentibus, & hic in Sponheim, vt rara domus esset in qua non iaceret febribus aut dysenteria ægrotus. *Febres, calores, dolores q; capitis cum dysenteria.*

Eodem quoque anno dominus Iohannes Abbas priuilegium super vsum altaris portatilis sibi & successoribus suis impetrauit à domino Reymundo Cardinali, Apostolicæ sedis de latere ad vniuersam Germaniam Legato, cuius tenor sequitur & est talis. *Ioannes abbas altare portatile impetrat.*

*Reymundus miseratione diuina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Mariæ nouæ Presbyter Cardinalis, episcopus Gurcensis, ad vniuersam Germaniam, Datiam, Suetiã, Nortvvegiam, Frisiam, Prussiam, omnesq; & singulas illarum prouincias, ciuitates, terras, & loca, etiã sacro Romano Imperio in ipsa Germania subiecta, ac eis adiacentia, Apostolicæ sedis de latere Legatus, dilecto nobis in Christo Iohanni Trithemio, abbati monasterii Sponheimensis, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœcesis, salutẽ in Domino. Sincera deuotio q̃ ad Romanã ecclesiam, nosq; illius legationis fungentes, gerere comprobaris, non indigne meretur, vt petitiones tuas ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est q̃ nos tuis deuotis in hac parte supplicationibus inclinati, vt liceat tibi & successoribus tuis habere altare portatile cum debitis reuerentia & honore super quo, in locis ad hoc congruis & honestis (sine tamen alieni iuris præiudicio) & cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exigerit, etiã antequã illucescat dies, circa tamen diurnam lucem si ad loca quoq;, Ecclesiastico interdicto ordinaria autoritate supposita, te vel successores tuos Abbates Sponheimenses declinare contigerit, in illis, clausis ianuis (excõmunicatis & interdictis prorsus exclusis) non pulsatis campanis, & submissa voce, in tua ac successorũ tuorum ac familiarium vestrorum domesticorum præsentia, missas & alia diuina officia, per teipsum, vel quemcunque alium sacerdotem idoneum, secularem vel cuiusuis ordinis regularem, celebrare seu celebrari facere possis, successoresque tui possint & valeant, dummodo tu vel illi causam huiusmodi interdicto non dederitis, nec id tibi vel illis specialiter contigerit interdicto prouiso, quod parce huiusmodi indulto ante diem celebrare siue celebrari faciendi vtaris, successoresq; tui vtantur: quia cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, qui candor est lucis æternæ, congruit id non noctis tenebris fieri, sed in luce, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus, & Synodalibus & Prouincialibus editis, consiliis generalibus vel specialibus, cæterisque contrariis quibuscunque: in quorum fidem præsentes literas fieri, nostriq; sigilli iussimus appensione communiri. Dato Moguntiæ anno incarnationis Dominicæ* MDIII. *14. cal. Iulii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri, domini Alexandri diuina prouidentia Papæ* VI. *anno* XI.

Sed notandum est, quod ante diem celebrare sine restrictione possumus, vigore priuilegiorum dudum à summis Pontificibus vnioni & obseruantiæ nostræ Bursfeldensi indultorum.

Eodem quoque anno, XI. cal. Augusti, obijt Dominus Blasius, insignis monasterij Sanctorum Petri & Pauli in Hirsauia Abbas, ordinis S. Benedicti, Spirensis diœcesis, in Capella S. Blasij martyris, quam ipse à fundamentis constr uxerat, ad aquilonarem ecclesiæ plagam sepultus: vir æterna memoria dignus, qui cœnobium suum ædificijs, structuris, agris, censibus, & ornamentis magnifice ampliauit. Cui in Abbatia successit Iohannes, qui pluribus annis maioris Cellerarij gessit officium. *Blasius abbas Hirsauiensis moritur.*

Anno etiam præscripto, VI. Cal. Augusti, qui fuit V. feria post festum S. Iacobi Apostoli, XI. hora post meridiem obijt in Laudenburgio Reuerendissimus & omnium Pontificum Germaniæ facile doctissimus Iohannes Camerarius de Dalburg, ecclesiæ Wormatiensis episcopus: vir tanta eruditione plenus, vt merito lumen Germaniæ diceretur & esset. In omni enim scientia doctissimus fuit, & eloquentiæ tantæ, vt eius facundia Demosthenis eloquẽtiam superare videretur. Multa scripsit tam græce quam latine, quæ propter frequentes occupationes suas non produxit in publicum. *Ioannes Camerarius de Dalburg episcopus Wormatiensis moritur.*

Eodem quoq; anno, XVIII. die Augusti obiit Alexander papa eius nominis VI. Post cu- *Alexander papa obiit.*

ius mortem Pius III. Papa constituitur, quo intra vnius mensis spatium mortuo, Iulius secundus consensu omnium ordinatur.

*Annale Capitulum celebratur.* Anno quoque prænotato; III. videlicet die mensis Septembris celebratum fuit annale Capitulum ordinis nostri Moguntiæ in monasterio S. Iacobi; & Iohannes Trithemius interfuit, & orationem ad Patres habuit.

*Præludia bellorũ contra Palatinum.* His item diebus paulatim cœperunt ebullire contra Philippum comitem Palatinum Rheni Bauariæque Ducem instantium bellorum præludia, ex quibus infinita postea mala tam hic circa, quam in Bauaria sunt subsequuta.

*Conuentus Principum in Franckfordia.* Anno Christianorum præscripto, in mense Octobri conuenerunt apud Franckfordiam oppidum imperiale principes electores, Bertholdus archiepiscopus Moguntinus, Hermannus archiepiscopus Colonien sis, Iacobus Archiepiscopus Treuirensis, Philippus Comes Palatinus Rheni, & Ioachim Marchio Brandenburgensis, & nomine Friderici Ducis Saxoniæ Orator Henricus de Bunavv miles, qui causas imperij quasdam in communi tractarunt. Aderat & Reuerendissimus Apostolicæ sedis Legatus, Reymundus Presbyter Cardinalis S. Mariæ nouæ, episcopus Gurcensis, vna cum Oratoribus Maximiliani regis Romanorum semper Augusti. Aderat & Iohannes Trithemius Abbas noster, literis & nuncijs vocatus per serenissimum Principem Ioachim Marchionem præfatum, qui visendi & audiendi Trithemium multo iam tempore æstuauerat, manseratque apud eum diebus continuis x. eorum quæ cupiebat audire Princeps ab eo, reddens pro viribus rationem. Abbate autem nostro Franckfordiæ commorante, Legatus Apostolicus ad mensam inuitatur Marchionis, inuitatur & ipse Trithemius, abituruſq; tandem ab vtroque muneribus donatur abbas noster magnificus. Valedicens Abbati Legatus, beatissimi Antonij verbis est vsus, dicens: *O quam tarde notus, quam cito recedis.* Quater ad mensam Cardinalis vocatus est abbas, cui magna promisit, si Romam cum eo pergere voluisset. Cursum, Rosarium, tractatum & orationes in laudem S. Annæ per Abbatem Trithemium æditæ, Legatus idem auctoritate Apostolica confirmauit, concedens indulgentiarum

*Trithemius ad Franckfordiam vocatur.*

*Confirmatio operum Trithemij. Indulgẽtiæ.* LXXX. dies omnibus & singulis, quotiens cursum ipsum, aut orationem vel Rosarium eius orauerint; item altare sanctissimæ Annæ, matris Mariæ, quod idem abbas Trithemius in domo fundauit Abbatiali, visitantibus cum deuotione in festiuitate S. Annæ eiusdem patronæ, in omnibus quoque festis beatæ Mariæ semper virginis, Andreæ Apostoli, Mariæ Magdalenæ, in die dedicationis ipsius altaris, quæ est IV. calend. Augusti, in die Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Martini, Benedicti, decẽ millium martyrum, omnium sanctorum, Epiphaniæ Domini, omnium Apostolorum, & S. Ioseph nutricij saluatoris Domini nostri Iesu Christi, totiens quotiens, LXXX. dies Indulgentiarum perpetuo duraturas concessit.

MDIV.

*Bellum impium contrà Palatinum. Causa belli contra Palatinum.* Anno Trithemii Abbatis nostri XXI ætatis autem XLIII. exortum est bellum atrocissimum inter Maximilianum Cæsarem & Philippum comitem Palatinum Rheni, cuius causa & exordium tale fuit. Mortuo Georgio Duce Bauariæ, qui Diuitis nomen à patre cum abundantia rerum susceperat, Rupertus gener eius Dux, filius memorati Comitis Philippi Palatini Rheni, Ducatum Bauariæ & diuitias soceri omnes ad ius suum pertinere dicebat, cuius vnicam filiam habebat vxorem, de qua & liberos successores iam legitimos susceperat. Sed Monacensis Bauariæ Dux Albertus quibusdam tractatibus & literis inter ipsum & Ducem Georgium dudum habitis, & ab vtraque parte sigillatis, quibus cauebatur, *Ne filiæ in Ducatu succederent, sed vter eorum moreretur sine virili semine prior, alter eius consequeretur Principatum*, præmunitus Duci Ruperto se potenter opposuit. Vnde Rex Maximilianus pacis amator se medium & interposuit, & post multos labores varioſque tractatus formam concordiæ sub certis conditionibus explanauit. Rupertus autem, alioquin Dux mansuetissimus & Cæsari charus, improuidorum seductus consilio, propositas sibi à rege conditiones pacis, quantumlibet monitus, acceptare recusauit, sed in sua sententia contra imperiale decretum permansit. Vnde commotus iusticiæ zelo Imperator mansuetissimus Maximilianus, posteaquam se cerneret nihil exhortando proficere, Ducem Rupertum, veluti rebellem, contumacem, & inobedientem constitutionibus, imperiali banno per sententiam subdidit, & omnes ei adhærentes pari animaduersione mulctauit. Quid faceret interea pater Ruperti Philippus, ab vtraque parte nimium anguſtiatus? *Nam si filium deseruero*, inquit, *ius violauerim paternitatis; si autem filio me patrem exhibuero, & Cæsarem & totum contra me Imperium moturos bellum scio.* Vicit tandem amor paternitatis, vtilitatis propriæ commodum, & misso in auxilium filio exercitu, omnium Principum se incursioni

sioni exposuit. Anno igitur prænotato Iohannis Trithemii Abbatis XXI in mense Maio, mandante sacratissimo Imperatore Maximiliano, contra Philippum comitem Palatinum Rheni Principem electorem, arma mouerunt in his inferioribus terris, Vdalricus Wirtenbergensis Dux, Wilhelmus Prouincialis Comes Hassiæ, Alexander Bauariæ Dux & Comes Veldentiæ, qui morabatur in Geminoponte oppidulo, vna cum Comitibus & militaris ordinis multis, qui vno animo Palatinas inuasêre terras, & stragem magnam fecerunt. Vdalricus namque Dux Wirtenbergensis magnanimus quasdam munitiones Palatinas, oppida simul & castella potenter obtinuit, & Pesickheim, Meckmuhl, Levvenstein, Maulbron cœnobium, cum quibusdam alijs, suo dominio subiugauit. Erat enim Princeps iuuenis quidem, sed prudens, & Deo religione deuotus, qui Christianum bellandi modum non excessit: siquidem neque Ecclesias Christi dedit incendio, neque monasteria spoliauit, sed animo strenuus & potentia virtuosus, quoad fieri potuit, innocentibus & ministris ecclesiæ pepercit. Bretheim oppidum Palatini potenter obsedit, quod cum se obtinere non posse cerneret, obsidione soluta aliorsum exercitum conuertit. Winsberg cum omnibus attinentijs suis suo imperio subdidit, & nisi tandem regis interuenisset edictum, parcere volentis prostrato, grauiora Palatinis damna intulisset.

*Dux Wirtenbergensis quasdam munitiones, oppida & castella Palatini obtinet.*

*Bretheim obsidetur.*

Interea dum hæc agerentur in finibus Sueuorum, Wilhelmus Prouincialis Comes Hassonum, ducto per Franckfordiã exercitu, Bensheim Palatini oppidum obsidione valauit, sed his qui præsidia tenebant in oppido, se fortiter defendentibus, & exercitu Palatini appropinquante, infecto negocio recessit: villas tamen in circuitu, & quicquid iuris erat Palatini, spolians incendio tradidit, & Lauriſſam cœnobium, Præmonstratensis ordinis, spolians, ne daretur incendio, pecunia taxauit. Nouum castrum Palatini pulcherrimum, quod à fundatore suo dicebatur *Friderichsburg*, igne suppositio incendit, ac funditus destruxit. Stein quoq; castellum, non procul à Wormatia, traditione Castellani in deditionem accepit. Descendens inde Moguntiam, fauentibus Moguntinis, traduxit exercitum, & omnia quæ circũcirca ditionis erant Palatini, rapuit, incendi fecit, & funditus destruxit. Inde mouens exercitum, iuxta oppidum, Altzeia dictum, castra posuit, & omnia in circuitu, tã in agro (quia tempus erat messis) q̃ in villis, rapuit, & in prædam suis militibus concessit. Nihil erat tutum, nisi quod murorum fuerat præsidio munitum: non enim habebat, ad oppugnandum oppida & munitiones fortiores, necessarias machinas ad manus, & propterea nullos vnquam vicit sibi resistentes, sed fugientium duntaxat rusticorum & pauperum cepit mansiones: omnes Palatini villulas in circuitu, quas attingere potuit, incendio cremauit. Quicquid vspiam reperiebatur, tam in ecclesiis, q̃ in villis, sine mora, sine discretione personarum, sine reuerẽtia locorum, in prædã cessit communem. Gauiodorum incolarum deditione cepit, & prædam inde capiens, sine incendio dimisit: in vino, frumentis, aliisq; hominum vtensilibus necessarijs, magnam ex terra Gauiorum prædã habuit, q̃ suis vsibus reseruatam, in Hassiam eo tempore misit. His circa oppidum Altzen & in illius Gauio nimium crudeliter peractis, Wilhelmus Comes Hassonum memoratus ad Stauronesum duxit exercitum, & positis circa Blenich in Nagauio * castris, omnia in circuitu deuastauit. Quo ibidem vna cum Duce Brunonis vici commorante in papilionibus, venit ad eum de Meysenheim Dux Alexander, ei dudum confœderatus, propterea quod ambo non solum communes Imperij causas, sed etiam priuatas contra Comitem Palatinum habere viderentur. Verum priusquam ista fierent, Alexandrini quasdam in vigilia Petri & Pauli villulas Palatini circa Sobernheim incendio concremantes, monasterium Wilhelmitarum, Mariæ porta dictum, mane intrauerunt cum curribus & equitibus, & quicquid poterant inuenire secũ ad Meysenheim abducẽtes, ducẽtis aureis à Priore acceptis pro securitate, ab incendio cœnobium eius seruare promiserunt. erat autem feria VI. & (sicut dictum est) vigilia Apostolorum. His auditis Iohannes Trithemius abbas noster, hostium metu perterritus, eodẽ die, in proximum Palatini secessit oppidum, q̃ Stauronesum vocarũt antiqui, à nostris aũt *Creutzenacht* appellatur; introductiq; paulatim libris, priuilegijs, & cunctis vtensilibus domus, ne paterent in prædam aduersarijs, mansit ibidem menſibus v. diebus XIV. vsq; ad finem belli, & in vigilia S. Andreæ ad monasterium reuersus est.

*Hassones deuastant omnia. Bensheim obsidetur.*

*Friderichsburg nouũ castrũ Palatini destruitur.*

*Stein castellum capitur.*

*Omnia circa Altzen deuastantur.*

*Gauiodorũ oppidum capitur.*

* *Nachgau.*

*Cœnobium porta Mariæ spoliatur.*

*Iohannes Trithemius secedit in Creutznacht.*

Interea vero cum Hassiæ Comes prouinciæ circa Stauronesum in papilionibus resideret cum maximo exercitu, milites omnia in circuitu, quæ ad ius pertinebant Palatini, deprædantes, nulli penitus vel personæ vel loco pepercerunt. Emicho de Lyningen Comes, præpositus erat super incendium, homo truculentus, nec Deum nec homines aduertens, qui omnes in circuitu Palatini villas incendio concremauit, paucis exceptis quas pecuniarum interpositio liberasset. Quod Deum nõ timuit, operibus Deo contrarijs

*Emicho comes de Lyningen Præpositus super incendium.*

*Armsheim, Basenheim, Lansheim, Windesheim, Heydesheim Budesheim, Laubersheim incendio pereunt.*

ostendit: nam & ecclesias Deo consecratas incendere non metuit, & sacris mysteriorum vasis non pepercit. Armersheim villa, vna cum ecclesia noua & pulcherrima eius imperio cõcremata est & funditus miserabiliter destructa; villa Basenheim simul cum ecclesia & curte nostra illo adiacente, iussu eius in cinerem sunt redacta; item villa Lansheim cum ecclesia & campanis incendio funditus perijt, item Windesheim, Heidesheim, Budesheim, Laubersheim, & aliæ complures villæ, quarum recensere omnium nomina foret nimis tædiosum, simili vesania incensæ omnino perierunt. Villa erat circa fluuium Naham, proxima oppido Bingionum, quam Monsterium veteri nomine vocauerunt, Ecclesiam habens pulcherrimam, quam ante paucos annos Palatinus comes de manibus cuiusdam Comitis Rheni, Bertholdo archiepiscopo Moguntino reclamante, cocmerat, ponens in ea præsidium contra insultus Rhenicularum. Hinc inter ecclesiam Moguntinam & Palatinenses exortæ fuerunt grauissimæ dissensiones, quarum occasione Mogũtinenses accepta hoc tempore malo bellorum opportunitate, causam (ne dicam preces) eius incendio præstiterunt. Molestauerat enim eos multo tempore nomine Palatini quidam Albertus Goler de Rauensburg Præfectus Stauronensium, & varijs incõmodis fecit esse subiectos. Vnde iam data, quam diu desiderauerant, occasione Bingenses memoratæ villæ incendium suis precibus à Comite Hassonum impetrarunt. Ardente autem iam vico Magister Henricus Pastor ecclesiæ Bingiorum vocatus est, vt sacrosanctum Christi corpus vendicet ab incendio, quia veniens ad ecclesiam, in superiori iam parte cremantem, de hagiotheca sacramentum extraxit, & lachrymis suffusus coram omnibus dixit: *O scelestissimi hominum, qui nec Domino Deo creatori vestro parcitis; sed eum, qui continet omnia, de sua mansione fugare laboratis: credite mihi Duces, credite Principes, credite omnes, quoniam non diu transibit inultum omnipotens Deus tam temeratam iniuriam.* Quam vera dixerit, vindicta subsequuta diuinitus probauit. Porro Hassonum Comes Wilhelmus VI. diebus in præscripto loco prope Stauronesum exactis, & omnibus in circuitu longe lateque dira vastatione consumptis, per oppidum Bingen duxit exercitum. Postera die contra Ingelnheim procedens, aciem dirigit, & castellum (quod *aulam Caroli Magni* vocant) inuadere cogitauit: sed eius conatus tali modo & industria Palatinorum confracti sunt. Approximantes castello Hassij, cum portas viderunt apertas, præsidia in fugam arbitrabantur conuersa, itaque glomératim prorumpentes ad portam, alter alterum, prædæ inhiantes, præuenire festinabat: & ecce subito, qui latuerãt in interioribus Palatinenses, machinas ante preparatas in occulta dispositione (quas Bombardas à sonitu nuncupamus) ignem apponentes, in hostes dirigunt, & complures instrumentorum ictibus necantes, in fugam reliquos conuertunt: clausisque mox portis castelli, ad muros & turres conuolant, & in machinarum violentia omnes ab accessu castelli fortiter coercent. Interea dum hæc agerentur circa castellum, vicus adiacens incensus ignibus ardebat, cunctis in ipso castello se villanis murorum defensione tuentibus: & quidem multi ex Hassis, domos villæ ardentis prædandi gratia intrantes, propria negligentia seducti, incendio perierunt. Confusi Hassones, magnaque suorum clade susceptra, obsidione soluta Moguntiam transierunt, & amne transmisso, Castellum quoddam Comitis in Hanavv, quod Homberg siue Alteburgium nominatur, deditione ceperunt.

*Monster prope Bingẽ incenditur.*

*Hassii pergunt ad Bingios.*

*Ingelnheim & aula Caroli.*

Dum hæc agerentur per Hassios, Dux Geminipontis Alexander, copijs sociorum adiutus, Pilickheim vicum Palatini Comitis, non procul à Landauio, Spirensis diœcesis, obsidione vallauit, qui cum vires aduersariorum superare non posset, inglorius ab obsidione oppidi recessit. Amotus igitur ab obsidione exercitus, villas & monasteria in circuitu, sub Principatu Comitis Palatini posita, inuadens spoliat, & quicquid non redimebatur pecunia, igne & incendio deuastat. Ecclesiam in Clingenmonster, quæ ante paucos annos in memoria fuit Ordinis nostri, cœnobia quoque Cistertiensis ordinis in Vtersdal* & in Otterburg, simul & in Hartvvigshausen S. Spiritus, monialium quoque S. Lamperti inuadentes Alexandrini spoliant, & pro incendio remittendo pecunias extorquent: & multiplicata sunt mala in omni terra Palatini. Hostibus autem circa nos vbique contrà Palatinum sæuientibus, omnes pene curtes monasterij nostri Sponheimensis per Hassones aut igne sunt destructæ aut incursione deprædantium penitus desolatæ. Nam fructibus terræ ab exercitu inimicorum consumptis, bonorum temporalium iacturam intolerabilem & in xxx annis vix recuperabilem suscepimus. Trithemio Abbate nostro in Stauroneso commorante per menses plures, & hostibus circa monasterium die ac nocte circumcursantibus ad nocendum, grauissima in vtroque statu damna sustinuimus, quæ recuperari nostra ætate non posse formidamus.

*Pilickheim obsidetur.*

* *Vsserstal.*

*Curtes nostræ destruũtur.*

Dum

Dum hæc fierent in terris nostris, grauissima contra Philippum Comitem Palatinum & eius filium Ducem Rupertum bella in tota Bauaria gerebantur. Maximilianus etenim potentissimus Romanorum rex, volens humiliare superbos & ad obedientiam reuocare contumaces, assumptis quibusdam Principibus, videlicet Duce Alberto de Monaco, Friderico quoq; Marchione Brandenburgensi, qui morabatur in Anoltzbach, episcopo etiã Augustensi, & ciuibus oppidorum Nurenbergensis, Vlmensis, Augustẽsis, & aliarum Imperialium ciuitatũ, omnem pene Bauariam deuastauit, & multas munitiones aduersariorum cepit. Inter hæc monasterium Waltsaxa, Cistertiensis ordinis, nõ longe ab Egra circa Bohemiæ introitum, ab exercitu Marchionis Friderici crudeliter spoliatum & incensum, funditus euersum est. Rex autem Maximilianus rebus in Bauaria pro victoria dispositis, exercitus partem duxit in Alsatiam, & quicquid circa Argentinam iuris erat Palatini, sine sanguinis effusione in deditionem accepit: videlicet Gerolzeck, Offenburg, Schottern, Ortenburg, & Gengenbach, cum omnibus quæ ad Palatinum eatenus ibidem pertinere videbantur. Denique ab ista parte Rheni similiter in suam potestatem accepit totam prouinciæ Aduocatiam Lutzelstein, Hagenavv, & Wissenburg cum omnibus castellis, villis, & oppidis ad illam pertinentibus vsque in præsentem diem.

*Maximilianus rex deuastat Bauariam. Cœnobium Waltsaxen capitur.*

Anno prænotato cum Hassones circa Alteburgium & Alexandrini circa Bilickheim viderentur occupati, Philippus Comes Palatinus de Alrzen & Heydelberga in Stauronesum suorum destinauit exercitum, XIX. die mensis Iulij & manserunt ibidem octo diebus, incrementum sui & machinas necessarias bellandi exspectantes. Die autem eiusdem mensis XXVI. qui fuit festum sanctissimæ matris Annæ, Stauronesum mane exeuntes, aciem direxerunt ad terras Ducis Alexandri, Comitatui Sponheimensi contiguas, & paruum ipsius Ducis oppidulum Cotirodorum (vulgariter *Dreckodernheim* nuncupatum) obsidione cinxerunt, quod sequente Dominica, hoc est, XXVIII. die mensis Iulij captum est, muris turribusque deiectis in terram, præter homines omnia in prædam sunt data militibus. Monasterium quoque sancti Præsulis Disibodi Palatinenses intrantes, fugato præsidio quod Dux Alexander imposuit, omnia deuastant, rapiunt, & præter bibliothecam nihil intactum relinquunt: nam & plumbum de tectis atque fenestris rustica multitudo rapuit, & quæ auferre non potuit, pro viribus ann hilare laborauit: omne quoque vinum & frumentum, simul & pecora in prædam abduxerunt. Verum dum ista gerebantur circa monasterium sancti Disibodi, quod vno duntaxat miliario distat à Sponheim, Matthias eiusdem Abbas à quodam tyranno tenebatur captiuus, qui tandem iussu Palatini Comitis liber fuit dimissus. Cotirodoro capto exercitus Palatinus ducebatur per terras Alexandrinas versus Lutern, & quasdam in itinere villulas inuadentes spoliauerunt, nonnullas etiam incendio tradiderunt. Die posthac mensis Augusti XVIII. Wilhelmus Hassiæ Comes magno adunato exercitu, castra in montibus Rheni in oppositro vrbis Bacherach ab illa parte fluminis posuit, & paruum Palatini oppidum, Cuba dictum, obsidione fortissima vallauit. Magnis viribus vsus est quatenus oppidulum caperet, sed Palatino inclusis mittente auxilia, omnes infestantium conatus frustrati sunt. Erant enim in ipso vico homines ad custodiam deputati & plures atque fortissimi, quorum numerus quotidie augebatur. Comitis autem Palatini exercitus in monte circa Bacherach, in oppositro Hassonum, castra posuit; itaque Rhenus illos ab istis præterfluens diuisit. Varia fuerunt ab Hassonibus excogitata ingenia, sed omnia propter montium altitudinem defecerunt: bombardarum ictibus se mutuo tentauerunt, & nonnullis vtrinque occisis, tandem XXV. die mensis Septembris obsidione soluta Hassiæ Princeps non sine detrimento suorum ad propria remeauit.

*Exercitus Palatini. Dreckodernheim capitur. Cœnobium S. Disibodi spoliatur. Cuba obsidetur. Palatinẽsis exercitus.*

Anno præscripto, XX. die mensis Augusti, hoc est, in festo S. Bernhardi, obijt Dux Rupertus, filius Philippi comitis Palatini Ducisque Bauariæ principis electoris; & post paucos dies mortua est etiam vxor eius, quondam Ducis Georgij Diuitis filia.

*Rupertus dux moritur.*

Eodem pene tempore obijt & Ludouicus episcopus Spirensis, vir optimus; cui Philippus de Rosenberg cantor ecclesiæ successit, qui continuis laborabat infirmitatibus, homo prudens, & rerum ecclesiæ defensor acerrimus.

*Philippus fit episcopus Spirensis.*

Anno quoque prænotato, penultima die mensis Augusti, qui fuit VI. feria & altera post decollationis sancti Iohannis Baptistæ festum, præsidium quingentorum hominum, quod Philippus Comes Palatinus ad tutelam monasterij Lympurgensis aduersus Comitem de Liningen posuerat in montem, ipso reuocante ad quædam alia sui Principatus loca mittitur. Post quorum discessum monasterium hominibus vacuum re-

*Præsidium à Lympurg reuocatur.*

manſit, monachis fuga ſibi antea conſulentibus propter minas aduerſariorum. Eodem die poſt diſceſſum Palatini præſidij, conuenientes quidam latrunculi partis aduerſariorũ, monaſterium Lympurg, hominibus iam vacuum, intrant armati, ſpoliant omnia diripiẽtes, & quicquid inuenire potuerunt in ſua detulerunt: nouiſſime rebus omnibus deportatis, monaſterium igne ſuppoſito incendunt, cremant, ac funditus deſtruxerunt. Omnes eo incendio manſiones monachorum, domus quoque, horrea, ſtabula, & cuncta ædificia cum inſigni eccleſia, in fauillam ſunt penitus redacta & conſumpta, vt præter lapides nihil omnino remanſerit. Durauit autem hoc incendium per dies XII. continuos, miniſtris impietatis quotidie reuertentibus, & ne quid maneret integrum, ignem de nouo inſtaurantibus. Fuit autem eccleſia memorati cœnobij & magna & pulcherrima, ſub honore Dei parentis intactæ virginis Mariæ & ſanctæ crucis, à Conrado Imperatore ſecundo, anno Domini MXXX. ſumptuoſe conſtructa: cuius interiores duæ partes XX. columnis erant ſubnixæ ex lapide ſolido, quarum vnaquæque pedes habebat in longitudine XX. & in ſpiſſitudine cubitus geometricos binos, hoc eſt, pedes ad minus XII. longitudo ipſius eccleſiæ ab exteriore ianua occidentali vſque ad altare maius, pedes continebat CCCL. latitudo vero CXL. altaria in ea XX. campanæ VI. & ornamenta altarium tabulata in auro & imaginibus plurima, quæ omnia per inimicos crucis Chriſti aut deportata ſunt prius, aut ignibus conſumpta, vt diximus. Comes autem Palatinus, protector monaſterij, Abbatem in tempore fecerat cautiorem, vt quicquid ſaluum eſſe vellet, ad vrbes faceret deportari, qui auiſatus, ornamenta eccleſiæ, clenodia, libros, & quicquid deportari potuit, ad vrbem Spirenſem, vbi eo tempore iacebat infirmus, tranſduci mandauit: monachi vero & donati omnes metu hoſtium prius ad loca ſe tutiora contulerunt. Nam propter comminationem hoſtiumque crudelitatem, qui in proximo manebant caſtello Duroburgo, nullus in cœnobio, præter vnum hominem ſenẽ ad fugam omnino indiſpoſitum, remãſit. Qui vbi monaſterium vidit incenſum, de loco in quo latitabat, conſurgens, vt poterat reptando intrauit eccleſiam, & abſcondens ſe in ſacrario combuſtus eſt. Tam vehemens fuit incendium illud eccleſiæ, vt nõ ſolum ligna conſumeret omnia, ſed etiam columnas (de quibus diximus) lapideas, ſolidas, magnas atq; fortiſſimas, ardoris ſui violentia omnes pene confregit. Nihil in toto monaſterio illo, præter vnicam eccleſiæ turrim, ſanum & integrum remanſit. Enimuero ſicut locum eundem pace reddita poſtea vidimus, facilius videretur nouum cœnobium à fundamentis in toto poſſe conſtruere, quam illud poſt incendium denuo reſtaurare. Durauit bellum hoc atrox & cruentum totius pene Imperij contra Philippum ſupra dictum Comitem Palatinum, menſibus ferme V. cuius occaſione multa & pene infinita mala contra Deum & homines facta ſunt, & mortalium plures interfecti, alij in vltimam paupertatem compulſi ſunt: monaſteria vel incenſa vel ſpoliata, Eccleſiæ crematæ vel euerſæ, villæ deſolatę & funditus incendio ignis perierunt. Monaſterium Waltſaxen dictum in Bauaria, non procul ab oppido Egra, in introitu Bohemiæ ſitũ, ordinis Ciſtertienſis, eodem anno & bello per quoſdam ſatellites Friderici Marchionis Brandenburgenſis in Anolsbach commorantis, ſimili furore impiorum fuit exuſtum: ſed non diu poſtea pœnas dederunt duo principales incendij autores, turpiter moriendo.

Anno prænotato circa feſtum S. Michaelis Archangeli, Maximilianus Rex inclytus, poſteaquam dura ſatis ani maduerſione Palatinum vidit ab æmulis afflictum, miſericordia motus, manus pietatis appoſuit; & bellandi poteſtatem cunctis interdicens, pacem humiliato Principi conceſſit. Ad reformandum vero pacem inter Principes contra ipſum Palatinum motos, & illum, diem ad Coloniam per edictum placitandi ſtatuit ad primum menſis Iulij anni ſequentis, ad quem omnes conuocauit.

Anno præſcripto in vigilia S. Andreæ Apoſtoli Iohannes Trithemius de Stauroneſo ad monaſterium reuerſus eſt, poſteaquam menſibus V. & diebus XX. metu hoſtium declinans, à cœnobio ſe neceſſario abſentauerat, nec tutũ redire citius iudicabat, quoniam nõ ſatis adhuc de pace conſtabat. Occaſione huius belli monaſterium noſtrum grauiſſima damna incidit, & detrimentum in vtroque ſtatu irrecuperabile ſuſcepit. Curtis enim noſtra in Boſenheim incendio funditus perijt, cenſus & reditus noſtri, fiumentorum maxime, pro maiori parte vel ab hoſtibus conſumpti ſunt, vel propter maliciam temporum hominumque in vſus noſtros minime peruenerunt. Omnia enim per quæ viuere debueramus, rei familiaris commoda, male perierunt.

*Lympurg incendio conſumitur.*

*Eccleſia Lymburgẽſis qualis fuerit.*

*Monachi omnes fugiunt. Haritburg.*

*Miſeria magna.*

*Regis mandato ceſſatur ab iſto bello.*

*Trithemius ad cœnobiũ reuertitur. Bellum nobis damna intulit grauiſſima.*

*Conuocatio Palatinenſis ad Heydelberg.*

MDV.

Anno Iohannis Trithemij Abbatis noſtri XXII. indictione Romanorum VIII. circa mediũ Quadrageſimæ, Philippus Comes Palatinus Rheni Bauariæq; Dux ac ſacri Imperij Archi-

Archidapifer ac Princeps elector dignissimus, conuocauit omnes Principatus sui Prælatos, episcopos, Abbates, Comites, Nobiles, & communitates vrbium & oppidorum ad se Heydelbergam, habuitque cum eis consilium simul atque tractatum super conditionibus certis ad reformationem pacis inter ipsum & Principes imperij pertinentibus.

*Bertholdus archiepiscopus Moguntinus moritur.*

Eodem anno prænotato mortuus est Bertholdus ex Comitibus de Hennenberg, Princeps æterna memoria dignus, omniumque suo tempore prudentissimus, sapientiæ magnæ, in agendis quoque negocijs ecclesiæ & imperij experientiæ multæ, qui bene præfuit ecclesiæ suæ, & multa quæ fuerant alienata recuperauit, debita soluit, pacem amauit. Huic in Pontificatu successit maioris ecclesiæ Decanus Iacobus de Libenstein, patria Sueuus, homo bonus atque modestissimus, qui annum quartum in Archiepiscopatu non cõpleuit, toto principatus sui tempore calculosus, & varijs infirmitatibus corporis detentus.

*Iacobus succedit.*

*Ioannes Trithemius vocatur Heydelbergam.*

Anno prænotato prima die mensis Aprilis, Iohannes Trithemius abbas huius cœnobij mane circa horam septimam cum nũcio Principis Palatini & famulo vno equester exiens de monasterio, iter versus Heydelbergam arripuit, imperio ipsius Principis simul & literis euocatus, in caussa exusti monasterij Lympurgensis, vt constrüeretur in Wachenheim, daturus consilium. Erat autem eo tempore aliquantulum corpore debilis, laborans febribus tertianis. Qui cum venisset ad Heydelbergam, aêris intemperãtia distemperatus, infirmitas aucta fuit, in tantum quod redire, sicut disposuerat, citius non potuit. Eo sic infirmo apud Heydelbergam existente, contigit quinta post eius discessum ab hinc die, instigante Diabolo, grauis hic perturbatio, quam sibi nimis iniustosam existimans grauiter tulit. Omnipotens Deus & misericors indulgeat omnibus, qui vel consilium dederunt huic malo, vel auxilium. Quod factum nimis inconsulte præsumptum, caussam abbati præstitit multarum tribulationum & persecutionum, & plures contra ipsum æmulos prouocauit. Verum ipse, cum esset prouidentia cautus & singulari patientia præditus, omnem causam diuinæ pietati terminandam commisit. Ad monasterium deinceps huc non est reuersus vsque in præsentem diem, non quod prohiberetur ab aliquo, sed propterea quod verebatur, se pacem cum æmulis postea nunquam habere posse, vnde locum dans * iræ locum dimisit amore quietis, vt postea dicemus.

*Infirmatur Heydelbergæ.*

*Perturbatio hic oritur.*

*Conuentus Principum in Colonia.*

Anno etiam prænotato conuentus Principum apud Coloniam factus est magnus in principio mensis Iulij, ad confirmandam pacem & concordiam per mandatum regale (vt supra diximus) conuocatus, & durauit vsque in finem eiusdem mensis. In quo quidem conuentu isti Principes comparuerunt: Maximilianus rex Romanorum, Hermannus archiepiscopus Colonien sis, Iacobus archiepiscopus Treuirensis, Laurentius episcopus Herbipolensis: item episcopus Bambergensis, episcopus Monasterien sis, episcopus Traiectẽsis, episcopus Leodien sis, episcopus Gurzẽsis, Petrus Bononius episcopus Tergestinus, & quidã alij, quorum nobis hac vice nomina nõ occurrunt. Porro secularium Principũ nomina tunc præsentium hęc sunt: Philippus Comes Palatinus Bauariæq; Dux elector Imperij, & duo filij eius Ludouicus & Fridericus, Ioachim Marchio Brandenburgensis elector imperij, Fridericus Dux Saxoniæ elector imperij, & frater eius Iohannes Fridericus Marchio Brandenburgẽsis, qui morabatur in Anolsbach, patruus Ioachim prædicti electoris, Henricus Dux Brunsvicensis, Ericus Dux Luneburgensis, Wilhelmus Dux Iuliacensis, Henricus Dux Megalenburgensis, & quidam alij cum multis Comitibus & Nobilibus. Ad memoratum conuentum iturus de Marchia Brandenburgensi Ioachim Princeps elector supradictus, nuncium equitantem præmisit cum literis ad Abbatem nostrum Iohannem Trithemium, qui tum Spiræ in domo abbatis Limpurgensis morabatur infirmus, quibus rogabat, vt ad se Coloniam descenderet, mittens illi viaticum; qui postulanti tanto Principi libenter annuit, in cuius oculis iam antea gratiam magnam inuenit. Vnde quamuis ex parte adhuc esset debilis, & propter casum cum equo fluxum sinistro patereturin crure, ob idque paululum claudicaret, tamen ad complacendum Principi, conducto curru vna cum nuncio descendit ad Moguntiam, & inde nauigio vsque ad Coloniam, vbi per integrum mensem cum ipso Marchione permansit. Verum enimuero cum iniuriarum sibi factarum auctores necdum plene scire potuisset, reditum ad monasterium aliquandiu differre statuit, donec videret quorsum æmulorum suorum laberetur intentio. Quod cum innotuisset sæpe dicto Principi, rogabat eum instantius, vt secum ad terras Marchionatus Brandenburgensis pergeret, per menses aliquot cum eo mansurus: quod facere sine consilio illustris principis Philippi Comitis Palatini Trithemius noluit, cuius multam humanitatem & tunc & ante expertus est. Vnde consensu ipsius Principis impetrato, Abbas Marchioni promisit se facturum quod postulauerat. Conuentu igitur

*Principes seculares ibi præsentes.*

*Ioannes Trithemius Spiræ morans vocatur Coloniam.*

*Trithemius descendit Coloniam.*

*Marchio Brandeburgensis petit Trithemiũ secum ire in Marchiam.*

*Promittit se iturũ cũ eo.*

Principum tandem soluto, Ioachim Marchio per Saxoniam iter faciens, ad sua reuersus est, consignato prius Abbati copioso viatico & comitiua satis honesta. Anno itaque prænotato die mensis Augusti vi. Iohannes Trithemius abbas cum suis exiuit Colonia, & nauigio ascendit ad Moguntiam: non enim volebat intrare Marchiam, nisi prius de monasterio necessariam fecisset narrationem Priori: à Moguntia igitur rursus ascendit Spiram, & vocatum ad se Nicolaum de Reinig Priorem suum, omnem curam & dispositionem monasterij huius illi commisit, dispositisque vt potuit rebus, per Thuringos Marchiam intrauit, & veniens ad Berlin oppidum, in quo Marchionis est residentia, cum gaudio magno & honore ab eo susceptus est, & in omnibus iuxta principalem munificentiam copiose prouisus. Mansit autem cum eodem Principe in Marchia mensibus IX. vacans ad institutionem illius laudabilem componens opuscula. Erat enim Princeps idem in omni varietate scripturarum doctissimus, annum tunc agens XXIV. sed prudentia atque sapientia longe supra ætatem clarus & multum insignis: qui amore scientiæ saluaris nimium æstuans, Trithemium à multis annis habere Præceptorem desiderauerat.

*Trithemius Priorem ad se Spiram vocat.*

*Intrat Marchiam.*

*Manet ibi mensibus 9.*

*Emicho comes de Liningen accusatur coram regia maiestate super incendio monasterij Limpurgensis.*

Anno prænotato conuentu principum in Colonia durante, Macharius abbas exusti monasterij Limpurgensis aderat, causam suorum coram Regia maiestate cupiens cõtra Emichonem Comitem de Liningen per iusticiam examinatam iudicari. Iussus igitur mandato regio petitionem suam obtulit in scriptis, quibus memoratum Comitem super incendio monasterij euidentissime accusabat, quoniam eius mandato esset factum. Comes econtra negabat se mandasse incendium, neque sibi cõstare quis incenderit, propterea quod ipse febricitans in Greuenstein eo tempore iacuisset. Sed abbas multorum testimonio potuit comprobare, quod spoliatores incendiarij memorati cœnobij à Durenburgo (vulgariter *Hartenburg*,) Castello Comitis proximo exiuerant, illucque cum spoliis monasterij fuerant reuersi, & quod maioris fuerit probationis, eos adhuc in eodem Castello dixit habitare. Maximilianus autem bello cõtra Venetos, & alijs negocijs regni plurimum occupatus, causam Archiepiscopo Moguntino, tunc quidem absenti, amice terminandam commisit: in cuius audientia plura per biennium fuerunt actitata, sed nulla subsequuta inter partes concordia. Interea Comes montem Lympurg, vbi cœnobium steterat, agros, prata, syluas, pascua, & piscationes in circuitu Abbatiæ nihilominus occupabat, & eorum prouentus in annum ferme sextum cum suis vtilitatibus profuturos detinuit vsq; ad mortem ipsius abbatis. Quo tandem mortuo, eius successor super spolio concordiam iniuit cum Comite, sub cuius conditionibus nulla fuit de incendio mentio facta, sed in arbitrio abbatis relinquebatur, si velit contra eum iure procedere.

*Causa committitur archiepiscopo Moguntino.*

*Macharius abbas ecclesiam parochialem in Wachenheim in monasterium erigit.*

Eodem anno supradictus Abbas Macharius, locũ cupiens inuenire securum, in quo Domino Deo cũ suis monachis seruiret quietus, ecclesiã in oppido Wachenheim Parochialẽ commutatione legitima prius interposita, de manu Præpositi & cõuentus Præmõstratensium in Luthera suscepit, episcopo Spirensi simul & principe Palatino, cuius est oppidũ, consentientibus. Cõmutatione facta, & monumentis literarũ necessarijs hinc inde datis & acceptis, locum mansionis suæ ibidẽ abbas memoratus statuit, & monasteriũ facere de præfata Parochiali ecclesia decreuit, in quo cũ suis monachis manere cogitauit. Multis enim respectib. & considerationibus motũ fuisse constat, ne monasteriũ in monte restauraret exustũ, è quib. duas nouimus exstitisse præcipuas: Alteram ꝙ locus in patulo nõ erat munitus, verebaturq; in posterũ idem posse contingere, ꝙ nunc dolebat præsumptũ: Alteram ꝙ penuriam in monte magnã aquarum pateretur. Eligebat igitur locum in oppido memorato ad construendum monasterium, vbi & aquarum esset copia, & muri facilẽ prohiberent incursum hominum impiorum. Construxit itaq; in curia Parochiali mansiones quasdam necessarias, in quibus cum paucis monachis mansitabat, reliquos ad diuersa ordinis nostri cœnobia propter inopiam magnam destinauit. Cunctis autem postea diebus, quibus idem Abbas Macharius vixit, inter ipsum & supradictum Comitem contentiones fuerunt ac lites propter causas præscriptas.

*Mansiones cõstruit necessarias.*

*Concordia fit Colonia inter Principes.*

*Ioannes Trithemius honoratur à rege Romanorum.*

Item in memorato conuentu Principum, anno Trithemij Abbatis nostri præscripto, Maximilianus Rex XXX. die mensis Iulij pacem & concordiam inter dissidentes Principes reformauit, quam sub pœnis Imperialibus mandauit ab omnibus custodiri. In eodem conuentu Principum Maximilianis Rex XXIX. die mensis Iulij vocauit ad se Iohannem Trithemium Abbatem, cum Domino Marchione (sicut diximus) existentem, cuius famam multorum relatione (vt asseruit) sæpius audierat, & de varijs quæstionibus scripturarum longam cum eo habuit disputationem; vnde non parum eo loquente Rex exhilaratus est, priuilegium illi Capellæ Imperialis

cum

cum certis libertatibus contulit, ac muneribus honoratum magnificis à se cum beneuolentia dimisit.

*Trithemius in Galliam vocatur.*

Eodem quoque anno, posteaquam Trithemius Abbas noster de Colonia reuersus fuisset ad Spiram, venit ad eum Doctor quidam Medicinæ nomine Narcissus, ex regno Gallorum, cum literis cuiusdam episcopi Cohursensis *, qui Trithemium propositis magnis donationibus ad se vocauit in Galliã, pecunijs pro viatico multis & sufficientibus in promptu præparatis. Fama namque illius impulsus Præsul memoratus, cupiebat cum vel perpetuo vel ad tempus secum habere in Gallijs, & multa propterea pollicebatur. Sed Abbas Trithemius, qui se vestigia Marchionis Ioachim ad Vrsulum promiserat subsequuturum, & viaticum L. florenorum ab eodem iam susceperat, fidem seruare promissam omnino cupiens, Galliam cum misso Doctore intrare nequaquam poterat. Per literas ergo Præsuli ad quædam interrogata respondẽs, Doctorem remisit ad Gallos, & quod ea vice nullatenus posset venire, cum eo declarauit.

** Cahors Cadmeum.*

*Quare non ierit in Galliam.*

*Reymundus Cardinalis moritur.*

Anno etiam prænotato, VII. die mensis Septembris obijt Reymundus Presbyter Cardinalis sanctæ Mariæ nouæ, Gurcensis episcopus, Viterbij sepultus, qui per triennium continue sedis Apostolicæ fuit Legatus de latere per vniuersam nationem Germanicam; vir moribus & vita sanctissimus, & omni integritate conspicuus, magnus Trithemij Abbatis nostri amicus & fautor singularis, iusticiæ cultor magnus, & honorum simul ac diuitiarum mundi contemptor omnium constantissimus, cui similem non habebat ætas nostra.

*Iohannes Trithemius nuncium mittit ad nos.*

Eodem anno, XX. die mensis Octobris Iohannes Trithemius Abbas noster in Marchia cum supradicto Principe Ioachimo existens, misit ad nos fratrem Theodericum de Els monachum, Capellanum eo tempore suum cum literis ad Priorem & conuentum, quibus significauit se ante festum Dominicæ resurrectionis huc non esse reuersurum. Marchio etenim Princeps memoratus eius institutione, moribus simul & scriptis plurimum delectatus, rogabat vt diutius secum manere consentiret, qui vsque post Pascha consensit.

*Expeditio Maximiliani in Vngariam.*

Anno etiam prænotato Maximilianus Romanorum rex semper Augustus expeditionem mouit in Vngariam, qui pace interposita statim ad sua reuersus est.

MDVI.

*Hyems dura.*

Anno Trithemij abbatis nostri XXIII. hyems fuit dura & satis admodum prolixa.

*Vniuersitas Franckfurdensis ad Oderam instituitur.*

Eodem anno memoratus Princeps Ioachim Marchio Brandenburgensis nouum Vniuersale gymnasium in oppido suo Franckenfurt cis Oderam instituit, quod XXVI. die mensis Aprilis, quæ fuit Dominica secunda post festum Dominicæ resurrectionis, cum magna solennitate introduxit, Iohanne præsente Abbate: cuius primus Rector Vniuersitatis & lector Theologiæ facultatis ordinatus est Conradus ex Buchen Francus Orientalis, Doctor Lipsensis, *de Wimpfen* nuncupatus.

*Monasteriũ nostrum nimis afflictatur.*

His temporibus quo Iohannes Trithemius Abbas noster morabatur in Marchia, cœnobium nostrum, cum propter eius diuturnam absentiam, tum propter damna recentia, quæ vltimo susceperat in bello, satis in vtroque statu afflictabatur, & nemo fuit qui præstaret auxilium. Sed & quidam ex fratribus per suas incautas locutiones & stultas cauillationes, quæ omnes ipsi Trithemio fuerunt denunciatæ per nuncium intercurrentem, animum eius nimium exulcerantes, ipsum à nobis tandem penitus alienarunt.

*Iohannes Trithemius ad Rhenum reuertitur.*

Anno prænotato, XIV. die mensis Maij Iohannes Trithemius Abbas noster donis & muneribus à Marchione Ioachim sapientissimo honoratus, impetrataque abeundi licentia, cum honesta comitiua exiuit Vrsulum, & iter ad Rheni partes instituit, & II. die mensis Iunij ad vrbem Spirensem peruenit. Præmiserat autem ex Franckenfurt fratrem Theodericum Capellanum suum ad Sponheim, quatenus & statum monasterij rerum diligenter inquireret, & si quieuisset commotio æmulorum inuestigaret, Prioremque suum ad Heydelbergam euocaret: quia noluit Abbas redire ad monasterium, nisi prius animos erga se intelligeret fratrum. Mansit ergo cum Abbate Limpurgensi vsque ad finem mensis Septembris apud Budoras *, & rei tacitus præstolabatur euentum. Verum posteaquam animos quorundam fratrum erga se intellexit minus in ardore charitatis esse sinceros, & animum Ducis Iohannis de Siemern, Principis alioquin valde pij, quorundam æmulorum incuriosa delatione aliquantulum (vt sibi dicebatur) commotum, tutius omnino iudicabat Abbatiam hanc suam Sponheimensem cum pace ac bona voluntate deserere, quam se in medium turbationis collocare.

*Trithemius manet apud Budoras.*

** i. Heydelberg.*

*Capitulum annuale celebratur Moguntiæ.*

Interea contigit annale Capitulum ordinis nostri apud Moguntiam in fine mensis Augusti secundum consuetudinem celebrari; cuius Præsidentes miserunt Heydelbergam duos Prælatos ad Iohannem Trithemium Abbatem nostrum, Conradum scilicet sancti Stephani Herbipolensem, & Iohannem Scutterenensem, qui nomine totius Capituli, id est, omnium Abbatum tunc apud Moguntiam in magno numero præsentium, illum rogarent, quatenus huc ad monasterium Sponheimense reuerteretur, promittentes se daturos operam, quo impedimenta omnia tollerentur è medio. Ordinauerant & alios duos auctoritate Capituli, Thomam in Selgenstat & Iohannem in Ringauia, monasteriorum Abbates, qui Ducem Iohannem, qui morabatur in Siemern, accederent, & eius animum, si contra illum in aliquo esset offensus, vice & nomine ordinis & Patrum omnium ad gratiam illi reuocarent. Quibus auditis Iohannes Trithemius tale fertur dedisse responsum:

*Capitulum duos abbates mittit ad Trithemium.*

*Responsum Trithemij ad sibi proposita.*

*Ex eo tempore quo monachus esse cepi, semper & voluntarius fui, & animo promptus Patrum meorum in omnibus obedire mandatis, & temere nunquam ab eorum institutis declinaui; solum hac vice mandatis eorum nulla possum ratione præbere consensum, vt ad Sponheim reuertar denuo mansurus, propterea quod me pacem cum eis habiturum deinceps minime confido. Manifestum est enim, quam male quidam ex eis contra me machinati sint, qui (malicia vel simplicitate ignorantiæ, non iudico, sed committo omnipotentis Dei iudicio) plures mihi æmulos suscitarunt: vnde si reuerterer ad monasterium, nec ego fidem illis habere potero, nec eorum animos mihi credituros perfecte scio. Melius est ergo vt separemur ab inuicem, quam vt in dissensione perpetua viuamus: semper enim salus animarum commodo est præponenda corporum: & pastor qui oues sibi commissas meliores se non facere posse considerat, & sibi & illis salubriter consulit, si officium resignat. Annus hodie tertius atque vicesimus plene exactus est, quo Sponheimensis abbas indignus fui ordinatus, in camino paupertatis nimiæ semper decoctus, in miseria & labore continuus, & (quod plus omnibus me grauare consueuit) auxilio fratrum meorum in tot curis necessario nunquã releuatus. Causarum quoq; ad cedendum me mouentium nõ vltima fuit, quod vnus ex monachis meis haud infimus, quẽ semper vt filium intimum sinceriter dilexi, & sicut pupillam oculi mei proprii cõtra quoscunq; molestatores vbiq; defensaui, omnium beneficiorum immemor, nuper ad Moguntiã constitutus, consilio & auxilio cuiusdam alterius boni fratris literas in me, contumeliis & iniuriis plenas, nomine totius Conuentus addidit, cũ mihi constet manifeste, q̃ nullam à conuentu desuper habuerit cõmissionem vel consensum. Si hoc fecit, aut facere potuit, homo pacis meæ, in quo sperabã, qui mecum ambulabat ante pauperculũ gregem in pascuis Domini, quid facturi sunt infirmiores, quos tãtis beneficiis minime cumulaui: si dextera mea, mei oblita, tam temere me abnegare potuit, manus quid facient alienæ: si amicus, imo amicissimus meus, talia contra me præsumpsit, inimicus quid faciet. Denig, addam & illud, q̃ ego (vt verum fatear) homo natus ad studium scripturarum magis, quã ad curas nimias sine cõtinuas negociorum secularium, quietẽ magis desidero quam inutiles labores. Venit ergo nunc tempus q̃ semper optaui, data est mihi non merenti occasio cedendi: quã non secus duxi suscipere, quam si omnipotens Deus manifesta me pietate à tantis calamitatibus decreuerit liberare ad nominis sui honorẽ. Cedã ergo libens, & diuinæ me prouidentiæ cõmittam, ne, si cum ingratis diutius manere consensero, & corporis periculum & animæ incurram detrimentum. Veruntamen priusquã id factam, necesse fuerit, vt mihi locum futuræ mansionis prouideam. Dominus Deus, qui non spernit preces pauperum, sed auxilium postulantibus mittit in tempore opportuno, ipse mihi locum prouidebit (non dubito) in quo & liberius & quietius et possim obsequi, & salutem propriam in silentio operari.*

*Regimini cedere statuit.*

*Aliam causam cedendi exprimit coram abbatibus.*

*Trithemius amator quietis & pacis.*

*Maiult abbatiam deserere quã ad eam redire.*

His dictis, siluit; & cum propter causas prænotatas, tum propter quasdam alias coram missis abbatibus expositas, cœpta perstans in sententia, redire huc ad monasterium non consensit. Quod factum eius vtrum diuinæ placuerit maiestati, vel displicuerit, nos scire haud possumus. Hoc vnum non putamus silentio transeundum, quod scimus, quoniam si cum pace mansisset nobiscum, aut redire consensisset, breui tempore sua industria nos ab omni inopia liberasset. Cumque missi Abbates illi persuadere non possent, vt ad monasterium reuerti consentiret, remandarunt per alios nuncios & literas, ordinatis duobus non esse opus, vt Ducem propter Trithemium accederent, cum nollet redire ad monasterium suum propter causas prænotatas, & etiam propterea quod nonnullos ex fratribus manifeste nouerat anhelare ad Abbatiam, qui vt consequerentur optatum, causam Trithemij apud officiales Dominorum studiose malam fecerunt intantum, quod cessionem illius nonnulli eorum aperte videbantur optare, existimantes Trithemium extra Sponheim non posse viuere, qui multis & notus & charus erat Principibus, apud quos (si voluisset) optimã viuendi cõditionem omni tempore inuenisset. Rex enim Romanorũ Maximilianus per se & per Matthæum Gorcensem episcopum illum pluries sollicitauit, cupiens eum habere se, ũ, vel in aliqua vrbium suarum, ad scribendum historias, & reliqua id genus: à quo annuo stipendio magnifice adhuc prouideretur, si munus

*Multis monebatur caussis ad cedendum.*

*Trithemius multis Principibus & notus & charus.*

*Rex Romanorum libenter prouideret Trithemio.*

oblatum vellet suscipere. Philippus comes Palatinus ac Bauariæ dux inclytus, Princepsq; Elector imperij, prouisurũ in cunctis necessarijs, quoad viuerẽt ambo vel alter, amplissime Trithemio Abbati pollicebatur. Ioachim etiã Brandenburgensis Marchio, Elector imperij (de quo supra diximus) tanto vsq; in præsentẽ diem Trithemiũ desiderio amplectitur, vt nihil magis quã habere illũ secum videatur: testantur hoc nuncij & epistolæ manu illius scriptæ & plures & frequentes, tam ad episcopũ Herbipolensem pro beneuolentia & consensu, q̃ ad ipsum Trithemiũ vt venire cõsentiat, pro bona voluntate rogantes. Hoc ipsius principis in summa continet precatio, vt quia manere cum eo extra monasteriũ perpetuo Trithemius nõ consentit, ad tempus paruũ sibi adesse nõ recuset. Vera sunt hæc, & nõ solũ literis memorati principis creberrimis comprobata, sed etiã donis & munerib. permagnificis sæpius demonstrata. Multis enim & magnificis munerib. ipse Marchio honorauit Trithemiũ, & crebris illũ beneficijs vsq; in hodiernũ diẽ non cessat cumulare. Ex eo namque tempore quo recessit à nobis, ad minus in valore quingentorũ aureorũ ipsum ab illo constat honoratũ: nec fuit interea annus, quorũ nunc sex transierunt, in quo sæpedictus Princeps Trithemiũ non honorauit, vel scypho aureo siue argenteo, vel aliquo munere alio. Insuper & suis expensis illi pisces salsatos, lucios, & alios, cum vasis pluribus transmisit ad Herbipolim. Archiepiscopus deniq; Colonensiũ Hermannus operã Trithemio in omni necessitate promisit affuturã, quẽ & pecunijs & argenteis scyphis pluries cumulauit. Abbas etiã Fuldensis, audiens Trithemiũ discessisse à nobis, nec velle redire, per Hartmannum Comitẽ de Kirchburg eũ sollicitari fecit, quatenus declinaret ad Fuldã, promittens ei Præposituram vnã in restantis vitæ sustentationẽ. Simili munificentia pleriq; alij potẽtes in seculo ac diuites Trithemiũ prosequuti sunt, qui illũ habere secũ ac prouidere abundãtissime promiserunt: nec hodie quidẽ desunt, nec deerunt in futurum, qui illũ cum honore susciperent, & honesta conditione prouiderent, si ad eos declinare consentiret. Verum Iohãnes ipse Trithemius in obseruantia monasticæ disciplinæ à principio in præsenti monasterio Sponheimensi, cum esset annorum ferme triũ & viginti, susceptus & laudabiliter institutus, in curijs Principũ conuersari sanum sibi nõ duxit nec integrũ, neq; extra vnionẽ sanctam obseruantiæ secedere honestũ. Propterea omnipotẽs Deus misertus illius desolationẽ, & nolens afflictũ deserere in finẽ, super eum clementer aspexit, & locũ studijs & conuersationi eius conuenientẽ in obseruãtia prouidit. Conradus namq; Abbas memoratus S. Stephani Herbipolensis (quẽ à capitulo Heydelbergã diximus cum alio missum ad Trithemiũ) postq̃ audiuit causas & plures & rationabiles, quibus mouebatur ad cedendũ, quoniã amicus erat eius, haud mediocriter illi compassus est: vnde & pollicebatur operã se daturũ, vt abbatiã S. Iacobi Herbipolensem cũ bona pace & puro introitu, electus canonice assequeretur. Fuit eo tempore abbas memorati cœnobij Cilianus quidã de Oxenfurt, qui abbatiã ipsam propter certas causas statuit resignare. Qui cũ audiuisset possibile, q̃ Trithemius in eius locũ succederet, gauisus est valde, dicẽs. *Nulli in mundo libentius quã tanto viro cessurũ*: rogauitq; vt res optatũ quãtocitius sortiretur effectũ, ne quod interueniret obstaculũ. Conradus itaq; diui Stephani abbas negotiũ detulit ad reuerendiss. Herbipolensem Pontificẽ, Francorumq; orientaliũ ducem magnificũ Laurentiũ, asserens Trithemiũ posse induci, vt Sponheimensem abbatiã dimitteret, & eã quæ S. Iacobi est assumeret, si tamẽ suæ paternitati hoc ipsum placeret. Reuerendissim⁹ Præsul, qui multa prius de abbate Trithemio laudũ præconia audierat, ipsumq; pridẽ Heydelbergæ in mensa principis Palatini viderat, & dignanter fuerat allocut⁹, ac dudũ libenter promouisset ad abbatiã in Schwartzavv, si vocatus bina vice occurrisset post obitũ Michaelis & similiter Pauli abbatum, respõdit, *sibi nõ solũ placere, sed maxime optare, vt Trithemiũ in sua diœcesi possit habere abbatẽ*. Volũtate igitur pontificis audita, nuncius ad Heydelbergã quãtocitius mittitur, ad Herbipolim Trithemius vocatur, vt qui manentib. in Sponheim displicuit, translatus Herbipolim ab inutilib. deinceps mundi curis atq; sollicitudinibus, Domino soli & sibi vacando quiesceret. Diuina etenim ordinatione factũ credimus, vt locũ studijs sanctis inueniret aptissimũ, qui cunctis mundi honorib. semper prætulit scientiã scripturarũ. Vocatus igitur per nuncium & literas ad Herbipolim (vt præmittitur) Iohannes Trithemius causam sereniss. principi domino Philippo comiti Palatino secreto proposuit, & de illius consensu quo vocabatur ascendit. Tertia itaq; die mensis Octobris venit ad Herbipolim, & post resignationẽ Ciliani abbatis voluntariã, XII. die mensis præscripti, qui fuit II. feria post festũ S. Dionysij martyris, cõpromissione fratrũ in dominũ episcopũ & duos abbates facta, in abbatẽ sæpedicti monasterij electus constituitur, & quarta die eiusdẽ mensis post decimã ab eodẽ reuerendissimo Præsule confirmatur, atque in possessionem abbatiæ S. Iacobi realem altera mox die, qui festo S. Burcardi fuit solennis, introducitur.

*Comes Palatinus similiter. Marchio Brandeburgẽsis libentissimus.*

*Muneribus datatur à Marchione Brandeburgẽsi Trithemius magnificus.*

*Archiepiscopus Colonensis omnem operã Trithemio promisit.*

*Abbas Fuldensis similiter. Trithemius ab obseruãtia non recessit.*

*Deus locum illi prouidit meliorem.*

*Cilianus abbas S. Iacobi Herbipolensis libenter cedit Trithemio.*

*Trithemius vocatur Herbipolim.*

*Fit abbas S. Iacobi ibidẽ.*

*Principium monasterij S. Iacobi Herbipolensis.*

Est autem monasterium S. Iacobi apostoli maioris prænotatū, ordinis nostri, ab Embrichone Præsule sanctissimo in suburbano Wirtzburgensis ciuitatis olim constructum atque dotatum circa Dominicæ natiuitatis annum MCXXX. quemadmodum longe supra dictum est anno Bernhelmi abbatis nostri primi XVI. in quo Scoticæ nationis monachi ab initio habitare consueuerunt, qui multis annis secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti laudabiliter vixerunt, sed paulatim cum tempore tandem à primæuæ institutionis feruore deficientes, monasterium ipsum postremo in vltimam paupertatem deduxerunt, ipsique omnino defecerunt. Nam anno Domini MCCCCXCVII. Philippus Abbas ex Scotis vltimus obijt, & nullum in cœnobio monachum reliquit. Quo mortuo reuerendissimus dominus Antistes Wirtzburgensis Laurentius ex commissione apostolica locum vacantem cum authoritate simul ordinaria reformare in vtroque statu laudabiliter instituit, pro cuius instauratione monachos bonæ reformationis de monasterio S. Stephani ibidem introduxit, quibus necessaria vitæ contulit, & omnia pene debita per Scotos contracta ad integrum persoluit: Ecclesiam vetustate obfuscatam quasi nouam atque pulcherrimam reddidit, ornamenta, calices, & libros ad bibliothecam plures dedit, & quasi omnino plus quam primus fundator cœnobium magnifice restaurans, vineta, census annuos, promptasque pecunias non paucas, & alia multa largiter dedit. Denique & vsque in præsentem diē, non cessans à bono quod cœpit opere, plura Trithemio ipsi & monasterio tribuit, & maiora se facturum indubie promittit, census notabiles conferens annuos & pecunias in non parua quantitate & numero ad coemendos nouos.

*Trithemius abbatiā S. Iacobi suscipit.*

*Anno ætatis suæ 41. & abbatiæ nostræ 23.*

Anno itaque Dominicæ natiuitatis MDVI. Indictione Romanorum IX. die mensis Octobris XV. Iohannes Trithemius electus & confirmatus Abbas S. Iacobi Herbipolensis realem possessionem accepit in præsentia Conradi abbatis S. Stephani, Magistri Petri Sigilliferi, Casparis Fiscalis, domini Laurentij episcopi, Notarij quoque Magistri Martini Mosij, testiumque, & aliorum hominum notabilium plurimorum. Acta sunt hæc anno ætatis suæ XLV. necdum completo, assumptæ vero Abbatiæ suæ huius monasterij in Sponheim anno XXIII. mense II. die XVIII. completis, & exactis in tribulatione & laboribus multis.

Dum hæc agerentur circa Iohannem Trithemium Abbatem apud Herbipolim, nos eramus hic in monasterio quotidie exspectantes cum reuerteretur ad nos, spem & consolationem habentes, quod Abbates ad eum missi à capitulo annali de Moguntia suis illum exhortationibus inducerent ad reuertendum. Sed fefellit nos confidentia nostra, quoniam Abbatiam sancti Iacobi memoratam nobis ignorantibus assumpsit, & istam postea resignauit.

*Trithemius missis literis abbatiam resignat.*

Anno igitur prænotato die mensis Nouembris XIV. venerunt ad nos in Sponheim missæ literæ ipsius domini Iohannis Trithemij Abbatis, quibus intimauit se Abbatiam sæpe dictam Herbipolensem acceptasse, & nostram resignasse, monens nos & exhortans, vt in locum sui quem vellemus Abbatem secundum regulam eligeremus. Vacauit ergo Abbatia nostra Sponheim post eius resignationē quasi mensibus duobus, propterea quod & tarde peruenit ad nos resignationis Trithemij cognitio, & nos ad noui Abbatis institutionem minus experti, multorum consilia necessario quærentes, etiam Visitatorum nostrorum (quos adesse oportuit) diutius præstolabamur aduentum. Verum postea quam nobis translatio Abbatis Trithemij ad Herbipolim relatione fratris sui M. Iacobi Trithemij, & Iohannis Damij, monachi nostri monasterij, pro nunc in Nouo Castro * monialium cœnobio, prope Heydelbergam confessoris atque præpositi, qui cum eo vocatus ascenderant, indicata esset, supra modum mirabamur omnes, vtpote qui nō putabamus quod res talem esset habitura exitum, nosque tam subito desereret, qui tanto tempore nobis Prælatus fuerat & Abbas. Credidissent multi quod amore saltem Bibliothecæ, quam in omni varietate scripturarum precioſam & locupletem comparauerat, manere nobiscum debuisset, non minus pulchritudine & commoditate nouæ domus abbatialis, quam impensis construxerat magnis, retrahendus, quam intuitu amicorum & fama nominis ingentis. Sed hæc omnia, & vana & per mortem nihil ominus quandoque dimittenda, spōtanea voluntate deseruit, & se omnipotentis Dei miserationi humiliter commisit, sciens diuinam promisisse scripturam: *Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet*, qui est Iesus Christus Deus benedictus in secula, Amen.

* Neuenburg.

*Mirantur qui non intelligunt.*

*Hic finis est Abbatiæ Iohannis Trithemii Abbatis in Sponheim, cui Prior Nicolaus de terra Lutzenburg successit.*

DE

## DE NICOLAO HVIVS MONASTERII SPONHEIMENSIS ABbate XXVI. qui præfuit annis XX. mensibus VI. diebus XXI. & quibusdam gestis illius temporis.

POST resignationem domini Iohannis Trithemij abbatis nostri spontaneã, ipsiusque translationẽ ad Herbipolim (vt supra dictum est) vacauit monasterium istud nostrum Sponheimense ferme duobus mensibus: quibus tandẽ euolutis, conuenerunt nobiscum ad electionẽ noui Pastoris duo abbates, Thomas videlicet in Selgenstatt, & Iohannes mõtis Diui Baptistæ Ringauiensis, quos, vt Visitatores nobis iuxta morẽ annalis capituli deputatos, libenter & cum honore directores negotij instantis admisimus. Anno igitur Dominicæ Natiuitatis prænotato MDVI. Indictione Roman. IX. quinto iduum Decembris, hoc est, altera die post festum immaculatę conceptionis beatæ Mariæ semper virginis, mane circa horã IX. vel quasi, conuenerunt ad locum capitularẽ Prior & Fratres de conuentu vna cum memoratis Visitatoribus, præmissisq; orationibus & protestationibus cõsueris, negotium electionis per viam compromissionis mixtæ scrutinio in Dei nomine incœperunt in Notarij & testium præsentia. Votis itaque singulorum scrutatis (vt moris est) & redactis per Notarium in scriptis, maior pars fratrum eligentium vota sua direxerunt, in Nicolaum de Remich Priorẽ conuentus, ipsumq; in abbatẽ elegerunt: quanqã ipsi Visitatores libenter aliquẽ monasterio præfecissent externum. Verum Prior & conuentus sibi nõ æstimantes honestum vel vtile esse, si quempiã de alio monasterio monachum super se cõstituerent abbatẽ, propterea q̃ inter se pleroique iudicarent idoneos, qui tantum subire onus sagaciter & possent vtiq; & minime recusarent, non alium quam ex ipsa congregatione sua (cur non dicam nostra) vnum quemlibet virum optimum constanter condicunt eligendum: quod ita condicentes præualuerunt, memoratum accipientes Nicolaum abbatem. Ferunt condictum non satis placuisse abbatibus, qui nescio quem è suis prætulissent. Nicolaus igitur in abbatem electus à suis, & per Moguntinum archiepiscopum Iacobum ex more confirmatus, post Iohannem Trithemium abbatisat hodie, quam diu voluerit ille, qui solus omnia & nouit & potest, Deus benedictus in secula, Amen.

*Electio fit 9. die Decemb.*

*Maior pars in Nicolaũ vota sua dirigunt.*

Patria ei fuit in ducatu Lutzenburgensi vicus quidã, quem Remich incolæ vocitant, haud procul ab oppido Namurcensi: Pater eius Andreas nomine cibũ manu & arte quærebat, homo simplicis vitę & innocentis: Vxorẽ habuit Catharinã, quæ mater ipsi Nicolao fuit, eius autem fratres in puerili omnes ætate obierunt. Ipse vero Nicolaus, adhuc puer, iussione parentum literis operam dedit, primum in patria, deinde apud Treuirim, postea vero apud Wederauios illos qui Hassonibus sunt contigui, quos vulgariter Butzbachios nuncupamus: & mediocri ter tunc quidem, sed per amplius in cœnobio postea profecit.

*Genus & origo Nicolai abbatis.*

Anno Dominicæ natiuitatis 1481. cum esset annorũ ferme 18. ad monasterium istud Sponheim cum duobus alijs scholaribus venit, & à Iohanne Colnhausen priori in obseruantia regulari abbate nouiciatum susceptus est, & anno reuoluto ad professionẽ monasticã secundum cõsuetudinẽ ordinis admissus. In anno probationis suæ febres habuit acutas, quarum occasione prope fuerat de illius monachatu facta quorundã in conuentu negatio: nec diu post eius professionẽ Subdiaconus ac diaconus ordinatus est promotione Iohannis de Colnhausen abbatis. Vitã in medio fratrum sine turbatione quietã exegit, & neminẽ sua conuersatione aut læsit vnquã, aut offendit. Iohanne de Colnhausen abbate non diu postea ad monasterium Selgenstatt translato, Iohannes Trithemius in abbatia successit, qui Nicolaũ ipsum propter vitæ mansuetudinẽ singulari beneuolentia dilectionis prosequutus, primo Sacerdotem fecit ordinari, deinde Capellanum ac familiarẽ mini strum sibi asciuit, & voto simul & exemplo ad studium literarum crebrius excitauit: quo præcipiente scriptor simul & lector Græcus euasit, Latinus melior, optimus vero cum tẽpore & exercitatione Hebraicus. Post annos ferme IV. volens eum abbas Trith. paulatim ad altiora promouere, Cellerariũ constituit: quaten⁹ nõ solum interna disceret, sed etiã in exterioribus, sine quibus interna nõ subsistunt, experientiã cum tempore captaret. Verum mensib. necdum trib. plene in eo officio peractis, cum amator esset quietis, & interna plus appeteret excolere q̃ terrena, cum multa instantia Trithemiũ orauit abbatẽ, vt eum dignaretur à tãto labore onereq; officij habere absolutũ, propterea q̃ videret se reb. gerendis & curis nequaq̃ sufficere. Cuius petitioni Trith. consensum prębuit, eũq; ad interiora reuocauit. Sed ne putaretur ignominiã passus, moxillum Priorẽ instituit, in quo quidẽ officio per annos XV. perdurauit continue. In his quindecim annis tam Hebraicis q̃ Græcis literis, Trithemio præceptore operã impendit, & scriptor Hebræus maxime bonus euasit. Quantum vero profecerit in reliquis, hoc est, vel in eruditione scripturarũ, vel in his quæ bonũ

*Fit monachus.*

*Subdiaconus ac diaconus ordinatur.*

*Fit Capellanus.*

*Fit Cellarius.*

*Prior instituitur.*

examussim componunt exornantque Prælatum, non opus est scribere, cum nemo nostrum, qui cum eo quotidie conuersamur & viuimus, id queat nescire.

*Fit abbas huius monasterij 26.*

Iohanne autem Trithemio Abbate (sicut diximus) ad Herbipolim translato, Nicolaus Prior in eius locum successit, & præest quam diu voluerit Deus. Homo, quantum ad corporis dispositionem pertinet, mediocris staturæ, corpore inter pinguedinem & macilentiam medius, facie nigra, capite caluus, incessu vacillans, meatu præcipiti saliens.

*Iam abbas deinopia cõqueritur.*

Premitur quotidiana inopia, propter censuum & prouentuum monasterij tenuitatem, & fortunam prædecessoris sui nequaquã potest assequi, ac propterea in multis compellitur habere patientiam. Iohannes etenim Trithemius multis principibus, Prælatis atque Doctoribus notus & familiaris propter omnimodam suam eruditionẽ, plura habuit à diuersis suffragia, quæ nunc eius successori omnia sunt negata.

*Multi inuehãt Trithemium.*

Nam (sicuti ex ore Trithemij audiuimus, & verum declaratione manifesta cognouimus) in XII. annis plus quam mille florenos à diuersis principibus, Prælati, alijsque amicis dono acquisiuit pro suo labore, studio, consilio, vel æditionibus varijs scripturarum, quos omnes in communem huius monasterij ac fratrum conuertit vtilitatem: & nihilominus, quantum ad incrementum rerum pertinet temporalium, sui tempore regiminis non vsque adeo proficere potuit, quoniam adiutores idoneos & vtiles minime cõsequutus fuit, vnde nisi externorum habuisset crebra subsidia, eandem quã nos hodie patimur, inopiam, etiam sustinuisset. Vnde mirum non est, si hodie Sponheim magna prematur inopia, cum Trithemiana defecerunt subsidia. Credo indubitanter, imo scire me veraciter audeo dicere, quoniam si Trithemius in abbatia vsque in hodiernum diem nobiscum maneret, ex omnibus iam debitis essemus liberati. Cœperunt enim adesse momenta, quibus familiaritas maximorum Principum illũ in pristina paupertate minime deseruissent, quod quam sit verum, ex eorum relatione cognoscimus, qui cum illo post resignatã abbatiam nostram apud Herbipolim sunt conuersati. Sed quid? nimis tarde intelligit qui post factum dicit, *Heu quare fecit hoc?* Maxima causa Trithemij, quod nos deseruit, hæc fuisse creditur, quoniam nostros affectus minus sibi consentaneos esse non ignorabat: deinde quod nonnulli ex nostris ad eius Prælaturã anhelare videbantur manifestis indicijs, quod nullus erat in nobis qui fidelis ei atque idoneus zelosusque adiutor & cooperator, tam in spiritualibus, quam in temporalibus vellet occurrere, nec minus quod illi qui se Abbates certissime præsumebãt futuros, nihil de illo boni vspiam dicebant, sed potius quicquid in buccam venisset mali, tam Moguntiæ apud Abbatem & fratres S. Iacobi, quam in alijs locis quibuscunque & ad quoscunque: per quod multos Trithemio detractores effecerunt, & horum omnium nihil Trithemium latuit, qui machinamenta æmulorum & odia perspicue agnouit.

*Causa Trithemiũ contristantes.*

*Cessit æmulorum inuidia Trithemius.*

Quid faceret vir bonus & eruditus in medio æmulorum, cum propter auersionem & stultitiam quorundam nec sibi posset vtiliter prospicere, nec, deficientibus idoneis cooperatoribus, subditis proficua prouidere. Ergo cum esset astutus, declinauit malum, & (miserante Domino) locum sanctis studijs suis aptum reperit, & isto meliorem. Nos autem in foueam cecidimus, quam ex nobis aliqui non merenti Trithemio parauerunt. Homo videt in facie, & suo sæpius iudicio decipitur: Deus autem, qui corda scrutatur & renes, omnia nouit.

MDVII.

*Conuentus Principum apud Constantiam.*

Anno Nicolai abbatis nostri Sponheimensis 1. Maximilianus Romanorum rex inclytus, conuentum Principum adunauit in Constantia & magnum & diuturnum, in quo multa fuerunt serio tractata de continuanda pace per regnum, & de ineundo bello contra superbos, rebelles, & inobedientes Venetos, quorum innata temeritas plura ecclesiæ damna irrogauit, & plurima contra Romanum imperium perperam gessit, de quibus isthic mentionem facere tædiosum esset.

*Trithemius vocatur à Marchione Brandẽburgensi.*

Eodem anno Ioachim Marchio Brandenburgensis, Romani imperij Archicamerarius ac Princeps Elector, missis ad Abbatem Trithemium apud Herbipolim literis cum nuncio atque muneribus, rogabat eum, quatenus adhuc semel Marchiam dignaretur ingredi, & secum vel ad duorum mensium tempus commorari, ad pleniorem institutionẽ tàm Græci quam Latini sermonis, & aliarum bonarum artium complementum. Sed Trithemius monasticæ quietis amator, hac vice tam procul abire non consensit, quamuis Marchio illi plura promitteret, cui & prius multa donauit.

*Maximilianus rex Roman. vocat Trithemiũ.*

Maximilianus quoque rex Romanorum eodem anno, ex conuentu Principum apud Constantiam celebrato, per nuncium & per literas ad se vocauit Trithemium, qui tamen

men vsque in annum sequentem suum distulit aduentum, propter mirandum Polygraphiæ opus regi dicandum, quod necdum erat perfectum.

MDVIII.

Anno Nicolai abbatis nostri II.XXVII. die mensis Februarij mortuus est illustris Princeps Philippus comes Palatinus Rheni Bauariæq; dux, sacri Imperij Archidapifer & Princeps Elector, in ecclesiam S. Spiritus Heydelbergæ sepultus, filios relinquens septē: Ludouicum videlicet, qui post patrem obtinuit principatum, Philippum Episcopum Frisingensem: Fridericum tutorē filiorum Ruperti fratris defuncti ducis Bauariæ: Iohannē episcopum Ratisponensem: Georgium præpositum Moguntinensem, postea episcopum Spirēsem: Henricum præpositum Aquensem: & Wolffgangum. Filias etiam quatuor post se reliquit superstites: videlicet Elizabeth quæ primo nupserat Wilhelmo prouinciali Hassonū comiti, quo breui sine liberis mortuo, datur in vxorem Philippo de Baden Marchioni: Secunda filia Palatini superstes fuit Amalia: Tertia Magdalena nondum maritata: Quarta vero Catharina monialis ordinis nostri in cœnobio Noui Castri prope Heydelbergam, Wormaciensis diœcesis, iuxta Neccarum.

*Philippus comes Palatinus moritur.*

*Filios reliquit septem.*

*Filias quatuor.*

Eodem anno, paucis post mortem Palatini diebus, hoc est, sexta feria post primam Quadragesimæ Dominicam, obijt etiam Albertus dux Bauariæ, de Monaco dictus, cuius senior filius nomine Wilhelmus postea anno Nicolai abbatis nostri IV. gubernationem paterni ducatus communi procerum consensu accepit.

*Albertus dux Bauariæ moritur.*

Anno prænotato Nicolaus abbas noster antiquam domum torcularią, quam Conradus abbas olim ex fragili construxerat ligno, nimia vetustate ruinosam deposuit, & nouam quæ nunc videtur construxit.

*Domus nouа torcularia cōstruitur.*

Eodem anno Dominus Iohannes Trithemius, quondā apud nos, nunc autē apud S. Iacobum in suburbio Herbipolensi abbas, iam tertio vocatus per nuncios atq; literas, missoque viatico sufficiente, ad Maximilianum Cæsarem venit ad Moguntiam, & vlterius ad Coloniam: vbi inuento Cæsare, mansit cum eo quasi mensibus tribus, & postea remuneratus ab eo ad propria reuersus est. Quid cum Cæsare fecerit, aut quare abeo fuerit vocatus, mihi non constat.

*Trithemius vocatus venit ad Maximilianū Cæsarem.*

Anno prænotato obijt Iacobus archiepiscopus Moguntinus, cui Vriel de Gēmingen Decanus successit, qui sequenti anno in Dominica mediæ Quadragesimæ, qua Lætare cantatur, in ecclesia Moguntiæ consecratus fuit.

*Vriel fit archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem etiā anno in mense Augusto mortuus est Hermannus archiep. Colonien sis, Princeps omniū nostra ętate in pauperes & maxime claustrales munificentissimus, quibus plura beneficia impendit. Multa in sua diœcesi monasteria reformauit, tam virginum quā virorum, & omnibus claustralibus, qui ad puritatē regulæ conuersabantur monasticæ, & multa & magna beneficia impendit. Nouum ordinis fratrum Minorum de obseruantia cœnobium in oppido residentiæ suæ Brule, quod nō multis à Colonia distat milliaribus, à fundamento impensis proprijs exstruxit, cp reliquijs sanctorum, libris, ac ornamentis necessarijs pulchre prouidit. Huic in archiepiscopatu Colonien sis ecclesiæ successit maior Decanus Philippus de superiori Lapide,* filius Wirici senioris, qui multo tempore in curia Iohannis archiepiscopi Treuirorum primum locum obtinuit.

*Hermānus archiepiscopus Colonien sis moritur.*

*Cœnobium nouum Minorum in Brulą erigitur.*

*Philippus de Oberstein, sit archiepiscopus Colonien sis.*

MDIX.

Anno abbatis nostri III. Maximil. Cæsar à Iulio papa secundo vocatus in Italiā, Venetos nō solum rebelles Imperio, sed etiam Romanæ ecclesiæ ipsique Pontifici Iulio memorato inobedientes ac rebelles, & propterea excōmunicationis & anathematis vinculo innodatos, cōtractis copijs aggreditur, & magna illos calamitate affecit. Prius tamen quā hoc bellum atrox & diuturnum inciperet, fœdus cum rege Gallorum Carolo inijt, quem postea in auxilium contra Venetos inuocauit, & multa cum eo potenter & fortiter egit. Itaq; circa principiū mensis Iunij anno præscripto, Romano Pōtifice Iulio & rege Gallorū Ludouico auxilia ferētibus, Maximilian. Cęsar dominiū Venetorū potēter aggressus, multa eorū millia prostrauit, & plures eorū munitiones fortiss. suo imperio fortiter subiecit.

*Eccli contra Venetos per Cæsarē initium.*

*Venetorum munitiones plures capta.*

Eodē anno in mense Maio cōuentus est habitus Principum & cōmunitatum vrbiū Imperij apud Wormaciā, vbi Cæsar Maximil. per suos Oratores contra Venetos Imperij hostes postulauit auxilium, quod illa vice non obtinuit, quamuis longa consultatio fuerit habita. Posthæc eodem anno XXVI. die mensis Iunij Cæsar Maximilianus iterum Principes, vt auxilia ferant quantocyus contra Venetos, per literas imperiales seriosius mandauit, causasque per eos Wormatiæ allegatas in contrarium refellit.

*Conuentus Principum Wormatiæ.*

Eodem quoq; anno vltima die mensis Maij per sententiā publicam ad ignem iudi-

*Quatuor ordinis Prædicatorum exusti Bernæ.*

cati sunt & in cinerem combusti apud Bernenses in Suitia quatuor fratres ordinis prædicatorum, videlicet Prior, Lector, Subprior & Custos, propter quasdam dolosas & impias machinationes, quas principaliter contra immaculatam conceptionem beatæ semper virginis Mariæ, in scãdala multorum, pessima & damnabili præsumptione excogitauerãt. Cuius facti historia simul & processus contra eos habitus, cum per impressoriam artem diuulgatus sit vbique, opus non est vt hic per omnia rescribatur.

*Lãdgrauius Hassiæ moritur.*

Anno prænotato in mense Augusto mortuus est Wilhelmus comes prouincialis Hassiæ, quem Lantgrauium nostrates appellant, post miserabilem & diuturnam infirmitatem, filio relicto infante ac regimine comitatus in manu tutorum.

*Dux Ioannes in Siemern moritur.*

Eodem anno mortuus est Iohannes comes Palatinus Rheni, Bauariæ dux & comes in Sponheim, cuius pater dux Fridericus præsens olim reformauit cœnobium, consensu & cooperatione alterius Friderici, tunc quidem tutoris & patrui Philippi comitis Palatini, de cuius morte paulo ante dixi. Erat autem Iohannes iste Princeps optimus, deuotus,

*Princeps erat optimus.*

amator pacis, iustus, rectus & humanissimus, qui pacem & concordiam reformauit vbicunque potuit inter dissidentes, nec vllis propterea vel expensis pepercit vel laboribus: denique sibi subiectos, paupères simul & diuites, tanta prudentia gubernauit, tantaque securitate tutatus est, vt similem in toto non haberet Imperio. Accedentes ad se subditos summa cum pietate audiuit, consilium & auxilium singulis, cum magna liberalitate semper impendit: pauperes suos nunquam molestauit in aliquo, sed eos, quos exhaurire bonis aut

*In subditos pius, bonus & mansuetus.*

seruitijs etiam iuste aliquando potuit, minime grauari ab aliquo permisit.

*Monasterijs & religiosis personis humanus.*

Monasterijs & religiosis personis semper pius defensor & tutor extitit, quos neque precarijs neque seruitutibus aut exactionibus vnquam grauauit. Natura mitissimus fuit, & propterea dilectus erat ab omnibus. Merito proinde & nos & successores nostri pro eius anima preces effundere ad omnipotentem Deum deuotissimas continue debemus.

*Iohannes filius eius dux inclytus.*

Filium post se reliquit vnicum, paterno vocatum nomine Iohannem, ac genitori in principatu feliciter succedentem, quem patri in omni virtutum decore non solum æqualem fore confidimus, sed etiam optimo quotidie meliorem fieri experimur, cernimus, & manifeste videmus, quem diu pietatis miseratio conseruet incolumem.

*Macharius abbas exusti monasterij Limpurgensis moritur.*

Anno etiam prænotato, XVI. die mensis Septembris obijt Macharius exusti monasterij Limpurgensis abbas, & in parochiali ecclesia villæ Wachenheim, quam pro construendo monasterio abbatiæ incorporauerat suæ, sepelitur, homo bonus & honestissimæ cõuersationis, qui vitam in multis tribulationibus exegit. Huic in abbatia successit Wernherus, quondam monachus huius monasterij nostri Sponheim, antecessori suo multum dissimilis.

*Clerus Wormatiensis in vrbem reuocatur.*

Anno etiam prænotato, Clerus Wormacien sis, qui decem iam annis ab vrbe pulsus exulans erat, propter dissensionem quam cum ciuibus habuit super quibusdam ecclesiasticis libertatibus, interponẽte vices suas Friderico duce Saxoniæ, ad pacis concordiam & in ciuitatem reuersus est.

*Iohannes Damius à monialibus pellitur.*

Eodem quoque anno Iohannes Damius Cortensius de Colonia, monachus huius cœnobij, quem Iohannes Trithemius quondam abbas noster, ante XII. ferme annos, ad complacendum Iohanni Dalburgio Wormacien si doctissimo Præsuli, Confessorẽ monialium in cœnobio Noui castri prope Heydelbergam promouerat, æmulorum quorundam inuidia, & non sine maxima iniuria pulsus, & contra fidem promissam exacerbatus, ad nos reuertitur. & quam verum sit illud Gerhardi Groet distichon, iam sero experitur:

*Gratia nulla perit, quam gratia sola sororum.*
*Sic fuit, est, & erit, Vndanck in fine laborum.*

*Dissensio inter abbatem in Gotzavvingen & Marchionem de Baden.*

Anno etiam prænotato, Iacobus abbas monasterij Gotzavvingensis, Spirensis diœcesis, in Romana curia positus, contra Marchionem de Baden Christophorum, proquibusdam rebus caducis actionem litis minus prouide inchoauit, per quam monasterio suo periculum graue timebatur imminere. Vnde Iohannes Trithemius abbas Diui Iacobi apostoli, & Conradus S. Stephani Herbipolensis, ex commissione prouincialis capituli ordinis, illud de Romana curia per literas vocauerunt ad Herbipolim, pollicentes se proipsius pace & commodo diligentiam impendere: qui consilio eorum & scriptis acquiescens, venit Herbipolim, vbi in præsentia procuratorum sui conuentus, ad hoc cum pleno mandato destinatorum, XIV. die Nouembris anni præscripti memoratus abbas Prælaturæ suæ voluntate spontanea cessit, & pro sustentatione sui triginta florenorum pensionem annuam, ad dies vitæ suscepit.

MDX.

MDX.

Anno Nicolai abbatis nostri IV. conuentus principum in ciuitate Augusta factus est magnus, & ferme tribus mensibus durauit, in quo Cæsar Maximilianus in propria persona comparuit, & multa de instaurando & continuando bello contra Venetos cum eisdem principibus tractauit. In eodem conuentu principum Ludouicus Helianus Vercellensis, regis Gallorum Orator & nuncius comparuit, qui X. die mensis Aprilis orationem ad senatum principum & ciuitatum Imperij habuit elegantem, in qua perfidiam, fraudes, dolos, & veneficia multa Venetorum impie & crudeliter facta enumerat, & quantas Romanæ ecclesiæ, simul & imperio, nec minus toti rei Christianorum publice intulerint sua perfida machinatione clades, pleno cothurno declarat, hortabaturque nomine sui regis Imperatorem & principes, vt fraudulentis eorum pollicitationibus fidem non adhibeant, nec pacem illis ficte humiliatis concedant, sed proteruam illorum superbiam funditus bello (vt cœpissent) humilient, & dominium eorum iniquum penitus extirpent, ad cuius negotij consummationē omnem regis sui operam pollicebatur. Ab Augusta idē Orator descendit in Vngariā, nomine regis sui Gallorum, literas ferens & preces, quibus Venetos præuenire studuit, ne quod suffragiorum auxilium à rege Vngariæ possent sperare.

*Conuentus Principum in Augusta.*

*Venetorum fraudes detegunt.*

Eodem anno magna inter ciues & consules oppidi Erphordiēsis apud Turingos fuit suborta dissensio, quæ breui tempore succrescens in immensum, multorum malorum seminariū fuit: vnde ciuium plures de senatu aut propria sponte de oppido fugerunt, furorē ciuium inferiorum metuentes, aut capti ab incolis carceribus mancipati fuere durissimis: è quibus potior atque potentior ciuis, nomine *Hans Keller* ad patibulum suspensus fuit, cui id criminis imponebant cæteri, quod cum esset Senatorum supremus & thesaurorum potentissimus archiphylax, multa furtiue subtraxerit, & in proprios vsus expenderit.

*Ciuium in Erfurt seditio.*

Denique memoratæ seditionis occasione inter Vrielem archiepiscopum Moguntinum & Fridericum ducem Saxoniæ grauis fuit suborta discordia: quorū vterque se Dominum Erphordiensium esse contendebat: creuitque paulatim in tantum dissensio, vt cōtractis ab vtraq; parte copijs ad bellandū sese mutuo pararint, q̄ Maximil. Cæsari posti innotuit, ne procederēt ad bellū, eis authoritate imperiali per nūcios & literas mandauit.

*Duorū Principum ob id contentio.*

Causam vero inter eos amice tentandam commisit sapientissimo principi ac reuerendo patri, domino Laurentio episcopo Herbipolensi, Orientaliumque Francorū duci, quatenus coassumptis sibi consiliarijs archiepiscoporum, Treuirensis & Coloniēsis, Marchionis quoque Ioachim Brandenburgensis, & oppidorum Franckenfort, Norenberg, quam primum fieri posset pacem inter eos reformaret: quos si ad pacem possit reducere, bene esse actum, si non posset, negotium ad Cæsarem remitteret.

*Cæsar committit causam episcopo Herbipolensi.*

Igitur circa mediū mensis Augusti memoratus Præsul conuocauit ad se Herbipolim imperiali authoritate partes dissidentes, hoc est, Vrielem archiep. Moguntinum, Fridericum ducē Saxoniæ, & consulatum Erphordianum, qui suos oratores, & consiliarios miserunt ipsis principibus ad cautelam rationis haud procul absentibus. Aderant & missi consiliarij archiepiscopi Treuirensis, Ioachim quoq; Marchionis Brandenburgensis, consulatus etiam Franckenfordiensis & Norenbergensis. Verum priusquam causa perfecte cœpit audiri, superuenerunt literæ Cæsarianæ, quibus mandabatur, conuentum illum transferri & seruari debere in oppido Smalkalden Erphordianis viciniore, pro comprobatione testium eorum quæ dicerentur. Seruata est dies, auditæ sunt partes, sed concordia interuenire non potuit, ideoque res mansit suspensa.

*Partes vocātur Herbipolim.*

Item anno prænotato per totam Quadragesimam indulgentiæ cruciatæ pro Magistro & ordine militum Teutonicorum in Prussia, cōtra Tartaros & Ruthenos fidei Christianæ aduersarios, per diœcesim & ducatū Herbipolensem prædicabantur, & durauerunt à prima Dominica Quadragesimæ vsque ad festum S. Trinitatis in salute multorum.

*Indulgentiæ cruciatæ prædicātur.*

Anno etiam prænotato, XIX. die mensis Iulij, Ioachim Brandenburgensis Marchio omnes in principatu suo Iudeos cepit, ex quibus XXXVIII. fecit comburi, & baptizatos duos capitibus truncari, propterea quod sacramentum Dominici corporis à quodam perfido Christiano, qui cū eis fuit exustus, pro nouē grossis emissent, & crudeliter martyrizassent, puncturis sanguinē stillantibus: reliquos tamē eiusmodi criminis innoxios abire permisit.

*Iudæorum cōbustio in Marchia Brandenburgensi.*

Anno etiam prænotato Wilhelmus Bauariæ ducis Alberti filius, natu maior, de suorum consilio & assensu regimen principatus paterni ad manus accepit, & principatur vsq; in præsentē diem. Cuius mater, filia Friderici quondā Imperatoris III. soror Maximiliani Cæsaris, mulier Christo deuotissima, duce Alberto marito, anno Nicolai abbatis II. (vt su-

*Wilhelmus dux Bauariæ Monarchi.*

pra dictum est) mortuo, religionem sororum de III. regula S. Francisci Monacensi oppido intrauit, habitum griseum petijt & accepit, in quo & manet, deincepsq; manebit.

Anno etiam prænotato, conuentu Principum in Augusta soluto, considerantes se Veneti, propter sua demerita tam à rege Gallorum quam à Cæsare atque principibus contemptos, & quod voluerant non posse obtinere, consilio inter se habito legationē miserunt ad Iulium papā, qui eatenus cum regibus sentiens, Venetorū erat aduersarius, eosque (vt supra dictum est) tanquā rebelles excōmunicauerat, postulantes ab eo misericordiam, deniq; literis & Oratorū suorum persuasionibus id tandem effecerunt, quod Pontifex misericordia motus, & non iudicans pœnitentibus sinum matris ecclesiæ fore claudendum, illos recepit ad gratiam, & ab excōmunicationis vinculo, quo ligati fuerāt, absoluit. Quod factū, quantum Cæsari Maximiliano & Ludouico regi Gallorū displicuerit, non meis verbis, sed eorum factis posteritati fiet manifestū. Videtur enim non solum ipsis regibus, sed etiam alijs multis in eo maxime culpandus Pontifex, quod Cæsarem & Gallum regē Francorum suis mandatis contra Venetos cuocauerit, & iam vbi negotium ad articulū deuenit extremum, sine eorum consensu hostibus ipse dat veniā, fractoque fœdere & pacto, q̄ cum principibus inierat, rumpit & violat conditiones belli, quas prior ipse statuens mandarat: abhinc stat papa pro Venetis contra Imperatorem Maximilianum, simul & regem Gallorum Ludouicum, bella gerit, exercitum ducit, & per menses iam plures in papilionibus Pontifex ipse didicit commorari, cuius rei finem exspectamus.

*Veneti mittunt Legationem ad papam.*

*Iulius papa Venetos absoluit.*

*Papa stat pro Venetis contra imperium.*

*Ducem se prabet exercitus.*

Item anno sæpius prænotato abbas & monachi cœnobij S. Ianuarij martyris in Murhart, in partibus Sueuiæ, Herbipolensis diœcesis, machinationibus Sathanæ consentientes malignis, volentesq; ab ordine S. Benedicti, quē professi sunt, exemplo Cambergensiū apostatare, Priorē suum cum literis, pecunijs, & falsis narrationibus ad curiā miserunt Romanā, vt licentiā recedendi ab ordine, qua possent temeritate, impetrarent. Qui veniens Romam literas impetrauit consensus & indulti monasterium transferendum in ecclesiam secularē, q̄ tamē ad effectū perducere minime potuerūt, nec possunt vsq; in præsens.

*Monachi in Murhart ab ordine volunt apostatare.*

*Dux Wirtenbergensis impedit.*

Vdalricus etenim dux Wirtenbergēsis, in cuius dominio Morhart est situatum, audiens bullam translationis à Priore, non sicut voluit, sed sicut potuit, impetratam, & apud mercatores in bāco Augustæ repositam, nuncio misso illam præripuit, & venire in manus apostatare cupientium non permisit: & ita cogitationes impiorum delusæ sunt, nec ad finem peruenerunt. Exposuerūt pro eadē bulla inutili multā pecuniam, & magnā propterea inopiam inciderunt. Prior autē reuersus ad monasterium, propterea q̄ terminos mandati sibi cōmissi transgressus, & exposuit pecuniam ingentē pro bulla, non qualem habere debuit sed vt potuit, iussu ducis & consensu abbatis capitur, & in castello quodā durissimo carceri mancipatur, in quo temeritatis suæ meritas dat pœnas in annum iam alterum. Sic enim sonabat mandatum, vt si papa cōsentiret, omnes collationes beneficiorum memorati cœnobij transire ad optantē (non dico quis fuerit, subest causa) bullam data pecunia per bancarios acciperet, si nō consentiret, nequaquā præsumeret. At papa in ea translatione nec sui iuris, nec episcopi Herbipolensis quicquā volebat remittere, nec beneficiorum collationem cupientibus habere, eam penitus donare. Prior autem parum curans beneficiorum collationes quis haberet, modo ipsi habitum liceret deponere monasticum, & canonicum fieri secularem, nimiumq; apostatare cupiens ab ordine, duo millia florenorum & amplius pro bulla translationis memorata exposuit, & legem mandati, ab his qui miserant eum, sibi impositam transgressus fuit.

*Prior incarceratur Apostata.*

Eodem igitur anno in aduentu Domini, Laurentius episcopus Herbipolensis ordinarius loci plurimum indignatus temeritatem abbatis & monachorum de Murhart, consilio accepto misit illuc suos Consiliarios, Iohannem Trithemium abbatem S. Iacobi, & Conradum abbatē S. Stephani, cum quibusdam alijs, ad visitandum locum & monachos, & ad tentandum de modo & forma reformandi ipsum cœnobium. Aderant etiam ex parte ducis Wirtenbergensis, Iohannes abbas Hirsauiensis, abbas quoque de Zwifalten, & abbas de Lorch, cum quibusdam alijs, idem cum episcopo sentientes. Visitatione autem peracta, & computatione debitorum summarie recepta, certos de reformatione fratres illuc posuerunt, quibus & ordinem vitæ statuerunt: Porro ad pleniorem exequutionem alium diem, iterum illo conueniendi, ad Quadragesimam post secundam Dominicam anni sequentis ordinauerunt.

*Cœnobium istud in Murheim reformatur.*

M D X I.

*Hyems dura.*

Anno Nicolai abbatis nostri v. hyems admodum fuit dura & satis longa, niuibusq; diū abundans, & vsque ad finem mensis Februarij terræ faciem non deserens,

Eodem

Eodem quoque anno, die mensis Februarij xxv. Ludouicus comes Palatinus Rheni Bauariæque dux & sacri imperij Archidapifer ac princeps Elector nuptias Heydelbergæ celebrauit solennes, vxorem ducens filiam Alberti defuncti Bauariæ ducis, neptem videlicet ex sorore Maximiliani Cæsaris. *Ludouicus Palatinus ducit vxorem.*

*Hucusque Trithemius.*

MDXXVI.

## *DE IOHANNE DE SIEMERN, ABBATE HVIVS monasterii Sponheimensis* XXVII.

NICOLAVS abbas Sponheimensis calend. Iulij præsente seculo defunctus est, vir pius & clemens, omni religioni & honestati deditus, & neminem sua præsumptione contristauit vnquam, monasterium suæ personæ expensis haud grauauit, verum regularem disciplinam tam in se quam in subditis optime ad finem vsque vitæ suæ continuauit, qui in medio Chori multarum lachrymarum suorum fratrum effusione est sepultus. Mortuo reuerendo domino Nicolao abbate, vacauit abbatia Sponheim pastore IX. diebus, quibus expletis aduenerunt abbates duo Iohannes videlicet abbas S. Iacobi Moguntinus, & Fridericus abbas sancti Iohannis in Ringauia, per nos (iuxta capituli nostri institutiones) ad hoc vocati. *Nicolaus abbas moritur.*

Anno igitur prænotato MDXXVI. IV. nonas Iulij circa horam octauam prior cum fratribus nostri conuentus ad locum capitularem (præsidentibus præscriptis prælatis, adiunctis testibus ac Notarijs præsentibus) se conferens, præmissaque S. Spiritus muneris ac doni inuocatione, nec non prius scitatione canonica (vt moris est) habita, electionem per viam scrutinij in Dei nomine incepit.

Votis itaque singulorum fratrũ auditis, maior pars fratrum vota sua in fratrem Iohannem de Siemern, pro tunc priorem, per Notarium signata, direxerunt. Nam electione proclamata omnes in eum cõsenserunt, atque decreto electionis propria manu se subscripserunt: electusque anno & die præscriptis eodem anno Dominica proxima post festum S. Iacobi apostoli per Albertum sedis apostolicæ Cardinalem ac archiepiscopum Moguntinum est confirmatus, atque in eodem die à Iohanne episcopo, præfati Domini Alberti in pontificalibus Vicario, munus benedictionis in ecclesia montis S. Iacobi, præfatis abbatibus in pontificalibus astantibus, accepit. *Iohannes fit abbas huius monasterij 27.*

Fuit autem iste Iohannes Siemern patria Cynonotorum, * ex quodam oppido Argendal, haud longe distans à ciuitate Siemern, natus parẽtibus honestis. Pater eius Petrus nomine, è dicto oppido oriundus, mater eius nomine Helea, de villa Mirsbach exorta, qui victum labore rusticano quærebant. Ipse vero Iohannes annis in puerilibus scholasticis literis à parentibus est traditus, quibus ad annum XXIII. vsque vacauit, in quo monasterium nemine mortalium instigante intrauit: sub regulari disciplina annis XIX. degebat, ac promotus ad sacerdotale prædicaturæ diuini verbi XVI. annis vigilanti studio præfuit: Et nunc effectus abbas præest quam diu volucrit ille, qui solus omnia gubernat, cui sit laus & gloria in secula seculorum. *Genus & origo Ioannis abbatis nostri.* * *Hundtrucker.*

# IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBRI DVO AD DIVERSOS GERMANIÆ PRINCIPES, EPISCOPOS, AC ERVDITIONE PRÆSTANTES VIROS.

## CLARISSIMO VIRO DOMINO MATHIAE HELD CÆSAREO CONSILIARIO ET PROCANcellario Germaniæ, Iacobus Spiegel Selestadiensis S.D.

CVM pro tua prudentia non vulgari, minime ignores, vir clarissime, quod summis semper viris doctissimorum hominum scripta sint dedicata, minus importunum aut etiam ineptum à me fieri statues, quod sub tui nominis auspitio hos Epistolarum familiarium libros Iohannis Trithemii Abbatis Spanhemensis in publicum emittam. Nam cum in animo mecum reputo, quam praeclare de bonis literis ac studiosis omnibus sis meritus (vt quæ priuatim in me contuleris beneficia iam non attingam) non satis candide facturum me arbitrabar, si hos alteri potius quã tibi offerrem. Et cum apud Cæsaream Maiestatem in hoc sacrorum scriniorum genere verseris, vt in scribendis epistolis ad summos excellentissimosque tum principes tum viros semper sis occupatissimus, ono dedignaberis, opinor, & has per ocium legere, quas Trithemius ad præstantissimos Germaniæ principes, tum etiam doctissimos quosque suæ ætatis scripsit, & quas ipsi vicissim ad illum. Neque iniucundum tibi fore existimo, si harum lectioni paululum temporis concedas, vt superioris ætatis veluti imaginem quandã in animo cõcipias, qua me sub incomparabili heroe ac laudatissimo Cæsare Maximiliano primum in aulam contigit recipi. Ego sane fateor, me non mediocri affici voluptate, quoties in his epistolis optimorum virorum recordatione fruor, quos iam partim vita defunctos, partim adhuc superesse non ignoramus. Et quanquã temporis longinquitas plurimum possit in rebus humanis, vt multa per illam obliterentur, aut etiam immutẽtur, huius tamẽ lectionis beneficio, non iam defunctos, si qui ex his obdormierunt, nec qui supersunt absentes amplius existimo. Neq; te latere potest in quanta existimatione vbiq; habitus sit Trithemius, ob incredibilẽ ingenii acrimoniã, & acerrimũ in omni genere literarũ studium: prudentiã vero tantã, vt à regib. & principibus, & ab ipso Maximiliano omnifariã sua ætate maximo Imp. in summo honore habitus sit, ac sæpius vt se in ordinẽ consiliariorũ adscriberet, rogatus. Atq; hanc singularẽ humanitatẽ ac beneuolentiam illustrissimorum principũ superioris seculi erga præstantes eruditione viros, nostræ ætatis principes cõuenit imitari, & summo studio fouere eos, quorum beneficio tantum ad immortalitatem perueniunt. Quod si Philippus Palatinus Rheni, Bauariæq; dux, Fridericus Saxoniæ dux, Ioachim Marchio Brandenburgensis, Hermannus archiepiscopus Colonienſis, principes Electores, tanto fauore doctos suæ ætatis prosecuti sunt, æquum est vt nostro etiam tempore doctissimi quique liberaliter foueantur. Cæterum in his epistolis videre licet quam religiose de Christiana religione senserit Trithemius, & quanto studio propugnauerit eandem contra id ætatis concionatores, qui crebrius Aristotelẽ aut Porphyriũ, q̃ Christũ, aut apostolos è suggestu allegabãt, indignissimũ esse existimans, non sufficere dogmata Christianæ fidei ad instituendã ecclesiam Dei, imo etiã pferri his vanissima Aristotelicorũ figmenta. Iucundũ admodũ est ac consolatione plenũ, q̃ præter Christi & apostolorũ, adeoq; omniũ sanctorũ, etiã suo exẽplo toties ad patientiã hortatur, ac retrahendũ esse animũ vindictæ cupidũ, q̃ virtus omnium maxima est, non tã in magnis & potentissimis viris, q̃ in ministris Verbi Dei, quos par est pro Christi gloria illustrãda omnia patienti animo sufferre. Sed q̃ rara sit hoc tempore in plerisque hac virtus quotidiana experientia

rientia edocet. Apostoli Pauli quoties mentionem facit, aptissimo epitheto Christophilum eum nominat. Quid enim non beneficiorum Deus in hunc Apostolum contulit? aut ex quibus non periculis eum liberauit, vt veritas promissionum suarum constaret? Quæ omnia eo respiciunt, vt pulcherrimam hanc virtutem omnes vbique præstemus, maxime quibus in Ecclesiis ad docendi munus rite manus impositæ sunt. Adhæc cum vitæ fuerit inculpatissimæ (fuit enim mihi multis annis familiariter notus) ac summo studio scripturis diutnis semper intentus, vt nemini dubium esse possit, quin pium admodum & fidelem abbatem ordinis sui præstiterit, mirum est quod tam nihil aut parum suæ sanctimoniæ adscripserit coram Deo, cum nostra hac ætate hoc nomine etiam ij soleant gloriari, qui ab omni conuersatione pia & honesta, quæ non nisi ex viua fide proficiscitur, sunt alienissimi. Sed ne prolixitate literarum tibi molestus sim, exhibeo iam tibi Trithemium, ipsum abbatem Spanhemensem, quem vel ideo doctis ac optimis quibusque gratiorem fore confido, quod non solum sub tuo patrocinio exeat in lucem, quod plurimi apud omnes sit, verum etiam quod te intercessore Cæsareo donatus priuilegio, hoc liberius ac commendatius in manus hominum sit peruenturus. Nec retrahet quenquam opinor à lectione tanti viri, quod sui ætatis familiari sermone vsus sit, nonnullaque none dixerit, quæ huius seculi eruditiores non recipiunt, cum non tam verba quam rem ipsam necesse sit spectare. Quare cum propter multa humanitatis tuæ beneficia me tibi obligaueris, ac post nuper Palatii Comitem me dictum, iam denuo misso hoc priuilegio ita deuinxeris, vt vix vnquam queam esse soluendo, æquissimum etiam fore statui, vt ad te quoque in primis laborum tuorum fructus redirent. Bene vale vir clarissime, ac boni consulas precor hoc meum studium erga te, maiora gratitudinis officia relaturus, quandocunque Deus occasionem obtulerit, cui te quam commendatissimum esse precor & opto. Ex Selestadio die tertia Martii:

Anno à nato Seruatore M. D.

XXXVI

# IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER PRIMVS, AD IACOBVM TRITHEMIVM DVLCISSIMVM FRATREM.

## I.

*IOANNES TRITHEMIVS ABBAS MONASTERII S. IACOBI APOstoli Herbipolensis, Iacobo Trithemio fratri dulcissimo Salutem.*

OPORTVNE satis admonuisti, suauissime frater, vt epistolas nostrarum testes calamitatum, quas à die nostri de Spanhem exitus familiariter emisisse nos constat, vsque in illum diē, quo hanc D. Iacobi Abbatiam suscepimus gubernandam, in vnum reuocemus volumen, tibique vnde memoriam nostri semper ad manum habeas transmittamus. Quid te vt ista peteres à nobis impulerit, rationabiliter addidisti: quod impossibile nemo dicturus est, senescentem properare in occasum: mundum prior exiturus, qui prior intrauit. Cum ergo nobis fraternitatis necessitudine sis coniunctus, nihil tibi possumus denegare, cum id maxime petas, quod ratione minime caret honestatis. Accipe nunc igitur testem in te nostri amoris, vltimum hunc Spanhemensium nostrarum librum epistolarum, quo causam habeas penes te nostri sedulo memorandi, & tuæ, si quid nostra valent, consolationis. Te gaudemus habere superstitem, nostrorumque studiorum hęredem, vt quibus dissolui corpore quidem necessarium, tecum viuere post fata saltem memoria contingat. Quamuis exiguæ admodum æstimationis apud nos sit, memoriam posteritati commendare, cuius neque laudis neque vituperij ratio pertingere potest ad mortuum. Vnum hoc fatum ingressi petimus abs te, vt quoties Deo ministras in altari, supplex nostri memoriam interponas. Iuuabit mentem à consummatione purgationis dilatam (non dubitamus) si tu purificatus hostiam pro ea salutarem obtuleris. Vale nostri memor ad Deum. Ex monasterio nostro D. Iacobi maioris in suburbio Herbipolensi, quarta die mensis Nouembris. Anno Christianorum M.D.VI.

## II.

*IOHAN. TRITHEM. ABBAS SPANHEMENSIS, SVIS CHArissimis in Christo filiis, Priori & Conuentui in Spanhem, salutem & synceram in Domino charitatem.*

* *Heydelberg.*

NONA die mensis Aprilis venit ad nos Budorim * frater Theodericus monachus, nuncium perferens non satis iucundum, cuius facti haud mediocriter fuimus turbati, propterea vel maxime, quod nullus vestrum se temeritati satellitum malignorum opposuit, nullus contradixit. Quis mihi succenseat, fratres mei, si quos vestrum tantæ patratæ in nos temeritatis & conscios & consentaneos esse suspicemur? Ad suspicionis conspirat argumentum, quod non solum nullus vestrum vices interposuit, sed ne factum quidem nimis temerarium denunciare nobis quisquam vestrum cogitauit. Scimus etiam quosdam è vobis interfuisse pręludio, quādo primum temeritatis ministri confractis foribus in domesticos irruerunt, iussosque abire nostrorum risisse contumeliam. O perniciosa imperitorum semper ignauia: quantam tenui ex ortu calamitatem desolationemque Reipublicę neglectu inducere consueuisti. Et reuera, fratres, grauiter in hoc læsi, vehementer timemus hanc præsumptionem non minus vobis & monasterio pauperi, quam nobis breui nocituram. Causas enim latentes in me odij Cynonotōn * certe non ignoro: nec potero illius amare imperium, qui mihi sine causa contra iustitiam aduersatur. Quanquam nec dum mihi satis constare possit, cuius mandato vrgente talia in nostros fuerint attentata. Non enim facile possum induci vt credam Principem Vltrasyluanum talia in nos fulminasse decreta. Qui etsi forsitan Battologorum aduersum nos fidem adhibuit iniquis delationibus, nunquid propterea nostrum philosophandi sanctum propositum deseremus? aut propter vnius odium hominis sacrarū intermittemus studia literarū? Qui nascitur ad auaritiā, diuitias anxius cogitet: nos ad literas nati sum⁹, sacra

* *Hundsrucker.*

cra librorum oblectamenta sequemur. Nobis in hac mortalitate constitutis nihil aliud est viuere, quam veræ sapientiæ studio insudare. Propterea si alterum oporteat, Abbatiæ potius, quam literarum studio valedicemus. Interea, fratres charissimi, ne propter absentiam nostri status monasterij grauius perturbetur, vnusquisque vestrum ordinem suum & officium diligenter intueatur commissum, quousque deliberemus melius, quid nobis in hac turbatione vtiliter sit agendum. Abbati Specioſi montis*, non satis pulchre Saturni motum sequenti, gratias agimus, non habemus. Ipse enim principalis omnium in nos malorum est causa, ministros sceleris in nostros prouocans, à quibus nec læsus est vnquam, nec etiam lædi potuisset. Quid ad innoxios familiares nostros, quod minas ipse timuit exterorum? quasi desint nobis auxilia principum, quos non minus lingua procax, & intemperata senis proteruia offendit. Moramur autem sereniſſimum principem Philippum, iam quidem absentem & necessario expectamus: in cuius arbitrio conferemus omne quod nobis molestum occurrit. Non enim agemus quicquam in hac turbatione nostra sine mitissimi principis consilio, cuius fauor & clementia μισάνθρωπον in nos odium prouocauit. Valete ex Budori oppido principis Palatini, decima die mensis Aprilis. Anno Christianorum M.D.V.

## III.

*IOANNES TRITHE. ABBAS SPANHEM. IACOBO TRITHEmio, artium & philosophiæ Doctori, dulciß. fratri S.*

QVÆ in nos temeritas æmulorum præsumpsit, relatione fratris Theoderici cognouimus. Tu videas cura, vt libros nostros & res tibi commissas, τῶν κρυφίων μάλιστα, custodias, καὶ τῶν μυστηρίων τῆς παιδείας ἡμετέρας. Non enim cogitamus redire ad Spanheim, nisi hanc contumeliam nobis & nostris illatam sine demerito, ad noticiam deduxerimus plurimorum. Claues rerum nostrarum τῶν μυστικῶν μάλιστα, quas fidei tuæ in exitu nostro, cum nihil suspicaremur aduersi, commisimus, nulli sine nostra tradas commissione. Tenemur enim suspicione vehementi quorundam in nos fratrum conspirationis, Prioris maxime & alterius, cui semper fuit insensus. Tu autem, frater dulciss. nihil moueare his malis; si tamen mala dicenda sunt, per quæ nobis iter in Deum paratur: experimento cognoscent se ludum inchoasse non puerilem, cum ipsi tandem in laqueum ceciderint quem nobis parauerunt. Frater Theodericus, qui nostras ad te perfert literas, quædam à nobis accepit in mandatis, cui & fidem credulitatis adhibeas, & auxilium impendas. Eum namque inter nostros alienigenam nobis inuenimus fidelem, qui & vicem nostram doleat, & quicquid iusserimus libens exequatur. Vale. Ex Buri decima die mensis Aprilis. Anno Christianorum M.D.V.

## IIII.

*AD PRIOREM SVVM IN SPANHEIM, FRATREM NICOlaum Remitium. &c.*

VETVS in me prouerbium diuina permittente prouidentia impletum est: *Nulla calamitas sola.* Potestas aduersario data est in nos sæuiendi, nec pepercit, exemplo nos innocentis primum spolians, rebus, amicis, & filijs quos parturiuimus in Domino, ac deinde corpus nunc varijs dilacerans plagis: menem solam (nobis Dei miseratione assistente) nullatenus penetrabit. Iacemus hic febribus grauiter afflicti, turgentibusq; vlcerib. pleni, à nostris desolati, & (quod est grauius) in opprobrium & fabulã aduersarijs literarum sine causa expositi. Nemo nos ex charis nostris omnibus consolatur, nemo veterum amicorum nostrorum longe absentium nos visitat, nemo dolentibus nobis compatitur. Sed tu Domine Deus miserator & misericors resuscita me, & retribuã eis, non malum pro malo (hoc enim per verbum tuum nobis interdictum est) sed in bono te iuuante vincam malum, vt faciam quod discipulis suis verbum tuum inimicis persequẽtibus faciendum q̃ rectissime indixit. Erit enim mihi te miserante, hæc incõmodorum temporalium obiectio ad salutẽ, si foris patiente contumelias & infirmitates corpusculo, mẽs circa internorũ studia immobilis perseueret. Ad labores natũ me scio, & per multas tribulationes ad eũ sum rediturus, à quo per inobedientiam recessi. Ego coram Deo fortsitan & merui patior; illi autem qui me persequuntur innoxium, videant quo zelo moueantur. Aliud est quod æstimatione nostri ore proferunt, atque aliud quod mente cognouerunt. Sed de his alio

tempore ratio est habenda, cum odiorum in nos causas non vnam, sed plures aperiemus iniustas. Interea nobis patienter ferendum quod necessitas indicit, donec Sol, quem caligo aliquantulum intercepit, rursus emittat super nos radios suos, cunctas mœroris tenebras exterminans. Mitte ad nos cum latore præsentium è Græca Bibliotheca nostra subiecta volumina, vt habeamus ad manum in lecto ægritudinis nostræ, quibus fructuose occupemur per interualla scripturarum studijs. Dictionarium inprimis Græcum ab Aldo impressum Romano mittas velim. Ac deinde Psalterium ab eodem formis excusum Venetijs. Item epistolas Græcas manu nostra descriptas. Zenobium quoque, & ea quæ nos de Homero latina fecimus poemata. Astrolabium nostrum minus æreum, cum reliquis in breuiculo consignatis, vt mittas similiter præcipimus. Vale nostri memor ad Deum. E Spira vltima die mensis April. Anno Christianorum M.D.V.

## V.

### *IO. TRITHE. AB. SPAN. MAGISTRO IACOBO Trithemio fratri. S.*

CONTVLI me pridem in ciuitatem Spirensem, non voluptatis causa, sed necessitatis, ne quem Budoris infirmitate mea grauarem; malens esse cum notis & amicis, & illis maxime, quibus olim beneficia contuli, quam cum extraneis in Nouocastro, * vbi diebus quatuordecim mansi ægrotans. Sum autem domo Abbatis Lympurgensis hospitio receptus, & nec dum satis conualui de cunctis infirmitatibus meis. Nolumus te in Spanheim manere diutius, ne quid in te mali forsitan machinentur æmuli nostri, quos absentiam nostram grauiter ferre intelleximus. Verentur enim (vt coniectura assequimur) ne forte praua eorum consilia per nos in noticiam piissimorum principum deducantur, quod certe non sine causa metuunt: quippe qui conscientia sua sibi contestante intelligunt, quam præsumptuose nobis contumeliam propter Principis erga nos clementiam intulerunt. Quid autem dicent ad hoc, quod in nullo à nobis læsi vnquam, nos propterea persequuntur odio, quia serenissimo bene fauemus principi Budarorum, qui nobis pius semper & clementissimus extitit? O inuidia semper cæca, nemini plus noxia quam sibi: quem te persequi arbitraris? *Domini est terra, & plenitudo eius*, pro cuius amore totus mundus mihi patria est, & facilis vnius iactura cœnobij. Sed hæc tecum frater silentio tegenda, quia nondum venit tempus, quo arcanum mentis meæ consilium in publicum exponatur. Numen sequor occultum. Acceptis tecum libris tuis ac vestimentis, quamprimum ad nos Neamatricum * venire cum fratre Theoderico festina: parauimus tibi locum inter familiares Abbatis Lympurgensis non vltimum, à quo in secretarium assumeris, quousque nobis lux interclusa resplendeat. Libris & rebus nostris, τῆς παιδείας κρυφίων, καὶ ἄλλα τὰ πάντα τέχνης τῆς μουσικῆς, iuxta ordinem & modum nostræ voluntatis, quem iste frater tibi dicturus est, rite dispositis, claues domus nostræ Abbatialis omnes ad manus Prioris consigna. Affert tecum libellos deuotionis nostræ græcos, quibus diutius carere non possumus. Cætera vero omnia philosophiæ sacratioris necessaria in locum reconde dispositum, donec finem consequantur epiclemata nostra. Vale frater vnice atque dulcissime. E Spira vltima die Mensis Aprilis. Anno Christianorum M.D.V.

* Neuburg.

* f. Neometum. i. Spirã.

## VI.

### *IO. TRITHE. ABBAS SPAN. ROGERIO SYCAMBRO, amicorum constantissimo S.*

LEGIMVS indicem lucubrationum tuarum, quem nobis per Laurentium tabellarium nostrum pridie quam ad te scriberemus misisti, & satis admirari earum multitudinem nequimus. Plane admiratione dignum est, vnum te hominem obseruantia regularis disciplinæ die noctuque semper occupatissimum, sex & triginta supra centum in decẽnio, metro simul & prosa, non vulgaria absoluisse opuscula, quorum vel sola nomina mirum nos in modum oblectarunt. Da quæsumus operam, dulcissime Rogeri, vt quamprimum lectione tot operum tuorum nobis liceat recreari. Non enim tuam latet prudentiam scio quantis nos æmuli concusserint iniurijs, qualibusque premamur aduersis: contra quorum insultus omnium, vna nobis consolatio relicta est, vnus manet impenetrabilis clypeus, mentis in Deum nostræ confidentia, & sacræ studium lectionis. Hos enim fidos nostræ peregrinationis comites, nulla vnquam poterit à nobis remouere impietas; nulla,

nulla, quo minus iter vbique comitentur nostrum, poterit obstare aduersitas. Sæuiat quātum velit in nos Comastes ille tyrannus, furia tentet latreum: nihil auferet quod vera nobis philosophia contulit, quam charitas Dei per fidem in nobis Iesu Christi confirmauit. Quæ mihi conoporum * sylvestrium cura, qui mente stabilem dimouere proposito nequeunt? Omnis terra mihi patria est, & vnus vndique ad superos conscensus. Parum interest vbi viuam, dum viuo mortalis. Malo viuere in exilio mente sanus rebusque pauperrimus, quam adulari comastis, quos absque culpa minime quisquam laudauerit. Quales sint aduersarij nostri, quibusque dediti ludis, versiculo notabis subiecto:

Οἶνος καὶ τὰ λύκτρα, καὶ ἡ περὶ κύσφιν ἑρωὴ
Οὔτι ἔρην ἀίμπτει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην.

Ad huius sententiæ normā turba cum Principe viuit eorum qui me persecuti sunt, quibus suo tempore ad perpetuam eorum confusionem antipodosin scribere curauimus. Vale nostri memor ad Deum. E Spira VI. die mensis Maij, Anno Christianorum M.D.V.

## VII.

### *IOACHIM DEI GRATIA MARCHIO BRANDENBVRGENsis, Princeps elector, Ioanni Trithemio Abbati Spanheimensi præceptori Salutem.*

REVERENDE pater, præceptorum celebratissime, sumus de proximo iter arrepturi ad sacram Romanorum Regis maiestatem, affectantes in eodem itinere coram cum P. T. (prout iam dudum desiderio nobis fuisti nosti) & conuenire & interloqui, & de multis quæ nostro insunt animo, conferre tecum. Idcirco P. T. obtestamur rogamusque, vt post habitis quibuslibet alijs occupationibus suis, sese in oppidum Bun * cis Rhenum in perso- * Bonnam.
na propria constituat, ad primum diem mensis Iulij proxime futuri, quo & nos ipso eodē termino (diuina clementia fauente) constituemur. Faciet in ea re nobis P. T. singularem complacentiam, erga eandem fauorose & omni gratia remerendā. Valeat P. T. per æuum. Datæ è Colonia nostra iuxta Spreuum, vndecimo die mensis Iunij. Anno Domini millesimo D. quinto.

## VIII.

### *AD SERENISSIMVM PRINCIPEM, IOACHIM MARCHIONEM Brandenburgensem, electorem Imperij Romani, Ioannis Trithemij Abbatis Spanhemen. epistola responsoria.*

VENIAM ad tuam celsitudinem Sererenissime Princeps in die & loco mihi constitutis à te quam libentissime, tametsi propter varias corporis mei ægritudines vix pedem mouere quoquam posse videar. Nihil enim gratius mihi, nihil dulcius hoc tempore contingere potuisset, quam sapientissimum eruditissimumque adire te Principem, tecum versari, loqui atque differere; non quidem de paruis rebus ac minimis neque vulgaribus, sed de arduis & maximis, & tuo ingenio fœcundissimo dignis, quæ triplicem nostram non abhorreant Philosophiam. Quoties enim cunque nostrarum inter nos disputationum, quas ante biennium Francfordiæ in multam consueuimus deducere noctem, in mentem recordatio venerit, toties me tuis interesse sermonibus puto, & magni aliquid audire abs te, quo mens mea peramplius in amorem cœlestis philosophiæ nostræ accendatur. Vnde mox vt relicta serenitatis tuæ epistola, ad Rheni partes te intellexi vēturum, omnis à me corporis molestia recessit, & propter mentis tripudium imbecilla corpusculi membra diu amissam virtutem recuperant, & venire ad maiestatem tuam omnia ossa mea quantotius festinant. Interea sereniſſime Princeps Trithemium tuum (vt soles) benigno fauore prosequere, quoniam qui semetipsum tibi spontanea voluntate in seruum tradidit, nihil eorum quæ potest, nouit, habet & intelligit imperio tuo non submisit. Iure igitur Trithemio tuo fauorabilem te patronum deinceps exhibere debebis, à quo ipsum recepisti totum quod erat suum, immo quod erat ipse sibi. Scio quod me supra meritum dignaris, ob quod excellentiæ serenitatis tuæ pene oblitus amatorium furorem cohibere vix potui.

Sed parce mihi, clarissime Princeps, quoniam audentior fui quam meam decuit paruitatem. Tuam bene valere celsitudinem opto. Ex Neometi, vicesima die mensis Iunij. Anno Christianorum

M.D.V.

## IX.

*IOANNES TRITHE. ABBAS SPAN. DILECTO FRATRI Nicolao Priori suo claustrali. S. & synceram in Domino charitatem.*

REBVS nostris prauorum maleuolentia perturbatis, animus ad aliena rapitur, & vbi tandem consistat merito speculatur. Non parcunt innocentiæ temeritatis autores, & qui nos lædere nequeunt, linguam in nostros mendacem atque maledicam (sicut audiuimus) extendunt. Nos autem eorum parui pendentes maledicta, Deique misericordiam collaudantes benedicimus, de cuius protectione in tempore opportuno certi sumus. Quid enim hominum stultitias continuo furore maris instar sequentes curaremus, quibus de fatuitate totum, de sapientia vero nihil constat? Scimus enim per multas tribulationes regnum patere cœlorum: nec pati quæ casus offert abnuimus, Christi passionem præ oculis iugiter habentes. Nunquam tristia nobis defuerunt, ex eo die quo ad Abbatiam fuimus electi, sed mentem diuinarum scripturarum fulcimentis instructam eo locauimus, quo (Dei miseratione præseruante) neque prosperis neque aduersis à suæ tranquillitatis statu poterit euerti. Neque enim ignoramus, quam sit hominibus pernicioſa res intemperata tristicia, si mentibus inhæserit semel: quanquam sine tristicia vitam agere non sit facile. Sola me innocentia consolatur, patientem iniurias, videbuntque Cynonoti quam sim Christianus philosophus. Nec satis mihi facit eorum cauillatio, qua dicunt, non mei factum odio quod temere præsumpserunt, cum nominis nostri non mediocriter cõcernat rationem. Sed aliud hæc tempora poscunt. Erit ad caput Iulij mensis Principum conuentus in Colonia, quo & nos vocati sumus per sereniſſimum principem Electorem Ioachim Brandenburgensium Marchionem. Vnde ne propter diuturnam nostri absentiam status rerum monasterij collabatur, tuæ charitati vices nostras interea committimus, citra tamen præiudicium nostræ dignitatis, quousque vel ad cœnobium reuertendum duxerimus, vel hanc ipsam reuocare commissionem. Nihil egeris magni & insoliti, nihil mobilium vel immobilium vendas, nihil alienaueris aut locaueris, nec dederis in pignus, solum ea facias quæ Priori & cellerario conueniunt. Sic agito vt monachum decet Abbati subiectum. Vale sanus. Ex Neometi 24. die mẽsis Iunij Anno Christianorũ. M.D.V.

## X.

*IO. TRITHE. ABBAS SPAN. OPTIMO FRATRI IOANNI Nutio salutem, & veram in Domino charitatem.*

EA quæ mihi de Priore meo Nicolao suisque cõplicibus testimonia perfidiæ & infidelitatis significasti, charissime frater, antea non penitus ignoraui. A pluribus enim sciebam annis, cum tu adhuc monialium in Bibelis præpositum ageres, quod Prior, homo alioquin satis promptulus inconsiderate loquendi, quæ non intelligat quorsum dicta vergant, cuius totus spiritus in naribus eius semper est: simul & frater Heilmannus, pluribus annis cellerarius meus & procurator vniuersalis, scitus quidem & astutus, sed odio in nos agitatus nimium, vna cum paucis è numero fratrum donatorum, partibus fauentes transyluanis, iniquis contra nos & principem nostrum machinationibus laborarunt. Non egemus alieno testimonio, qui Prioris verba viuaci memoria tenere cogitamus. Qui cum nuper hic nobiscum esset, inter cætera ministeriales Ducis talia de nobis verba dixisse confessus est: *Si Abbas vester Ducis nostri partibus adhæsisset, quemadmodum fauisse conuincitur Palatinis, non incidisset mala hæc omnia.* Scio quod verum est eorum in hac parte testimonium. Quis vero Ducis animum concitauit in nos, nisi Prior ipse, qui nobis ista retulit, prædictusque frater Heilmannus, & Claudius ille Donatus, qui Palatinas partes semper calumniantes, nobis transyluanos sine caussa reddiderunt infensos. Deus omnipotens, qui nouit omnia priusquam fiant, scit quia non mentior. Quotiescunque ex ministris ducalibus quispiam intrauit monasterium, memoratis delatoribus notus, memoria nostri, qua si nimium faueremus Palatinis rebus, in medio fuit. Hæc vna & prima Cynonotorũ æmulationis in nos causa fuit, quam etsi ante ferme decennium fratrum nobis charitas notam fecerit, tute satis tamen auferre nequiuimus. Addamus & alteram, feudum castelli Spanhemensis, quam tu quoque non ignoras concernentem. Tertia est hominis in nos odij causa, indefessa circa bonas literas studiorum nostrorum continuatio, cui (vt suis loquamur verbis) videre libros horror est maximus. Hanc boues illi duo monticulæ Idalimus

& Cno-

& Cnopephorus, omnium scripturarum bonarum ignari, hostes, aduersarij & contemptores, non parum auxerunt, quippe qui nostris studijs optimis, ad quæ sumus nati, semper pro viribus detraxerunt. Quartam æmulis caussam aduersum nos, bellum atrocissimum dedit; quod contra mitissimum principem nostrum Philippum comitem Palatinum, anno priore multorum conspiratio gessit. Quæ illo durante in nos fuerint præsumpta ab æmulis, cum tu semper toto illius tempore in oppido vicino monasterio Creutznach mecum fueris conuersatus duabus & viginti hebdomadibus, non ignoras. Quid si & quintam præscriptis addiderimus odiorum in nos causam, quam Prioris nostri verba confirmant, tametsi certo sciamus certius esse confictam. Retulit enim nobis pridem à Cynonotis ad nos Neometim reuersus, ducalem archigrammatæum quibus nescio verbis prouocatum à nobis, vt rebus nostris faueat male, eumque ob id omnia in nos principis nomine imperioque seducti excogitasse, ac satellitibus præfecti latrocinandi commendasse officium. Nihil in eum perperam dixisse nos vnquam meminimus, nec hocipsum quidem, cuius nos accusare videtur, quod homo sit indoctus & versipellis, suis commoditatibus nimium inhians, vtpote qui ad principem venit scholaris inops atque pauperrimus, annisque paucis euasit seruiendo ditissimus. Si hæc aliquando verba dixissem, verba vtique dixissem suis moribus congrua, & propterea vera, neque aduersus Principem suum, sed in eum qui talia fecisset prolata. Mores mihi Ducis admodum satis constare videntur: mitis est, humanus cito, nimium credulus. Nec eius gratiam posse nos recuperare delationibus falsis amissam arbitramur difficile, nisi causa nos prohiberet occulta ne debeamus. Credulus nimium suis iniuste nos persecutus est. Veniam ergo non postulabimus ab eo, quem læsimus nunquam. Experiemur fortunam etiam grauiora minantem, illum constituentes nobis protectorem, cuius nutu subsistunt vniuersa. Puderet nos merito, si tot sudores literarum studio atque labores per continuos annos triginta & ante & post religionis introitum monasticæ gratis impendisse videremur, vt animo non possemus imperare nostro, triplicis Philosophiæ fortissimis circumsepto præsidijs: & odia contemnere imperitorum, & quæque nobis aduersantia pro regni cælestis desiderio cum mansuetudine & patientia tolerare. Quantumlibet enim sint grauia, quæ nobis improba fortunæ parauit inuidia, propterea vel maxime contemnenda sunt, quoniam obnoxia fini perseuerare diutius non possunt. Sanctorum Christi martyrum victoria, quam sint aduersa huius mundi ridenda viro sapienti, clarissimo nos instituit exemplo. Breuissimo durantia tempore pro redemptoris sui amore patienter sustinuere tormenta: pro quibus angelorum sine termino æterna iam fruuntur lætitia. Absterset ab oculis eorum omnem lachrymam Christus, pro cuius testimonio in hac vita susceperе contraria: & iam non erit inter eos clamor amplius, neque timor, neque luctus, neque dolor, quoniam hæc omnia sicut fumus in hoc sæculo transierunt: illi autem sunt in pace, & viuunt nomina eorum in sæcula sempiterna. Sustineamus & nos, amantissime frater, pro Christi amore cum patientia in remissionem peccatorum nostrorum, ea quæ nobis aduersa proueniunt, scientes fidelem dixisse Theophilum: *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Adtendamus caput nostrum, conditorem nostrum, præceptorem & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM Deum & hominem, quanta mansuetudine, longanimitate & patientia pro nobis tolerauit aduersa huius vitæ, famæ innocentis dispendium, irrisiones, contemptum, famem, sitim, frigus & æstum, immensosque pro salute nostra labores: ac postremo infinitis plenam amaritudinibus passionem, horrendos cruciatus, & mortem in patibulo crucis, latere transfixo cuspide nimis acerbam. Itaque si principem nostrum Dominumque & magistrum oportuit primum talia pati, & sic intrare in gloriam suam, quomodo nos Christiani, nos monachi, nos denique iniqui, & ipsa necessitate naturæ mortales atque corruptibiles, gloriam nobis pollicebimur (vt ita dixerim) alienam, sine labore, sine aduersitatum & multimoda tolerantia passionum. Ad principis nostri gloriam nemo pertinget, qui non FIDE ET OPERE in eius charitate vsque ad mortem Christiane viuendo, perseuerauerit. Quid autem in Christo sit pie viuendo perseuerare, sanctus non tacuit Christophilus dicens: *Omnes qui in Christo volunt pie viuere, persecutionem patientur.* Non potest sine aduersitate viuere Christianus, ipso ad nos dicente magistro: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Non est seruus maior domino suo, neque super magistrum discipulus*, neque Christo melior Christianus. Si membra sumus Christi, caput nostrum in aduersitate sequamur, vt in eius consortio numerari mereamur regnantes, in cuius imitatione nunc patientes contristamur. Suffi-

*In afflictionibus debemus respicere in Christū & sanctos eius.*

*Apocal. 12.*

*Actor. 14.*

*2. Tim 3.*

*Ioan. 15.*

cit enim discipulo Christi, vt sit in passionibus & aduersitatibus præceptoris exemplo quotidie, septusque munimine dominum regio suum mente sollicitus imitetur. Nunquam desunt in hac vita Christiano certamina passionum, quanquam non omnes qui dicuntur Christiani, his per patientiam ad meritum vtantur. Non omnis enim qui patitur in hoc mundo, passionibus Christi in veritate communicat, sed is tantum Christi fit testimonio gloriosus, qui aut pro Christi & iusticiæ amore patitur, aut pro suis peccatis innocens omni se dignum aduersitate, vt Christum lucrifaciat, arbitratur. Dixit enim in sanctis martyr Christi magnus Cyprianus: *Pœna martyrem non facit, sed causa.* Si, quando patimur, Christus est in causa, non tristemur, sed retineamus in nobismetipsis dolorem nostrum ac fortiter feramus, quoniam ipse Christus, pro cuius amore patienter sufferimus, festinum nobis de cœlo mittet auxilium. Scis enim quid sanctus dixerit Christophilus: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Et ne spem putaremus inanem, subiunxit: *Spes autem nō confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Nonne & quidam sapiens necessariam hominibus iustis tribulationem considerans dixit? *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Patienter ferenda sunt quæcunque nobis occurrunt aduersa: quoniam etsi multæ sunt tribulationes iustorum, de omnibus tamen à Domino post breuissimam horam momentaneamque liberantur. Stultum est timere quod euitare non possis, & propter aduersitatem corporis morbum incidere mentis. Menandri versiculorum auctoritas nos confundat, si pulsati aduersis fuerimus muliebres: Dicit enim

*Pro Christo qui patiuntur.*

*Rom. 5.*

Φέρειν ἀνάγκη θνητὸν ὄντα τὴν τύχην. Et
Φρονοῦντος ἐστὶ ζημίαν ῥᾷον φέρειν.
Στερρῶς φέρειν χρὴ συμφορὰν τὸν εὐγενῆ.
Νικᾶ λογισμῷ τὴν παροῦσαν συμφοράν.
Ἀνδρὸς τὰ πρὸς πίπτοντα γενναίως φέρειν.

Nobis igitur, mi frater, qui & monachi sumus & Christiani, contra omnia quæ possunt imminere aduersa, semper firmandus est animus, & in Christi amore solidandus, vt nullus præsentis vitæ casus vnquam nobis possit occurrere, contra cuius impetum mens nō satis antea fuerit præmunita. Hoc autem quam facillime quidem poterimus, si omnia cogitata nostra & opera, ipsa quoque cordis nostri desideria per interni feruorem amoris ad Christi memoriam iugiter referamus. Magna sunt quæ nobis à principe nostro promittuntur in cœlis, quorum iugis memoria si mentibus nostris fideliter inhæserit, nulla profecto huius mundi formidabimus aduersa. O frater amantissime, si futuræ felicitatis munera, quæ hic tribulatis pro Christo reseruantur in cœlis, mente sagaci reuolueres, præsentis vitæ aduersitas gaudium tibi afferret, & tristitiam ingentem mundana prosperitas. Maxima sunt sempiternæ amœnitatis gaudia, penitusque incomprehensibilia mortalib⁹, quia sicuti scriptura pollicetur diuina: *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,* æstimatio boni, quod omnipotens Deus præparauit amatoribus suis. Hæc sæpius mente cogitans, dilectissime fili, & tuam leuius feres ægritudinem, & nostram calamitatē non plorabis. Quanquam dubitemus minime grauius te ferre nostram iniuriam, quam omnem corporis tui quam pateris infirmitatem. Ex nostro enim tuum metientes animum (nobis crede) plus tibi compatimur, quam ipsi patiamur. Multis te subactum tribulationibus ab ætate tenera cognouimus, & ob id tibi iam senio & in valetudine grauato amplius condolemus. Sed patienter sufferas, quicquid aduersi tibi acciderit: tempus malorum peregrinationis nostræ breuissimum est, merces autem in tribulatione pro Christo laborantium æterna. Speramus in breui tristitiam tuam nostra præsentia temperandam: quod si inuidia Satanæ præsentiam corporalem intercluserit, præsentes hic amoris spiritu, in futura cœlestis patriæ vita (largiente saluatore omnium) perpetuo lætabimur conspectu. Postridie descensuri ad Coloniam Agrippinam, vocati per literas clementissimi principis Ioachim Marchionis Brandenburgensium, quem nosti, & cuius vidisti collata in nos beneficia, vnum inter eos principes qui Romanum habent eligere Regem. Vnde reditus nostri diem ignorantes Nicolaum Priorem nostrum sub quadam limitatione constituimus vicarium generalem, vt circa rei nostræ statum vtriusque curam interea gerat sollicitam, ne quid nobis absentibus in monasterij negocijs perperam agatur. Quocirca & tuā charitatem, de qua plurimum confidimus, paterne duximus commonendam, vt oculos super eum perspicaces adhibeas, eique in omnibus quæ tractanda occurrerint, quantum tua imbecillitas permiserit, assistas, ne quid mali propter eius inexpertam leuitatem, qua se omnia posse confidit, pauperis Cœnobij conditio patiatur. Vale amantissime fra-

*1. Corint. 2.*

me frater,& Deum ora vt eius voluntas in nobis sanctissima compleatur. Ex Neometi 24. Iunij mensis die. Anno Christianorum millesimo quingentesimo quinto.

## XI.

### *AD DOMINAM RICHMODEM DE HORST, MONASTERII SEBAcensis Abbatissam, virginem Deo dicatam, &c.*

PROPOSITVM nobis in animo fuerat, amabilis in Christo filia, vnà cum Iacobo Casæ Dei viciniore iam nobis Abbate, tuum adire cœnobium, & visitationis officium adimplere nobis commissum. Hæc autem nobis animo cogitantibus, nuncius ecce venit excellentissimi principis Ioachim Brandenburgensium Marchionis, qui suis me literis ad primum Iulii mensis diem Bunnam cuocauit. Cum ergo breuitas temporis me aliorsum non sinat declinare, sitq; tanto morem gerere principi non solum honestum sed & necessarium, propositum quod pro visitationis actu concepimus, cogimur immutare. Postridie itaq; nauigio descensuri, quamuis existimemus non oportere tuam in Domino charitatẽ multum nobis venerabilem literis docere nostris, quemadmodum commissis tibi vtiliter & fructuose debeas præesse virginibus, quæ ab infantia Coloniæ apud S. Machabæos in monasterio quam optime reformato, ad puritatem regulæ diui patris nostri Benedicti, & sacras ad plenum didicistis literas, & sanctis moribus obseruantiam perfecte consecuta es regularem: monere tamen & exhortari mansuetudinem tuam, vt magis in voluntate bona quod didicisti rectum, opere perficias & sermone, paterna sollicitudo nos inducit. Nemo enim tam doctus, tam sanctus, tam Deo inter claustrales inuenitur deuotus, qui eo ipso quo cupit esse bonus, non fiat melior, quoties voluntati propriæ charitatis sanctæ aliena exhortatio adhibetur. De tua vero dilectione dubitare non possumus, quin verba exhortationis nostræ & libenter accipias, & pro viribus omni tempore custodias. Hortamur itaq; tuam in Domino Iesu Christo deuotionem, ita semper viue, vt causam non habeas timendi mortem. Solus enim Dei perfectus amor timendi mortem non habet causam, vtpote qui se post dissolutionem carceris vitæ præsentis, in eo perpetue mansurum non dubitat, quem positus in carne totis viribus amat. Seruus autem desidiosus & piger, sciens voluntatem domini sui & non faciens, ad eius conspectum venire metuit, cuius mandata se contempsisse recognoscit. Is vero qui dominum suum toto semper corde amauit, eiusque voluntatem in omnibus exequi studuit, apparere coram eo non solum nõ metuit, sed venire ad eius conspectum, à quo se nouit remunerandum, potius concupiscit. Huius rei similitudinem ipse Dominus noster Iesus Christus in sacro nobis Euangelio clare proposuit, quando fideles vsurarios de apportato lucro commendauit. Tu quoque amantissima in Christo filia, Domini & saluatoris nostri pecuniam assecuta, donum abipso intelligentiæ accepisti, quo magnum sacri amoris lucrum debeas reportare, cura precamur quam diligentissime, ne hoc munus Dei preciosum in terram carnalium absondas passionum, neue carni plus quam oportet indulgeas, ne sacris prælata virginibus otio torpescas. Memento quam sint breuioris preciosa nobis indulta beneficia temporis, & quam multa nobis liceat diebus quidem huius vitæ paucissimis bene recteque viuendo præmittere bona. Esto commissatum tibi puritatis exemplar sororum, vitæ norma sacrationis, sententiæ memor legislatoris nostri Benedicti dicentis: *Omnia quæ abbatissa monialibus suis dixerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda.* Tunc enim, ô filia, vices Christi in monasterio recte gesseris, cum subditas tibi virgines in omni puritate mentis & corporis, verbo & conuersatione præcedis. Inprimis igitur temetipsam diligenter considera, vt cunctis purgata vitiis, boniisque & sanctis decorata virtutibus Deo placeas, per continuum feruentis desiderium amoris: ac deinde commissas tuo regimini, vt idipsum sapiant velintque in Domino Iesu, qua poteris instantia sedulo cohorteris. Omni cura & sollicitudine vigila super creditas tibi animas, ne qua insidijs maligni pereat tentatoris, qui semper circuit rugiens vt leo, ac stridens præ malignitate dentibus, quærensque aliquam Deo dicatam virginem quam deuoret. Memor esto filia quam portetis thesaurum virginitatis preciosum in vasis fictilibus: & vigila semper ne domũ cordis vestri hostis valeat penetrare malignus, ne hunc vestrum sanctis Dei angelis venerabilem subfuretur thesaurum. Claudite corda vestra Deo virgines dicatæ, quoniam ipsa sunt fictilia vasa, in quibus thesaurum portatis incomparabilem: ipsa sunt scœuaria, in quibus vnguentum continetis angelicæ compositionis, quod ne effluat summa vobis sollicitudine vigilandum. Supergreditur enim sancta virginitas naturæ conditionem humanæ, per quam homines Ange-

lis similes esse perhibentur, præmio felicitatis inæstimabilis pares, impares actione. Maior vero est victoria virginum quam angelorum, & dispar modo tempore & conditione certatio. Angeli enim sine carne viuentes gratia Dei confirmante semel victores euaserunt recte volendo: Virgines autem in carne præter carnem viuentes, diuina miseratione adiutæ longo certamine pugnantes, nũquam secure triumphant. Et ideo beatius est in carne vitam imitari angelorum, quam numerum ex carne voluptatis augere mortalium. Mulier enim innupta & virgo (sicuti sacer ille declamauit Christophilus) cogitat quæ domini sunt, quomodo sit sancta & corpore & spiritu, nec habet quo per inania defluat, sed amore semper purissimo fertur in Deum, cui se totam deuouit, tanto illi per desiderium inhærẽs felicius, quanto se ab omni vitæ huius consolatione fecerit alienam. Nuptarum vero & multæ sunt & variæ inutilesque curæ, quibus tanto premuntur infelicius, quanto minus ea quæ Domini sunt assolent cogitare. Oramus te, virgo sponsarum Christi custos vigilantissima, paucis quæ dicturi sumus mentem studiose accommoda. Mandatorum nostrorum, quæ tibi in vltima visitatione nostra matura deliberatione tradidimus, fidelem executricem te (sicut oportet) exhibeas, circa monasterii clausuram maxime, quæ nulli aperiatur præter causam necessitatis. Ad fenestram quoque locutoriam nulla sororum permittatur accedere sola, nec sine prouido idoneoque testimonio loqui cum aliquo homine, siue pater is sit siue frater, siue mater siue soror, siue qualibet occasione à quoquam destinatus. Reddant nos aliena pericula cautos, qui maligni spiritus astutiam non ignoramus, cuius quosdam nefandissimos imitatores agnouimus; qui cum virginibus ad fenestram solitarie loqui permissi, se fratres cognatosque earundem esse dicebant, quarum paulo post inuenti sunt sacrilegi corruptores. Decretum tibi & nostrum & ordinarium Neometensis Episcopi tradimus, quo ante omnia vetamus, ne quem ex Duroburgio* virorum vel intra septa monasterii patiaris videri, vel ad fenestram cum aliqua solitarie loqui. Scis enim quibus conentur studiis opera Dæmonum exercere, & quam sit perniciosus talium sermo castis ac Deo dicatis virginibus. Hæc sunt quæ tibi hac vice vtiliter duximus intimanda. Si quid habes tuis in Colonia perferendum, libenter portitoris munere fungemur. Vale ex Neometi 24. Iunii Anno Christi M.D.V.

* Harteburg.

## XII.

### *IOANNES TRITHEMIVS ABBAS SPAN. ROGERIO SYCAMBRO Dumetensi viro studioso & optimo. S.*

SCRIPSIMVS dilecte in Christo filiæ nostræ dominæ Richmodi, postridie nos descẽsuros ad Coloniam Agrippinam, quod te quoque scire volumus, optime Rogeri, vt si quid scribere volueris Beiselio nostro, siue Herbeno, aut reliquis amicis, per nos quam oportune possis. Quicquid facturus es, quantotius fiat, quoniam diutius hic quam biduo non manebimus. Mitte nobis tuarum lucubrationum noui aliquid, quo tædium nauale vtili occupatione releuemus. Quam enim sine lectione nobis molesta nauigatio, qui diu in cœnobio nostro Spanhemensi nobiscum es conuersatus nostra consuetudine non ignoras. Ocium enim (Seneca teste) sine literis mors est, & viui hominis sepultura. Eius me consilio posse philosophari fortuna dedit nõ industria. *Si vis*, inquit, *vacare animo, aut pauper sis aut pauperi similis. Multis enim ad philosophandum obstitere diuitiæ. Paupertas autem expedita est & secura. Studiis itaque literarum & diuitiis pariter nemo vacare potest: neque illam inhabitare animam dignatur sapientia, quam aut desideriis viderit infectam, aut curis rerum temporalium inuolutam.* Curis quidem hactenus mihi sæpius inuolui contigit, sed à me paupertas ex eo tempore quo factus sum monachus, nunquam recessit. Adeo enim familiaris mihi diuturna consuetudine facta est, vt necessaria quodammodo iam deinceps. Longo studio multa didici, hoc vnum scire nunquam potui, quales in corde diuitis cogitatio effectus operetur. Putas ne Rogeri & hoc ipsum me tandem posse apprehendere, vt sciam locupletis hominis cogitationes? Ego quidem nõ puto me vnquam intellecturum, quo diuitum se habeant cogitationes, sed ipse mihi virtutem ex necessitate feci, tranquillaque mente sic decanto:

Οὐκ ἐθέλω πλουτεῖν, οὐχ εὔχομαι, ἀλλά μοι εἴη
Ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων μηδὲν ἔχοντι κακόν.

Euripidis ego collaudo sententiam optimam dicentis:

Πένης γὰρ οὐδὲν εὐγενὴς ἀνὴρ
*Virum generosum nequaquam esse pauperem.*

Quod Menander confirmat dicens:

Πενίαν φέρειν οὐ πάντες, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφοῦ

Non

*Non est*, inquit, *viri omnis, sed sapientis tantum ferre paupertatem.* Habeant diuitias, abipsisque habeantur homines auari, luxurioſi, & ambitioſi, qui ſe non cogitant eſſe mortales: nos Chriſtophili mores & vitam ſequamur, qui nos victum & amictum habentes monet eſſe contentos. Inopia merito grauaremur, ſi diuites aut eſſent immortales, aut ſecum abſumerent iam morientes, quas amauere diuitias. Nunc autem quoniam & ipſi moriuntur, & nudi cum pauperibus capiunt ſepulturam, non valde me grauat mea paupertas, quippe qui hinc migraturus, tanto minus contriſtari me poſſe confidam, quanto in hoc mundo nihil poſſedi tranſitorium quod amarem. Exercitatio vero mentis ad intellectum veri, quæ per ſtudium ſcripturarum in hac vita cum delectatione ordinata in vltimum finem à viris ſtudioſis vanitatumque contemptoribus agitur, nullam morituris amaritudinem affert, vtpote qui optime intelligant mentis ſuæ perfectionem, quam adſequi ſtudio appetunt, non antea poſſe conſumari, quam è carnis putredine reſoluantur. Eſt enim intellectus humanus vt lapis precioſus non politus, qui ſi poliatur luminis fiet capax, eritque pulcher, lucidus atque perſpicuus, in quo Dei pulchritudo queat reſplendere. In hac tamen vita mortali non poteſt eſſe perfecta intellectus humani politio: habet tamen indictos ſibi à natura gradus certos & modos, quibus poſt mortem in purgatorio animarum neceſſario adiicitur, quicquid hic minus per negligentiam eius politioni fuerit adhibitum. Lapis itaque noſter hic politur imperfecte, perfectius vero in purgatorio, ſed perfectiſſime in cœlo. Itaque commune omnium debet eſſe ſtudium exercendi poliendique intellectum, vt pura & recta conſurgat intelligentia principii vniuerſalis, quod eſt Deus noſtri creator, & lumen intellectus nunquam deficiens. Huius autem exercitationis viam ſcripturarum nobis lectio continua demonſtrat, ſi & legendo non intermiſerimus orationis ſtudium, & orando per amoris deſiderium mens erigatur in Deum. Neque labore terrendi ſumus, qui ſi fuerit improbus, omnia vincit: & ſtudium literarum diu continuatum paulatim auget intellectum, quod carmine pulchre cecinit Heſiodus:

*Intell. humanus eſt lapis politus.*

Εἰ γάρκεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθοῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦτ' ἐρδοῖς, τάχα κεν μέγα καὶ γένοιτο.

*Si enim paruum ſupra paruum addideris, & frequenter hoc ipſum facias, certe magnum & bonum fiet.* Nulla enim ſine labore virtus, nec ſine certamine in hoſtes victoria. Semper ergo ad ſapientiæ dulcedinem nobis peruenire cupientibus, ô Rogeri, laborandum eſt, & nunquã à ſtudio ſcripturarum ceſſandum; quia nõ aliter ad guſtum internæ petuenitur ſuauitatis, quam per vehementem applicationem mentis, ad illud quod quærimus pulchertimum lumen intellectus. Intueamur veteres gentilium ſapientes, vt de noſtris interea ſileamus, comparatiſq; ſtudiis illorum & noſtris, æqua lance vtraque metiamur, & luce clarius apparebit, nos ad eorum comparationem ridendos potius quam dicendos ſtudioſos. Demoſthenes ſeptem annis ætatis ſupra centum impletis, cum iam moreretur ingemuit, ea ſe moriturum ætate, qua ſapere primum cœpiſſet. Socrates præceptor Platonis, octauo & nonageſimo ætatis anno ſtudiorum fecit finem pariter & vitæ. Ipſe quoque Plato Philoſophorum princeps, octogeſimo vitæ ſuæ anno ſcribendi ſimul & viuendi periodum accepit. Cato Romanus omni tempore ſtudioſus octogenarius græcitari cœpit. Neſtoris lingua, teſtante Homero, iam vetuli atque decrepiti, orationem melle dulciorem in concione publica fluxit. Sed veniamus ad noſtros, qui nobis ſanctorum normam ſtudiorum, in principio Chriſtianæ philoſophiæ tradiderunt, & quam nihil ſit noſtra de nobis æſtimatio videamus. Adamantius Origenes Leonidis martyris Chriſti filius, vir in diuinis ſcripturis omnium ſtudioſiſſimus, librorum ſex millia græco fertur ſermone lucubraſſe, & vſque in ſenectutem extremam pauper & humilis pro Chriſti amore ſemper in ſtudio perſeueraſſe ſcripturarum. Auguſtinus Apher Epiſcopus Hipponenſis, tuæ ſanctiſſimus inſtitutor religionis, homo ſane omnium doctorum doctiſſimus, plus quam mille triginta ſcripſiſſe libros ſiue tractatus inuenitur. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, trecentos ediditſe fertur tractatus. Hieronymus ſanctiſſimus presbyter Bethlehemitanus, præter noui ac veteris æditionem Teſtamenti, libros & tractatus, plus quam ſexcentos legitur æditiſſe. Reliquos tranſimus pene innumeros. Dionyſium Ariopagitam, Pauli apoſtoli diſcipulum & Athenarum Epiſcopum. Tertullianum Carthaginenſem presbyterum. Cyprianum Epiſcopum & martyrem. Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum. Lactantium Firmianum. Euſebium Cæſareæ Paleſtinæ Pontificem. Iacobum Nyſibenæ vrbis Perſarum Epiſcopum. Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum. Hilarium Pictauienſem præſulem. Nazianzenum Gregorium Epiſcopum. Baſilium Cæſariæ Cappadociæ pontificem. Aurelium Clementem Prudentium. Clementem Alexandrinum pres-

*Demoſthenes.* *Socrates.* *Plato.* *Cato.* *Neſtor.* *Origenes.* *Auguſtinus.* *Ambroſius.* *Hieronymus.* *Catalogus ſcriptorum Eccleſiaſticorum.*

byterum, Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum patriarcham. Fulgentium Ruspensem Episcopum, Boëtium Seuerinum martyrem. Cassiodorum Rauennatensem abbatem. Gregorium papam ex abbate S. Andreæ primum in vrbe Roma. Fortunatum Pictauiensem. Isidorum Hispalensem. Bedam monachum Anglicanum. Albinum Thuronensem abbatem. Haymonem Hirsfeldensem abbatem. Rabanum Fuldensem abbatē. Strabum Fuldensem monachum. Nogerium abbatem S. Galli. Petrum Damianum Episcopum Cardinalem. Anselmum Cantuariensem. Honorium Augustudunensem. Sigebertum Gemblacensem. Bernardum Clareuallensem. Hugonem & Richardum S. Victoris. Rupertum Tuytiensem. Hugonem Barchinonensem Cardinalem. Bonauenturam Cardinalem. Albertum magnum. Thomam Aquinatem, Vincentiumque Beluacensem, qui omnes præ cæteris rerum Ecclesiasticarum scriptoribus & multa & egregia volumina ediderunt. Quid sunt nostra studia Rogeri lucubrationibus istorum comparata virorum? Omne tempus vitæ suæ literis tradiderunt, semper aliquid legentes vel scribentes, quo & suum intellectum in cognitionem summæ veritatis eleuarent, & posteritati vtilia prouiderent. Quid denique sunt nostræ lucubrationes, quibus aliquid esse præ cæteris putamur, si præscriptorum comparentur opusculis Patrum, nisi paleæ relatæ ad triticum, & immaturi quidam fructus, quibus nec tempus affuit nec locus, imo nec aeris oportuna temperies donata fuit, vt in cibum coalescerent optatum. *Scribimus* (vt Flaccus ait) *indocti docti*que *poemata passim*, & inanis nimium æstimationis cupidi opuscula nostra puerilia nimis, vt nonum taceam, nec in alterum quidem premimus annum. Quæ omnia etsi ita se habeāt, nostrorum tamen recte laudamus ingenia, cum vnusquisque hoc ipsum quod potest, amore sapientiæ facit. Quanto enim magis quisque in sacris scripturis assiduus fuerit, tanto ex eis vberiorem intelligentiā capit. Pulchra enim est & fructuosa mentis studiosi hominis in scripturis diuinis occupatio, quæ & animi legentis scribentisve intellectum illuminat, & abstractum à mundi vanitatibus hominem ad Dei amorem dulciter inflammat. Hinc diuus nos Ambrosius admonet dicens: *Cælestium scripturarum eloquia diu terere ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, vt succus ille spiritualis tibi in omnes se venas animæ diffundat.* Et sanctissimus ille presbyter Hieronymus: *Diuinas*, inquit, *scripturas sæpius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Si enim scientiam scripturarum amaueris, carnis vitia non amabis. Ignorantia enim scripturarum ignorantia Christi est.* Nam si iuxta Christophilum Paulum Christus Dei virtus est & Dei sapientia, qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem & sapientiam, quæ per illas duntaxat recte à nobis intelligitur. Multa ignoramus, quæ nos minime laterent, si veterum exemplo Patrum continua nobis lectio esset familiaris. Faciamus ergo quod monet Demonicum Isocrates, & erimus cum tempore doctiores: Ἐὰν φησὶ ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθὴς. *Si fueris*, inquit, *discendi cupidus, eris profecto & multa discens.* Qui memoriam cupiens solidare discipuli pulchre subiunxit. Ἃ μὲν οὖν ἔσχαλας διαπέπεισο τὰς μελέτας· ἃ δὲ μὴ μεμάθηκας, παρακολάμβανε τὰς ὑπομνήμας. Ὁμοίως δὲ ἀκροῶν ἀκούσασθαι χρήσιμον ὄν με μανθάνειν, καὶ διδόμενόν τι ἀγαθὸν παρὰ τῶν φίλων μὴ λάθειν. *Ea quidem quæ didicisti*, ait, *meditationibus conserua; quæ autem necdum didicisti, scientiis apprehende. Nam æque turpe audienti vtilem sermonem non discere, & datum bonum quid ab amicis non acceptare.* Vale. Ex Neometi 24. Iunii Anno Christianorum M.D.V.

*Commendatio sacræ lectionis.*

## XIII.

### *IOAN. TRITHEM. ABBAS SPANHEMENSIS, IODOCO BEISELIO suo iuris Vt. Doctori Salutem.*

*Ioannes.*

PRIMA mensis Iulii huius die veni ad oppidum Colonienſis Archiepiscopi, quod Bunnam vocant, vbi postridie mihi iuxta conditum occurrit principū ille sapientissimus doctissimusq; Ioachim Brandenburgēsium Marchio, Romani Camerarius & Elector imperii, per quē illo vocatus à Neometensium ciuitate descenderam. Sexta dehinc eiusdem mensis luce venimus ad Coloniam, vbi magnorum multorumq; Germaniæ principum celebratur conuentus Regi nostro serenissimo Romanorum Maximiliano præsente, atque in Sycambros expeditionem maturante. Quo cum venissemus, altera mox die ad te scribere oportunum duxi, vt fortunarum mearum territamenta non ignorares, quia probatū te inter omnes amicum habemus. Nam si nullius rei sine amico est iucunda possessio, quomodo & communicatio tristium nō afferet releuamen tristato? Quamuis me parū contristet aduersitas, quam sola æmulorum inuidia suscitauit innoxio, me nullam eis præbente occasionem. Si mecum luserit fortuna, nihil auferet, quod non dedit, quæ magis

magis forsitan mihi proderit aduersa, quam blandiens & prospera, quandoquidem eius munera insidiæ sunt non dona, & maleficia potius quam beneficia nominanda. Ciceroni autem si credimus, non solum ipsa fortuna cæca est, sed etiam eos plerunque cæcos efficit, quos complexa est. Propterea interrogatus Chilo philosophus quid esset fortuna, respondit, ignarus est medicus fortuna, multos enim excæcat. Sed accipe quibus in me cæca telis moliatur sæuire fortuna, nostrorum inuidia æmulorum exagitata maleuolentia, quo intelligas te non solum esse inter mortales cui domestici graues suscitauerunt iniurias. Non enim potest mentiri quæ nouit omnia veritas, in sancto prænuncians Euangelio, non solũ ab exteris, verum & à proprijs domesticis atque necessarijs fideles suos pro iusticia & sacratissima religione tribulationes & inimicitias esse passuros. Quæ nobis qua ratione contigerint tam à nostris quam ab extraneis, breui te narratione faciemus certiorem. Cum anno proxime transacto, quod te minime latere potest, multorũ conspiratio principum atrocissimum, & penitus moribus Christianę religionis contrarium ageret bellum aduersus clementissimum Principem Philippum comitem Palatinum Rheni Bauariæq; ducẽ, sub cuius tuitione monasterium meum iure comitatus Spanhemensis firmatum constat, metu hostium secedere in oppidum cœnobio proximum Stauropolim * compulsus sum. Interea Pyrophorus comes ille Hassonum prædas, incendia, & deuastationes sacrarum ædium, vicorum, pulcherrimarumq; in circuitu Staurotensium villarum patrans sine misericordia, inter alia meliores cœnobij mei cortes deuastãs igne concremauit. Mansimus autem cum nostra insigni bibliotheca, quam olim apud nos perlustrasti, in oppido memorato, mensibus quinq;, donec finẽ liceret videre malorum. Reuersi tandem pace reddita prouinciæ ad monasterium, varias in nos machinationes quorundam æmulorum ex nostris consentientibus nonnullis interea subortas paulatim intelleximus, quas cum innocentia & rectitudine mentis nostræ freti contemneremus, non existimantes neq; ponderantes quod latebat in nos odium Cynonotorum, creuit malignantium cum tempore furor. Contigit autem vt prima die mensis Aprilis anni præsentis in causa exusti monasterij Lympurgensis vocatus Budorim, oppidum serenissimi principis nostri Philippi Palatini Comitis, de meo cœnobio exirem, nihil minus timens, quam quod me absente postea contigit malum. Nam quinta dehinc die Budoris me in ordinis mei negocijs communibus existente, Cynonotorum quidam satellites missi ad monasterium meum, quosdam è familia confractis clausuris sublatisque vestimentis rebusque inuentis ceperunt, & publicæ custodiæ memorati oppidi, nescio quæ crimina imponentes falsa in contumeliam & opprobrium nostri manifestum per dies non paucos manciparunt. Quæ cum nobis Budorim nunciata fuissent, animum nostrum non mediocriter mouerunt, displicuitque non immerito nos tam insignem ab his accepisse contumeliam, quos ne verbo quidem offendimus vnquam. Quid nobis tamen vtiliter esset faciendum cum amicis deliberantes, conclusimus tandem ad Spanheim non prius redeundum, quam satisfactione legitima tantam cognoscamus iniuriam emendatam. Mansimus itaque apud Budoras & Neometes ferme tribus mensibus, non dubitantes nostros de producta nostri plus dolere absentia, quam nos ipsi contristemur. Causas odiorum in nos Cynonotes alias habent alias confingunt. Amor & obseruantia quibus semper fauimus clementissimi principis Philippi rebus, non vltima persecutionum in nos causa fuit. Dabo igitur temeritati locum ad tempus, & ibo cum serenissimo principe meo in Marchiam Brandenburgensem, quod à multis quidem annis rogatus minime antehac efficere potui. Neque reuertar breui, nisi quiescat in nos ista commotio. Habes, optime Beiseli, totam infelicitatis meæ historiam, si tamen infelicitas dicenda sit, per quam fortunæ malignitas euincitur. Nam si recte sapimus, non poterit nobis nocere fortuna, quemadmodum Menander ait:

Πᾶσι γὰρ εὐφρονοῦσι συμμάχει τύχη. "
Ταὐτομάτων ἡμῶν καλλιωβουλεύεται. "

Quicquid enim fortuna viris ingesserit bene sapientibus, proueniet in bonum, sæpeque contingit casibus ex aduersis fortunam subsequi meliorem. Quocirca nobis ad omnẽ euentum fortitudine & temperantia opus est, vt neque mente aliquando tempore deiiciamur contrariantium nobis, neque in prosperis vltra quam expedit inaniter eleuemur. Auferat fortuna licet omne quod dedit, diuitias, honoresque comminuat, & annihilet dignitates, si mens diuinum sustinens radium in suo culmine perseueret, nihil læsit. Dominium rerum (vt Valerius inquit) collabi solet, bona mens præfertur diuitiis: nam bonæ mentis vsurpatio nullũ tristioris fortunæ suscipit incursum. Cognoscamus nos esse mor-

Fortuna.

* Creuznacht.

tales,& communi necessariæque dissolutioni semper obnoxios, vt omnes fortunæ incursus vna sententia ridentes,neque laudemus secundam,neque aduersam inculemus. Nempe,vt Ciceroni placet,fortunam laudare stultitia,vituperare vero superbia est. Valeconstans & sanus. Ex Colonia Agrippina,Principum durante Concilio 8.die mensis Iulij, Anno Christianorum M.D.V.

## XIIII.

### *IOAN. TRIT. ABBAS SPAN. MATTHÆO HERBENO salutem.*

CONGRATVLOR tibi amice, & multipliciter sum gauisus, quod te sacris altaribus Domini & saluatoris nostri Iesu Christi tandem aliquando post varias mentis tuæ fluctuantes opiniones ministrum & sacerdotem sacrificulum dicasti. Hæc est via tutior ad felicitatem,si mente & operibus officio conueneris quod subiuisti. Dicit enim in Leuitico scriptura diuina: qui habuerit maculam,panes non offerat Deo suo,nec accedat ad ministerium eius. Si cæcus fuerit,si claudus, si fracto pede vel manu,nō accedat offerre hostias Domino,nec panes Deo suo. Maculam habet sacerdos,qui terrenis affectionibus inhians, conscientiæ puritatem vitiorum turpitudine sordidauit. Cæcus est qui propter ignorantiā diuinarum scripturarum lumen intellectus non cōspicit doctrinæ cœlestis, redditurq; ob id indignus sacerdotali officio,quia penitus est ad instituendā Dei familiam doctrinis salutaribus inutilis. Cū enim sacerdotis officium sit iuxta prophetæ sententiam, interrogatum respondere de lege,ac Domini populo, quia Angelus dicitur eius, annunciare voluntatem,quomodo cōmissos sibi docebit populos,qui totus ipse in tenebris ignorantiæ versatur? Sed facile te credimus in lege Domini fieri posse doctum,si studium secularium literarum,in quibus ad plenum eruditus es, cū amoris desiderio ad sanctarum meditationē conuerteris scripturarum. Nobilissimo enim flores ingenio,cuius acumine subleuatus quicquid volueris diuinarum institutionum quam facilime amando comprehendes. Cūque spiritualis vitiū cæcitatis,q̄ facile quidem potes auxiliante spiritus sancti gratia, euaseris,summopere cauendum tibi est,ne claudicantis opprobrio turpissimo denoteris. Claudus est enim fractoq; pede & manu sacerdos,qui vita & conuersatione ad puritatem Euangelicæ veritatis non ambulat,nec se bonorum sectatorem operum,corā ouibus sibi commissis exhibere curat. Contra quem in Exodo legitur: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur,ne forte percutiam eos.* Iterumq; scriptura sacerdotibus præcipit diem: *Mundamini qui fertis vasa domini.* Duplici enim doctrina debent esse ornati sacerdotes Domini, operis videl. rectitudinis, & verbi sacræ prædicationis, vt bonum q̄ subditis suis eligendū prædicant,iniquis operationibus non corrumpant. Sane doctrina veritatis semper quidē vtilis est populo Dei siue bene viuat is qui docet siue male, in sacerdote tamen sine bonæ conuersationis exemplo non sufficit, vtpote qui bonum quod prædicando commissis sibi populis vtiliter proposuit,male viuendo infructuosum fecit. Propterea nemo,(sicut Augustino placet) amplius in Dei nocet Ecclesia,quam is qui peruerse agens nomen & ordinem assecutus est sacerdotis. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit subditorum,& in exemplum culpa vehementius trahitur,quando vitiosus pro reuerentia ordinis honoratur. Cū ergo ruina populi sint sacerdotes mali, magna nobis cautela prouidendum est,ne quis nostro scandalizatus exemplo in foueam decidat nostri occasione delinquendi. Non te multitudo similium excusabit peccantem, sed fuge potius exempla multorum,non pure ad institutionem sacerdotalem conuersantium : quoniam stultissima consolatio est,cum plutibus velle perire,& non magis saluari cum paucis. Multi enim sacerdotes,vt Chrysostomus ait,& pauci sacerdotes. Multi quidem in nomine,& pauci valde in operatione. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia cathedra non facit sacerdotem,sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram honorem accipit ab illa, qui male sederit iniuriā facit cathedræ. In iudicio sedes,siquidem bene vixeris & bene docueris, omnium iudex eris. Si autem bene docueris & male vixeris,tui solius iudex te solum condemnabis. Nam bene viuendo & bene docendo, & populum quomodo recte debeat viuere instruis,& q̄ minister sis Domini fidelis ab ipso remunerandus ostendis. Si autem bene viuis & populū tibi commissum non bene doces, peccasti, quia populum non instituendo perdis, quo pereunte culpa tua,quomodo sacerdos sine populo saluaberis? Cum vero male viuēs bene doces,formam Deo præscribis,quomodo te debeat condemnare? Quocirca te hortor, Herbene frater charissime, cura quam diligenter, quatenus vtroq; valeas ornari decore,

*Leuit.21.*

*Sacerdotes debent doctrina & operibus populo præire.*

*Malach.2.*

*Exod.19.*

*Esaiæ 52.*

quo

quo & bene doceas populum, & recte viuendo non condemnes. Tres in primis mortales sacerdotum aduersarios, quibus hodie pereunt multi, continuo certamine indicto reluctari quam viriliter cura, quibus deuictis omnem malorum turbam impugnantem facile superabis. Sunt autem tria sacerdotum vitia, quibus rapti complures ad inferos prolabuntur, auaritia, superbia atque luxuria, τῶν ἱερέων κακὰ τρία. Felix ille sacerdos, qui hoc tempore inuictum se ab his dæmonibus custodierit, & in via sacerdotum publica non ambulauerit. Beiselio nostro communi scripsimus amico de his quæ circa nos agũtur, quorum ne sis ignarus, exemplar tibi literarum, quas ad eum dedimus his introclusum transmittimus. Rogamus autem vt nobis translationem nostram mysticæ theologiæ Dionysii cum græcõ exemplari, quam tibi ante biennium, cum nobiscum esses in Spanheim commodauimus, remittas. Vale. Ex Colonia octauo die Iulii, 1505.

## XV.

### *IOAN. TRIT. ABBAS SPANH. IOANNI Capellerio mathematico S.*

SEXTA die mensis huius veni ad Coloniam cum Serenissimo principe Ioachim Marchione Brandeburgensium, quod te latere diutius non volui, eo quod veteris amicitiæ iura semper inuiolata custodieris. Rogamus ergo vt quamprimum ad nos venias Musis comitatus & lyra, quoniam & locus nobis est oportunus, & tempus ad philosophandum nostrumque institutum prosequendum satis admodum copiosum. Non operiaris sextilem Saturni melancholizantis, qui eo die quo nos Agrippinam intrauimus non satis fauste præteriit, siniſtri pedis nobis tumore inflicto. Quam diu simus hic mansuri, nobis incertum est. propterea morãs deprimere, & veni quantotius, quia multus ad te nobis sermo se ingerit proferendus. Vale. Coloniæ ex hospicio nostro quod est in platea quam potoplateam * vocant, quoniam vere potatoribus abundat. Marchionis ad valuas insignia considerans minime aberrabis. Octaua die mensis Iulii, Anno Christianorum, M.D.V. * Potgasse.

## XVI.

### *IOAN. TRIT. AB. SPANHEMENSIS, IACOBO KYMOLANO Carmelitarum ordinis amico, S.*

CVM ante paucos dies Coloniam nauigio venissem, audiui te istic in tui ordinis esse conuentu, de quo subdubitantem me certiorem hodie reddidit Iacobus noster de Maseck medicinæ Doctor, à nobis ad prandium inuitatus. Mox epulis de mensa remotis calamum postulaui & chartam, tibique literas scripsi quas mitto, non valens differre vlterius tui desiderium. Volumus itaque & precamur obnixius, vt crastino mane ad nos venias nobiscum pransurus, totumque diem concessurus disputationibus nostris. Aderit nemo qui nos impediat: solus sum enim cũ familiaribus meis, & vnico Marchionis Brandeburgensis necessario mathematico, homine sane perquam humano. Nihil te moretur quin venias. Hospitium huius famuli mei relatione agnosces. Vale. Ex ipsa domo mansionis nostræ in Colonia hodie nona die mensis Iulii. Anno Christianorum 1505.

## XVII.

### *IOAN. TRIT. AB. SPANHEM. OPT. PATRI ET AMICO GERlaco de Breitbach monasterii Tuitiensis Abbati salutem.*

QVÆ mihi fortuna, ne dicam hominum peruersa temeritas fabricauerit aduersa, te penitus latere non potest. In omnem quippe terram fama diuulgata est, Tritemium abbatem extra suum conuersari cœnobium, quanquam non omnibus æque nota sit causa, sed multi varios hinc minime veros circumferunt in vulgo rumores. Cum ergo non procul constituti simus ab inuicem, tu quidem in Tuitio sanctissimo illo cœnobio tuo, ego vero Coloniæ in hospicio mihi à principe, cuius occasione adueni, dispositio, quatenus te faciã de rebus nostris certiorem, ad me crastino venias, pransurus nobiscũ de mensa Serenissimi principis Ioachimi Brandenburgensiũ Marchionis, cuius munificẽtia sumus copiose prouisi, epulatur. Ego quidẽ ad te venire duplici occasione prohibeor: altera ratione memorati principis, cui deesse nõ possũ: altera propter siniſtri cruris pedisq; inflationẽ, quæ mihi omnẽ discurrendi facultatẽ interdicit. In descẽsu meo per Renũ nauigio, quinq;

apud Reuerendissimum archiepiscopum Coloniensem Hermannum diebus in Bunna quieuimus, qui suis nos expensis releuauit de hospitio, & munere gratissimo donauit, tuique mentionem sæpius inter loquendum habuimus, sicuti audies cum veneris, in optimam detestationem. Quo sim in hospitio, harum tibi nuncius literarum faciet manifestum. Vale pater optime. Ex Colonia 10. die mensis Iulii Anno Christianorum M.D.V.

## XVIII.

### *IOAN. TRIT. ABBAS SPANHEMENSIS, IACOBO DE MASECK physico viroque sapienti & amico salutem.*

MIsisti nobis hesterno vesperi munus certe gratissimum, Kyrani videlicet libros, antiquo atque pulcherrimo charactere pergameno inscriptos, quos tota Germania pene quærentes, nusquam integros reperire potuimus. Gratias tibi habemus ingentes, agemusque si vnquam nobis licuerit quam maximas, pro hac tua in nos humanitate. Amplius enim tali nos munere honorasti, quam si multam nobis obtulisses pecuniam, propterea quod lectio tanti autoris ad intellectus nostri perfectionem aliquantulum nobis conducere potest, pecunia vero nihil. Pecunia facile consumitur, sapientia vero intellectum nostrum illuminans nullum patitur detrimentum. Quid enim philosopho Christi Iesu religionem professo, & ad paradisi diuitias per inopiã tendenti pecuniæ huius mundi conducunt, quæ omnium & malorum & scelerum hominibus sunt causa? Cum labore namque pecunia, & animæ periculo nõ paruo acquiritur, acquisita cum timore seruatur, & sæpe cum dolore mentis grauissimo amittitur. Adde quod Satyricus non imprudenter de hominibus auaris cantauit dicens:

*Pecunia est omnium malorum causa.*

*Interea pleno dum turget sacculus ore,*
*Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,*
*Et minus hanc optat qui non habet opem.*

Et forsitan contemnimus eo facilius, quo minus habemus, haberemus etiam si non contemneremus. Quare autem contemnimus? Quia non possumus esse diuisi. Nostra enim philosophia non partem sed totum hominem requirit. Auaritia vero & immensus amor habendi, adeo sapientię contrariantur, vt quem semel possidere particulariter cœperint, liberum non sinant amplius, sed totum suæ subdant inquietissimæ tyrannidi. Mens in vnoquoque vna, quæ duobus contrariis non potest peruia esse amoribus, Domino & saluatore nostro Iesu Christo in sacro testante Euangelio: Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει. ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει: οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμωνᾷ. Et in alio loco: *Videte*, inquit, *& cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet.* Et in Euangelio κατὰ Marcum: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Doctissimus etiam præceptor noster Christophilus, cõtra auaritiam nos volens esse munitos, dicit: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem o homo dei hæc fuge: Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec aufferre aliquid hinc possumus. Habentes ergo alimenta, & quibus tegamur vestimenta, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, in multaque desideria inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Qui enim pecuniæ seruit, & præsentium compedibus malorum constringitur, & futuris malis perpetuisq; paratur. Difficile namq; est diuitias habentem non apponere cor, non amplius cupere, non anxiari, non ex opinione inopiæ acquirendi cupidineque semper torqueri, & interdum humanæ societatis non violare constantiam. Phocylidis præcepta philosophis custodienda sunt quibus & menti tranquillitas, & iuri generis conseruatur communitas.

*Auaritia Satan quãtum noceat hominibus.*
*Matth. 6.*
*Marc. 10.*
*1. Tim. 6.*
*Phocylidis præcepta de fugienda auaritia.*

" πλοῦτον ἔχων σὴν χεῖρα πενητεύουσι ὄρεξον
" ὧν σοὶ ἔδωκεν θεὸς τούτων χρήσουσι παράσχου
" ἔστω κοινὸς ἅπας ὁ βίος καὶ ὁμόφονα πάντα.

Auaritiam quoq; omnium causam malorum & aurum grauiter satis detestans, post pauca sententiam talem subiungit:

" ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης.
" χρυσὸς ἀεὶ δόλος ἐστὶ καὶ ἄργυρος ἀνθρώποισι
" χρυσὲ κακῶν ἀρχηγὲ, βιόφθορε πάντα χαλέπων
" εἴθε σέ μη θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθεινόν.

σὺ δ' ἔκπτι μάχαι τὲ λιπαρσίαι τε φόνοιτε
ἴχθρα θ' τέκνα γοπῦσι, ἀλαλφετοὶ τὲ συναίμοις.

Proinde monet post aliqua, diuitiis si nobis adsint, nequaquam esse parcẽdum, quas neque auferre nobiscum licet, neque tenebris inferre Plutonis, pulchre sic dicens:

ἀλλ' ὦ μὴ φείδου, μέμνησ' ὅτι θνητὸς ὑπάρχεις
καὶ τὸ εἰς ἄδην οὐδὲν ἔχειν χρὴ χρήματ' ἄγεσθαι.

Apud veteres qui philosophiæ præcepta subierunt, in primis diuitias, veluti quædam sapientiæ impedimenta, contemnere oportebat, prouide satis intelligentes, mentem rebus occupatam terrenis, diuinis nequaquam posse vacare doctrinis. Et quid loquor de sæculi hominibus, qui veræ philosophiæ tramitem, quo ad felicitatem peruenitur æternam, non inuenerunt, cum nostræ institutionis sacræ principes apostoli domini & saluatoris nostri Iesu Christi, eorumq; discipuli atque sequaces, vt liberius cœlestibus intenderent, omnes mundi perituras diuitias amore supernorum contempserunt. Recte namque sanctorum quidam imitator, ad veram nos vocans sapientiam ita cecinit dicens:

*Tranquillam & vacuam curis sapientia mentem*
*Imbuit, & placidi pectoris hospes erit.*

Et sanctus ipse sanctorum dicit per quendam oraculi sui prophetam: *Super quem requiescet spiritus, nisi super humilem & quietum, ac trementem sermones meos?* Quantos hodie cernimus inter Christianos nomen sibi vsurpantes philosophiæ sacratioris, cupidos, auaros, luxuriosos, immundos, cunctisq; animalib. deditus passionib. qui se existimant esse quod non sunt, quia perseuerãt quales esse nõ debuerunt, de quibus sanctus dicit Christophilus. Esaiæ 66.

τὸτο δ' γίνωσκε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται καιροὶ χαλεποί. ἔσονται γὰρ οἱ ἄνθρωποι φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι, ἀνόσιοι, ἄστοργοι, ἀσπονδοι, διάβολοι, ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, προδόται, προπετεῖς, τετυφωμένοι, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι, καὶ τοὺτους ἀποτρέπου, καὶ τὰ λοιπά. 1. Timoth. 3.

Quemadmodum hodie pars maior Christianorum præscriptis passionibus vbique laxaueris habenas, nullus nostrum inter homines vel mediocriter conuersatus ignorat: & maxime videmus auaritiam, quæ idolorum est seruitus, totum pene genus infecisse humanum, eosque si dicere fas est, qui ex præeminentia dignitatis diuitiarum præ cæteris deberent esse cõemptores. Vnde paucissimi hodie vel propter Dei amorem ad sacerdotium, vel propter sapientiæ desiderium ad studia se conferunt literarum: quin potius quod nimium est dolendum, in vtroq; commodum temporale à pluribus quæritur, honores mundani & diuitiæ, plusquam Dei reuerentia cogitantur, vt ad literam prophetia videatur impleri, qua dictum est: Et erit sicut populus sic sacerdos. Hinc sacerdotii contemptus oritur, & sermo Domini tota die blasphematur. Cuius etiam sacerdotis vita despicitur, quid mirum si doctrina eius ab imperito populo contemnatur? Huic sanctus Christophilus malam recte improperans vitam dixisse monstratur: *qui alios doces, te ipsum non doces?* Dominus autem noster Iesus Christus formam nobis præscripsit doctrinæ, de quo sanctus Euangelista Lucas refert in principio Actorum Apostolicorum dicens: *quæ cœpit Iesus facere & docere, vsq; in diem qua præcipiens Apostolis per spiritum sanctum quos elegit, assumptus est.* Vnde & sanctus Ambrosius dicit: *Ante vita quam doctrina quærenda est.* Vita bona sine doctrina gratiam habet: doctrina vero sine vita integritatem non habet. Docere enim & non facere, Chrysostomo teste, non solum nihil, sed & damni plurimum confert. Grandis enim cõdemnatio est, componenti quidem sermonem suum, vitam vero suam & opera turpiter negligenti. In primis igitur doctrinæ vita confirmetur sanctæ, ne cui dicatur illud in sacro scriptum Euangelio: Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & sic poteris videre festucam in oculo fratris tui hærentem. Oseæ 4. Rom. 2. Sacerdotes debent facere & docere. Matth. 7.

Sed nos, o Iacobe, dimissa multitudine non recte philosophantium, studia nostra conferamus ad veram philosophiam, quæ in cognitione & amore veritatis summæ consistit, pro cuius assecutione sanctissima neque auro indigemus neque pecunia, sed mentis duntaxat puritoris tranquillitate, cum desiderio diuini amoris, & obseruantia mandatorum Dei, in omni mansuetudine & patientia longanimitatis. Vale nosq; sæpius inuisere non negligas ne otio consumamur. Coloniæ ex nostro hospitio 12. die Iulii. Anno Christianorum 1505.

## XIX.

ΙΩΑΝΝΗΣ Ο ΤΡΙΤΗΜΙΟΣ ΑΒΒΑ ΤΩ ΙΩΑΝΝΙ ΚΑΠΕΛΛΕΩΩ ΦΙΛΟΣΟΦΕΙΝ ΧΑΙΡΕΙΝ.

Θαυμάζω σε ζητεῖν χρόνω προσέχειν τοῖς ἰλλιτικοῖς λόγοις, ἀλλ' οἶδα μὲν ὅτι πρὸς τὸ μανθάνειν μόνον βουλεύεσθαι πάντως ἐκλήσει ἀπαιτεῖ. Θέλημα δίβαιον πάντως πάντως λέγεσιν ἀναγκαῖον, προσήκει μὴ μόνον λέγειν, καὶ πάντως ἀναγκαῖον, ὃν ἐκλέμψον τι ποιεῖν ὃν τῷ μανθάνειν ἐαυτὸν ἀπαιτεῖ πάντως δ' ἔτι τοῖς πολλοῖς σωτῆρας

σπουδῆς ἐγγράμματων, καὶ τὰς ἀπολείσειν ἑαυτῶν ῥήσεις τοῦ ὑμνολογεῖσθαι μεθ' ἡμῶν. Οὐδὲ μὴν τῶν ἀνθρώπων θελήματα καθεκάστην ὥραν ἄλλοτε καὶ μεταβολικά· ἀλλ' ὁ αὐτὸς ὢν καὶ παραμένων ἐν τῷ ἑαυτοῦ
Eph. 1. 1. Cor. 12. ἀγαθῷ ἐργάζεται τὰ πάντα· μία πάντων δύναμις ἡμῶν ὑπάρχει πάντων. ἀλλὰ δύναμις ἡμῶν ὑπάρχει ἐκ θεοῦ ὁ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς δι' οὗ τὰ πάντα, ὡς εἴπερ τις καὶ δι' ἡμῶν ἐξουσίαν τοῦ θεοῦ πάντα ὁρᾶται, καὶ προορᾶται, καὶ θεὸς πάσαν δύναμιν τοῦ ἔργου, καὶ ὁ ἐν ὑμῖν μὴ ἀδυνάτους. ταύτην πῶς δύναμιν καὶ πῶς ἐξουσίαν λαβὼν ὁ χριστὸς Παῦλος ἔλεγεν· μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ. ἐμοὶ γὰρ ὁ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ. ἀλλὰ τῷ μὲν πνεύματι θεοπατεῖσθαι καὶ ὑπερήμεραν Χριστοῦ καὶ τελείωσιν. Ὁ γὰρ ἐμὸν ἐστὶ χριστὸς ὁ τοῦ ἀγίου
Matth. 10. πνεύματος ἐλεγεν· ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. καὶ ὁ φιλῶν υἱὸν ἢ θυγατέρα ὑπὲρ ἐμέ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος· καὶ ὃς οὐ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. καὶ ὅσοις οὐ δύναται φαίνεσθαι τοῖς ὑπαρχοῦσιν αὐτῷ, οὐ δύναται μου εἶναι μαθητής. οὐκ ἄλλων χάριν ἔστιν μαθητὴς καὶ ἄξιος αὐτῷ ὑπάρχειν, καὶ δύναμιν παρ' αὐτοῦ λαβεῖν καθ' ὧν πνευμάτων τῆς ἀσεβείας, χωρίζει ἑαυτὸν φάσις ἀρχικὴ σχίσεως, καὶ γνώσεως ἐν πάσῃ ὑλικῇ προσπαθείᾳ, καὶ εὐτυχὴς πρὸς ἀδρανεῖς ἐγχρίσεις ὑπὲρ τῶν ἐντολῶν αὐτοῦ ἀγωνίζεται. τὸν αὐτὸν μὲν σοφὸν, ὅτι ἀπερισπάστως καὶ καμάτῳ οὐδενὶ ἔργον εὔκολον καὶ ὀνομαστὸν κατορθῶται. γραφὴν δὲ τῇ γραφῇ ἰάσθαι τοῦ προσώπου εἰδέναι τοὺς ἀπολαύσεις τοῦ ἀρτεσοῦ ἀνδρὸς. Αλλ' ἔχε μέχρις οὗ συγγνώμης, ὅτι μοι φίλων οἱ ἐσόμενοι, γέγραφα ἐν Καλονίᾳ τῇ μητρὶ πόλει Φιλίππου τῇ ιβ. ἡμέρᾳ. ἔτει τῶν χριστιανῶν χιλιοστῷ πεντακοσιοστῷ πέμπτῳ. καὶ σὺ μοι γράψον πάλιν ἐμοὶ μήνιμον.

## XX.

### *IOAN. TRITEM. ABBAS SPANHEMENSIS, ROGERIO Sycambro fratri chariſſ. S.*

SATISFACTVRVS tuo deſiderio, quod priusquam Neometim exirem te rogãte promiſi, amantiſſime Sycamber, quam habuerim in nauigando fortunam, & quid hic agatur publice ſcriptis tibi meis breuiter volui aperire. Neometim 25. die menſis Iunii cum magiſtro Narciſſo ex Pariſio nuper ad me miſſo, & quibuſdã aliis familiaribus noſtris exiui, eodemq; veſperi Moguntiacũ vecti curribus intrauimus. Poſtridie conſcenſa naui, proſperoq; naulgantes vento Renum ſulcantes deſcendimus, & prima die menſis Iulii Bunnã applicuimus. Erat autem Vigilia ſolemnis Viſitationis beatiſſimæ Dei genitricis, ſemper virginis Mariæ, ibi aduentum ſereniſſimi principis Ioachim Brandenburgenſiũ Marchionis biduo expectauimus, interea copioſiſſime in omnibus prouiſi munificentia Reuerendiſſimi Colonienſium Archipræſulis Hermanni. Tertia vero die menſis Iulii circa ſolis occaſum venit etiã ipſe princeps, quem expectabamus, cum ſexaginta equitibus, quem archiepiſcopus honorifice ſuſcipiens triduo ſecũ detinuit. Sexta die mane ipſius menſis Bũnam exeuntes, circa horam decimam ad Coloniam venimus. Et nunc ſumus hic nullam receſſus noſtri certitudinem habentes. Fama eſt non vulgaris, Regem noſtrum expeditionem meditari, auxiliumque non defuturum in tuos Sicambros. Continui habentur inter Principes coram Rege tractatus pro reformanda pace & concordia inter principem noſtrũ Philippum Comitẽ Palatinũ, & reliquos ab eo diſſentientes. Macharius abbas deſolati monaſterii Lymburgenſis, non ſine incõmodo & iactura ſumptuum propter communia reip. negotia, regiam de die in diem præſtolatur audientiam, ſed nemo eſt qui deſolationi eius ſubueniat. Feci pro eo verbum ad principem meum ſereniſſ. Marchionem, per quem vt confidimus in breui obtinebit à regia maieſtate quam præſtolatur audientiam. Si ſcire vis ea quæ circa me aguntur accipe paucis. Sum hic in hoſpicio mihi deputato iuxta principem, de cuius ordinatione omnia nobis copioſe miniſtrãtur, quæ neceſſaria ſunt. Ad menſam interdũ, imo crebrius, voco amicos noſtros viros eruditos atq; philoſophos, quorum alloquio & diſputatione nihil poterimus habere iucundius. Inter quos extant præcipui Theodericus Vlſenius medicus, mathematicus, & poeta dulciſſimus. Iacobus de Maſeck medicus & philoſophus ſingularis eruditionis, cum quo mihi bellum & continua decertatio eſt contra ſtultitiam inaneſq; alchimiſtarum ſpes, qui magna promittunt cum ſemper nihil habeant ipſi. Iacobus Kymolanus ordinis Carmelitarum ex Gãdauo Theologus, amœni & dulcis ingenii homo, qui generalis magiſtri ſuæ religionis de Anglia expectat aduentum, cum quo ſuauis mihi conuerſatio eſt. Georgius Sibuthus poeta, nouiter manibus regiis hic laureatus, iuuenis quidem ſed ingenioſus. Ioannes Capellerius vicecomes Regiæ villæ, philoſophus & mathematicus Pariſienſis, eruditus & profundæ ſpeculationis, de cuius ingenii viuacitate admirantur multi doctiſſimi viri. Tẽpore breui pauciſq; diebus Græcæ notitiam linguæ magna didicit ex parte, legit perfecte, competenter intelligit, elegantemq; ſcribit characterem. Sex menſium vix ſpatio Græcus diſcipulus, & multorum euaſit præceptor. nam plures ad me Græcas non inelegantes ſcripſit epiſtolas. Cũ his eruditiſſimis viris iucunda nobis conuerſatio eſt, & de variis ſcripturarum locis inquiſitio continua. Vtinam te nobis comitem itineris habere licuiſſet, quo ingenio tuo aman-

*Theodericus Vlſen. Iacobus de Maſeck. Iacobus Kymolanus. Georgius Sibuthus. Ioannes Capellerius.*

amantissimos tui hospites nostros frui contingeret. Misimus hunc famulum nostrum pro quibusdam negotiis ad Neometim & Sebach, cum quo si quid voles ad nos scribere, quam certissime poteris. Mox enim ad nos reuersurus est Coloniam. Vale mi frater, & Deum ora pro nobis. E Colonia 12 die mensis Iulii. Anno Christianorum 1505.

## XXI.

### *IOAN. TRITEM. ABBAS SPANH. DILECTISSIMAE IN CHRISTO filiae Richmodi, abbatissae monasterii in Sebach, synceram in Domino charitatem.*

QVAM PRIMVM mihi loquendi facultas cum Archiepiscopo Colonien sium data fuit, quod secunda mensis Iulii die in Bunna contigit, causam patrimonii tui, quam habes cum Gulielmo milite de Horst fratre tuo in medium proposui, consilium simul & auxilium postulaui. Qui posteaquam bonam valetudinem ex me tuam audiuit, congratulatus est, omnemque operam adhibiturum suam promisit, vt aliquid paternae substantiae quantum fuerit possibile consequaris. Verum cum nihil fieri possit, nisi frater tuus fuerit in praesentia cōstitutus, rem omnem in Colonia distulimus, quo venturum sperabamus. Et quia comparuit minime, consilium est principis, vt aliquem in Colonia per literas procuratorem constituas, qui causam oportune coram eo sollicitet, fratre aliquando, quod saepe fieri consueuit, hic in Colonia personaliter constituto. Non est mihi dubium, quin archiepiscopus amore tui omnem facturus est in causa diligētiam quam pollicetur. Constituas itaque coram scriba iurato quem volueris in Colonia procuratorem causae quem iudicaueris idoneum, nobisque mittas cum praesentium latore procuratorium. Hesterno die in monasterio tuo Machabeorum inuitatus à magistra prandium habui, & causam tuam magistro Heliae proposui, qui & ipse cooperaturum se pro viribus voluntarie promisit, Is mihi vna cum magistro Gisberto videretur non inutilis causae patronus eligendus. Salutant te magistra coenobii, & soror Margareta de Dauerckhusen, Priorissa quondam in Sebach, caeteraeque sorores tui amantissimae omnes. Literas ad te scribendas differunt vsque ad meum de Colonia recessum. De meo statu & valetudine famulus iste meus certiorem te faciet. Vale Christi deuotissima virgo, nostri memor in sanctis orationibus tuis. E Colonia 16. die Iulii. Anno 1505.

## XXII.

### *IOAN. TRIT. AB. SPANHEMENSIS, IOANNI GRYPOSIO ARTOPAEO, ciui Stauropolitano, amico clariss. salutem.*

QVONIAM verum te nobis amicum semper exhibuisti Ioannes dulcissime, iuxta illud viri sapientis: omni tempore diligit qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur. in finem perseuerare contendis. Literis enim nos tuis nō minus ornatis, quam dulcissimis quasi delectos animo, propter eam quam in nos aemuli susciteuere contumeliam amicissime consolaris: te quoque nobis corpore & substantia nunquam pro viribus defuturum promittis Et quamuis animum nostrum penetrauerit nulla delectio, vtpote qui spes nostras in tutiora locauerimus, omnes fortunae saeuientis impetus patienter ferre pro spe mercedis futurae instituti, tibi tamen gratias ingentes habemus, qui veraе amicitiae iura inuiolata custodis. Haec est enim perfectae amicitiae integritas, quae non ex commodo lucri rei temporalis capit exordium, sed in Christi amore fundata virtutū aequalitate constat. Multorum est falsis ornatibus fucata & bestialis amicitia, qui felicitatis tempore pleni adulatione circunstrepunt, & in hora necessitatis nullus eorum comparat. Diuitiae namque, testante rege sapientissimo Salomone, addunt amicos plurimos: à paupere autem, & illi quos habuit, separabuntur. Fratres enim hominis pauperis oderunt, insuper & amici procul recesserūt ab eo. Sed qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Dei derelinquit. Non est vera amicitia quae deserit amicum in necessitate constitutum. Vera autem iuxta dictum Hieronymum illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non praesentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor & diuinarum scripturarum studia conciliant. In amicis enim non res quaeritur sed bona voluntas, quia & substantia saepe à non amicis praebetur: voluntatem vero bonam sola charitas amicitię tribuit. Eadem namque velle & eadem nolle inter pares & bonos firma amicitia est, quae vbi manet nil facile creditur, nil facile recipitur, vt Chrysostomus ait, quod dissidium possit operari. Si vero semel inimicitiae occupauerint animos,

*Qua vera amicitia, & qua fucata.*

*Proverb. 16.*

*Vera amicitia quam rara.*

omnia

omnia quæ sunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita recipiuntur, vt ad maiores proficiant inimicitias. Rara est hodie inter mortales amicitia vera, propterea quod priuatũ bonum vtilitati præfertur communi, nec possunt esse in amicitia fideles, quos munus non gratia copulauit, quoniam mox vt amplius non acceperint δωροφάγοι homines, omnem deserunt charitatem. Dilectio enim quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissoluitur. Vera est igitur amicitia illa quæ nihil quærit ex rebus amati, nisi solam beneuolentiam, scilicet vt gratis amet amantem. Æqualitas nempe animorum amicitiam conciliat, non ambitio rerum, vt sit amicus in amico per beneuolentiam quasi alter idem seu anima vna, sicut Aristo. dicebat, in duobus corporibus habitans. Cum ergo non possit esse vera inter mortales amicitia, nisi conglutinet eam inter amantes vera charitas, quæ proh pudor nostris nimium est rata temporibus, magna in comparandis amicis diligentia opus est, ne inconsulte amemus, quem postea contingit odisse. Quocirca vir quidam sapiens inter mortales veræ pretium amicitiæ magnifaciens dicebat: *Amico fideli nulla est comparatio, quoniam amicus fidelis protectio fortis: qui talem inuenit, thesaurum certe pretiosum inuenit.* Et Menander hoc ipsum confirmans dicit:

Εν τοῖς δ' δεινοῖς χρημάτων κρείττων φίλος
Φίλους ἔχων νόμιζε θησαυρὸς ἔχειν.
*In aduersis autem pecuniis est præstantior amicus.*
*Amicos habens, existima te thesauros habere.*

Quam sint rari fideles amici, quotidie omnes experimur, qui in prosperitate multos, neminem vero in alea fortunæ mutata reperimus, sicut & ipse Menander dixit:

Εὔχου δ' ἔχειν τὶ κἂν ἔχῃς ἕξεις φίλους.
*Si fueris diues, forsan bene habebis amicos.*

Quod etiam lasciuus ille testatur poeta in Tristibus dicens:

*Donec eris felix multos numerabis amicos:*
*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Sed tu vale nostri fidelis amicus: tempus omnia curat. Ex Colonia die mensis Iulii 16. Anno 1505.

## XXIII.

### *IOANNES TRITEMIVS ABBAS SPANHEM. IOANNI Capellerio mathematico S.*

*Steganographia.*

EAM tibi partem Steganographiæ nostræ minoris, cui titulum dedimus græcum γλωττευφορίαν, id est, linguæ fertilitatem, rescribi fecimus quampridem postulasti à nobis, opus (vt scis) archanum, hactenus nulli visum, quod ea mittimus lege quo seruetur occultum. Amorem tuum & indeficiens erga literas Græcas studium, cæterasque philosophiæ mundanæ scientias non vitupero, sed laudarem potius magnisque præconiis efferrem, si hæc omnia rite ordinaueris ad amorem diuinum. Vniuersa enim mortalium studia, quæ non fuerint ad Dei charitatem ordinata, prorsus vana & omni Christiano contemnenda sunt. Curandum igitur nobis, vt mens nostra propriæ memor salutis nunquam studiis inhæreat mundanis, sed illis vtatur potius ad ministerium & seruitutem non continue, sed cum fuerit necessarium duntaxat per vices philosophiæ & sapientiæ spiritualis, per quam in Dei cognitionem amando perducitur, & in amoris dulcedinem cognoscendo roboratur. Mortales sumus & vrgentibus naturæ statutis, necessario morimur omnes, hoc solum ferentes nobiscum, quod discendo & studendo in cognitione & amore summi boni creatoris nostri profecimus. Cæterorum vero fructus omnes studiorum, sicut nebula cum labore habito euanescunt. Omnis ars humanitus adinuenta, quæ diuinæ non cohæret scientiæ, licet in hac vita nomen sibi vsurpet scientiæ quantumlibet celebrioris, habitumq; assequatur demonstratiuum, tam diu potest manere in homine, quam in corpore cum ratione vita. Cessat autem penitus cum moritur homo, & cum cæteris vitæ actionibus expirat. De hac vana scientia mundi sanctus Christophilus dicit in quadam epistola: *Si quis existimat se scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. At si quis diligit Deum, hic cognitus est ab illo.* Cuius sententiam diuus Bernardus pulchre dilucidans in meditationibus dixit: *Vides quod non probat multum scientes, si modum nesciant sciendi. Vides quomodo fructum & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit.* Quid ergo dicit, nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo fine vnumquodque scire oporteat. *Quo ordine: vt illud prius, quod maturius*

*Omnes scientiæ ad fidem in Christum referri debent.*

*1. Cor. 8.*

*mouet*

*mouet ad salutem. Quo studio ut illud ardentius, quod mouet vehementius ad amorem. Quo fine, vt non ad inanem gloriam & ostentationem, sed ad tuam aliorumque salutem. Quemadmodum vero non est vna omnium ad scientiam properantium intentio, ita nec finis quidem vnus. Alii namque multa scire cupiunt eo tantum fine vt sciant, & fructum suæ curiositatis vanum & in nihilo consistentem recipiunt. Alii autem scire volunt propter commodum temporale, vt videlicet diuitias honoresque assequantur & dignitates: qui quid aliud quam turpem exercentes quæstum, ipso scientiæ sacro nomine penitus censendi sunt indigni. Et quam multi hodie ad scientiam se in hunc finem conferre reperiuntur. Et sunt nonnulli qui scire volunt, vt ipsi ab hominibus sciantur, quorum fructus scientiæ vanitas est. Omnium præscriptorum intentiones ad sciendum reprehensibiles sunt, & finis culpæ ac iudicii rationi obnoxius. Sunt vero alii qui scire cupiunt vt proximos in Christi amore instituant & ædificent ardentius, & horum finis charitas est, & fructus, si vita doctrinæ concordet, æterna felicitas. Alii autem sunt qui scire volunt, vt ipsi in lege Domini ædificentur, quorum finis prudentia, & merces vitæ debita bonæ sempiternæ beatitudinis retributio.* Vides nunc, amice, quis debeat nostræ finis esse scientiæ, & quemadmodum nos scire oporteat. Cum ergo finis scientiæ speculatiuæ sit veritas, & practicæ opus, tantum scimus quantum de cognitione Dei omnipotentis apprehendimus, qui solus est veritas: tantum vero cognoscimus quantum diligimus. Scientia enim vera & salutaris Dei parit cognitionem, cognitio amorem, amor frequentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia omnium quæ postulaueris à domino Iesu facilem impetrationem. Scientia quippe virtutis cultum præcedit, quia nemo potest fideliter appetere quod ignoras. Cognitio veri & amor recti certissimũ ad felicitatem parant introitũ. Præcedit autem sicut diximus amorem cognitio, cum nemo possit amare veraciter quod penitus ignorat. Propterea dixit ad Patrem in Euangelio Dominus Iesus Christus: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quidnam aliud est illa supercœlestis beatorum spirituum amœnitatis fruitio, quam diuinæ maiestatis cognitio & amor? Salutaris enim scientiæ cognitio annexum sibi habet amorem: nec potest mens intellectualis sempiternæ fruitionis habere consortium, si aut cognitio fuerit sine amore, aut amor sine cognitione. Dæmones quidem mali cognoscunt, sed quia non habent amorem, ad fruitionem quæ ex vtroque & non ex altero nascitur solo minime pertingunt. Amorem vnius summæ veritatis philosophi gẽtiles quidam, & extra Christianismum positi hodie forsitan multi habere videntur, sed quia non cognoscunt Patrem vniuersitatis solum verum Deum, & quem misit ille Dominum nostrum Iesum Christum, in suis cogitationibus euanuerunt, & ad fruitionem summæ bonitatis nequaquam peruenium. Dicit autem ipse saluator noster Dominus Iesus Christus de illis qui ipsum venisse in mundum non cognoscunt per fidem in sancto Euangelio: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Et S. Christophilus: *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo.* Vera enim cognitio ex fide est, & amor ex cognitione. Homo ergo qui non habet fidem, non habet cognitionem. Qui autem non habet cognitionem, non habet amorem. Et qui non habet amorem, non potest habere fruitionem. Hoc est enim quod ipse Dominus Iesus iam ascensurus in cœlum suis discipulis reuelauit dicens: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Prima itaque ad Deum via est scientia siue cognitio per fidem, sine qua nemo saluabitur. Ad hãc veram scientiam o mathematice omnes aliæ scientiæ & studia tua referantur, quod nisi feceris, inani & stulto labore consumeris. Hæc est scientia vera, quæ scientem compunctione & amore afficit non extollit, nec superbientes quos impleuerit sed gementes facit, iuxta illud viri sapientis. Qui addit scientiam, addit & dolorem, eo quod in multa scientia multa sit indignatio. O nunc igitur amice, prouideamus nobis in tempore oportuno, vt studia nostra faciamus bona quando tempus habemus, quemadmodum sanctus dicit Apostolus:

*Vera cognitio Dei, est cognitio Christi. Dæmonum cognitio.*

*Philosophorũ cognitio.*

*Ioan. 3. Hebr. 11. Fides quæ sit necessaria.*

*Mar. vlt.*

Ἰδοὺ νῦν ὁ δεκτὸς χρόνος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας ἡμέρα. αὕτη μὲν ἡμέρα ζωὴν ἄλλην ὑπερέχει, καὶ ἄλλως τρόπως εἰσπράττει. νυνὶ μὲν πιστευτέον, καὶ ὀφθῆναι δ' ἐφέξον τὸ σῶμα χαίρει, ἐὰν δὲ βιλείμεθα τὴν οὐρανὸν ἀναβαίνειν, καὶ συνὼ θεὸν ζῆν τὴν αἰώνιον ζωήν. ἄλλ' μέχρι τοῦ νῦν ἡμαρτήκαμεν, καὶ τοῦ τῆς καὶ τοῦ πρωῒ σκοπὸν ἐλαφαμεν. ἐως ποτὲ ὑπομενοῦμεν ἐν ταῖς ἡμέραις ἁμαρτίας. ἀπὸ τοῦ μὲν τελευταῖον ἀπὸ τοῦ μὲν ἐξ ἀνομίας ὦ ἄγαπητὲ ἀδελφὲ ἰωάννης κατ' ἀλλήλους, καὶ τὸ θεῖ ἱερεῖον ὁμολογοῦμεν τὰ παῖδα ἁμαρτήματα ἡμῶν, καὶ ὁ θεὸς συγχωμῶν ἡμῖν συγχώσεται. ἀλλως δ' εἰς ἀδίκως καθαρισμεθα, καὶ μηδ' ἰμία ποτε ὀπεὶ ἐς ἀ λύτρωσις εἰς αἰῶνα, ἀναγίνωσκε δὲ προφητῶν ἰσαΐαν λαλοῦντα ὑμῖν. λούσθε, καθαροὶ γίνεσθε, ἀφέλεσθε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν μου. παύσασθε ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν. μάθετε καλὸν ποιεῖν, ἐκζητήσατε κρίσιν, ῥύσασθε ἀδικημένον,

*2. Cor. 6.*

*Esaia 1.*

ἀδικήμασιν, κείνατε ὀρφανὸν, καὶ δικαιώσατε χήραν, καὶ δεῦτε, καὶ διελέγχωμεν μὲ λέγει κύριος· καὶ ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, ὡς χιόνα λευκανῶ. ἐὰν δ' ὦσιν ὡς κόκκινον, ὡς ἔριον λευκανῶ. καὶ ἐὰν δίλιτι καὶ εἰσακούσητε μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθαι. καὶ δίλιτι τὸν Ἰωὴλ ὁ κύριος ἐλέγει. ὅπως μὴ ἐξ ὅλης καρδίας ὑμῶν ἐν νηστείᾳ καὶ κλαυθμῷ, καὶ ἐν κοπετῷ διαῤῥήξατε τὰς καρδίας ὑμῶν, καὶ μὴ τὰ ἱμάτια ὑμῶν. ἐλεήμων γὰρ καὶ οἰκτίρμων ἐστὶν ὁ κύριος, καὶ μεγαλῶν ὅπι ταῖς κακίαις. καὶ ὁ χριστόφιλος Παῦλος ἀποστολος τοῖς ἐφεσίοις γράφων λέγει· ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας. πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον λέγει ὁ μακάριος τῶν ἀποστόλων ἀρχὸς ὁ πέτρος. διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν, νήφοντες, τελείως ἐλπίσατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ χριστοῦ· ὡς τέκνα ὑπακοῆς, μὴ συσχηματιζόμενοι ταῖς πρότερον ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ κατὰ τὸν καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον καὶ αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε, διότι γέγραπται· ἅγιοι ἔσεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιος εἰμί. καὶ εἰ πατέρα ἐπικαλεῖσθε τὸν ἀπροσωπολήπτως κρίνοντα κατὰ τὸ ἑκάστου ἔργον, ἐν φόβῳ τὸν τῆς παροικίας ὑμῶν χρόνον ἀναστράφητε, εἰδότες ὅτι οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου χριστοῦ, προεγνωσμένου μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου, φανερωθέντος δὲ ἐπ' ἐσχάτου τῶν χρόνων δι' ὑμᾶς τοὺς δι' αὐτοῦ πιστοὺς εἰς θεὸν τὸν ἐγείραντα αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ δόξαν αὐτῷ δόντα, ὥστε τὴν πίστιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα εἶναι εἰς θεόν. τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε ἐκτενῶς, ἀναγεγεννημένοι οὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς ἀλλὰ ἀφθάρτου διὰ λόγου ζῶντος θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα. Magna vero nobis o amice puritate & sanctitate opus est, si veræ sapientiæ fructus cum beatissimis Christi apostolis in æterna cupimus fœlicitate obtinere. Dicit enim rursus in quadam epistola sanctus Christophilus: *Pacem sequamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* In Leuitico etiam dixit ad Mosen Dominus: *Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, & dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester.* Quid autem sanctitas esse putanda sit, Dionysius Areopagites in duodecimo de diuinis nominibus capite non tacuit, *Sanctitas*, inquiens, *est (vt secundum nos loquamur) omni scelere libera perfectaque, & penitus intoinquinata munditia.* Deus noster sanctus est, nos autem peccatores & immundi. Cum ergo inter dissimilia non fiat vnio, quomodo inter Deum & nos concordia fiet? Audiamus diuinum doctorem S. Augustinũ *Nullus*, inquit, *sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus & sanctus, cum affectu teneat sanctitatem.* Dicit enim scriptura: *Septies in die cadit iustus, & resurget: impii autem corruent in malum.* Si cadit, inquit Hieronymus, quomodo iustus? si iustus quomodo cadit? Sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Et non solum septies, sed etiam septuagies septies delinquenti, si conuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. Et quamuis nemo fiat sanctus viribus suis, cum non sit volentis neque currentis sed miserentis Dei: voluntas tamen nostra bona ad nostri sanctificationem necessario requiritur, vt Dei gratia in nobis sanctitatem operetur. Quoniam quidem sicuti neque sine muliere vir, neque sine viro mulier ex se hominem procreat, ita nec voluntas hominis bona sine gratia Dei, nec sine voluntate ipsius hominis bona diuina miseratio quemquam sanctificat. Liberum arbitrium donauit homini Deus, quo habeat voluntatem in sua potestate, non vt bonum à se possit quod vult, sed vt vel à quod posse donauerit ipse. Vnde & sacer Christophilus dixit: *Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio.* Cur hoc o diuinorum sancte speculator, cum nihil adeo bonæ sufficiat voluntati sicut ipsa sibi? Sed non est, inquit volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Hanc Pauli sententiam multi carnaliter sapientes non sane intelligunt, propter hoc vel maxime, quod subiunxit. Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat. Carnalibus nimium circumcincti ad faciem cordis velaminibus turbantur, & plerunq; de miseratione Dei clemẽtissimi desperare videntur, quasi diuina voluntas nostræ sit causa damnationis, & non potius ipsa voluntas nostra propria, quam illi conformare contempsimus. Quem enim indurat Deus, propriæ voluntatis auersæ demerito indurat: & quem saluat vtique propriæ voluntatis conuersæ bonitate saluat. Tuæ voluntatis est currere, Dei bonitatis est saluare. Non saluabit te gratia, si tua voluntas fuerit otiosa. Impossibile namque est bonam non saluari voluntatem. Sed & ipsa donum Dei est, quoniam nec velle bonum nec perficere sine gratia Dei possumus. Deus autem benedictus qui vult omnes homines saluos fieri: misereri nobis, & dare gratiam semper quidem paratus est, mens vero nostra carnis nimium delectata commertio, quoties in peccatum auertens se à summo bono prolabitur, toties nubem reatus interponit, qua gratia miserentis Dei alioquin semper prompta, in ea minime operetur. Enimuero quemadmodum ad solem conuersus lunæ globus illius splendore luminosus ac lucidus efficitur, & quanto plus appropinquauerit directæ oppositioni, tanto magis illustratur. Quod si terræ corpus interuenerit, ecclipsim mox luna patitur, & inuolutionibus obfuscatur. Sic mens nostra ad Deum per voluntatem bonam & interni desiderium amoris conuersa pulcherrimis atque dulcissimis gratiarum illustrationibus perfunditur, & in sancto speculationis acumine mirifice roboratur. Mox vero vt peccati nubes interceſſerit, se lumen illud indeficiens abscondit. Præoccupatum namque secularibus siue carnalibus desideriis animum, Dei gratia nequaquam illuminat. Neque misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, ima summis, impura-

Toel.2.

Ephes.6.

1. Pet.5.

Marc.13. Galat.2.

Hebr.12. Leui.19.

Sanctitas quid.

Sancti & iusti nõ sunt sine peccato.

Rom.9.

Liberum arbitrium quatenus homini datum sit. Rom.7.

Deus non est causa nostra damnationis.

im puraque sanctissimis, cœlestia terrenis, vt pariter mens sapiat quæ sursum, & quæ super terram. Vale Capellerie, scientiisque insuda salutaribus, quarum fructus in cœlo promittitur, & finis nulli vnquam fini obnoxius habetur. Iterumq; vale. Ex Colonia 18. die mensis Iulii, Anno 1505.

## XXIIII.

### *IOANNES TRITEM. IOANNI STEINEMOEL presbytero Mechilinienſi S.*

OBlata mihi ad te scribendi oportunitas est per hunc virum tibi & notum & vt asserit singularitate cuiusdam necessitudinis iunctum, qui istinc ad Mechiliniam erat transiturus. Scribimus itaq; vt scias, quid nobis de tuo ad nos reditu ordinandum videatur, ne cursus in vanum. In primis ergo notū tibi facimus, quod ratione belli anno circa nos priore sæuientis res nostræ collapsæ sunt, & cæcutiente fortuna grauis in nos æmulorum exorta inuidia, cui locum dare ad tempus causa persuasit, vt vel ipsi melius deliberent inimici, vel nos amicorum consilio rebus nostris alibi prouideamus. Sumus itaq; ituri in Marchiā Brandenburgensem cum eius sereniſſimo principe hic iam in cōuocatione regia præsente, qui id multis à nobis vicibus pridem literis & nunciis, nunc autem verbis coram desiderauit. Ibimus autem de nostro penitus reditu incerti, propterea quod graui nostrorum accepta contumelia nihil minus quam reuerti ad Spanheim cogitemus, nisi aliter diuina ordinauerit voluntas, cui semper subiecta & consentiens nostra debet esse infirmitas. Tu ergo ad Spanheim reditum differas oportet, quousq; audieris nos illo tandē reuersos, nisi forsitan viam sexaginta miliarium frustra velis peragere. Vincētii tui rebus propter inquietudinem temporum intendere nequiuimus, nec enim cordi nobis amplius possunt, cum tu vane iactabundus nimium, ea quę susceperis à nobis philosophiæ secretioris archana, pro turpi lucro, vt facti sumus certi, venalia circumferas, magnum te esse quempiam arbitrans, pro eo quod Tritemii te possis gloriari fuisse discipulum. Non est hæc veræ sapientiæ via, mi Ioannes, nec tuam decet ætatem spem in vanitate locare, & pro vilis æstimationis pretio margaritas proiicere porcis. Magna quædam de nobis prædicas, vt magnus ipse in æstimatione populi habearis, & dum veræ laudis normam prætergrederis, grauem nobis iniuriam facis, vetustissimi oblitus prouerbii: *Lauda parce, vitupera parcius.* Displicēt nobis tuæ laudes vehementissime, quia vituperia sunt potius nostri quā laudationes. Non enim omnium est hominum archana intelligere naturæ, & in rebus notis prętер communem aliquid latens vsum eruere. Cum tu vero aliqua de nobis polliceris, quæ non intelligant cæteri, quid restare credis o senex aliud, nisi quod dicturi sunt nos aut superstitionibus deditos, aut vanitatibus immersos. Non ea cōditione te à nobis introductum scimus: sed quia tu interpositam transgressus es legem æquitatis, quid in maioribus faceres nobis fuerit rationabiliter præuidendum. Cessa igitur ab his vanitatibus te hortamur, & cogita ministrum te esse Iesu Christi ac senio maturum, quem non deceat vanitatibus gloriam aucupari mortalem. Vale nostri memor ad Deum. Ex Colonia 20. die mensis Iulii. Anno Christianorum 1505.

## XXV.

### *IOAN. TRIT. ABBAS SPAN. IOANNI BRACHTIO monasterii S. Matthiæ S.*

CREDO te minime latere, amicorum decus, eam tribulationem, quam in me suscitauit hostis ille malignus, qui inuidiæ telo armatus primos de paradiso innocentiæ homines eiecit. Me quoq; de monasterio meo non quidem inuitum, sed recordatione iniuriarum volentem expulit, & menti meæ nauseam atq; horrorem quendā prioris loci, quē tenerrime amaueram, induxit. Viuo iam hic quadam necessitate curialis, iturus propediē cum sereniſſimo principe Ioachim Brandenburgensium Marchione Romani Electore Imperii ad fines Saxonū, & tarde forsitan rediturus: quo interea mota in me aut cesset persecutio, aut si mei absentia sumpserit vires, matura nobis prouidentia præstet remedium. Domini enim est terra & plenitudo eius, cuius immēsa potestas, & penitus inexhaustæ pietatis miseratio, à quo nobis vbiq; auxilium in tempore oportuno affuturum confidimus, & de eius protectione nullatenus dubitamus. Te autem frater in Christo amate rogamus, vt Deum orare pro nobis in hac maris inquieti commotione incessanter digneris, quatenus

tenus bonum quod nostra consequi merita nequeunt, tuis precibus per Dei misericordiã nobis concedatur. Scio enim quod oratio humiliantis se nubes penetrat, & vacua nõt c-
*Matth. 7. Luc. 11.* uertetur, saluatore nostro in sacro promittente Euangelio: *Petite*, inquit, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Omnis. n. qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Nã sicut apostolus Christi Iacobus dicit: *multũ valet oratio iusti assidua.* Nec tua pro nobis oratione fusa carebis, dicente Papa Gregorio: *Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur, & pro semetipso citius exaudiri meretur, quanto deuotius pro aliis intercedit.* Pro se namq; orare, Chrysostomo teste necessitatis est, pro aliis autem
*Orandum esse pro inimicis.* fraternæ charitatis. Dulcior autem ante Deũ est oratio, non quã necessitas transmittit, sed quã charitas fraternitatis cõmendat. Et sanctus præsul Ambrosius: *Si pro te rogas tantum, pro te solus orabis, si autem rogas pro omnib. pro te quoq; rogabunt omnes.* Oratio vero tunc perfecta est & facile impetrat optatum, vbi causa clamat, & lingua, & cor, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio tota, sicut & Menander paucis exprimit dicens. τὴν ἐυχὴν δ' ἀγαθὸς ἐκ ἀνθρώπου λάβοις. Id est: *Iustæ orationis exauditor est Deus.* Magna aũt ille voce clamat ad Dominũ, qui etsi linguata caret, bonis tamen operibus perseueranter clamat. Talem te cum sciamus oratorem puritate mentis insignem, & vita sanctum, te iterum atq; iterum rogamus ora pro nobis & vale. Ex Colonia 22. die mensis Iulii. Anno Christianorum 1505.

## XXVI.

### *IOAN. TRIT. ABBAS SPAN. IACOBO KYMOLANO theologo salutem.*

ARNOLDVS Bostius Concarmelita quondam tuus in Conuentu tuo Gandensi, vir meo iudicio doctus & sanctus, cum te nimium astronomiæ sæculariumq; literarum studiis deditũ cerneret dehortari consueuit, & vt magis te ad scientiam conferres diuinarũ scripturarum, pia sedulitate admonere. Vnde & me literis suis dulcissimis, quarum beneficio vt nosti semper fuit largissimus aliquoties rogauit, quatenus te per epistolam à nimia & curiositate & vanitate sæcularium studiorum corrigerem, & ad veram sapientiam, quæ in sacris literis continetur, omni studio prouocarem. Verebatur enim vir optimus, ne mẽs tenera lenociniis musarum semel dulciter infecta, in delectationem mundanæ sapientiæ, quæ stultitia est coram Deo, paulatim rueret, vnde in nauseam postea, sicut multis contigit, diuinarum scripturarum perueniret. Ego autem qui iusta postulanti miro eius deuinctus amore non poteram negare consensum, feci pro viribus quod hortabatur. Scripsi ad te, non me pœnitet, prolixam satis epistolam, in qua vt nosti & sæcularis literaturæ scientiam deficiente spirituali sapientia vanam, & sacræ intelligentiam scripturæ sine notitia philosophiæ sæcularis, multimoda ratione ostendi nobis esse difficilem. Tandẽ in fine cõclusisse me memini, non plus scientiæ mundanę viro claustrali necessarium, neq; amplius desiderandum, quam diuinarũ scripturarum intelligẽtia requirit. Nam sicut beatus Ambrosius ait: *philosophia quæ est circa elementa mundi, qualis est astronomia, magis est falsa quam vera sapientia. Scrutatur enim plagas mundi, & spatia rimatur, quæ sibi prodesse nihil possunt.* Vnde etiam sanctus abbas Clareuallis Bernardus his pene similia dicit in canticis. *Philosophorũ vento sa loquacitas non bonus est imber, qui sterilitatem magis intulit terris quam fertilitatem. Vinũ quoque sapientiæ sæcularis inebriat quidem, sed male, quoniam non ædificat mentem sed inflat, & vias celestis sapientiæ præludit.* Pudet me horum temporum, in quibus pudicissima virgo philoso-
*In Ecclesia verbum Dei & non philosophia doceri debet.* phia nostra cœlestis, quam græco vocabulo Theologiam vocamus, vsq; adeo quarundã meretricularum societate violenta corrumpitur, vt pene nusquã ornata videatur. Quasi nobis ad studium cœlestis doctrinæ minus sufficiat Euangeliũ Christi, desintq; ad fidei nostræ confirmationẽ diuinarũ testimonia scripturarum, vt in omni pene sermone ad Christianos de fide, gentilium sit necesse opiniones introducere sapientum. Quantum ad fidei Christianæ institutionem pertinet, Euãgelium Christi saluatoris abunde sufficit. quia sicut diuus Bartholomæus apostolus ab Ariopagita Dionysio in theologia mysticaintroductus ait, & latum & magnum est, rursusq; concisum. Magnum est Euãgelium Christi, quia omnem continet disciplinam sapientiæ cœlestis: latum est, quoniam quicquid ad confirmationẽ sacrosanctæ fidei Christianorũ videtur necessarium abundantissime docet: rursusq; concisum, quia nihil continet inutile, nihil in eo reperitur superfluum. Hanc Euangelii Christi sufficientiam legis & prophetarum vaticinio promissam, doctrina quoque & prædicatione apostolica luculentissime explicatam, vetustiores sanctæ recordationis integerrimi doctores optime intellexerunt, qui in declamandis ad populum sermonibus,

sacro-

sacrosanctam Christi doctrinam, promissa quoq; prophetarum, & apostolorum sanctiones in medium produxerunt. Nostri autem concionatores maiore in numero, purissimos Dei sermones Aristotelicis Iulianisque intermiscent opinionibus, crebrius philosophos gentilium quam Christi Apostolos allegantes. Proh pudor, tam celebris facta est verbi Dei præconibus peripateticorum auctoritas, vt in cathedra Christi crebrius Aristoteles citetur in medium quam Paulus aut Petrus sacratissimi principes apostolorum. Quid talium sermones simplici & indocto Dei populo proficiunt, in quibus ad ostentationem totum, ad compunctionem vero nihil inducitur? Ad scholas Gymnosophistarum istæ meretriculæ gentiliumq; traditiones remittendæ sunt, vt in schola Christi nihil aliud quam doctrina Christi pura & immaculata prædicetur. Furfures enim purissimæ farinæ cõmiscuit, quisquis hunc prædicandi modum primus adinuenit. Reuolue precor omnium sanctorũ patrum sermones veterum, simul & celebratissimas eorumdem homilias, & vide si gentilium philosophorum furfures inuenias farinæ commistas Christianæ puritatis. Disquire obsecro quam diligentissime Origenis, Hippoliti, Cypriani, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, Maximi, Seueriani, Augustini, Fulgentii, Gregorii papæ, Isidori, Bedæ, Rabani, Albini, Haymonis, Petri Damiani, Anselmi, Bernardi, aliorumque veterum sanctissimorum patrum homilias atque sermones, & non inuenies aliud in eis quam Christi doctrinam veram, solidam, puram, & ab omni fermento gentilium translationum alienam. Non ibi allegatur peripateticus ille Aristoteles, non Porphyrius apostata, non Plato, non Auerrois, non Cicero, non denique ex reliqua cohorte gentilium quisquam, sed ipsa duntaxat Dei patris sapientia Christus Iesus, ipsiusque summæ veritatis Apostoli, sancti patriarchæ atque Prophetæ. Indignum plane (meo iudicio) genus docendi, vt in schola Christi, quasi pro dictorum spiritus sancti confirmatione, illorum audiantur nomina recitari, quorum spiritus absque amb guitate à Christo penitus sunt alieni. Non enim cognouerunt Dei sapientiam ipsius mundi sapientes, & propterea in suis vanitatibus turpiter euanuerunt. Sunt inter Christianos alioquin scioli, qui nimia temeritate præsumptuosi, ausint confirmare Socratem philosophum, tam in vita quam in morte atque doctrina, Saluatori nostro præstitisse figuram, comparationem illius ad Christum faciẽtes nimis absurdam, proteruam, & Christianis auribus nullatenus tolerandam, quasi à cultura idolorum fuerit alienus, qui iam moriturus, vt Plato in Phædone meminit, vltimum verborum suorum tale dixit: *O Crito, Æsculapio gallum debemus, quem reddite, neque negligatis.* Sed esto quod nullus mortalium nouerit consilium Domini, neque per hoc tantorum virorum certa possit à nobis in medium afferri damnatio, maxime qui Christi saluatoris nostri natiuitatem in carne præcesserunt, quæ sermonum Dei concionatorem impellit necessitas, vt in Ecclesia sancta, quæ Christianorum est schola, verba gentilium & Christi ignorãtium philosophorum cum doctrina intermisceat summæ veritatis, cum sacra nobis scriptura ad Christianæ institutionem vitæ abunde sufficiat, nec opus sit aliunde quicquam mutuare. Stultus autem est omnis prædicator, si doctrinã Christi gentilium dictis philosophorum existimat decorandam, de qua sanctus propheta cecinit dicens. *Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiã præstans paruulis.* Et iterum: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.* Ipse quoque Dominus noster Iesus Christus in Euangelio & Ioannem dicit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quæ ergo conuentio mortis ad vitam, aut quæ comparatio lucis ad tenebras? Si verba Christi spiritus sunt & vita, profecto non sunt eis verba non in Domino mortuorum commiscenda. Sed audi quid Firmianus dicat Lactantius. *Diuina, inquit, eruditio dialecticam, in qua omnis loquendi ratio continetur, non desiderat, quia non in lingua sed in corde sapientia est: nec interest quali vtare sermone, vbi res quæruntur non verba.* Et nos non de grammatico aut oratore, quorum scientia est, quomodo loqui deceat, sed de sapiente disserimus cuius doctrina est quomodo viuere oporteat. Quod si neque physica illa ratio necessaria est, adhæc neque logica, quia beatum facere non possunt, restat vt in sola ethica totius philosophiæ vis contineatur, ad quam se abiectis omnibus Socrates contulisse dicitur, in qua etiam parte quoniam philosophi errauerunt, qui summum bonum cuius cupiendi gratia generati sunt, non comprehẽderunt. Apparet ergo falsam esse & inanem omnem philosophiam gentilium, & ob id sacris Christi doctrinis nullatenus commiscendã, quia nec instituit ad iustitiæ munera, nec officium hominis rationesque confirmat. Concionatoris autem in Dei Ecclesia constituti officium est, legem & doctrinam Domini nostri saluatoris Iesu Christi populo fideliter proponere, compunctionem & deuotionem mentibus auditorum inculcare, eosque ad

*Aristotelici concionatores.*

*1. Corint. 1.*

*Socrates impie cõferitur cum Christo.*

*Psal. 10. Psal. 11.*

*Ioan. 6.*

*Lex & Euangelium populo proponi debent.*

iustitiæ obseruantiam,& internum Dei amorem totis viribus inflammare. Hoc autem fieri aliter quam doctrina Christi non potest, quia sanctus Dei spiritus gratiæ suæ dona nō influit,vbi non Christi verba,sed gentilium stultitiam offendit. Non legimus quempiam nostrorum ex sermone gentilium philosophorum testimoniis confirmato,gratiam cecepisse spiritus sancti,aut internæ compunctionis vnquā sensisse suspiria. Sua enim Dei spiritus fœcundare semina consuecuit non aliena, suos Dei Filius virtutis infusione cōfirmat sermones,non philosophorum gentilium vaniloquia. O priscorum sæcula patrum aurea, quando spiritus sanctus per eos sua verba loquebatur ad populum,non illi propria vel aliena,quia tunc reuera mentibus auditorum gratiam suam contulit, quādo sua in eis semina proiecta non gentilium agnouit. Sancti etenim prædicatores,diuini spiritus inspiratione ardentes, verba ad populum Dei cum humili sinceritate loquebantur ignita,quorum illi ardore succensi ad omnem mandatorum Christi obseruantiam voluntarii reddebantur atque fortissimi. Verba tunc quidem prædicatorum gratia spiritus ignita, mentes & corda populorum parauere flammantia,egitque tum miseratio Dei multa inter Christianos miranda,præstans vtrisque,prædicantibus videlicet simul & audientibus virtutum omnium incrementa. Ad pœnitentiam subito peccatores conuertebātur, incredibilis gratia compunctionis mentes auditorum imbuit:amor quoque Dei feruens candensq; dulciter corda omnium incendit,& terrenorum inducens contemptum ad quarumcunque tolerantiam tribulationum pro Christi amore fortiter armauit. Erat enim sermo doctorum tunc omnium Christianus,simplex,purus & integer, non gentilium opinione fœdatus,non confusa quotarum allegatione cicatricosus,neq; fabulis,& risum mouentib.verbis interruptus,aut curiosis inutilibusq; cauillationibus turgidus, seu ad vanam æstimationem prædicantium excogitatus. Horum te patrum imitatorem esse decet o Kymolane, qui veræ amatores sapientiæ,non suam sed Christi gloriam,& auditorū vtilitatē in omnibus quæsiuerunt. Caue imitator fias eorum qui non Christum prædicant modo Christiano,qui vel gloriam quærunt ab hominibus,vel commodum rei temporalis. Ad veram te philosophiam,quæ Christum Dei virtutem & sapientiam profitetur,prædicat,amat,laudat,imitatur,que,præcinxisti, in eius oportet fideliter dilectione permaneas, vt fructum sempiternæ fœlicitatis accipere merearis. Venire autem ad veram sapientiam nequeunt, qui falsam imitantur. Et quænam est sapientia falsa, nisi quæ huius mundi amatoribus esse magna videtur? Hæc est sapientia mundi, diuino teste Gregorio, cor machinationibus tegere,sensum verbis velare,quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hanc qui sciunt,cæteros superbiendo despiciunt, hanc qui nesciunt subiecti & timidi ipsam in aliis mirantur. Hæc sibi obsequentibus præcipit bonorum temporalium culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, malum pro iniuriis reddere, huiusque vitæ commoda vehementius amare. Nostra vero sapientia est,o Kymolane,nil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere,mala libentius tolerare quam facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum æstimare. Timor autem Domini,sicut ait scriptura, initium sapientiæ est. Beatus homo qui sapientiam inuenerit veram, & cui prouidentia affluxerit Christiana. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti. Primi & purissimi fructus eius, quia pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur ei nequeunt comparari. Vera etenim sapientia est, cuius mens illustrata fulgoribus, & verum quod amet intelligit, & bonum amat quod cognoscit. Exemplum sapientiæ à sole capiamus, vt inter cognitionem & amorem possimus discernere. Sol non omnes calefacit quibus lucet, & sapientia multos quidem docet quid sit faciendum,non tamen continuo accendit omnes, vt bonum velint opere adimplere quod nouerunt. Nam sicuti aliud est multas scire diuitias, aliud possidere, neque notitia diuitem facit sed possessio diuitiarum, ita multa scire ac sapienter intelligere non vere sapientem facit, si operum exhibitio non sequatur. Omnis enim sapientia nostra in hoc vno consistit, vt cognoscamus DEVM, ipsumque rite colentes super omnia, quia summum est bonum, totis viribus diligamus. Hæc est philosophia Christianorum,hæc sapientia certa fidelium,ad quam omnes aliæ scientiæ principaliter sunt referendæ. Hæc est consummata sapientia, quam omnes gentilium philosophi in tota sua vita quæsiuerunt, nec vnquam inuenire, comprehendere, aut tenere potuerunt, quia religionem aut praua retinuerunt,aut omnem penitus sustulerunt. Quisquis autem huius perfectæ sapientiæ familiaritatem obtinere meruerit,vere sapiēs est, ciq; deinceps quicquid ingenii & laboris

*Sancti patres prædicauerunt etiā legem & Euangeliū.*

laboris poterit libenter impĕdit: contemptisque omnibus publicis & priuatis actionibus, ad huius se contemplationis studium conuertit. Arbitratur enim nec fallitur certe, multo esse præclarius diuinarum humanarumque rerum inuestigare ac scire rationem, quam peritus struendis opibus, aut vanis accumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenæque sunt, & ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior effici potest. Neque enim alia sapientia est quam veritas, in qua tenetur & cernitur summum & incommutabile bonum, quod in nullo est loco, & nusquam deest, quia vbique est totum. Hæc nobis sola philosophandi causa est, beatitudinis desiderium. Est autem mentis nostræ vera beatitudo summi & incommutabilis boni fruitio, quæ ex cognitione & amore veritatis suboritur. Veram nuncigitur, ô Kymolane, quæramus sapientiam, quæ in sola fide Domini nostri IESV CHRISTI formata consistit, sine cuius cognitione & amore nemo beatus euaserit vnquam, sicut S. præsul Augustinus in quodam loco dicit: Nā qui sine saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia quæ est Christus, æstimat se prudentem fieri posse, non sanus sed æger, non sapiens sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & fatuus in tenebris ignorantiæ permanebit. Ad veram sapientiam Christus via est, fides itineris dux, custos intemerata humilitas, decor & indumentum omnium terrenorum contemptus. Ad hanc sacer nos Christophilus cohortans ait: *Nemo fratres seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum, & Dei sapientia contemnitur ab his qui gloriantur in sapientia vanitatis.* Bonus Christianus, amator Dei, contemptor mundi, hostis vitiorum & cultor virtutum, vere sapiens est, etiamsi omnem mundi sapientiam penitus ignoret, cui nihil est alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quocunque accesserit sua secum omnia fert, & totus mundus ei possessio est, quoniam eo toto sicut suo vtitur. Metu non frangitur, nec potestate mutatur, non extollitur prosperis, nec tristibus deprimitur. Vbi enim vera sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, ibi fortitudo. Sapiens in Christi amore fundatus semper idem est, non minuitur, vt Ambrosius ait, neque augetur mutationibus rerum, nec vt patuulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens igitur defectus rerum ignorat, & varios animi nescit affectus, sed fulget sicut sol iustitiæ sine macula coram Deo & hominibus. Vt vero tales euadamus, ô Kymolane, summa laborandum cura, quoniam maior & miserabilior cura non est, quam rebus intendere vanis, terrenis atque caducis, quæ animæ non solum nihil confert boni, sed maximo afficit potius malo. Discamus vtilia & necessaria, quorum cognitio beatitudinem repromittit: nec imitemur illos qui necessaria nesciunt, quoniam superflua didicerunt. Vale. Ex Colonia 22. die Iulii. Anno 1505.

*Sola fides in Christum iustificat.*

1. Cor. 3.

## XXVII.

### *IOAN. TRITH. IOANNI CANTHERIO FRISIO medicinæ doctori salutem.*

QVOD tibi prospere succedant omnia, vt vero congaudemus amico, hoc in primis admonentes, quatenus sic transeas per bona temporalia, vt non amittas æterna. Accepisti vxorem, non peccasti, sed tamen vendidisti libertatem. Res enim vxoria & philosophandi libertas non se mutuo patiuntur in homine vno. Scribis enim; *vxorem duxi iuuenculam pulchram, nobilem, & optime morigeratam.* Auis rara mulier pulchra, nobilis, & bene morigerata. Et iuxta Euripidem in Medea:

ὑπερμεγίστη γίγνεται σωτηρία,
ὅταν γυνὴ πρὸς ἄνδρα μὴ διχοστατεῖ.
*Permaxima, inquit, facil a est salus,*
*Quando mulier contra virum non dissentit.*

Pulchritudo enim mulieribus frequenter consuevit afferre superbiam, ex qua ortū dissensio & temeritas contra virorum imperia sumit, sicuti Menander ait:

ὑπερήφανον πρᾶγμ' ἔστιν ὡραία γυνή.
*Superba res est pulchra mulier.* Et alius quidam mulierum importunam temeritatem pulchre notauit dicens:

πᾶσα γυνὴ χόλος ἔστιν· ἔχει δ' ἀγαθὰς δύο ὥρας.
τὴν μίαν ἐν θαλάμῳ, τὴν μίαν ἐν θανάτῳ.
*Omnis mulier ira est, habet autem bonas duas horas*
*Alteram in thalamo, & alteram in morte.*

Id est, vnam quando dormit, & aliam quando mortua iacet, quia neminem lædit, ne minem offendit, nec vtitur conuitiis. Vnde est & illud Menandri.

γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσον ἔστιν ἢ γαμεῖν.

*Mulierem*, inquit, *sepelire melius est quam ducere in vxorem.*

Vnde cum difficilimum sit vxorem inuenire bonam, tibi vehementer congaudemus, talem te reperisse, de qua tibi optima quæque persuadere possis. Reliquum est, vt sanctus Christophilus ait, *qui habent vxores, tanquam non habentes sint; quia præterit figura huius mundi, & nihil inter mortales diuturnum.* Ea quæ circa nos anno priore gesta sunt in Repub. mala, nostris absque dubio peccatis exigentibus, tibi breuiter vt poterimus, in quantũ notos tibi concernunt siue amicos, intimare operæprecium æstimauimus. Anno Christianorum proxime transacto, videlicet millesimo quingentesimo quarto, in mense Maio multi Germaniæ principes iubente Maximiliano Rege nostro conspirantes aduersum Philippum Comitem Palatinum Bauariæq; ducem, & Romani Electorem imperij, grauissima in rem eius publicam, tam hic in nostro circuitu, quam in Bauaria bella gesserũt. Inter Wormatiã & Creutzennach, simul & ab alia parte Rheni, quicquid sub ditione fuit Palatini extra ciuitates & castella, Hassonibus in prædam cessit, qui nulli parcentes villas cum ecclesijs & multis & pulcherrimis pene omnes in circuitu ignibus consumpserunt. Nostri quoque monasterij cortes siue grangię meliores, & pene omnes, de quibus omnem substantiam nostram habere consueuimus, aut perierunt, aut Hassonum incursu penitus desolatæ sunt. Maxima ratione huius belli sustinuimus incommoda, quibus in vltimam pene compulsi sumus egestatem. Monasterium illud insigne Lympurg, in quo tu quondam docendi munus peregisti, tricesima die mensis Augusti anni præscripti iniectione ignis per satellites Comitis Duroburgii * combustum est & penitus desolatum. Per continuos enim dies duodecim durauit incendium, exeuntibus quotidie ministris Duroburgium, & semper nouum, ne quid remaneret ignem supponentibus. Ecclesia cum omnibus altaribus, campanis, tabulis, atque picturis funditus exusta est. Et breui complectar vt omnia, domus vniuersæ cum omnibus structuris eo incendio in fauillam redactæ sunt, & præter lapides nihil omnino remansit. Abbas hic in Colonia est, qui regis contra Comitem implorat auxilium, sed necdum obtinuit quicquam. Monachi vero eius hinc inde ad diuersa cœnobia propter inopiam dispersi sunt. Rogerius noster adhuc viuit sanus suoque philosophatur more, cuius monasterium manet integrum, quamuis incommoda quoque susceperit multa. Mei quoque cœnobii fratres, exco tempore quo tu nobiscum fuisti, plures vita sunt defuncti, quosdam etiam pellente inopia, quam nobis tribulatio memorata induxit, ad alia monasteria misimus, ita quod in loco iam pauci remanserunt. Sed nec mihi pepercit liuor hominum impiorum, quem propterea persequuntur, quod Palatini principis ac defensoris mei partibus necessario adhæserim. Sed Dominus Iesus qui nouit omnia priusquam fiant, ipse mihi erit adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo. Vale sanus. Ex Colonia 24. die mensis Iulij. Anno 1505.

*Belli Bauarici crudelitas.*

** Hartsburg.*

## XXVIII.

*REVERENDO IN CHRISTO PATRI, DOMINO ET MAIORI SVO, Iohanni Trithemio Abbati Spanhemensi, humilis Christi famula Richmodis de Hoerst, pauperum sororum Deo famulantium in Sebach ministra inutilis, cum orationibus continuis æternam precatur salutem.*

AVDIO te, pater mihi semper in Christo Reuerende, gratiam multorum habere principum, & maxime Domini Archiepiscopi Colonienſis, quod etiam diu antea cognoui, vnde compulsa necessitate humilima te supplicatione precor vna cum sororibus meis vniuersis, vt nostri memor esse digneris pauperum filiarum tuarum, quas lacte cœlestis doctrinæ pascere consueuisti. Duro enim & importabili iugo Comitis premimur, & seruitute continua contra iustitiam in vltimam deducimur paupertatem. Duodecim ante hac vicibus in anno tantum & vindemiali tempore solum currum patri eius cum equis tribus mittere ad seruiendum consueuimus, nunc autem ad eius imperium, bis aut ter in qualibet pene hebdomada currum à nobis cum quatuor equis ad seruiendum exigit, & hoc nostris expensis, imo violenter compellit familiam nostram carcerem minitans & necem. Diem à die non discernit, nec alicuius festi reuerentiam custodit, sed in construẽdo castello suo circa nos Duroburgio, tam festis quam alijs diebus indifferenter homines fatigantur simul atque iumenta. Nam in festo dominicæ Ascensionis, Pentecostes quoq; Trinitatis, Corporis Christi, dominicis, & cæteris quibuscunq; operarios semper habet in muris,

muris. Nouit paternitas tua nostram paupertatem, & nimis exilem fore substantiam temporalem, qua tantam personarum Deo famulantium multitudinem diutius alienis grauatæ seruitiis enutrire nequaquam sufficimus, nisi de remedio nobis fuerit prouisum. Rogamus ergo flexis in terram genibus omnes, vt si tuæ videatur paternitati consultum, ad Archiepiscopum Colonienſem pro nobis loquaris verbum aliquod bonum, & in vtilitatem nostram conducibile, quatenus ipse pro nobis ad Comitem interueniat, suaque intercessione tam graue iugum Pharaonis à nostris ceruicibus soluere, vel mitigare saltem aliquatenus procuret. Mitto cum harum baiulo literarum procuratorium in causſa mea cum fratre, sicuti mihi præcepisti. Tu precor cætera sic ordinare velis, vt paterna mea hæreditate non priuer penitus. Vale feliciter. Datæ ex Sebach, Anno 1505. Iulii mensis die 24.

## XXIX.

### *IOANNES TRIT. ABBAS SPAN. ROGERIO SYCAMBRO fratri dulciſſ.*

DIE mensis Iulii huius 18. mane circa decimam horam Sereniſſimus Monarcha noſter Maximilianus Romanorum Rex Coloniam armatus exiuit cum principibus multis, in tuos expeditionem acturus Sycambros. Nauigio per Rhenum deſcenderunt armati omnes, aciem versus Arnhom Gelrenſium tuorum oppidum in primis dirigentes, q̃ regius iamdudum exercitus dura obsidione vallauerat. Erant aũt qui cum Rege nauibus deſcenderant iſti principes cum miniſterialibus suis, Ioachim Brandenburgenſium Marchio princeps meus Elector. Fridericus Marchio patruus eius qui moratur in Anholtzbach. Lodouicus primogenitus Philippi Comitis Palatini Bauariæque ducis, Principis noſtri electoris. Fridericus Saxonum dux Princeps Elector. Ioannes frater eius Saxoniæ dux. Georgius dux Saxoniæ. Item dux Magnopolitanus: Dux Brunſuicenſis. Dux Luneburgenſis. Dux Iuliacenſis. Comes Haſſonum, & multi alii principes, duces & comites, quorum non obſeruaui nomina. Venientes ad Arnhom * ſtatim oppidani ſe regi tradiderunt, perculſique metu Sycambri omnes in deditionem Regi Maximiliano iurauerunt. Sed & dux ipſe Gelrenſium conditiones regias acceptauit, & reddita eſt pax in terra hominibus diutius interrupta. Die vero Iulii 28. reuerſus ad Coloniam Rex vna cum principibus, eodem quo exierat ordine & apparatu intrauit. Poſtera die omnes per totam Coloniam pulſabãtur campanæ in multam horam, pacis & concordiæ congratulationis cauſa. Hæc ſunt cũ tuis acta Sycambris, quorum te nolui latere ſeriem. Sunt autem complures qui non credant ſeruaturos Regi promiſſa Sycambros, propterea quod ſit gens facile iuramenta contemnens, & ſemper ad noua promptula nimis. Inter Archiepiſcopum vero & ciues Colonienſes, adhuc non conſtat aliqua concordia facta, quamuis pluries fuerit tentata. Hæc ſunt Rogeri quæ hac vice nobis ſcribenda videbantur. Nos etiam propediem literas ipſas Neometim ſubſequemur. Vale & ora pro nobis. E Colonia 29. die menſis Iulii Anno Chriſtianorum 1505.

* *Arnheim.*

## XXX.

### *IOAN. TRITHE. AB. SPANHEMEN. IOANNI CAPELLE-rio mathematico S.*

DIES iam inſtant mei à Colonia receſſus, quo circa ſi venire ad nos piget, vale. Hodie mane ſereniſſimus princeps meus Ioachim Marchio Brandenburgenſium Coloniam exiuit, per Weſtphaliam & Saxoniam reuerſurus in ſua. Quem ego poſt triduũ ſubſecuturus ſum expeditis prius in Cancellaria regia quibuſdam literis & negotiis perſonam meam concernentibus. Rogamus itaque ſi fieri poteſt, vt priuſquam hinc abeamus, ad hue ſemel nos inuiſes, quatenus nos mutuo valedicere in charitate fraterna poſſim⁹, maxime cum ſciamus minime, an deinceps vnquã nos mutuo videbimus in carnali viſione. Sum enim iturus in Marchiã Brandenburgenſium, incertus omnino de reditu, propterea vel maxime, q̃ contumeliis æmulorum grauiter nimium offenſus redire ad Spanheim nõ facile me ſciã poſſe perſuaderi: quamuis ſi vellẽ in promptu eſſent cõplures, qui has contumelias inſigni vindicta vindicarent. Ego vero mihi dudum perſuaſi præceptis obediendũ dominicis, & iniurias non eſſe vindicandas: quin illud Apoſtolis dictum à Domino Ieſu potius imitabor: *ſi vos in vna ciuitate perſecuti fuerint, fugite in aliam.* Maior enim cura nobis habenda eſt de anima q̃ de corpore, ſecundũ quã ad imaginẽ Dei facti ſumus. Dicit namq; S. Ioannes Epiſcopus: *Si animam negligamus, neccorpus ſaluare poterimus.* Non enim anima

*Matth. 10.*

*Anima pluris faciendæ eſt quam corpus.*

pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est negligit, & quod inferius est tollit, vtrumque corrumpit. Qui vero ordinem seruat, & quod primum est colit, etiamsi negligat quod secundum est, tamen per primi salutem seruabitur & secundum. Curandum ergo nobis vt animam habeamus sanam, pulchram & incolumem potius quã corpus. Pulchritudinis autem in facie specimẽ relucet, à qua totum iudicare hominẽ consueuimus. Animæ vero facies conscientia est. Sicut ergo in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. Valet enim interdum homini pro salute animæ mutatio loci, vt facies quæ nescientibus ex familiaritate nõ placuit, in alio loco ex nouitate pulchrior euadat. Plerumque enim cum mutatur locus, mutatur & mentis affectus. Et quanquam propria me culpa non moueat mutare locum, sed inuidia potius aliena, cedo tamen eo libentius quo minus alicui sum affixus loco. Scio enim vbiq; terrarum regnare vnum Dominum, sub cuius militabo imperio vbicunque fuero. Epistolam nostram amice collaudas, quam tibi ante dies ferme duodecim misim⁹, eamque muris volens ornare præconiis, oraculo delapsam Apollinis asseueraſti. Intelligimus te verbo quidem gentili nostrum voluisse denotare Iesum, qui solus cum Patre & S. spiritu cœlo præsidet alto, cuius tam est immensa dignitas, & incomprehẽsibilis maiestas, vt nihil ei queat ex omnibus comparari. Caue deinceps, ô Capellerie noster amice, precamur, ne huic summæ & inaccessibili maiestati nomen aliud tribuas, quam dare Christiana religio consueuit. Valde namque putamus indignum, polluta Idolorum nomina, quæ Dei non fuerunt, summo attribuere Deo, & spurcissimis gentilium vocabulis diuinam compellare substantiam. Nusquam reperies in tota serie scripturarum, verum Deum quẽ colimus & adoramus falsorum sibi nomina desumpsisse Deorum, seque louem aut Apollinem, aut cæterarum quicquam appellauisse vanitatum. Non desunt nobis honestissima sanctissimaque in scripturis sacris vocabula, quibus innominabilem illam, & superdiuinam cum sobrietate possimus vocibus denotare maiestatem. Non est opus, neque licet, neque conuenit, nominibus dæmonum falsorumque Deorum vocabulis, veram inter nos creatoris vniuersorum exprimere diuinitatem. Si recte scripsimus, si dignam laudibus epistolam misimus, verus Deus contulit, non Apollo; Iesus Christus dedit, & non aliunde venit. Scripsimus à veritate illuminati vera, quibus auocare mentem tuam cupimus à terrenis, caducis atque transitorijs, vt ad veram te philosophiam conferas, quæ maxime decet nos Christianos, per quam solam peruenire poterimus ad æternæ beatitudinis felicitatem, quæ est summum bonum & vltimus finis creaturæ rationalis. Quicquid enim in mundo cernimus corruptibile est, quicquid habemus transitoriũ est, corpus quoq; ipsum quod viuimus mortale, sola mens nostra qua viuimus est immortalis. Dixit enim quondam Cenomanensis episcopus:

*Deo non sunt tribuendæ impiæ Deorum gẽtilium appellationes.*

*Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,*
*Et spondent propria mobilitate fugam.*
*Quicquid habes hodie, cras te fortasse relinquet,*
*Aut modo dum loqueris, desinit esse tuum.*

Denique omnes morimur, sacra testante scripturã, & quasi aqua in terram delabimur, quæ amplius non reuertitur. Vnus enim introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Memores ergo nos semper esse conuenit, quoniam statutum est hominibus mori semel: & quia mors non tardat, sed quando putatur minime, tunc in foribus adstat. Propterea Dominus noster Iesus Christus volens nos ad mortem semper esse paratos in sancto Euangelio præcipit dicens: *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* In eo nobis statu viuendum est semper, in quo mori optamus: quoniam mala mors putanda nõ est, quam bona vita præcessit. Neque enim facit malam mortem quod sequitur mortem, sed vita mala quæ mortem præcessit ipsam facit malam. Non itaque multum nobis curãdum est alioquin necessitate morituris, quid accidat vt moriamur, sed hoc ante omnia curandum potius, vt sic vita ordinetur in operibus bonis virtutum decorata ornatu, quæ mortem non sinat esse malam. Quamuis mors non possit esse mala, quæ nihil est aliud q̃ relictio corporis, depositio sarcinæ grauis, & de labore ad requiem via. Male autem mori nunq̃ poterit, qui bene vixit in charitate Domini radicatus, etiamsi ab hominibus aliud de illo fuerit iudicatum. Est autem mors triplex. Naturæ videlicet, de qua dixit sanctus Christophilus: *Statutum est hominibus semel mori.* Et hæc mors non est metuenda fortibus, desideranda potius in Christi philosophia sapientibus, & miseris expectãda. De qua illud egregie dictum: Θάνατός μού ἐστι τέλος τινὸς τῆς σκοτεινῆς εἱρκτῆς τοῖς μάλιστα ψυχαῖς ἐξόχως. ἀλλοις δ' ἐκ λύπης, ὧν ἐν πολλῷ κάλῳ ἑαυτὴν φορτίῳ. γ νόμιθα γὰρ ἀθάνατοι. Θάνατος μὲν γὰρ, ὥσπερ πάντες διεχυέζουσι φιλόσοφοι τε, οὐδὲν ἐστὶ ἄλλο εἰμὶ ἢ τέλος πάντων ἐν θαλῇ κακῶν. *Mors*, inquit, *est finis cuiusdam tenebrosi carceris, maxime animis ex-*

*Matthæi 24.*

*Mortem nõ esse malam.*

*Mors est triplex. Hebræo. 9.*

*mis excellentibus. Aliis autem tristitia, quorum in voluptate cura eorum nunc omnis. Euademus enim immortales. Nam mors (sicut omnes affirmant philosophantes) nihil est aliud nisi finis omnium hic malorum.* Secunda est mors culpæ, de qua scriptum est: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et iterum: *Mors peccatorum pessima, quorum & natiuitas mala, & vita peior secuta est.* Hanc mortem ὁ φιλόθεος timeamus, quæ non solum corpus interimit, sed animam æternis doloribus transmittit. Tertia vero mors est gratiæ salutaris, quæ sæcularium interitum aufert voluptatum, in qua non natura sed delicta moriuntur. Hæc est mors salutaris, qua in Christo baptizati renascimur, & cum ipso gratiosè in domino sepelimur. Mors igitur prima cunctis est sapientibus contemnenda, secunda omnibus est mortalibus detestanda, tertia vniuersis est Christianis maxime exoptanda. Illi ergo miseri sunt, & merito deplorandi, qui morte moriuntur secunda, quos infernus ex hac vita recipit in æternum cruciandos, non illi quos aula cœlestis in perpetuum susçipit lætificandos. Preciosa enim in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et vere preciosa, per quam & laborum finis optatus aderit, daturque victoriæ conseruatio, & aperitur ianua vitæ & perfectæ securitatis ingressio conceditur. Mortis autem qualitas ex vitæ merito dependet, & sicut ipsa vita bona est si cum virtute viuatur, mala si cum scelere, sic & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda. Ita fit, vt si vita in Dei amore & cognitione veritatis transacta sit, mors mala esse non possit, quia translatio est ad immortalitatem. Si aliter vita extitit, malam esse mortẽ necesse sit, quoniam ad æterna supplicia transmittit. Mors timenda cunctis qui in lege domini non sapienter ambulantes, terrena cœlestibus, & caduca prætulerunt æternis. O miseri nos, ò infelices, quid necessario faciemus morituri, qui propterea maxime mortem expauescimus communem, quia malorum nobis conscii timemus iudicis sententiam quẽ offendimus. Omnibus enim vitã in terra ducentibus necesse est mori. Sed nũc ò tu, vel sero tandem cogitantes nos propeciam morituros, vitam emendemus, ita mortẽ timentes, vt prius q̃ veniat peccatis moriamur. Non enim timebimus mortem carnis, si mortificatis vitiis in amore Dei vixerimus per sanctæ opera pietatis. Quis nam mortem metuat temporalem, cui pro iustitiæ merito vita æterna promittitur? Mortis tamen nostræ ad finem vrgentis vitam nunquam debemus obliuiſci, quoniam qui se quotidie recordatur ex necessitate moriturum, facile contemnit præsentia, & in futurorũ speculationem assurgit. Vana enim sunt omnia quæ in mundo cernimus, & nihil eorum nobiscum morituri possumus auferre: nec aliter exibimus mundum istum quam intrauimus, nudi, paupères, egeni, nihilomnino possidentes, præter id solum quod in carne gessimus, siue bonum sit siue malum, dicente ad Ioannem χριστόφορον Dei nuncio: *Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur, quoniam opera eorum sequuntur illos. A modo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Cauebamus amice ne peiores moriamur q̃ nati sumus, ne peccatis & scelerib. omnisti & depraui mundum egrediemur, qui sine actuali peccato intrauimus. Διὰ τοῦτο μὴ λέγει ὁ ἅγιος ἀββᾶς Μάξιμος. Ἐπιστρέψωμεν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ἡμῶν. καὶ ἵνα τί δὲ πολλύμεθα ἀδιόρθωτοι, καθαρίζωμεν χεῖρας οἱ ἁμαρτωλοί, ἁγνίσωμεν τὰς καρδίας ἡμῶν οἱ δίψυχοι, ταλαιπωρήσωμεν καὶ πενθήσωμεν καὶ κλαύσωμεν ὥρα ἐστὶν ἁμαρτίας ὑμῶν. Παυσώμεθα τῶν πονηρῶν ἡμῶν, πρὶν ὑσώμεν ταῖς ἐπαγγελίαις τοῦ κυρίου φθάσωμεν τὰς ἀπειλὰς αὐτοῦ. ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους ἐξ ὅλης καρδίας. ἐπιμώμεθα ἀδελφοὶ ἡμῶν καὶ τοῖς μισοῦσιν ἡμᾶς καὶ διωκόντων ἡμᾶς εὐλογήσωμεν, ἵνα τῷ ὀνόματι κυρίου δοξασθῶμεν, καὶ ὠφέλιμον συγγνώμην ἀλλήλοις. δέ ἀλλήλων πειραζόμενοι, ὡς πάντες ὑπὸ κοινὴν ὀργὴν πολιτευόμενοι. αὐτίκα ὦμεν τοῖς λογισμοῖς ἡμῶν, ὧν θέλουσιν εἰς συμμαχίαν ὑπαλλάξωμεν καὶ φυγαδεύσωμεν ἐξ ἡμῶν τὰ ἀκάθαρτα πονηρὰ πνεύματα. ἐπιζώσωμεν τὴν σάρκα τῷ πνεύματι, ἐπαοιδάζοντες δὲ ἀλλήλους ἐπὶ ἀφέσει ἁμαρτιῶν δέησιν καθαίσωμεν ἑαυτοὺς διὰ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, διορθώσωμεν ἀλλήλους εἰς παράζυσμον ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων. μὴ φθονήσωμεν ἀλλήλοις, μηδὲ φθονούμενοι ἀγρυπνήσωμεν, συμπαθήσωμεν ὁ μᾶλλον. καὶ ἐπιεικεύσωμεν ἀλλήλοις ἐπιστώμεθα. μὴ καθολωθῶμεν ἀλλήλοις, μηδὲ ἐσεξώμεν ἀλλήλων, ὅτι ἐσμὲν ἀλλήλων μέλη. ἀποκαλῶμεν ἀφ' ἡμῶν τὴν ἀμέλειαν καὶ τὴν ῥᾳθυμίαν, καὶ ζῶμεν ἀσφαλῶς καθὼς τὸ πνεύματων τῆς σωτηρίας, ἀγωνιζόμενοι, καὶ ἔχωμεν παῤῥησίαν Ἰησοῦν χριστὸν δίκαιον πρὸς τὸν πατέρα, καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστιν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὡς χριστόφιλος ἐλέγετο λόγος. καὶ ἀπωθῶμεν αὐτὸ ἀνάθεμα καρδίας ἐξ ὅλης ψυχῆς ἡμῶν. καὶ ἀφίσιν ἡμῖν τὰ ἁμαρτίας ἡμῶν, ὅτι ἐγγὺς κύριος πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ. θέλημα τοῦ θεοῦ ἐστὶν ὑμῶν τὸ ἁγιασμός, καὶ τὸ ἅγιον αὐτοῦ εἰδέναι ἐστὶ, καὶ σώσει αὐτούς. διὸ ὁ μὴ θέλει θυσίαν καὶ ὁλοκαύτωσις καὶ πολυθρύλητα ταῦτα ἐνώπιον αὐτοῦ. ἐπικαλεσώμεθα τὸν κύριον ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως αὐτοῦ, καὶ ἐξελάσωμεν σε, καὶ δοξάσεις με, καὶ τὰ λοιπά. Hanc Maximi patris lucidissimã exhortationẽ si nunq̃ obliuioni concesserimus, sed tenaci eã memoria retinentes opere adimplere curauerimus, mortem securi expectabimus. Abiiciamus à nobis, precor, stultitiam pernicioſam, quæ spem vitæ longioris promittens multos turpiter decepit.

Quotidie senescentes morimur, quotidie vna pars vitæ nostræ non parua horarum quatuor & viginti nobis non aduertentibus minuitur; & vitam nobis diuturnam pollicemur. Sicuti homines in nauigando siue stent siue sedeant, iaceantue, siue dormiant, siue vigilent, seu aliud quodcunque faciant, dum nauis pergere non cessat paulatim &

Psal. 115.

Apoca. 14.

*Maximus abbas.*

quasi non sentientes cum naui ducuntur ad terminum quo fuerat nauigandum: ita & nos ò φιλόβιε, siue vigilantes siue dormientes, siue iacentes siue ambulantes, siue denique volentes, per momenta temporũ singula quotidie ad finem ducimur nõ cogitantes. Spes nobis pollicemur inanes & deceptione plenas, cũ viuere in annos plurimos, necessario tamen aliquando morituri, cogitamus. Quid enim si multo vixerimus tẽpore, nunquid propterea non moriemur? Inter eum qui triginta vixerit annos, & illum qui centum, postquam idẽ finis viuendi aduenerit irrecusabilis mortis, dic mihi ò Philobie, cuius meliorem credis esse conditionem? Ambo nati fuerunt ambo vixerunt, licet non paribus annis, ambo mortui sunt. An non legisti senarium Menandri dicentis:

ὅν γὰρ φιλεῖ θεὸς, ἀποθνήσκει νεός.

*Quem enim diligit Deus, moritur iuuenis.*
*Mors hominum fœlix* (Boetius ait) *quæ se nec dulcibus annis*
*Inserit, & mœstis sæpe vocata venit.*

*Duo sunt quæ mortẽ in senibus faciunt acerbam.*

Duo sunt quæ mortẽ in senibus frequenter reddunt excessu iuuenum infeliciorem. Alterum est ꝙ moriens senex grauiore peccatorum onere proficiscitur: iuuenis vero tãto minus peccare potuit, quãto breuiori tempore vixit. Nam, vt Seneca dicit, inquietam nobis vitam facimus metu mortis, & tanta est hominum dementia, vt quodam timore mortis cogantur ad mortẽ. Nihil ergo refert quo tempore moriamur, sed summopere curandum est, vt bene mori contingat. Bene autem moriemur si bene vixerimus, non secundũ carnem ambulantes, sed secundum spiritum. Dicit enim sanctus Apostolus: Πνεύματι περιπατῶμεν, καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσωμεν. *Spiritu ambulemus, & desideria carnis non perficiemus.* Quocirca deseramus omnia quæ in mundo sunt, nihil plusquam ad sustentationẽ corporis necessarium est, & hoc ipsum vix extremum quærẽtes, vt liberi & expediti finem nostrũ quotidie imminentem expectare valeamus. Tacitis enim senescimus annis, & nobis etiã crescentibus vita paulatim decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiã, deinde periit ẽt adolescentia. Iuuentus quoq; velociter transiuit, & quicquid transit vitæ nostræ tempus totum periit, nec reuocari põt. Quod reliquũ est temporis, nec vlla certitudo est, nec subsistendi momentum, quin & hunc ipsum quẽ agimus diem cum morte diuidimus. Ad quid ergo homines, cũ se nõ ignorent esse mortales, tãtopere colligendis perituris diuitiis incũbunt, quas morientes aufferre secũ non posse sciunt? Natura paucis põt esse contẽta, quia mediũ diligẽs horret extrema, sicut pulchre prudenterq; in carmine græcꝰ Pallades dixit:

*Galat. 5.*

ἡ μεσότης γὰρ ἄριστον, ἐπεὶ τὰ μὲν ἀκρὰ πέφυκε
Κινδύνους ἐπάγειν, ἔσχατα δ' ὕβριν ἔχουσι.

*Mediocritas enim optimum quid, quoniam summa quidem apta sunt pericula inducere, extrema vero contumeliam habent.* Eruamus ergo mentes nostras à cunctis mundi cupiditatibus, & deseramus viam perditionis & fraudis, vt quanto iam annis in senectutem vergentibus appropinquare cernimus illum diem, quo sit necessario ex hac vita migrandũ, cogitamus q̃ puri discedamus, q̃ innocentes ad iudicium veniamus. Nec imitemur illos qui scelerib⁹ assueti, iam deficientibus corporis viribus, cum se hinc breui transituros recordari debuissent, grauioribus se peccatis immergunt, vt qui in iuuentute fuerant lasciui, senes iam non immerito dicantur furiosi. Excutiat à se omnem colligationẽ mundi, carnis & diaboli vnusquisq;, dum sibi licet, dum adest facultas, seq; ad Deum tota mente conuertat, vt illum diem securus valeat expectare, in quo vitam exuet præsentem, & aliam assumet. Ante senectutem curet vt bene viuat: In senectute vt bene moriatur. Vale semper de fine sollicitus. Ex Colonia 31. die Iulii mensis. Anno 1505.

## XXXI.

### *IOANNES TRIT. ABBAS SPAN. ROGERIO Sycambro S.*

SCIAS velim Rogeri charissime, Serenissimũ principẽ Ioachim Brandenburgensium Marchionẽ precibus obtinuisse à Clarissimo principe nostro Philippo Comite Palatino, me cõsentiente, vt eum sequar in Marchiã aliquanto ibidẽ tẽpore mansurus. Ab annis enim quatuor desideriũ nostri habens, creberrimis me literis & nuntiis sollicitauit, cupiẽs me in suo regno secum aliquandiu habere. Princeps namque iuuenis est, annum ætatis agens vicesimum secundũ, literis competenter institutus, ingenio multum valens, & qui maximum ad studiũ literarum habeat affectum. Hactenus autem fieri commode non potuit, vt me tanto absentarem tempore à monasterio meo, sed nunc æmulorum inuidia caussam dedit, qua me non minus hilariter q̃ libenter absentare quantũlibet possum

ire in

ire in Marchiam consensi, maxime quod idipsum mihi non solum consensit, sed etiã consuluit memoratus serenissimus princeps meus Palatinus. Interea fratres mei forsitan experientur, quid eis conferat absentia nostra vtilitatis, quorum in patrem charitas nimium tepuit, dum resistere nobis absentibus temeritati æmulorum potuisset & contempsit. Quarta die mensis Augusti Coloniam exiuimus, & in vigilia sancti Laurẽtij martyris Neometim post vesperas intrauimus. Marchio autem princeps, assignatis nobis pro viatico sumptibus & seruitoribus tribus ipsa penultima die mensis Iulij Coloniam cum suis exiuit, iter agens per Westphaliam & Saxoniam ad regionem suam. Lympurgensem Abbatem in Colonia dimisimus, & fratrem nostrum magistrum Iacobum Trithemium cum eo, quem volebamus potius nobiscum ducere in Marchiam, nisi preces abbatis obstitissent. In causis suis contra aduersarium suum Comitem de Lyningen, cuius ministri cœnobium Lympurgense vt scis ignibus incenderunt, commissarium à regia maiestate obtinuit Iacobum Archiepiscopum Moguntinum, qui partium allegationibus auditis, testibusque si qui fuerint producti examinatis inter eos non iure sed amice tentabit concordiam. Et siquidem res concordare potuerit, bene res acta est, sin vero nequiuerit, quod ego magis credo, totum ad regem negotiorum cum actis remittet. Impius ille tyrannus Deo & hominibus odibilis Comes, nomine & memoria indignus, consciũ se incendij sæuissimi negat, sed mẽtitur plane, quoniam apertis conuincetur testimonijs. Subterfugia quærit homo diabolo plenus, & ad græcas videtur suspirare Calendas. O malum caput inter filios diaboli, similior patri, emprestes sacrilege, putas ne Dei te vindictam euadere posse? Autoritate propria monasterium cum insigni ecclesia incendi fecisti, ex odio & vindicta, propterea Canonis incidisti pœnam quæ ponitur XXIII. quæstione VIII. cap. Pessimam, & membrum es patris tui diaboli merito puniendus, vt XII. quæstione II. Cum deuotissimam, & cap. sequenti. Non ignorat omnipotens Deus horrendum scelus tuum, propterea quia breui tempore dissimulat: nec ideo iram iusti iudicis effugies, quod non subito meritas dedisti pœnas. Lente quidem vindicat diuina potestas, sed moram atrocitate supplicij compensabit. Sed abeat in malam horam homo nullius hominis memoria dignus. Tu autem Rogeri Neometim ad nos venias oramus quamprimum, multa nobis tecum sunt necessario conferenda, priusquam in Marchiam pergamus. Manebimus autem hic diebus aliquot pro certis negotiis nostris, quibus expeditis mox ituri sumus. Priori tuo scripsimus, rogantes, vt venire ad nos tibi concedat, quod, sicuti confidimus, non denegabit. Vale ex Neometi 12. die Augusti anno 1505.

## XXXII.

### *IOAN. TRIT. OPT. DILECTISSIMO QVE FRATRI IOANNI Natio salutem.*

CONDOLEMVS infirmitatibus tuis amantissime frater ex toto corde, & plusquã vel dicere possumus, vel literis demandare, compatimur, omnipotentis misericordiam humiliter deprecantes, quatenus suæ pietatis viscera super te clementer effundere dignetur, præstetq; tibi in omnibus aduersitatibus tuis pro sui amore patientiam, & internæ suæ dulcedinis sempiternã cõsolationem. Hortaris nos ac supplici deuotione petis, vt ad monasterium nostrum redeamus, futurum nõ dubitans q̃ breuissime omnes aduersarios in gratiã nobiscum reuersuros, quippe qui non parũ doleant hunc se temeritatis ludũ inchoasse, optareq; omnes reditum nostrum cũ desiderio magno. Eadem quæ scribis ab alijs audiuimus, nec vera dubitamus. redire aũt ad monasteriũ hac vice nõ possumus. Ituri sumus in Marchiã Brandenburgensem, & ibidẽ aliquanto tẽpore mansuri, in q̃ peregrinationem serenissimus princeps Comes Palatinus, postulante Marchione Ioachim, nõ solum cõsensum nobis præbuit, sed ẽt vt iremus consilium dedit. Interea videri dabitur, quid Cynonoti moliantur in nos, & quantum sacræ faueãt religioni, qui inuidia & malignitate armati, me odio principis Palatini absq; causa sunt persecuti. Omnis in me conspirationis æmulorũ Prior meus fuit cõscius, & quid eũ mouerit nõ ignoramus. Credit enim, si nos contumelijs prouocati monasterio cederemus, se nobis in Abbatia successurũ. Et reuera vtrunque fieri põt, vt & nos cedamus in breui, & ipse nobis succedat. Hoc enim sumus certissima reuelatione dudum præmoniti, quod in Abbatia Spanhemensi non manebimus vsque ad mortem, quamuis cedendi tempus adhuc ignoremus. Successorem vero nobis necdũ habemus designatum, licet ingessurum se Priorem verisimiliter possumus suspicari. Sed fiat voluntas Domini Iesu, quæ nunq̃ potest esse iniusta, etiamsi nostris cogitationibus,

qui sæpe carnem viuimus, videatur esse contraria. Væ autem Priori nostro tali ambitionis vitio turgenti, cuius in Abbatia nunquam bonus erit progressus, ad quam introitus fuerit peruersus. Sentiat cum suis Cynonotis quantum voluerit, ego clementissimi principis Philippi Comitis Palatini non possum partibus non fauere. Amator est enim omnium doctorum virorum, in omnes pius, mansuetus, ac semper munificus, cuius virtute Cynonotorum facile propulsarem iniurias, si illum non timerem qui dixit: *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Locum iræ potius dabo ad tempus, quousq; temerarios aut pœniteat iniuriarum, aut nos quid nobis vtiliter sit faciendum cum tempore deliberemus. Omni enim negocio tempus est & oportunitas. Et multa quæ fortitudine superari nequeunt, tempore vincuntur. Quemadmodum & Plato dicit:

*Philippi principis Palatini laus.*

„ Αἰὼν πάντα φέρει, δ' ὁλιχὸς χρόνος οἶδ' ἐν ἀμείβειν.
„ Ὄυνομα, καὶ μορφὴν, καὶ φύσιν, ἠδ' ἐ τύχην.
*Tempus omnia fert, longum tempus nouit mutare*
*Nomen, & formam, & naturam, & fortunam.*

Sed & Sophocles comicus in Aiace veracissime dixit:

Πάντ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε, καὶ φλέγει.
Ἅπαντ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος.
Φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.
Ἡμέρα κλίνει τε κἀπαγεῖ πάλιν ἅπαντα τ' ἀνθρώπεια.
*Omnia longo tempore flaccescunt q, consummunturq,.*
*Omnia longum & innumerabile tempus*
*Producit in lucem occulta, & manifeste absondit.*
*Dies deprimit & extollit rursus omnia humana.*

Si omnipotens me voluit aduersitate pulsari, quis ego vt contradicam? aut quantus ego vt ipso iuuante patienter non feram? Paratus sum ipse, Dominus Iesus nouit, & non sum turbatus, pro gloria eius nominis, pro meis quoque peccatis, & amore regni cœlestis, non Abbatiam solum, & omnem huius mundi fauorem sponte dimittere, sed etiam extremæ inopiæ me subiicere, & addicere mendicitati. Iniurias & contumelias non meritas à principe Cynonotorum sustinui, quas cum possem in eius retorquere caput, malui amplecti patientiam, quam contra Dei voluntatem suscitare vindictam. Est Deus in cœlo qui videt iniurias quas patior sine causa, ipse non dubito vindicabit. Omnia enim in lucē faciet tempus, vt ait Menander:

Ἠ θεὸς δ' ἐ βάσανος ἐστὶν ἀνθρώποις χρόνος.
„ Ἄγει δ' ἐ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος,
„ Χρόνῳ τὰ πάντα γίγνεται, κἀκείνεται.
„ Σύμβουλος οὐδεὶς ἐστὶ βελτίων χρόνου.
*Meriti autem index est hominibus tempus.*
„ *Ducit autem deniq, ad lucem veritatem tempus.*
„ *Tempore quoque omnia fiunt & iudicantur.*
„ *Propterea consiliarius nullus est vtilior tempore.*

Nihil enim longū est cp finem habet: & æternitati cōparatum omne tempus breue est. Scio me esse mortalē, & breui necessario moriturum, & propterea cū alterū oporteat, malo iniurias ferre q̄ facere. Dicit enim S. Ioannes Chrysostom⁹: *Quicquid à quolibet hominū passi fuerimus, aut remissionē recipiemus omniū peccatorū, aut si tanta in nobis delicta non fuerint, clariorib. honorabimur coronis.* Annis triginta in pace & trāquillitate, vt ita dixerim, philosophiæ Christianę operā dedi, die ac nocte lectionib. scripturarū, cp omnibus est notū qui me nouerunt, continuū pene studiū impendi, sed quantū profecerim iā primū experientia dabit. Tempus omne studendi mihi parauit nauiculā, iā venit hora tentationis, quæ necessariā indicit nauigationē. Experiar oportet q̄ scitus nauta euaserim, qui tot annis discendi laborib. nō peperci. Amplius q̄ duo millia voluminū, nō vulgariū neq; impressorū tantū sed rarissimorū, vt scis & manifestū est, atq; scriptorū calamo, cū maxima diligentia & grauissimis impēsis in bibliothecā Spanhemēsem cōportaui, quibus legēdis & studiosissime per annos ferme 23. rēuoluendis, qd profecerim hoc tēpus expostulat declarandū. Doctrina enim viri, vt quidā sapiens dicit, per patientiā dignoscitur. Si ergo in tātis aduersitatibus patiens euasero, satis me didicisse arbitrabor. Et spirit⁹ quidē promptus est, caro aūt infirma. Quocirca te frater amātissime qua possum charitate rogo, quaten⁹ mihi tuis orationibus subuenias, omnipotentiq; misericordiā pro me sedulo interpelles, vt tuis mihi precib⁹ in aduersis largiatur constantiā, peccatorū quoq; indulgeat veniā, & suam me faciat sequi in omnib. voluntatē. Ad Priorem literas dedi, quib⁹ eū ad me vocaui Neometim, si quid volueris rescribere potes. Vale ex Neometi 13. die mensis Augusti Anno Christianorū M.D.V.

*Bibliotheca Spanhem.*

XXXIII. GER-

## XXXIII.

### *GERMANVS DE GANAY, CLARISSIMO VIRO IOANNI TRITHEMIO abbati Spanhemensi, nostræ tempestatis splendori, Salutem.*

NON potest abscondi, dignissime vir, solare iubar, cum nostrum percurrit hemisphærium, neq; humanis subtrahi obtutibus, sed fulgidissima suæ lucis spicula, in omnium diffundit oculos, eosq; rapit in suæ claritatis admirationem. Ita quoque lucidissimus tuæ doctrinæ fulgor haud quaquam delitescere potest, sed in omnes quantolibet locorum interstitio semotos sui luminis emittit radium. Hinc apud exteros tuum nomen habetur celebratissimum, mirisq; effertur præconijs, qui singularis doctrinæ tuæ fama exciti, nihil ardentius optant, q̃ insignis scientiæ tuæ radio illustrari. Et ipse quoq; tuæ humanitatis fiducia fretus, has ad te literas dare non sum veritus, quibus & tuæ dignitati congratularer, & meum tibi desiderium explicarem. Incidit in manus meas epistola à te profecta ad quendã Ioãnem Steinenmoelen, quem in ipso salutationis exordio, post tui nominis expressionẽ, virum desideriorum in sacris nuncupas. Ea sane raram & admirabilem continet philosophiam, tum de numeris, tum de elementis, adeo tamen ænigmatib⁹ obuelatam, & archanis obstrusam verbis, vt eius nullo modo mihi peruia sit intelligentia, meiq; longe excedat animi captum. Si itaque apud te aliqua illius esset interpretatio, quam mihi communicare non abnueres, nihil ipse libentius legere velim. Coniectat enim animus dignã admodũ & altam verbis illis subesse sententiam, & ex tua itidem officina alia prodijsse opera, quæ consuetum excedant philosophandi modum, & secretam contineant sacratamq; scientiam. Illa si tuo præsidio assequerer, Attalicis opibus & diuitijs Crœsi optabiliora contingerent. Quę mihi obsecro tui nominis cultori obsernantissimo impartiri non recuses. Carolus noster Bouillus, qui superioribus annis cum per Germaniam iter ageret, tuam excellentiam inuisere venit, frequentem tui apud me fecit mentionem, meq; totum, vt verum fatear, adegit tuarum virtutum obseruatorem admiratoremque fieri. Demum harum latior tuæ præstantiæ notus & amicus magister Narcisscus, maiora animi nostri vota, quæ breuibus literis haud facile complecti possem, latius explanabit. Vale nostri seculi decus & vnicum doctrinæ specimen. Ex Parisio 3. Calend. Augusti. anno M.D.V.

## XXXIV.

### *IOAN. TRITHE. AB. SPANHEMEN. GERMANO DE Ganay viro doctiss. salutem.*

VENIT ad nos Neometim * orator tuus magister Narcisscus quintadecima die mensis Augusti literas perferens tuas, simul & grata munuscula, quem detinuimus apud nos diebus ferme duodecim, ne frustra tantum iter assumpsisse videretur. Magna sunt enim quæ per eum nobis significasti, nec erat nostræ facultatis illi sine matura deliberatione dare responsum. Mentem tuam eius relatione ad plenum intelleximus, & quantum nobis iam licuit, operã dedimus, vt tuo te non frustratum desiderio intelligeres. In omnib. autẽ tibi satisfacere hac vice potuimus minime, propterea q̃ à prima die mensis Aprilis hui⁹ anni in nostro nõ fuerimus monasterio, cuius rei causas tibi referendas ipsi Narcisco ad perfectũ commisimus. Ad intelligentiam epistolæ nostræ q̃ Ioanni Steinenmoel anno priore scripsimus, Narcisco introitũ dedimus aliqualem, à quo rerũ intelliges fundamentum archanarum, quarũ cognitione laboras: Ad vnitatẽ reducẽdus omnino est ternarius, si mẽs harum rerũ velit intellectum cõsequi perfectum. Vnarius enim nõ est numerus, & ex ipso numerus omnis consurgit. Reijciatur binarius, & ternarius ad vnitatem conuertibilis erit. Verum ô Germane, vt Hermes inquit, sine mẽdacio certum, & vnitatis cognatione verissimũ. Non omnium capax Narcisscus. Quod est superius est sicut q̃ est inferius, & quod est inferius, est sicut quod est superius, quia solis vnitatibus constat omnis numerus, ad perpetranda miracula vnius rei multa. Nonne res omnes ab vna re fluunt bonitate vnius, & quicquid vnitati coniungitur, non potest esse diuersum, sed fructificat simplicitate & aptatione vnius. Quid ex vnitate nascitur? Nonne ternarius? Accipe. Vnarius est simplex, binarius compositus, ternarius vero ad vnitatis reducitur simplicitatem. Non sum Trithemius mentis triplicis, sed in vna mente numero gaudens ternario, qui vere parit mirabilem fœtum. Pater eius sol, mater vero luna. Portauit semen in vtero ventus, terra nutriuit. Pater omnis perfectionis totius mundi hic est. Virtus eius integra & immensa. Si versum fuerit in terrã, separabis terram ab igne, spissum à subtili, & ternarius iam sibi redditus cũ ingenio & suauitate magna à terra conscendet in cœlum, iterumque virtute &

* Spiram.

*Philosophica quædam de numeris.*

pulchritudine decoratus reuertetur ad terram: & recipit vim ſuperiorem & inferiorem, & ritq; iam potens & glorioſus in claritate vnitatis, omnem aptus producere numerum, & fugiet omnis obſcuritas. Vnum eſt principium purum, binarius ab vnitate recedens componitur, quia impoſſibile eſt duo eſſe principia. Solus ergo ternarius, ſacratus, virtuoſus, & potens, binario ſuperato in ſuum principium non natura, ſed ſimilitudinis participatione reuertitur, in quo ſine contradictione omnia myſteria intelligit mens archani pulchre ordinati. Hæc eſt totius fortitudinis pulcherrima virtus, quæ vincit omnia mundana, & penetrat ſolidum corpus omne, tingens vnumquodque pulchritudine optabili, ſicuti Alchimici quidem promittunt in corporibus compoſitis, ſed errant, falluntur, & decipiunt omnes, à quibus libenter fuerint auditi. Volunt imitari naturam, & facere partes quod ſolius eſt vniuerſalis, cum radicem virtutis naturæ non intelligant. Non acquieſcas inſipientiſſimis Alchimiſtis, quoniam fatui ſunt & ſimearum diſcipuli, hoſtes naturæ, & cœleſtium contemptores, ſine quorum intelligibili cognatione nihil eſt Alchimia. Sed qui terrena non intelligit, ſicut dominus noſter Ieſus Chriſtus dixerat, cœleſtia quomodo inueniet? Noſtra philoſophia cœleſtis eſt, non terrena, vt ſummum illud principium quod Deum nuncupamus mentis intuitu per fidem & cognitionem fideliter aſpiciamus, Patrem & filium, & Spiritum ſanctum, vnum principium, vnum Deum, vnumque ſummum bonum in Trinitate perſonarum ſempiternum exiſtentem veraciter credentes, pure cognoſcentes, & cum feruentiſſimi amoris & ſeruitutis cultu ſemper adorantes, à quo ſunt omnia quæ vſpiam eſſe poſſunt. Ad hunc niſi mens animata conſurgat, nihil eorum quæ ſunt pulchra intelliget, ſed in ſua ignorantia tabeſcet. Non eſt vulgaris, ô Germane, iſte aſcenſus, neque eorum imitatione ſufficiens, qui vna duntaxat ala ſurſum feruntur, ſed omnino pauciſſimis familiaris, illis videlicet, qui ſemet in vnitatem non temere reduxerunt. Multi quidem conantur, ſed non omnium eſt in mente ternarius. Nonne ſuſpecturi cœlum neceſſario primum caput eleuamus, reducimuſque poſtea quam ſuſpeximus. Solis licet oculis intueri ſolem. Aures non vident. Vt igitur conſcendat animus, non auris fiat, ſed oculus & cor, fiatque ex ternario vnitas participatione bonitatis ad principium, quia vnum eſt bonum omniporens, non duo neque plura. Niſi enim fiat vnitas, non fiet ſimilitudinis in mente coniunctio, neque boni participatio, & ſine his nulla tranſcenſio: niſi autem hæc præcedant, neque ſuperiorum intelligentiam, neque inferiorum propriam conſequi poterit operationem. Res autem tam vniuerſales quam ſingulares neceſſario, & rerum conditiones quædam ſunt manifeſtæ, quædam manifeſtiores, & quædam manifeſtiſſimæ. Et aliæ quidem ſunt occultæ, aliæ occultiores, aliæ occultiſſimæ, tam ſenſui quam rationi. Quam diuerſitatem operatur ipſarum rerum natura. Hinc fit, quod quidam homines cæteris euadunt ſapientiores. Magis autem ſapiens dicitur, qui minus perceptibilia percipit. Numerus ordine conſtat & menſura. Ordo quoque ſine numero & menſura eſſe non poteſt. Menſura autem & numero conſtat & ordine. Vnitas hic & ternarius binarium non admittunt, ſed omnem exuti multitudinem innata ſibi puritate ſimpliciſſima in primo conſiſtunt. Hæc ad ſuperos via, ô Germane, per quam antiqui ſapientes intelligibiliter profecti rationis ductu plurima perceperunt, quæ vltra humanam comprehenſionem à noſtris nunc reputantur ſapientibus. Vis audire plenius. Studium generat cognitionem, cogniitio autem parit amorem, amor ſimilitudinem, ſimilitudo communionem, communio virtutem, virtus dignitatem, dignitas potentiam, & potentia facit miraculum. Hoc iter vnicum ad finem magicarum perfectionum tam diuinarum quam naturalium, à quibus arcetur & confunditur procul omne ſuperſtitioſum, præſtigioſum atque diabolicum. Enimuero nihil aliud per magiam intelligi volumus quam ſapientiam, phyſicarum ſcilicet & metaphyſicarum intelligentiam rerum, quæ diuinarū & naturalium virtutum ſcientia conſtat. Harmoniam cœleſtem non materialem, ſed ſpiritualem conſonantiam nobis ſuſpiciendam ſcias oportet, vbi numerus, ordo & menſura per ternarium in vnitatem conueniunt, ad quam conſonantiam inferiora noſtra omnia ſunt conformanda. Fatuum eſt harmoniam arbitrari cœleſtem, ſtellarum conſonantium motu cauſante auribus perceptibilem formare ſonum. Eſt autem harmonia cœleſtis, numero, ordine, & menſura diſtributionum corporum inuiolabilis conſonantia. Sed hanc ſupergredi neceſſe eſt, vt ternario paretur aſcenſus ad eam quæ ſuperceleſtis eſt harmoniam, vbi nihil materiale ſed ſpiritualia ſunt omnia. Inde menti aſſumenda ſimilitudo vnde venit. Stellaris enim harmonia mentem nec dedit nec influit. Quidam philocryphus dicebat ſic: Quicunque conditionem cœleſtis harmoniæ

*Alchimiſtarum vanitas.*

*Ioannis.*

*Magiaquid?*

*Aſtra nullū imperium habent in mentem.*

notam

notam haberet, tam præterita quam futura cognosceret. Quis autem mihi dabitur ex millibus vnus, qui harmoniam hanc intelligat cœlestem? Ad supercelestem mens nata est, cuius similitudine viuit. Astra nihil intelligunt, nec sentiunt quidem, vnde nec sapientiam menti nostræ conferunt, nec aliquod in nos dominium habent, qui spiritu ambulamus, confitentes Dominum Iesum Christum omnia in sua potestate habentem, ad cuius nos similitudinem pro viribus fideliter oportet conformare. Ipsa est enim sapientia Dei patris, ipse est fons & origo scientiæ, ipse est animi cētrum, per quem facta sunt omnia. Abeant homines temerarii, homines vani, & mendaces astrologi, deceptores mentium, & friuola garrientes. Nihil enim ad mentem immortalem, nihil ad scientiam naturalem, nihil facit ad sapientiam supercelestem stellarum dispositio, sed corpus in corpus duntaxat suum habet imperium. Mens est libera, nec stellis subiicitur, nec earum influentias concipit, nec motum sequitur, sed supercelesti principio, à quo & facta est & fœcundatur, tantū communicat. Cætera quæ tibi ad inquisitiones tuas respondenda fuerant, ô Germane, sacratiore inclusimus scrinio, tibi soli per Narciscum exhibenda, cui & clauem tibi afferendum non satis scienti commisimus, ne scrinium archanis plenum sine vtilitate possideres. Venire autem ad te personaliter hac vice nequiuimus, quoniam aliorsum vocati sumus. Discès tamen ex Narciseo mentem nostram plenius, quomodo & quando nobis ad te veniendi facultas accedere possit. In aliis literis scripsimus omnia quæ nobis ad te scribenda videbantur. Vale nostri memor nec tui oblitus. Ex Neometi ciuitate Spirensi 24. die Augusti. Anno Christi 1505.

## XXXV.

### *WOLFGANGVS HOPILIVS IOANNI TRITHEMIO Abbati Spanhemensi Salutem.*

ELEGANTISSIMAM nuperà te mi Trithemi accepi epistolam, quæ nobis & iucunda fuit, & menti admirationem induxit, q̄ ipse vir doctissimus atq; mihi prorsus excellentior, ad me formicam agrestē vitam agentem scribere non sis dedignatus, & eo argumēto tui ad nostrum incultum ingenium animi volueris declarare affectum. Vnde vero acciderit hoc, me coniectura scire credo. Narcisçus noster scientiarum omnium bonarum diligentissimus inquisitor, ea fortassis quæ somniis & phantasmatibus similia sunt, maiora quidem quam nostra paruitas præstare queat, tibi de nobis retulit, cuius tu verbis adhibēs fidem (nam qui honesto sunt animo & ingenio benigno, quæcunq; de aliis audierint bona facile credunt, mala vero tarde) impulsus es, quantum coniectare possum, vt mihi literas tuas ornatissimas communicares. Habeo gratias immortales, vtpote qui tanti viri literas magnifacio. Quicquid enim humanis in rebus scibile fuerit, te non latere scio, qui cunctos hodie mortales ingenio, scientia, & experientia literaria facile superas & excellis, quod tua scripta, & probatissimorum virorum testimonia luce manifestant clarius. Hinc doctos omnes singulari humanitate complecteris, quinimmo & eos quos fama pertulerit in notitiam tibi quicquam callere, & si hominum sint inferiores laudibus, pro ingenita tibi bonitate magnifacis ac plurimi æstimas. Reliqua pectoris nostri archana ex Narciseo nostro communi amico intelliges, qui tuum immortale nomen marmoreis insculpsit pectoribus. Quem tibi, & si non sit opus, plurimum commendo, eiq; persuadeas velim, pericula Arislei & Alchindi vt præcaueat, quorum alter vitam miserrime finiuit, alter vero dementiam incidit, vt ex eorum opusculis facile nosti. Vale & nos ama. Ex officina nostra Parisiana 3. Calend. Augusti Anno Domini M.D.V.

## XXXVI.

### *IOANNES TRITHEMIVS SPANHE. WOLFGANGO Hopilio ciui Parisiensi S.*

NARCISCVS noster ad me veniens Neometim 15. die mensis Augusti, tuas mihi literas lupambule tradidit, & reliqua abs te sibi cōmissa explicauit. Miraris q̄ meis te literis dignū æstimaui, putans nimis me credulū extitisse Narciseo, quasi te, priusquam ille me accessit, nō nouerim. Quantus enim sis multorum antea relatione cognoui. Tu aūt probe facis consilium imitando sapientis qui dicit: Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiā, quoniam magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur. Ipsa quoq; Dei virtus & sapientia homo Christus Iesus in Euangelio sancto dixit: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Excelsa est patria nostra cœlestis, Luc. 18.

ad quam festinamus omnes, Christus autem Iesus via est humilis per quam itur in cœlũ. Quisquis ergo in excelsum ascendere montem æternæ fœlicitatis desiderat, viam humilitatis non omittat. Et ideo quantumcunq; in hoc mundo siue discendo siue beneuiuendo profecerimus, magis cogitare debemus quid nobis desit quam quid nobis adsit. Nam & plura nescimus quam didicimus, & plura negleximus quam fecimus bona. Quod fideliter considerans beatus Augustinus in quodam loco dicebat: *Laudabilior est animus cui nota est infirmitas propria, quam qui ea non respecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, & fastigia scrutaretur cœlorum.* Et sacer Hieronymus in quadam epistola: *Hæc est*, inquit, *in omnibus sola perfectio, vera suæ imperfectionis cognitio, quia magnus ad Deum ascensus est propriæ infirmitatis sententia. Sacra virtus humilitas fundamentum & custos est omnium virtutum.* Erubescant igitur omnes elati, qui locum in cordibus suis concedunt superbiæ, cum sciant per solam humilitatem iter mentis esse in cœlum. Audiant qui se magnos inter sapientes huius mundi existimant, tunc Socratem ab Apolline sapientiæ palmam primo fuisse adeptum, cum post multorum studia annorum hoc se tandem scire profiteretur, quod nesciret. Frustra enim appellamur Christiani, si Christum non fuerimus secuti, qui propterea viam se in Euangelio dixit, vt conuersatio magistri, viuendi norma fieret discipuli, & illam humilitatem imitetur Christianus, quam semper exhibuit Christus. Virtutum stabile fundamentum est humilitas, quæ si fuerit intermissa, quid cæterarum congregatio virtutum nisi ruina quædam erit dicenda? Est enim primum hominis sapientiam affectantis considerare, qui ipse sit, quid intra se, quid extra. Item quid supra, quid infra, quid contra, quid ante se, quid post se. Hæc contemplatio quadripartitum parit fructum. Vilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. Et hæc est via ad veram sapientiam, quoniam sine humilitate omnis humana doctrina inutilis, cum superbia vero prorsus est contemptibilis. Omnibus ergo per studium scripturarum ad sapientiam contendentibus superbia in primis cauenda est, quoniam sicut nullus sapiens est superbus, ita qui superbus est ad sapientiam nunquam perueniet. Initium enim omnis peccati superbia est in angelis & in hominibus. Non parit superbiam inuidia, sed potius inuidiam superbia facit. Non enim inuidet nisi amor excellentiæ. Amor autem excellentiæ superbia vocatur, quæ cum sit malum in hominibus, Deo non placet, sacra dicente scriptura: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Idcirco nobis timendum est, ne superbientes cadamus, Deo permittente, leui etiam occasione, vt Sophocles ait:

*Humilitas magnum bonum est & Deo grata.*

*Ioan. 14.*

*Superbia est initium omnis peccati.*

*Iaco. 4.*

» Ἀλλ' ἄνδρα χρὴ κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα,
» Δοκεῖν πεσεῖν ἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ.
» *Sed virum oportet, etsi corpus natum habeat magnum,*
» *Existimare posse cadere, etiam à paruo malo.*

Et Phocylides contra superbiam pulchre monuit dicens.

» Μὴ γαυροῦ σοφίῃ, μήτ' ἀλκῇ μήτ' ἐνὶ πλούτῳ,
» Εἷς Θεὸς ἐστὶ σοφὸς, δυνατὸς ἅμα καὶ πολύολβος.
» *Non extollaris sapientia, neq; fortitudine, neq; diuitiis,*
» *Vnus Deus est sapiens, potens simul, & prædiues.*

Cætera vitia in malis tantum operibus valent, superbia vero in bonis maxime operibus est cauenda. Cum autem sit odibilis coram Deo & hominibus superbia, recte facis amice, te coram vtrisque humiliando, vt gratiam consequaris. Narciscum in perquirendis occultioribus nimis curiosum, vt vana dimittat studia, & nunc & antehac sæpe hortatus sum, qui nescio quid magni somnians, aureos sibi montes in breui nascituros promittit. Sinamus eum, pergat cæcus itinere cœpto, donec suo se frustratum desiderio intelligat, quemadmodum & cæteri ante eum omnes qui eadem fatuitate laborarunt. Fluctuare aliquantum cœpit audiens ex nobis earum periculum & difficultatem rerum, quas sine præceptore insequitur. Tuarum vero petitionum ex eo recipies solutionem. Vale sanus: Ex Neometi 24. mensis Augusti Anno 1505.

## XXXVII.

### *LIBANIVS GALLVS, IOANNI TRITHEM. SPANHEMENSIS cœnobii digniss. abbati S.*

NVLLA mihi requies mentis, ô pater Trithemi, donec euincamus hanc horam, non dixerim malorũ, sed exercitationis. Ad laborẽ sumus nati, laboremus agẽdo simul & patiendo, quoniam sic penitus oportet expeditq; nobis. Nõ metuas hanc hominũ aduersum te inuidiam, dabit enim rebus tuis sortẽ in breui meliorẽ. Eius amore patiẽter tolera, qui pro

qui pro te mortuus est in cruce, ne contristeris, sed tacitus mēte tranquilla sequere Dei cōsilium, quoniam aliorsum vocaris. Custodi propositum tuum, neque diuitias cures, neq; vanissimos mundi honores. Finem cogita quo tendimus, principiū a ma vnde sumus. Tri- *Tritemius,*
temium te precor agnoscas ter mentis acie magnum, Christianus imitando Christū, monachus contemnendo mundum, & philosophus non admittendo perturbationem, cum sis ter magnus, & in Christi amore beatus tandem euades. Saturnum aliquantulum quoniam tibi non satis prospere mouetur, qp & prædixeram cū præsens tecū in tuo essem cœnobio, declinandum scias. Marte quidem & Mercurio in breui (crede mihi) cū bona quāuis humili conditione releuaberis. Neq; enim Deus te derelinquet, o Tritemi, neq; Libanius. Audi consiliū eius quem contemnere non licet. Da locum inuidiæ, meliora tibi parantur. Post quindecim Lunas vocantem sequere nec prius. Vade nunc vocante philocrypho magno cœlo patefacto reuersurus, tum aut me aut nūcium meum Neometi videbis. Libros autem tuos archanorum testes caue Saturnus aspiciat. Itineri esto paratus, & nihil obliuiscaris eorū, quæ ad nostra conducunt. Silentio anacrisim serua, nec ante tempus emitte columbā. Caput erige sursum neq; deflectito. Pœnos linque mēdaces, vt intelligāt sero quid bonum. Caue, o Tritemi, ne solis radios cauernis inducas, quoniam pernitiosi dracones. Aerē sublimiorē non nisi semel abscondas in terram. Bobus & capris non porrigas tuum panem, nec spiritum per ianuas minores emittas. Vnus esto tecum, & caue ne solus. Multitudinē fugito omnem, quia vnum est omnia, & sine vno est nihil. Manu cæcum ne ducas, sed baculo tantum. Aquam vino non misceas, nec sit in mensa tua panis duplex. Aues in sole non nutrias sed in vmbra, & canibus non ostendas penitus vitrum aut speculum, quia periculosum est. Vmbram ne verberes, quoniā iniuria est solis. Formicis vtere, si auium captu forsitan delectaris. Lucē in aqua diuide, ne congelata stridescat. Animęquior esto, nec deficias, o Tritemi, quoniam si alius nemo tui curam habere voluerit, certe Libanius habebit. Sunt nobis amici Reges & potentes, qui te nomine tantum scientes libentissime fouebunt. Nihil permittit omnipotens sine causa, nec desperandum est de summæ bonitatis clementia. Scio quod timeas Deum, & mentis acumine sublimatus nec prospera mundi curas, nec formidas aduersa. Vnde talem te nactus discipulum, omnia quæ mea sunt tibi libenter communicaui. Tu tantum in Christo manēs fidelis, in vno solo, quod licite potes, Pythagoricus esto. Vale plus quam alter ego in eo qui solus est semper. Ex sancto Quintino 6. die mensis Iunii Anno 1505.

## XXXVIII.

### *IOAN. TRIT. ABBAS SPANHEMENSIS LIBANIO suo præceptori vnico salutem.*

LITERAS tuas dulcissimas, præceptorum optime, 14. die mensis Iulii apud Coloniam Agrippinam, vbi conuentus celebrabatur Alemaniæ principum, Rege nostro præsente, accepi, legi, & intellexi. Sequar consilium quod dedisti, tametsi grauissimum futurum sit murmur inter nostros, quorum in me lingua bacchabitur. Melantius totum cum suis in nos malum susciauit, quem non dubitamus casurum in foueam quam parauit. Paria nobis consuluit tuis noster Astrophilus dictis, nec in vno quidem deflexit sententiam. Vocauit me princeps Marchio Coloniā, & obtinuit vt cum eo vadam, ad tempus māsurus in Marchia. Tua custodiam non modo præcepta, sed & consilia pro viribus ipsa. Bobus & capris fœnum subtraxi, & magnum mihi cum simiis bellū, sed hactenus victor euasi. Magno tui desiderio feruet Ioachim Brandenburgensium Marchio, princeps æterna memoria dignus, iuuenis annorum vnius & viginti, peritus lingua latina, & studiosissimus veræ sapientiæ amator. O si vnquam fieri posset, vt te coram videre & alloqui mereretur. Humanissimus est princeps, & qui discere non solum non erubescit, sed & maxime cupit. Vellem ad eum scriberes quam primum, à nobis argumentum sumens, mitteresque aliquid ex officina Pelagii. Ita velim agas, quatenus vter nostrum exierit prior, qui remansit alterius sui hæres esto. Consolationibus tuis fortior mens facta est, tibique vicem reclinat libens quam debet. Ora mecum, precor ad DEVM, vt quod volumus, maximeque velle debemus, nobis ille concedat. Scribo sapienti & DEO dilecto sacerdoti, qui nos iuuare potest precibus & votis, vt mens reformetur inuersa, sit vnum in amore & cognitione vnius summi boni, PATRIS, & FILII, & SPIRITVS Sancti, gratiam assecuta principii, à quo multitudine labitur, vnitate ad ipsum reformatur. Vtinam o præceptorum omnium post DEVM fidelissime, vel nunc tandem fieri posset quod

optauimus sæpe, quo nobis veros & sanctos liceret imitari sapiētes, qui per abstractionem sibi veraciter vnitum cum ardentissimo amoris desiderio in Deum salutis tramitem tenuerunt. Quid nobis & mundo, qui hinc velociter migraturi sumus? Ecce quam mihi amatores mundi mercedem tribuere, quā Deo seruire prælatus monachorū sine mundo non potui. Nihil vnquam vt nosti, quæsiui mundanū, nihil amaui terrenū, omnes mundi voluptates fugi atq; despexi, & persecutionem ab hominibus sustinui gratis, sine demerito, sine causa, sine culpa. Deus autem omnipotens cui soli placere cupio, hāc super me tribulationem nec iniuste nec sine causa permisit, cuius bonitati gratias ago, quia in veritate cognoui hanc æmulorum aduersum me iniuriam non parū mihi prodesse. Accipio quod meum est cum patientia, quantum indulserit Dominus Iesus: ipsi qui nō merenti coram hominibus intulere contumeliam, viderint quo zelo ad inferendam fuerint inducti. Non moueor iniuria mihi facta, dum videor mecum, sed cum tranquillitate mētis dicere possum: Conscia mens recti, famæ mendacia spernit, sciens verum quod illi in vitium credula turba sient. Nil de me dubites amantissime præceptor, faciam pro viribus quod Christi decet amatorem atq; discipulum, feramq; mente tranquilla quæ nobis ferenda proposuit. Quid ni ferrem patienter, qui & Christianus sum & monachus, magnæ non ignarus mercedis. Tu pro me ora ac vale. Hæc scripsi ex ciuitate Neometensi vicesima die mensis Augusti, & per Narciscum medicum Parisios in domum Caroli Bouilli de sancto Quintino oriundi Theologi, quem nosti, amici nostri, tibi præsentanda ordinaui, nec dubito quin fideliter ad te perferentur. iterum vale. Anno Christi 1505.

## XXXIX.

### *IOAN. TRITEM. ABBAS SPAN. CAROLO BOVILLO DE S. Quintino theologo Parisiensi S.*

SVBIRATVS sum, Carole Bouille, harū latori Narciscō, quod nos te inscio Parisios exiuit, quia tuas volebā habere literas. Te tamen bene valere nunciauit, à quo statum rerū nostrarū, & quid super his mente geramus, auditurus es. Memorē te facimus promissionis tuæ nobis anno factæ priore, cum in nostro nobiscum esse cœnobio Spanhemensi per dies 14. vt quæstiones illas sacræ scripturæ profundissimas, quarum capita dudum in Spanheim consignauimus, quam primum absoluas, nobisq; vt pollicitus es trāsmittas. Erunt enim perpetuum apud nos memoriale nominis tui, & mutuę testimonium dilectionis. Valde nos delectant omnia quæ in literis explicaueris, quoniam veterū more doctorū solidus es & veritatis enucleator lucidus, neq; verborū multiplicatione superflu⁹, neq; deficiētia in his quæ fuerint necessaria recisus. Ea quæ de intellectu scripsisti & mihi cōplacuerūt & multis. Continēt. n. verā Christianorū theologiā, purā & absolutā, quæ mēti cognitionē & affectui cōfert summi boni desideriū, cōsistens in se pura, integra & cādida, sine cicatricib. exterarum traditionum. Nūquam mihi placuit quorundā curiositas, qui humana commiscent diuinis, & sacrā scripturam, quæ & pura & sibi sufficiēs est & nobis, gentilium loquacitate commaculant. Cōtra quos beatus Hieronymus in epistola loquitur ad Damasum Papam. De scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquētiæ ducēdus est riuulus, nec aures Quintiliani floscu-lis & scolari declamatione mulcēdæ, sed pedestris & quotidianæ similitudinis & nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, & obscura manifestet. Scriptura enim Dei manifesta est, testimonium Dei lucidum est, sapientiam præstans paruulis. Non egent literę diuinæ plicis, non inuolucris, non replicis, quia hęc nō sapientiam prestant paruulis, sed eorum animos in confuso relinquunt, & per omnem vitam mentes hominum aberrare compellunt. Non qui plicant, non qui replicant, sed qui explicant & elucidant me (sacra scriptura inquit) vitam æternam habebunt. Vale, ex Neometi, 22. die mensis Augusti. Anno Christianorum 1505.

## XL.

### *IOAN. TRIT. DILECTIS IN CHRISTO SORORIBVS, RICHMODI ABbatissæ, ac vniuerso conuentui monasterii S. Laurentii in Sebach salutem.*

ITER crastino versus Marchiam diuina miseratione assumpturi, scribere vobis priusquā Neometim exiremus, o charissimæ in Christo filiæ necessarium fore iudicauimus & oportunum,

oportunũ,quatenus & vos ex nobis consolationẽ, & nos ex vobis orationum suffragia ad Deum haberemus.Hortamur ergo vos in Domino Iesu Christo cui estis despõsatæ,vt iuxta normã cœnobiticæ institutionis digne semper ambuletis, conuersationem in monasterio habentes puram,sanctam & immaculatam, sicut virgines decet cœlesti consecratas regi.Mẽtes vestras in lege Domini quantũ est possibile semper occupate, lectionibus diuinarum scripturarum cum dulcedine diuini amoris insistentes, vt inter laborandum manibus nunquam vobis desit materia sanctarum meditationum. Omnia huius mundi oblectamenta nobis interdicta sunt,quibus & spontanea voluntate vos renunciasse constat, dum in professionis vestræ primordio clara voce vnaquæq; vestrum decantauit. Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi,quem vidi,per spem fidei certissimam,quem amaui,in quem credidi,quem dilexi.Non licet vobis repetere quod semel pro Christi amore spreuistis, sed oportet vos in cõtemptu mundanorum perseuerare vsq; ad mortem,ipso saluatore nostro in sancto Euangelio dicente: *Qui perseuerauerit vsque in finem,hic saluus erit.* Matth.10. Mũdum ergo & quicquid in eo est pulchrum & amabile,vobis pro Dei amore semel contemptum amplius diligere nõ licet,nisi cum stultis virginibus à thalamo sponsi repulsam, & cum spiritibus apostaticis æternã velitis accipere damnationem. Mementote charissimæ in domino filiæ cui promiseritis fidem,& sic in omni puritate mentis & corporis viuite, vt per bonorum exhibitionem operum in desiderio diuini amoris iugiter feruentes,post huius vitæ terminũ ad eum possitis peruenire. *Nolite diligere mundum,* vt sanctus Ioannes ait, *Neque ea quæ in mundo sunt. Nam si quis diligit mundum,non est charitas Dei patris in eo. Transit autem mundus, & omnis cõcupiscentia eius: qui facit voluntatem Dei,manet in æternum.* 1.Ioan.2. Hoc autem scitote filiæ, quoniam Dei amor & mundi pariter in vno corde habitare non possunt,quemadmodũ & oculus cœlum pariter & terrã simulque minime contuetur. Mari iuste comparatur hic mundus,quia falsitatibus nimium est amarus,variis tentationibus & aduersitatibus inquietus,& reptilibus vitiorum vbique plenus.Hoc mare magnũ & periculosum mortalibus, vos o filiæ ad monasterium fugiendo per Dei misericordiam euasistis, deumq; in puritate cordis amando calcastis ipsum mare sæculi,pompis omnibus in professionis vestræ primordio renunciastis. Vnicuique vestrum summopere est cauendum, ne mentem sæculi vanitatibus implicet,quia nihil prodest corpore fugisse mũdum,si cor adhuc in eius amore occupetur. Euasistis mundum propterea corpore,ne qua mentem occasio in eius amorem colligaret. Est autem homini sua cupiditas quasi tempestas maris,cui si peccando consenserit, siue sit in monasterio siue extra,mundanus est,& maris obruitur fluctibus. Si Deum amando cupiditatibus mundi resistis,ambulas supra mare peruenies q; ad salutem. Si autem post cõcupiscentias tuas ambulaueris, tempestas maris procul dubio absorbebit te. Mundus enim amatores suos demergere in profundum inferni consueuit non portare,& nemo vnquam mundo credidit non deceptus. Contemnendus ergo nobis est mundus o virgines Christi,& nihil penitus diligendũ,non diuitiæ,non honores,non gaudia,non voluptates, non colloquia hominum,non salutationes,non munuscula,non laudes,non carnis solatia,non aliquis in vestitu ornatus. Vestræ sunt diuitæ Dei amor;& puræ conscientiæ testimonium,quibus acquirendis conseruandisque omni studio vobis semper est inuigilandũ. Nec decet vos Dei filio desponsatas, virginisque Mariæ eius intactæ genitricis pedissequas, in aliquo curam habere de mundo rebus q; caducis, sed hoc solum prouidere omni tempore debetis,vt ei complacere possitis,cui vosmetipsas obtulistis in holocaustum. Honores autem sunt ieiuniũ,abstinentia, & cõpunctionis lachrymæ, hominumq; sæculariũ & extraneorũ omniũ declinare cõspectus,detestari colloquia,salutationes spernere, munuscula & epistolas familiares contemnere,& nihil mundanũ penitus amare. Gaudia & voluptates monialiũ sunt lectionibus diuinarũ scripturarum insistere, sanctis se meditationibus occupare,orationi semper intendere,macerare carnẽ,mentẽ sacris ornare virtutib. & nullum tempus infructuosum expendere.Ornatus autẽ virginum claustraliũ humilitas est & puritas cordis,sine quibus nemo Deo placuit vnq̃. Christus enim Iesus omn potentis Dei filius,iustificator fidelium animarum, sponsus vester est, cui vos mente & corpore fideliter seruituras in puritate perpetuo mancipastis, vestrum in vobis ornatum requirit, non carnis sed cordis, non corporis sed mentis, non vestium sed virtutum,non exterioris pulchritudinis sed internæ puritatis. Huic vos, o virgines ornate non mundo, huic placere satagite non hominibus. Quotiescunque virgo monialis se hominibus, vt placeat in oculis eorum vestibus cultioribus exornat, Christo Iesu, cui desponsata est

*Nihil fallatius est mũdo.*

contumeliam facit. Ornatus enim tuus est spōsa Christi, homines fugere, & sicut diximus, ad fenestram colloquia declinare. Dicit namq; S. Ambrosius: *Vbique sit in virgine comes singularum virtutum pudor, qui indiuiduus debet esse cum virginitate, quo & risus arceatur, & virginalis seruetur honestas.* Sit sermo virginis prudens, modestus & rarus, non tam eloquentia pretiosus quam pudore. Mirentur omnes virgine tacente eius verecundiam, & loquente prudentiam, in moribus quoque religiosissimæ vitæ prædicēt disciplinam. Sit cor tuum, o sponsa Christi monialis & virgo, ab omni labe concupiscentiæ mundanæ purum, sit ab omni macula inordinatæ affectionis mundum, vt præter Iesum nihil in hac vita cogitet, nihil præter eius dulcedinem amet. Dulce nomen Iesu quoties fuerit loquendum in ore tuo resonet, mens iugiter in eius amore tota suspiret, nulla in hoc mūdo quæratur præter Iesum consolatio, iugis memoria Iesu in corde virginis habeatur. Hoc enim Christi sponsam maxime decet, in eius amore cor suum & non aliunde iugiter occupare, vt veraciter in eius memoria æstuans dicere possit: amore langueo, non mundano sed cœlesti, non carnali sed spirituali, non alicuius hominis mortalis, sed Iesu Christi Regis æterni, qui iudex est omnium viuentiū & mortuorū, de quo sanctus martyr Ignatius in quadam epistola dicebat. Amor meus crucifixus est. Et monialis virgo sciens amorem suum esse DOMINVM IESVM Christum, & eum pro nobis omnibus miserabiliter crucifixum, semper in exercitio eius amarissimæ passionis legendo, meditando, & compatiendo versetur, nec diem transigat vllum in quo tanti amatoris & sponsi pro se habitos labores ad minus non semel recogiter. Vera enim Christi amatrix non est quæ mentem suam in eius amarissima passione vsque ad lachrymas meditando non occupat, sed risibus & leuitatib. mundi potius dedita, sacratissimi domini sui & sponsi obliuiscitur. Quemadmodum vero in memoria dominicæ passionis vos vtiliter exercere debeatis, & dudum ex nobis audiuistis & sermonibus multis. Maximum enim deuotionis fructuosissimum spiritualis profectus exercitium, memoria est iugis Christi in nos beneficiorum. Vt ergo placere ipsi possitis soli cui vos deuouistis, omnia quæ sunt transitoria pro eius amore vobis contemnenda sunt, quia non potestis Deo seruire, & mundi vanitatibus intendere. Orate pro me dulcissimæ in Christo filiæ, vt omnipotens incolumē me reducat, & in sua voluntate sanctissima vbique custodiat. Daturus iniuriātibus locum pergo in regionem longinquam, de reditus mei die incertus. In Christo valete. Ex Spira 26. die mensis Augusti Anno Christianorum 1505.

*Vera meditatio passionis Christi est meminisse beneficiorum eius.*

## XLI.

### *IOAN. TRIT. AB. MONASTERII S. MARTINI IN SPANHEIM PRIORI & Conuen. suis in Christo filiis & fratribus amantiss. salutem & cha.*

CVm Neometim vicesima septima die mensis Augusti Marchiam intraturi hanc Brandenburgensem, egrederemur, propositi fuerat nostri ante festum sancti Martini reditum maturare, nosque Budorim ad Sereniss. conferre principem quousque temeritas æmulorum in nos debito fine terminaretur. Venientes autem in Berlin Marchionis illustrissimi oppidum residentiæ cōtinuæ, vndecima die mensis septembris, clementer ab eo fuimus suscepti, munifice quoque tractamur, cuius voluntati cum reluctari non debeamus, vsque ad festum Paschatis manere cum eo consensimus, & quidem non sine cōmodo nostro sicut confidimus. Verum ne vos mutatio propositi necessaria lateret, oriretur-ue siniſtra de nobis aliqua inter vos suspicio, fratrem Theodoricum capellanum nostrum, harū portitorem literarum ad vos mittere decreuimus, quo statum nostrū referēte per omnia cognoscetis. De reditu autē nostro ad monasterium meum Spanhemēse fratres hoc vobis quod sæpius mandaui iterum denuntio, nihil temere futurum, sed omnia cum matura deliberatione & amicorum consilio facturus sum. Si vultis me Patrē habere vobiscū æmulorum meorum conspirationes delinate: quod si contempseritis, quicquid inde secutum fuerit, non mihi sed vobis imputandum noueritis. Ego enim & meliori conditione viuere, & cum maiori tranquillitate Deo seruire possum extra Spanheim, quam apud vos potuerim vnquā, si proprię vellem, vtilitatis commoda sectari. Sunt reges & principes mihi & noti & compatientes non pauci, quorum fauore non solū iniurias vindicare possem si vellem, sed etiam statui meo sufficientem prouisionem inuenire. Sed amore illius qui pro nobis mortem in cruce sustinuit, neq; vindicare contumelias mihi factas, neque vos deserere volo, nisi forsitan deserar primū à vobis. Quod si factum fuerit, non me propter me, sed potius propter vos tamdiu per incerta vagatum experiemini. Ducem quoq; vestrum mihi sine demerito infensum ad agnitionem veritatis reducite, & quam temere

in nos

in nos processerint mendaces instruite: si quo minus, ecce iterum denuntio vobis illū non me habiturum dominum, qui me non habet prælatum, neq; illius me subiiciam imperio, qui iniustitia & tyrānide armatus, Dei iustitię non vult esse subiectus. Palatinis faui rebus, propterea persecuti sunt me gratis: quid facturi sunt æmuli si dixero, sed & fauebo quādiu in me spiritus resederit vitæ? Dominum & defensorem cœnobii mei, nobis vt nostis principem semper clementissimum Philippum Palatinum, in his quæ non sunt contra Dominum vniuersorum nūquam potero denegare. Vnicuique suum ius inuiolatum permittā. Valete fratres & orate pro me in terra constituto aliena. Ex Berlino 20. die mensis Octobris Anno 1505.

## XLII.

### *SERENISSIMO INVICTISSIMOQVE PRINCIPI, PHILIPPO COMITI Palatino, Rheni, Bauariæq; Duci, principi electori, Ioan. Trit. S.*

SERENISSIME princeps, manere in Marchia diutius quā propositā cōpellor, excellētissimi principis Ioachim Marchionis imperio detentus, cuius sanctissimæ voluntati non debeo reluctari. Multa enim clementia paruitatem meam prosequitur, & magna sæpius postulatione instetit, cupiens ne ante festum Paschatis hinc recedam. Ea tandem cōditione interposita manere in Pascha consensi, vt nuncio cum literis ad tuam Serenitatē missō, à te quoq; manendi potestatem impetraret. Quocirca cum facile impetraturus sit à tua excellentia quod postulat, ego clementiam tuam quam humilime duxi rogandā, quatenus interea super fratres & monasterium meum pietatis dignetur habere respectum, ne temeritas æmulorum in oues quoq; prorumpat, quæ pastori non pepercit. Me quidem sine causa innocentem persecuti sunt, & odio me gratis habuerunt, propterea de consensu tuæ serenitatis volens declinaui ad tempus, quo mihi vtilius cum mora paretur cōsilium. Te autem sereniss. princeps, æmulorum meorum temeritas non latet, qui vnde moueantur contra innocentem examussim considera. Nec opus est mores hominum tibi describere notissimos, vtpote qui animos suos tuis rebus aduersos, & tempore illo quo hostes sæuierunt in populum tuum satis demonstrarunt, & nunc quoq; per sequētes propter tuum in me fauorem innoxium clandestine sub specie boni non abscondunt. Ego autem eorum proteruiam patientia vincam, & ipsi tandem in suo liuore tabescent. Vale princeps magnifice. Ex Berlino 20. die Octob. Anno 1505.

## XLIII.

### *IOANNES TRITHEM. IACOBO TRITEMIO, fratri dulcissimo S.*

SI vales bene quidem est. Nos enim miserante Deo valemus. Neometim intraturi huc 27. die mensis Augusti cum nostra familia curru exiuimus, te adhuc in Colonia constituto, & vndecima die mensis Septembris oppidum residentiæ Marchionis Berlin dictum intrauimus. Erat autem in venatione princeps veteri tum consuetudine occupatus. Altera mox die nūcius mittebatur ad eum, qui nos venisse intimaret. Qui vt me adesse cognouit, lætatus est, nunciumque interrogauit, cur te non adduxerim mecum. Viuimus nunc in terra quidem aliena sed optima, omnibus corpori necessariis copiose referta. Princeps nobis munificus & clementissimus est, de cuius prouidentia in omnibus quam largissime sumus prouisi. Redire ad Rheni partes circa festum sancti Martini disposuimus, sed principis instantia nostrum mutauit propositum, eoq; perduxit, vt manere vsq; in Pascha cōsenserimus. Propterea te hortamur, vt ad nouum te castrum conferas, ibi cum Ioanni Damio fideli nostro mansurus, donec veniamus. Nolumus te lauare laterem, & seruire carentibus cerebro, sed optamus potius studio te occupari literarum, & maxime diuinarum, per quarum scientiam mens in cognitionem & amorem summæ veritatis consurgit. Curiositatem fugitare non pudeat, illasque detestare scientias, quæ diuino repugnant amori. Est enim magna inter curiosum & studiosum hominem differentia. Curiosus enim earū rerum cognitione cupidus est, quæ nihil ad eum pertinent, nihilq; vtilitatis honestæ cōducunt. Studiosus autē earū rerum scientia cupidus est, quarū cognitio ad animum nutriendum ornandumq; liberaliter & ordinatione pertinēt honesta. Studiosum non curiosum te esse cupimus, quoniam vt sanctus Bernardus ait, primus superbiæ gradus curiositas est, gratiæ spiritus sancti contraria, cuius doctrina non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. Propterea dicit scriptura: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Ecclesiast. 3

*Curiosus.*

*Studiosus.*

*Si enim fueris plurimum scrutatus, frequenter miraberis.* Necessaria & vtilia nobis discēda sunt, quorum scientia mentem à terrenis segregatam, & in cognitionem summæ veritatis illuminet, & in amorem sempiternæ bonitatis inflammet. Stultum est omissis vtilibus & necessariis vana & inutilia discere, & creatore neglecto circa creaturas mentē occupare. Pernitiosam & plane damnabilis multorum hominū huius tempestatis curiositas est, qui saluberrima Christi humilitate contempta, vt docti videantur & magni, diligentissime perscrutantur, quid Plato, quid Aristoteles, quid Anaxagoras, quid Democritus, quid Pythagoras, & cæteri huiusmodi senserint, quos constat à cognitione & doctrina summæ veritatis longe fuisse alienos, quasi nobis desint ex nostris philosophi & viri doctissimi, per quorū imitationem oporteat fieri desides, vt merito gentilium sapientia, necessarioq; nobis videatur exponēda. Multos habemus gentilium philosophis meliores, quorum debemus imitari doctrinam, sanctos videlicet Christi Apostolos, Petrum, Paulum & Ioannem, eorumque sequaces, Origenem, Athanasium, Hilarium, Irenæum, Chrysostomum, Basiliū, Eusebium, Firmianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Bedam, Rabanum, Bernardum, & reliquos catholicæ fidei doctores, quorum certa de veritate sapientia Christianas mentes ad iustitiam imbuit, intellectum veraciter illuminat, charitatem format, animasq; viuificat. Hos pro viribus imitare sapientes, & eorum libros legēdo discendoq; vtilia sæpius reuolue, nec tempora iuuentutis tibi data inutiliter transire patiaris. Otium vt pernitiosam animi pestem fugito, quoniam industriæ & studio maxime cōtrarium est, mentemq; vt ferrum rubigo consumit. Occupandū est bonis studiis ingeniū, & veræ sapientiæ desiderium altius inserendum, vt cum senectus aduenerit, mens cœlestibus informata doctrinis ad quaslibet fortunæ facies armata consistat. Neque fratrem te nos imitari pigescat oramus, qui annorū vitæ transactæ, vt nosti, tempus omne studio scripturarum vsq; ad inuidiam ranarum impendimus. Quod nisi fecissemus, vbi nunc, fortuna sæuiente in nos frater, puras nisi vbique iaceremus: Nam etsi parum euasimus docti, consistere tamen in nobis Deo iuuante didicimus, varioque & fallaces fortunæ contemnere vultus, & intelligere quis sit ignorantiæ finis. Quæ nostra sunt nemo tollet à nobis, quippe qui nostra nobiscum portare didicimus, omnis parui iacturam terreni facientes. Neque huius vitæ nobis defutura timemus necessaria, promissum Dei in sancto Euāgelio certissimum habentes, quoniam ipsi cura est de nobis, & quærentibus in primis cœlestia, nec victus penuria continget nec amictus. Vnde fratrem te hortamur, bonorum imitare studia, non ad vanitatem & quæstum, sed mentis ad cultum, quo lumē veritatis agnoscas, agnitum diligas, dilectum sine fine possideas. Iterum otium fugias monemus, quoniam in desideriis est omnis ociosus, & multorum scaturigo vitiorum, animæ inimica est otiositas. Emollit otium vires, lumenque mentes exterminat, & hominem viuum trunco similem reddit prorsusque inutilem. Nemo vnquam factus est otio magnus, nemo doctus, nemo excellens aut memoria immortalis. Quomodo viuit qui nemini viuit? Viuit autē nemini qui semper est otiosus. Ad agendum nati sumus, quoniam natura quæ nobis tempore nihil pretiosius dedit, otium & vacuum abhorret. Post laborem quies & non desidia tibi sit quantula sufficit, quatenus ad agendum fortior consurgas, non vt remisso labore penitus otio torpescas. Ama studium sanctarū scripturarū, & nunquā eris otiosus. Nam & carnalis amator ille de suo dicebat amore, nos in studio scripturarū comprobauimus verum. Qui non vult fieri desidiosus, amet. Amor verus nunquam est otiosus. Sed vale. & ama bona, honesta & vtilia. Iterum vale, Ex Vrsulo in Marchia Brandenburgēsium, 20. die mensis Octobris, Anno Christianorum 1505.

*In religione discenda, apostolica doctrina & nō philosophia tenenda est.*

*Matth. 6. Luc. 12.*

*Otium quā malares sit.*

## XLIIII.

### IOANNES TRITHEM, ABBAS SPANHEMENSIS, Rogerio Sycambro salutem.

MISSVRVS capellanū meum ad partes Rhenanas optime Rogeri, me ipsum prohibere non potui, quo minus literis te nostri status ratione facerem certiorem. Viuimus hic per Dei misericordiā corpore sani, non vltimo apud principē loco habiti, doctorū tamē virorū solatio pene destituti. Homines quidē boni, sed nimis barbari & indocti commessationib. & potationibus magis dediti q̄ studio bonarū literarum. Rarus hic homo studio deditus scripturarum, sed quadam innata eis rusticitate conuersantes otio gaudent & poculis. Mihi autem satis admodum incolarum placent mores, quoniam magna feruent in religionem Christi obseruantia & deuotione. Dei templa visitant diligentissime, festa sanctorum

sanctorum reuerenter concelebrant, & indicta eis ieiunia tenacissime obseruant, tantoque sunt in Dei cultu seruentiores, quanto cum nouissimis Germaniæ populis ad Christi fidem noscuntur conuersi. Solus bibendi excessus nomen vitij non habet, quanquam & multi apud eos reperiantur abstemij, & advenæ Francones & Sueui, vt frequenter sumus experti, plus in potationibus excedant quam indigenæ terræ. Tu autem Rogeri Deum ora pro nobis, vt cum salute hinc tandem egredientes ad patriam reuertamur, non quod Marchiæ laboremus tædio, summe enim nobis placet, sed vt reuersi ad Rhenum negocia nostra fine debito terminemus. Facilis enim pro Christo nobis obliuio, quoniam vbicunque fuerimus in Domini voluntate nos esse in patria arbitramur. Ante festum Paschatis non videbimus Rhenum, quia sereniſſimo complacendum est principi, qui vt maneremus diutius quam nostri propositi fuerat, instetit. Hæc te scire voluimus. Tu si quid habes rescribito & vale nostri memor. Ex Berlino 20. die mensis Octobris Anno Christianorum 1505.

## XLV.

### *IOAN. TRITHEM. IOAN. VIGILIO SVNSZHEMIO, Vtr. Iur. doctori S.*

LITERAS & meas & principis Marchionis prolixioris more in Marchia mei excusatorias misimus ad sereniſſimum principem Philippum comitem Palatinum per manus capellani nostri Theodorici, tibi quidem notiſſimi, quas principi exhibere tui sit officij precamur. Quæ circa me aguntur ex latore intelliges: quomodo nobis Marchia placeat his accipe paucis. Terra quidem bona est & fructifera multum, sed laborioſis indiget cultoribus, cum & ipsa sit vasta, latitudine ampla, & rustici pauci atque pigerrimi, potationibus & ocio magis quam laboribus dediti, de quibus dicere possumus: Marchianitis festiuitates & ocia pauperiem, ieiunia morbos, & potationes mortem accelerant, quoniam in his tribus plus quam cæteræ nationes Germanorum, videtur excedere. Sunt enim homines quasi natura ad ocium nati, & multis diuorum festis laborare vetantur, perpetua inopia preſſi, maxime qui morantur in rure. Ieiuniorum vero sunt omnium quos vidimus obseruantiſſimi, & in hoc vno laudabiles præ multis merito æstimandi. Sed maior eorum multitudo potationibus nimium dedita, meritum ieiunandi turpiter commaculat, vsque adeo, vt hic pene nihil aliud sit viuere quam commedere & potare. Hæc de moribus gentis. Nihil hic noui, nihil agitur rari, nisi quod inter Ducem Magnopolitanum & Lubecenses grauiſſimæ simultates oriuntur, quæ nisi amicorum consilio fuerint extinctæ, in bellū certe consurgent. Princeps autem meus sereniſs. Marchio, cuius sororem dux est habiturus vxorem, vices suas interposuit, multum pro concordia laborauit. Quo mediante induciæ factæ sunt vsque in pascha. Interea pax est, interdum pacis fiducia nunquam. Bonā sereniſſimi principis nostri Palatini valetudinem abs te scire cupimus, apud cuius maiestatem necessariam nostri moram oportune reddas excusatam. Vale, ex Berlino 20. die mensis Octobris. Anno Christianorum 1505.

## XLVI.

### *IOANNES TRITHEM. AB. SPANHE. IOANNI Damio monacho S.*

SCIRE te volumus amantiſſime frater, quod miserante Deo inprimis bene valemus, sumusque apud sereniſs. principem Marchionē bona conditione habiti, cunctisq; necessarijs abundantiſſime prouiſi, cuius voluntati annuentes, manere hic vsque in Pascha promiſimus. Fratri autem nostro M. Iacobo Trit. scripsimus, mandantes ad Nouum castrum se conferat, ibi mansurus tecum, donec & nos veniamus. Interea maneat tecum pietate magistræ, ne diutius salutaribus intermiſſis studijs habitare cum acataſtatis cerebro & memoria carentibus infructuoſe, vt hactenus, compellatur. Ingratis enim seruire moleſtiſſimum est, & nimis graue vt fructu suo fraudetur obsequioſus, & cui repēdendum fuerat præmium, reportare cogatur incommodum. Nimium sunt ingrati homines in terra Nayth commorantes, quod pro multis sæpe beneficijs eis non sine nostro diſpendio exhibitis sumus experti. propterea fratrem ingratis seruire non sine causa vetamus. De fratribus nostris quid agant nos facies certiores, si Cynonotorum proteruiam habueris exploratam. Dolus profecto reprimetur dolo, si non mutauerint impietatis consilium. Nulla nobis de illorum machinationibus cura est, quia nec fauorem cupimus, nec odium for-

midamus. Neque autem vindicare iniuriam contendimus, sed contemnere potius, scientes quod in foueam cadent reprobi quam fecerunt. Mentem non alligauimus loco, vt viuere extra Spanheim non possimus. Nam si necesse fuerit, mundus totus patria nobis est. Vnum cœlum terram operit vnam, vbicunque fuero in terra sum huic continua, peregrinus non ad Spanheim sed ad cœlestem patriam anhelans. Deus vnus omnipotens vbique est, & nullibi deest, in quo sumus, viuimus & mouemur, vbicunque locorum fuerimus. Facilis ergo nobis vnius iactura cœnobij, si Deo placuerit, sit, in quo paupertatis & laboris plurimum, delitiarum & quietis nihil vnquam sumus experti. Sed vale & ora pro nobis, vt Dei solius compleatur voluntas. Ex Berlin 20. Octob. Anno Christi 1505.

## XLVII.

### IOANNES TRITHEM. IOANNI BRACHTIO, PRIORI S. Matthiæ apud Treuiros S.

CAVSAM absentiæ nostræ à monasterio nostro Spanhemensi charitati tuæ antehac scripsimus ex Colonia Agrippina, moram vero in Marchia nunc literis duximus intimandam, æque ex Colonia, sed altera Spreuiana iuxta Berlin in ipsa Marchia, vt status nostri habens notitiam propter nos minime contristeris. Diuina nos miseratione protegente sani & incolumes sumus, rebusque nostris ita prouidimus, vt si oporteat viuere extra Spanheim libere possimus. Principem habemus nobis in omnibus fauorabilem, de cuius munificentia prouisi nullius indigentiam habemus. Ante Pascha non reuertemur ad Rhenum, ipsius principis voluntate ad manendum interea persuasi, vt ea quæ pro ipsius honore inchoauimus ad finem debitum perducamus. Et reuera nisi professioni nostræ sciremus esse contrarium, nostrumq; minime decere statum in curijs principum versari, nunquam hinc discederemus. Proponuntur enim nobis conditiones quam optimæ, si manere cum principe in toto vellemus, sed ne monastico faceremus iniuriam proposito, curias principum oportet non amare. Ita vero itinere transimus rationabiliter secato, vt nihil refutemus ex sententia nobis oblatum, donec videamus quid necessitas tandem indicat assumendum. Reuertemur itaq; Deo largienti post Pascha ad Rhenum: ad monasterium vero nunq̃ intrabimus, nisi æmulorum nostrorum prius temeritatem cõtigerit humiliari. Quod si cum Cynonotis in pertinacia sua duxerint permanendum, Spanhemensi abbatia spontanee dimissa, Dei ordinationem sequemur. Confidimus enim Dei omnipotentis bonitati, quoniam in finem non despiciet, quem ipse nouit æmulorum inuidia læsum sine culpa. Tametsi nobis nõ mediocriter sit pensiculandum, ne forte summæ voluntatis Dei ordinatione aliorsum vocemur, tanq̃ arbor inutilis pro fructu ferendo vberiore in terram transplantandi meliorem. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Semper ergo nobis timendum, & cum silentio diuinum sequẽdum consilium. Ipsi enim cura est de nobis qui fecit & creauit nos, cuius miseratio nobis vtilior est, quam omne nostrum consilium. Pergam igitur Dei consilium libens & voluntarie secutus, quocunque fuerit eundum, arborq; si placeat illi eradicata inutilis, transferar vt fructus patientiæ feram vberiores. Vale feliciter. Ex Berlino 20. mensis Octo. Anno 1505.

## XLVIII.

### THEODORICVS EPISCOPVS LVBECENSIS, IOANNI TRIthemio Abbati Spanhemensi S.

IAMBLICVM vt tibi commodaremus te summopere desiderare, pater optime, magnifici nostri Ololyci de lapide militis, tum & aurati, tum & literarum candidati narratione cognouimus. Quem, & si nostra domo charissimi honestissimique philosophi loco seruamus, tamen & vna cum Proclo, Porphyrio, Synesio, cæterisque conphilosophis suis sibi coadunatis, tibi non minus voluntarie quam hilariter transmisimus, mandantes illi, vt te nobilem hospitem nostri nomine salutatum pergeret. Credimus etenim tantos sapiẽtiæ viros eo tibi fore gratiores, quo eorum dudum vsus es familiaritate. Suscipe igitur optime pater quam iucundissimos ex archanis philosophiæ latebris te alloquentes nobiles ipsos nuncios nostros, nihil pol rigidi salebrosique, sed condimenta sapida græcorum academijs philosophicis scite festiueq; manibus præparata deferentes. Quorum cum ad satietatem vsus familiaritate fueris, ad nostras redeant ædes age. Vale scripturarum candens armarium, nosque te adamantem ama. Ex Lubus die Veneris 24. mensis Octobris Anno Christianorum M.D.V.

XLIX.

## XLIX.

*REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, THEODORICO EPISCOPO Lubecensi, Ioannes Trithemius Salutem.*

IAMBLICVS Academicorum sacerdos, manu sereniſſimi principis noſtri ædes meas introductus, tuo me nomine ſalutauit. Lætus admiſi philoſophum noſtris inſtitutis nonnunquam ſe ingerentem, quem dum lego vnà cum Proclo ſuo conphiloſopho, profundiuſque intueor, non eos ſed Areopagitam Dionyſium legere plerunque inuenio. Et hoc mihi factum more veterum placet, quippe qui potare de riuulo interea ſum contentus, donec ad fontis mihi ſcaturiginem puriſſimi liceat peruenire. Gratias habeo tuæ humanitati doctiſſime præſul, qui me non audentem petere tantis hoſpitibus honoraſti. Vtar eorum lectione tempore modico, faciamque mox tua repetant ſcrinia. Vitam Appollonij Thianæi quodam enchiridio impreſſam ex Colonia Agrippina mecum nuper attuli, cuius inire iudicium occupationes me principis hac vice non permittunt. Vereor enim præcipitem dare ſententiam, propterea vel maxime, q̃ diuus Hieronymus in proœmio Bibliothecæ ſacræ non ſine laudibus videtur introduxiſſe Apollonium. Examinanda ſunt prius à me ſingula quam primum per ocium licuerit, poſtea meam ſine cuiuſquam præiudicio dicam ſententiam. Vale præſulum decus, & me dediticium habeto cõmendatum. Ex Colonia iuxta Spreuum & Vrſulum vltima die menſis Octobris. Anno Domini 1505.

## L.

*IOANNES TRITHE. IOAN. EVRIPONO CARMELITANO, Conuentus Damenſis S.*

MANDAVIT nobis ſereniſs. princeps noſter Marchio Brandenburgenſis, tibi ſcribe-remus, vt quantotius ad nos Coloniam reuertaris, & afferas tecum ea quæ Prior tuus maieſtati ſuæ promiſit. Nos opus noſtrum de laudibus ſanctorum abſoluimus, q̃ te vt reſcribatur expectat. Moras igitur omnes reſcinde, ne principis animum offendas. Heſterno veſpere Capellanus noſter Theodoricus à partibus transrhenanis ad nos reuerſus eſt, & ſteganographiam noſtram, quam tantopere videre deſideras attulit. Vale ex Vrſulo 15. die menſis Decembris. Anno Chriſti 1505.

## LI.

*REVERENDO IN CHRISTO PATRI IOAN. TRITHEMIO, Eucharius Heimerius S.*

REVERENDISSIME pater ac colendiſſime præceptor, tuam reuerẽdiſſimam dignitatem ſanam incolumemq; & bene valentem intelligo & maxime ſum gauiſus, orans omnipotentis Dei clementiam, vt ſanum Neſtoreos conſeruet in annos, teq; ad nos cum ſalute reducat. Hoc vnum quã humilime precor, vt tua ſeſe dignitas ſplendidiſſima, quantotius abſoluere à ſtrepitu curialium nugarum velit, & ad nos redire dignetur. Valde namque indignum eſt tam nobile ac prope diuinum ingenium tuum ſeruire principibus, tum quia tu ipſe princeps es magnus, doctrina & ſapientia melior illis cum quibus verſaris, tum quia columen, gloria, & vnicum patriæ noſtræ es decus, quo abſente omnes cecidiſſe videmur. Taceo quod te patre ſapientiſſimo abſente à monaſterio tuo perperam & negligenter omnia gerantur, & remoto paſtore neceſſe ſit periclitari oues. Satis etiam nos longe experientia doctus, in principum curijs nihil eſſe firmum, nihil ſtabile, nihil certum, ſed caduca omnia, ſuſurrijs & adulationibus plena. Ad nos itaque pater optime quantotius reuertere, vt cum philoſophicis atque diuinis inſtitutionibus habeas tuo more commercium, noſque vt conſueuiſti tuarum lucubrationum cupidiſſimos ſcriptis & exhortationibus ſanctis refoueas. Indignum eſt enim te hominem philoſophicis ſacriſque imbutum ſcripturis ſiliquis immiſcere mundanis, margaritaſque inuoluere ſterquilinio: & qui multos erudire ad iuſtitiam conſueueras, diuini luminis iubar in vnius anguli tenebris abſcondere. Hæc non docendo ſus Mineruam ad te patrem eruditiſſimum ſcripſerim, ſed quam ſingulari beneuolentia à te præceptore meo diſcipulus aſſecutus ſum confidentia vt auſim effecit. Doleo enim lumen noſtrum ſplendidum à nobis ablatum, quare humilime oro, tua mihi benignitas indulgeat, qui me tibi fidelem non ignoras. Abbatis Lympurgẽſis negocia quotidie ſeſe in deterius diſponunt: ipſe quoque Neometi rarus eſt, lenteq; ne dicam remiſſe nimium agit. Operæ precium fuerit te adeſſe, vt tua dirigeretur ſolertia,

cum ipse sua probitate simplex versipellium astutias non satis intelligat. Cogita demum pater colendissime de tuo fratre vnico, magistro Iacobo Trithemio, mihi quidem amicissimo, ne frustra laborans apud Lympurgenses ingenij nobilis iacturam patiatur. Nihil enim ab eis emolumenti consequi poterit, qui lapides & ligna reuoluentes nullum penitus habent commercium cum studio scripturarum. Homo est natura gracilis, ad philosophiã natus non ad labores rusticorum, qui si quid magni se consecuturum sperat, ab istis hominibus certius certo seductum se sentiet. Esto pius in tuos qui in alienos semper clementissimus esse consueuisti. Tot enim tantisque notus ac familiaris principibus cum sis, non erit tibi difficile fratri aliquod impetrare munus Ecclesiasticum, vnde vitam honeste cum literis ducat. Qui toties pro alienis deprecatus exauditus es, pro tuis interueniens nullam patieris repulsam. Valeat tua dignitas per secula multa. Ex Spira Idibus Nouembris Anno salutis M.D.V.

## LII.

## IOAN. TRITH. EVCHARIO HEIMERIO

*Neometensi Salutem.*

PVLCHRE mones, Euchari, ad nostra citius reuertamur, quasi non vbique sit nobis patria, quibus & Christiana religio patrem & matrem deserere pro Dei amore præcipit, & monastica institutio contemptum terrenorum omnium indicit. Nos enim quadam necessitate compulsi principem sequimur, non vt curiales, sed potius vt consilio & auxilio indigentes, vtpote qui derelicti à necessarijs grauiora pericula formidamus. Quam temeratam à Cynonotis contumeliam susceperimus te minime latet, sub quorum diutius militare imperio non facile consentiemus. Cum his nonnulli ex nostris infidelitatis spiritu pleni conspirantes in nos, maliciæ virus addiderunt, qui circumgyrantes multorum nobis æmulorum inuidiam auxerunt. Placuit ergo nobis ad tempus cedere malis, donec tandem experiantur nostri, quid eis nostra eatenus præsentia contulerit boni. Et quia non satis constabat, quando patria exiuimus, qui fuerint tantorum in nos auctores malorum, & qui ex nostris conspirasse cum æmulis dicebantur, se omnes clamabant esse innoxios: de consilio & assensu clarissimi principis mei Philippi comitis Palatini (quod te minime latet) crebris postulationibus Serenissimi principis Ioachimi Marchionis Brandenburgensis euicti, patriam relinquere consensimus, ad festum Paschatis Deo largiente reuersuri ad Rhenum. Interea si pœnituerit æmulos patratæ contra nos temeritatis bene factum erit reuertemurque ad monasterium: sin autem in sua pertinacia permanserint, si pro iniurijs se non recognouerint, si fratres nostri non aliter quam hactenus cum duce suo tractauerint, hærebimus & nos nostro consilio, neque humiliabimus nos inimicis nostris, neque ad monasterium reuertemur, sed prouidebimus nobis de alia mansione, vbi cum pace & tranquillitate omnipotenti Deo in ordine seruiamus. Iustam enim causam indignationis habentes iniuriarum non facile possumus obliuisci, neque deinceps hominibus illis confidimus vnquam, qui in nullo à nobis læsi, tantam in nos contumeliam agere præsumpserunt. Sufficiat æmulis nostris quod pro Christi amore patientiam habentes vindictam non quæramus, & cum possemus vlcisci contumelias silentio transimus. Putabant nos mente vni colligatos loco, & quod nobis in despectum fecerunt necessario non curare, quasi extra Spanheim nobis desit locus ad manendum. Confidimus in Domino Iesu qui nullum dereliquit vnquam ad eum in tribulatione clamantem, quoniam miserebitur nostri, & parabit nobis locum, vbi cum maiore pace & tranquillitate ipsi vacemus, quam in Spanheim potuimus vnquam. Non delectant nos (vt tu arbitraris) curiæ principum, neque terreno principi nisi oporteat, statuimus adhærere, quanquam non desint plures, qui nos magno desiderio admitterent perpetuo refouendos. Hoc nobis continuum studium contulit scripturarum, vt mentem non loco figamus sed veritati. Quæ de fratre monuisti libenter accepimus, cui fors cum tempore pinguior assurget. Vale & ora pro nobis ad Deum, qui solus omnia potest. Ex Berlin octaua die mensis Ianuarij Anno Domini 1506.

## LIII.

## REVERENDO IN CHRISTO PATRI D. IOANNI TRITHEMIO,

*&c. Nicolaus Prior in cunctis fidelis, Salutem.*

REVERENDE amantissime q; pater, literas reuerendæ paternitatis tuæ cum ingenti susceptæ gaudio, & supra q̃ dici potest de bona valetudine tua optimoq; statu apud principem, sicut nobis Theodoricus retulit, sum lætatus, & mecum fratres vniuersi. Sed ingenti me tri-

me tristitia affecit mora tam diuturna reuersionis tuæ ad nos, quoniam propter tuam absentiam in magna tribulatione sumus,& ab omnibus vexamur,deridemur & blasphemamur,quasi nos causa simus indignationis tuæ iustissimę,magnusque clamor omnium surrexit in nos,quod incendio seu perpetuo simus digni exilio, quod fugauerimus Abbatem nostrum virum bonum & sanctum,sapientem atque doctissimum sine causa. Tantæ sunt oblocutiones hominum contra nos,ꝙ ignoramus quid nobis agendum sit, & vehementer timemus,ꝙ in breui expellemur de monasterio. Tua vero paternitas nouit, ꝙ præter filium perditionis, nullus nostrum fuit in causa,sed omnes vehemẽter potius dolemus, & nunquã placuit nobis temerarium factum æmulorum. Iam dicunt omnes qui interfuerunt,ꝙ non fecerint animo iniuriandi paternitati tuæ,sed propter minas abbati montis S. Iacobi factas à Magno & Friderico familiaribus nostris. Et in veritate credo quod ita sit, quia nihil aliud in causa fuit vt caperentur quam comminationes. Officialis Ducis, qui satellites militiæ iniquitatis suæ misit in familiam nostram,de officio suo iam amotus est, & in eius locum Vasallus tibi iuratus Meginhardus de Coppenstein subrogatus est. Nomine vero principis Palatini præfecturam tenet amantissimus tui Franciscus ab Sickingen, qui ambo cum vicinis & amicis omnibus,max me tuum desiderant aduentum. Abbas quoque montis sancti Iacobi plus omnibus dolet absentiam tuam. Rogamus igitur quam humilime reuerendissime amandissimeque pater, &per nomen Domini nostri Iesu Christi suppliciter obsecramus,vt redire ad nos quantotius dignemini, nec propter crimen paucorum totum gregem ouium vestrorum deseratis. Cur foris tam diu permanes dulcissime pater,cum nemo sit qui te lædere aut possit aut velit. Nam & Duxille Ioannes te maxime diligit,cupitque vt redeas,dicens se nihil vnquam mali contra tuam cogitauisse personam. Omnes quoque fratres nostri,tuæ paternitatis charissimi filij, tuum ad nos reditum ardentissime desiderant,præter Iudam impijssimum traditorem. Qui tamen & ipse multum optare tuum aduentum se simulat, sed mentitur iniquitas sibi, quod rei probabit euentus. Scio enim quod de monasterio fugiet, mox vt tuam nobis paternitatem appropinquantem audierit. Frater Ioannes Nutius senior noster & omnes fratres tuam salutem desiderant seque humiliter commendant. Vale ex Spanheim 22. die mensis Nouembris. Anno Domini M.D.V.

## LIIII.

### *IOANNES TRITHEMIVS AB. SPAN. DILECTO IN CHRISTO FILIO Nicolao Remitio Priori suo salutem.*

MOVISSENT à proposito mentem nostram literæ tuæ charissime fili,vt in media hyeme reditum maturassemus nostrum ad patriam, nisi promissionis nostræ conditio ad manendum diutius nos principi obligaret. Manendum enim in Pascha promissio iubet, ne tantum principem rebus nostris optime fauentem contra votum offendamus. Scribis reditum nostrum desiderari à multis,credimus,& suo tempore sicuti promisimus largiente domino reuertemur,experientiam capturi promissionum. Abbatem vero Moguntinum nostram peramplius dolere absentiam satis admiramur, cum ipse omnium in nos malorum principalis sit autor,ad cuius instantiam clandestinam & ementitam familiares nostri nobis in scandalum,& sereniſſimo principi nostro Palatino in odium & præiudicium fuerunt capti. Neque memoria exciderunt verba quæ nobis inculcare tentauit, cum vltimo esset nobiscum: neque scriptorum eius obliti sumus, quibus non solum nobis,verum & sacratissimis principibus Raymundo Cardinali apostolico legato, Archiepiscopo Coloniensi, Palatino comiti,& Marchionibus,intemperati senis lingua non pepercit,quæ si vel vni exillis legẽda exhibuissemus,dudum temeritatis suæ pœnas dedisset. Iniquissime contra nos egit bonus ille abbas,& in odium aliorum nos, siue sciens siue nesciẽs iniuste persecutus est. Indulgeat ei Deus & non imputet illi peccatum ꝙ commisit contra nos. Mira consideratio senis. De nostra dolet absentia, qui vt cederemus ad tempus inuidiam declinantes primus consilium dedit. Quod autem hominum clamor surrexit cõtra vos, nihil nos releuat, nec in aliquo delectat, sed contristat potius, proillis maxime qui inter vos malorum contra nos sunt innocentes. Scimus enim ꝙ non omnes conspirastis in nos, nec propterea vos omnes credimus innocentes. In omnibus his nihil nos adeo contristat, q̃ innocentes cum noxijs blasphemari. Consolatur autem nos innocentia nostra, cui vos testimonium etiam inimici dabitis, quam iuste inter vos & sine offensione vixerimus, semper vestrã vtilitatem nostro commodo præponentes. Postremo hortamur, vt diuinitatis cultum diligenter respicias, fratres sine rationabili causa non contristes, & te &

illos in monasterio religiose contineas, & monasticam obseruantiam inuiolatam custodias. Fratres vt pro nobis orent ad Deum commonefacito, quos omnes in charitate Iesu Christi salutamus. Vale ex Berlini. 8. die mensis Ianuarij Anno Christianorum, M.D.VI.

## LV.

### *REVERENDO IN CHRISTO PATRI IOANNI TRITHEMIO ABBATI Spanhemensi, Iacobus Trithemius frater S.*

LITERÆ paternitatis tuæ ingens mihi attulerunt gaudium, quibus te sanum & incolumem esse cognoui. Præterea scire statum meum cupis. Teneto breuiter, mediocris est. Dei bonitate sanus sum, & sine pecunia diues. Post tuum à Neometi recessum ad Wachenheim veni, pauciſque ibidem diebus commoratus, mox perpendi homines & meorum obsequiorum & tuorum oblitus beneficiorum toruis me vibrare ocellis, inuidentesque studijs meis, ad lapides & lutum reuocare nolentem. Nolui ergo diutius manere cum hominibus ἀχαρίστοις καὶ ψυσολόγοις, qui nec beneficiorum sunt memores, nec promissorum exhibitores. Abbati multis diebus vt nosti in Colonia scriptor seruiui, & propter eũ quos amicos habere poteram offendi, tempus apud illum mihi sine fructu expendi, vestimenta contriui, & nihil ab eo penitus pro mercede obtinui. Ecclesia, quam mihi assignare volebat, in salicum valle pauperrima est, domus habitationis sacerdotalis cum vico incendio consumpta. Habeat eam sibi & valeat, quia non est mihi animus apud illum manendi. Vtinam tibi potius acquieuissem quam petitionibus eius, perrexissemque in Marchiam tecum, melius mihi foret, quam gratis illi seruisse. Contempta igitur vanissima spe Treuerim descendi & aliquandiu cum parentibus mansi, quousque per singulos gradus ad ordinem sacerdotalem processi. Iam deinceps faciam quod hortaris, & cum Damio nostro manebo donec venias. Vale sanus. E Spira 11. die mensis Nouembris Anno 1505.

## LVI.

### *IOAN. TRITHE. AB. SPAN. IACOBO TRITHEMIO FRATRI amantissimo, Salutem.*

ADHVC Deo largiente valemus: si vales & tu bene est. Non latebat nos cui seruires, qui τὴν ἀχαριστίαν ἀνθρώπων τὰτε quam optime nouimus dudum experti. Sed quoniam ita tibi complacuit, si perdidisti laborem, tibi noueris imputandum. Quamprimum poteris parentibus scribe, nos saluos & incolumes, & vt senectutis suæ curam habeant, nihil de nobis solliciti. Omnipotens Deus sua miseratione nobis vt confidimus necessaria sine parentum sollicitudine prouidebit, etiam si ad Spanheim nunquam reuertamur. Remitius Prior humilia atque dulcissima scripsit, cupiens nos ad monasterium quantotius reuerti, cui rescribentes verbis verba retulimus, donec mentes hominum plenius exploremus. Non enim deinceps facile credemus semel tam enormiter decepti. Cum ergo Neometim aut Budorim reuersi fuerimus, agemus ne nos lateant fratrum animi, & tum demũ quod nobis videbitur vtilius faciemus. Quod si manere foris contigerit, nihil ad nos, quippe qui carere ingrato monasterio quam manere cum improbis omnibus magis eligimus. Vale ex Berlin. 8. die mensis Ianuarij. Anno Christianorum M.D.VI.

## LVII.

### *THEODORICVS EPISCOPVS LVBECENSIS, IOANNI TRITHEmio abbati Spanhemen. Salutem.*

QVOS ad te optimum patrem salutandũ probos & inclytos philosophos Iamblicum & Proclum cum cæteris pridem misimus, quonam se modo apud tuam paternitatem habeant, pro eorum honorificentia nostroque in eos amore putauimus requirendũ, cum vel officio iam prope functi, vel quicquid tu ex eis requirendum putaueris, eo te potitum optimeque illis vsum pro sua liberalitate, Tantalique phiala amicitiæ firmandæ gratia vos vberrime potos arbitramur. Ne igitur vel ocio torpescant, vel nonis placidioribusque subintrantibus abiectiori loco contemptuique, vt fieri solet, haberentur, pulueribusq; sordescerẽt, reuocandos existimauimus. Credimus etiam à te defatigatos adeo, vt iam rigidior illis monastica illa, qua religiose pater admodũ veteris, censura pertæsa sit plurimum. Quod si ita iudicaueris, tua eos pro honestate pace redire finito. Si autem tibi ad con-

ad conferendum quod habes supereſt, explere atq; ad ſaturitatem honeſtiſſimis viris fruito, ac demum vt noſtras reuiſant ædes age. Vale felix fauſteque, nosque te adamantem ama. Ex Lubus 27. die menſis Ianuarij anno dominicæ natiuitatis 1506.

LVIII.

*REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI THEODORICO Epiſcopo Lubecenſi Ioan. Trithemius ſalutem.*

IAMBLICVM tribus ferme apud nos menſibus honeſtiſſime habitum, quod pulchritudo vultus declarabit, vt rediret ad te dominum ſuum, officio legationis ſuæ iam pulchre peracto, ſacratiſſime præſul, conceſſimus. Annuit lubens, quanquam noſtrum minime abhorreret hoſpicium, quippe qui noſtra dudum familiaritate vſus nulla iam formidine tangitur. Cenſuram non timet monaſticam, vtpote qui longa conſuetudine moribus noſtris aſſuefactus, optime iam intelligat nos viri ſapientis imitari conſilium, quo nouerimus cum ſingulis de ſua facultate habere colloquium. Scimus enim Iamblico teſte, neque cum monacho de philoſophia tractandum, neque inter philoſophos de religione clauſtralium eſſe diſputandum. Suo quæque loco ſeruamus, cum illis monachum, cum iſtis exercendo philoſophum. Hoc vnum forſitan hoſpiti noſtro potuit eſſe moleſtum, quod in Vrſulo ſolus nobiſcum conſiſteret, qui cum tribus fere millibus in noſtro conſueuerat monaſterio verſari. Hic enim peregrinamur à noſtris inter paucos, non vt volumus, ſed vt poſſumus philoſophantes. Suſcipe Iamblicum tuum doctiſſime præſul, quem ad tuas ædes mittimus, gratias de humanitate in nos tua referentes, noſtroque vt lubet miniſterio vtere. Vale & nos commendatos intuere. Ex Vrſulo, 4. menſis Februarij anno 1506.

LIX.

*IOHANNES TRITHEMIVS, HERMANNO BVſchio Monaſterienſi poetæ S.*

CVM iter ageremus de partibus Tranſrhenanis per oppidum Lypſenſe ad Marchiam Brandenburgenſem, te illic eſſe nobis minime conſtabat. Audieramus enim Coloniæ te in Louanio tuas profiteri literas, & propterea Lypſiæ nullam tui fecimus inquiſitionem. Iam vero Georgio Sibuto poeta noſtro referente cognouimus te iuuentutem Lypſenſem literis erudire mundanis optima conditione prouiſum. Congratulamur tibi quod rebus tuis bene ſit conſultum: hoc vnum te monentes, ita viuendum, ne moribus deſtruas eruditionem. Non decet virum eruditum etiamſi poeta ſit, eſſe laſciuum, non ebrietatis ſectatorem, non mulierem, & luxui deditum, quæ omnia cito perdunt virum, vt quidam cecinit dicens:

Οἶνος καὶ λουτρὰ καὶ περὶ κύπριν ἱμὼς
Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς Ἀΐδην.
*Vinum & balnea, & circa Venerem amor,*
*Velociorem parant viam ad infernum.*

Hoc & Maro ille tuus monuiſſe fertur pulcherrime in paruo tractatu ſuo de vino & Venere, vbi multa paucis abſoluit dicens:

*Nec Veneris nec tu vini capiaris amore*
*Vino namque modo vina Veneſque nocent.*
*Vt Venus enervat vires, ſic copia vini,*
*Detenuat greſſus debilitatque pedes.*
*Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri,*
*Arcanum demens detegit ebrietas, &c.*

Rogatus Anacharſis quo pacto quis abſtemius fieret, *ſi turpes*, inquit, *ebriosorum motus ſibi ante oculos ponat ſobrius.* Ait enim vitem vnas tres ferre, primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam mœroris. Hinc eſt illud Lucij Apulei Floridorum libro tertio, ſapientis viri ſupra menſam celebre dictum. *Prima*, inquiens, *cratera ad ſitim pertinet, ſecunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad inſaniam.* Nihil turpius homine ebrioſo, cui fœtor in ore, tremor in corpore, furor & obliuio in mente, qui ſtulta promit & fatua, occulta producit in publicum, cor palpitat, facies ſanguine rubet. Quæ omnia Flaccus pulchra breuitate complectens dicebat:

*Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,*
*Spes iubet eſſe ratas, ad prælia trudit inermem,*

*Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes,*
*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

Nihil est in Dæmonibus (vt Chrysostomus ait) sicut ebrietas & lasciuia, quæ est mater omnium vitiorum, placidum & amicum, & nihil adeo cōtrarium sicuti sobrietas, quę est mater omnium virtutum. Quid aliud ebrietatem putabimus quam voluntariam hominis insaniam, quæ mentem euertit, memoriam tollit, obliuionem inducit, debilitat corpus, animam occidit? Nemo vino & ebrietati deditus vir bonus esse poterit vnquam, neque sapiens, neque doctus, neque fidelis, neque vtilis alicui neque honore aliquo, neq; memoria dignus. Tu ergo, Buschi, fuge omnes animi pestes, vinum & venerem maxime, quorum vsu nimio virtus eneruatur omnis, mens cæcutiat, & fama in opprobrium cunctis exponitur. Parce oculis tuis, qui vtroque malo te nimium volente, perculsi, fluxu & rubedine iam pene destructi sunt. Parce rebus & substantiæ, quam docendo laboriose acquiris, ne senior factus mendicare cogaris. Memento quod sicut poeta dicit. Vino forma perit, vino corrumpitur ætas. Vino sæpe suum nescit amica virum. Et quod Aristoteles dixit: quin non de facili potest inuadi qui est sobrius & vigil, sed qui ebrius est & dormiens, mortuo similis, facile capitur. Admonitionib. nostris & parcas, & acquiescas oramus: tu enim quod te diligamus non ignoras, & nos quod freno indigeas scimus. Circa festum dominicæ Ascensionis redituri ad Rhenum tecum largiente Domino constituemur, latius de his quæ menti nostræ insunt collaturi tecum. Interea vale sanus. Ex Berlin prima die Martij anno 1506.

LX.

*IOHANNES TRITHEMIVS ABBAS SPANHEMENSIS, CONrado venerabili Abbati monasterii sanctorum Vdalrici & Afræ in Augusta, Salutem.*

ORTA post cruentissimum Palatinum bellum in me quorundam hominum inuidia propter ipsum principē meum, cum essem apud eum Heidelbergæ, ad sextum diem mensis Aprilis, ne quid sequeretur deterius à monasterio meo ad tempus me placuit elongare. Interea Rex noster Maximilianus conuentum apud Coloniam Agrippinam ad caput mensis Iulij principibus indixit, quo & ego vocatus per certos principes nauigio descēdi. Soluto tandem post dies 30. consilio, principibusque ad sua reuertentibus, ego cum serenissimo principe electore Ioachim Brandenburgensium Marchione, de consensu principis mei Palatini senioris sæpe & multum rogatus Marchiam intraui, Priori meo interim regimine monasterij Spanhemensis commisso. Et nunc quidem hic sum propositum habens post festum resurrectionis dominicæ reuertendi ad propria, & iuxta rerum dispositarum ordinationem sicuti inuenero, vel mutare vel continuare cōsilium. Venissem quam libens Augustam ad prouincialem ordinis nostri conuentum, si Princeps vt ante Pascha hinc abirem, annuisset, speraremque rebus meis bonum consilium apud patres inuenire. Sed quia morem gerere tanto principi necesse est, tuæ paternitati vices meas duxi committendas, vt iuxta procuratorij tenorem, quod anno priore, cum propter bellum interciperetur conuentus patrum prouincialis, ad te cum pecunijs miseram, agas, & pro me coram præsidentibus compareas, meoque nomine singula, iuxta consuetudinem ordinis perficias, & necessariam mei absentiam reddas excusatam. Quod vt velis faciasque mutuæ inter nos amicitiæ intuitu, te etiam atque etiam rogo. Si quid me scire tuarum volueris cogitationum, rescribe, ipsasque literas tuas huic nuncio principis mei trade, quoniam proficiscens ad Saltzburgam, expedita legatione sua ad nos per Augustam reuersurus est. Rationis nostræ transactæ præsidentiæ chirographum abbati Nurenburgensi memineris consignandum. Vale ex Berlin, 24. Martij anno 1506.

LXI.

*IOHANNES TRITHEM. GEORGIO SIBVTO poetæ laureato Salutem.*

AVDIVIMVS te cum Hermanno Trebellio inijsse certamen, quod non fecisses melius iudicaremus. Tuæ non congruit ætati scriptis lacessere senes, & pro lana caprina (vt quidam ait) gerere bellum. Magis te iuuenem decet audire seniores, & discere ab eis, non contemnere aut inuidere melioribus, etiam si melius sapias. Verificatur in te Hesiodi poetæ sententia dicentis:

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ
*Et figulus figulum odit, & fabrum faber,*
*Et pauper pauperi inuidet, & poeta poetæ.*

Est autem pessimum malum inuidia, neminem plus lædens quam suum authorem, superbiæ filia, venenum mētis lethiferum, quo diabolus maxime reus primum hominem supplantauit. Sed attende quid scriptura dicat, *Paruulum*, inquit, *occidit inuidia*, quod sanctus Papa Gregorius explicaturus dicit: *Inuidere non possumus nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus itaque est qui inuidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Nullum inuidia monstrosius, nec aliquod damnosius damnum, quæ dicenda est merito erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus, & diabolicæ obstinationis introitus. In suum authorem grauius tendit inuidia, & mentem vnde sumit exordium, vt vipera necat parentem, per quam diabolo fallente mors primum intrauit in orbem terrarum.* Hinc Salomon auditorem instituens beneuolum in prouerbijs dicit: *Nec comedas cum homine inuido, & ne desyderes cibos eius.* Inuidia enim cuncta bona deuorat ardore pestifero, animam turbat, sensum comedit, pectus vrit, mentem adfligit, cor hominis quasi quædam pestis depascit. Ignis inuidia est inextinguibilis. Nam sicut tinea comedit vestimentum, sic & inuidia eum qui zelatur consumit. Cauere magis amicorum inuidiam Seneca monet, quam inimicorum insidias. Si non inuideris, maior eris. Nam qui inuidet, minor est. Alienum bonū malum suū inuidus facit, quod malū longe est à viro docto, sapiente & bono. Miseria sola caret inuidia. Vnde magis pati q̄ agere inuidentiā expedit. Si vis carere inuidia noli venari gloriā lucubrationib. vanam, sed tuū imitare Tibullum in quarto dicentem.

*Nil opus inuidia est, procul absit gloria vulgi.*
*Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.*

Modestum te in omnibus exhibeas, & eris sine inuidia gloriosus. Est autem modestia virtus moderatrix animi passionū. gratum & spectabilē cunctis hominē reddens intuentibus, vt sermones proferat libra iustitiæ examinatos, sitq; grauitas in sensu, & pōdus in verbis modusq;. Non decet viros, literarū studio deditos, cōtentionibus inseruire, & rebus vtilioribus neglectis pro inutili sermone cōmittere bellū, quo & mentes præceptorū à rectitudinis cuelluntur statu, & auditorū corda ne ad sapientię pertingant arcana, nube vanitatis obnubilata fiunt. Eius viri doctrinā libenter omnes admirantur, collaudant, lætiq; suscipiunt, in cuius oratione modestia refulget simul & grauitas, vbi nulla cōtentio æmulationis prauæ, nullus fastus cernitur superbiæ, sed cum dulcedine, vocis, mentis, & oris exhibetur tranquillitas, & amica sapientiæ coruscat humilitas. Nullus enim sapiens superbus & arrogans esse potest, qui autē elatus & superbus existit, sapiens nō est. Maxima nobis humilitatis causa mortalitatis nostræ conditio est, superbiæ vero nullam penitus causam habemus. Quid enim sumus ô poeta, nisi homines, breui necessario morituri? vento & vmbræ similes, vt Sophocles dicit in Aiace:

ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἰδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
*Video enim nos nihil esse aliud præter*
*Simulachra, quotquot viuimus, seu leuem vmbram.*

Punctum est, inquit Seneca, quod viuimus, & adhuc puncto minus. Sed hoc minimū specie quadā longioris spacij natura diuisit, aliud ex hoc infantiā fecit, aliud pueritiā, aliud adolescentiā, aliud inclinationē quandam ab adolescētia in senectutē: à senectute vero ad pueritiam quendā statuit regressum, per quē omnia morte cōcluduntur. Quid aliud est homo q̄ sperma fœtidū, saccus stercorum, & cibus? Post hominē erimus cadauer putridum, ex cadauere, vermes, post vermē fœtor pessimus & horror maximus. Et sic in hanc speciē vertitur omnis homo. Nam sicut in Ecclesiasta Salomon dixit: *homo sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic nudus reuertetur in terram, & nihil auferet secum de omni labore suo.* Miserabilis prorsus infirmitas hominis, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo proderit ei quod laborauerit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis & ęrumna & tristicia. O fallacem hominum spem, Cicero clamat, fragilemque fortunam, & inanes nostras conceptiones, quæ mediocri in spacio sæpe franguntur & corruunt, & cum ipso cursu ante obruuntur quam portum conspicere valuerint. Finem ergo tuum, Sibute, semper cogita, teq; cognosce mortalem, nec mente superbiam malorum omnium matrem contigeris vnquam. Sunt enim inexorabilia fata, & sicut Martialis inquit,

*Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes,*
*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

Nihil est in Dæmonibus (vt Chrysostomus ait) sicut ebrietas & lasciuia, quæ est mater omnium vitiorum, placidum & amicum, & nihil adeo cōtrarium sicuti sobrietas, quę est mater omnium virtutum. Quid aliud ebrietatem putabimus quam voluntariam hominis insaniam, quæ mentem euertit, memoriam tollit, obliuionem inducit, debilitat corpus, animam occidit? Nemo vino & ebrietati deditus vir bonus esse poterit vnquam, neque sapiens, neque doctus, neque fidelis, neque vtilis alicui neque honore aliquo, neq; memoria dignus. Tu ergo, Buschi, fuge omnes animi pestes, vinum & venerem maxime, quorum vsu nimio virtus eneruatur omnis, mens cæcutiat, & fama in opprobrium cunctis exponitur. Parce oculis tuis, qui vtroque malo te nimium volente, perculsi, fluxu & rubedine iam pene destructi sunt. Parce rebus & substantiæ, quam docendo laboriose acquiris, ne senior factus mendicare cogaris. Memento quod sicut poeta dicit. Vino forma perit, vino corrumpitur ætas. Vino sæpe suum nescit amica virum. Et quod Aristoteles dixit: quin non de facili potest inuadi qui est sobrius & vigil, sed qui ebrius est & dormiens, mortuo similis, facile capitur. Admonitionib. nostris & parcas, & acquiescas oramus: tu enim quod te diligamus non ignoras, & nos quod freno indigeas scimus. Circa festum dominicæ Ascensionis redituri ad Rhenum tecum largiente Domino constituemur, latius de his quæ menti nostræ insunt collaturi tecum. Interea vale sanus. Ex Berlin prima die Martij anno 1506.

LX.

*IOHANNES TRITHEMIVS ABBAS SPANHEMENSIS, CONrado venerabili Abbati monasterii sanctorum Vdalrici & Afræ in Augusta, Salutem.*

ORTA post cruentissimum Palatinum bellum in me quorundam hominum inuidia propter ipsum principē meum, cum essem apud eum Heidelbergæ, ad sextum diem mensis Aprilis, ne quid sequeretur deterius à monasterio meo ad tempus me placuit elongare. Interea Rex noster Maximilianus conuentum apud Coloniam Agrippinam ad caput mensis Iulij principibus indixit, quo & ego vocatus per certos principes nauigio descēdi. Soluto tandem post dies 30. consilio, principibusque ad sua reuertentibus, ego cum serenissimo principe electore Ioachim Brandenburgensium Marchione, de consensu principis mei Palatini senioris sæpe & multum rogatus Marchiam intraui, Priori meo interim regimine monasterij Spanhemensis commisso. Et nunc quidem hic sum propositum habens post festum resurrectionis dominicæ reuertendi ad propria, & iuxta rerum dispositarum ordinationem sicuti inuenero, vel mutare vel continuare cōsilium. Venissem quam libens Augustam ad prouincialem ordinis nostri conuentum, si Princeps vt ante Pascha hinc abirem, annuisset, speraremque rebus meis bonum consilium apud patres inuenire. Sed quia morem gerere tanto principi necesse est, tuæ paternitati vices meas duxi committendas, vt iuxta procuratorij tenorem, quod anno priore, cum propter bellum interciperetur conuentus patrum prouincialis, ad te cum pecunijs miseram, agas, & pro me coram præsidentibus compareas, meoque nomine singula, iuxta consuetudinem ordinis perficias, & necessariam mei absentiam reddas excusatam. Quod vt velis faciasque mutuæ inter nos amicitiæ intuitu, te etiam atque etiam rogo. Si quid me scire tuarum volueris cogitationum, rescribe, ipsasque literas tuas huic nuncio principis mei trade, quoniam proficiscens ad Saltzburgam, expedita legatione sua ad nos per Augustam reuersurus est. Rationis nostræ transactæ præsidentiæ chirographum abbati Nurenburgensi memineris consignandum. Vale ex Berlin, 24. Martij anno 1506.

LXI.

*IOHANNES TRITHEM. GEORGIO SIBVTO poetæ laureato Salutem.*

AVDIVIMVS te cum Hermanno Trebellio inijsse certamen, quod non fecisses melius iudicaremus. Tuæ non congruit ætati scriptis lacessere senes, & pro lana caprina (vt quidam ait) gerere bellum. Magis te iuuenem decet audire seniores, & discere ab eis, non contemnere aut inuidere melioribus, etiam si melius sapias. Verificatur in te Hesiodi poetæ sententia dicentis:

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ
*Et figulus figulum odit, & fabrum faber,*
*Et pauper pauperi inuidet, & poeta poetæ.*

Est autem pessimum malum inuidia, neminem plus lædens quam suum authorem, superbiæ filia, venenum mētis lethiferum, quo diabolus maxime reus primum hominem supplantauit. Sed attende quid scriptura dicat, *Paruulum*, inquit, *occidit inuidia*, quod sanctus Papa Gregorius explicaturus dicit: *Inuidere non possumus nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus itaque est qui inuidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Nullum inuidia monstrosius, nec aliquod damnosius damnum, quæ dicenda est merito erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus, & diabolicæ obstinationis introitus. In suum authorem grauius tendit inuidia, & mentem vnde sumit exordium, vt vipera necat parentem, per quam diabolo fallente mors primum intrauit in orbem terrarum.* Hinc Salomon auditorem instituens beneuolum in prouerbijs dicit: *Nec comedas cum homine inuido, & ne desyderes cibos eius.* Inuidia enim cuncta bona deuorat ardore pestifero, animam turbat, sensum comedit, pectus vrit, mentem adfligit, cor hominis quasi quædam pestis depascit. Ignis inuidia est inextinguibilis. Nam sicut tinea comedit vestimentum, sic & inuidia eum qui zelatur consumit. Cauere magis amicorum inuidiam Seneca monet, quam inimicorum insidias. Si non inuideris, maior eris. Nam qui inuidet, minor est. Alienum bonū malum suū inuidus facit, quod malū longe est à viro docto, sapiente & bono. Miseria sola caret inuidia. Vnde magis pati q̄ agere inuidentiā expedit. Si vis carere inuidia noli venari gloriā lucubrationib. vanam, sed tuū imitare Tibullum in quarto dicentem.

*Nil opus inuidia est, procul absit gloria vulgi.*
*Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.*

Modestum te in omnibus exhibeas, & eris sine inuidia gloriosus. Est autem modestia virtus moderatrix animi passionū. gratum & spectabilē cunctis hominē reddens intuentibus, vt sermones proferat libra iustitiæ examinatos, sitq; grauitas in sensu, & pōdus in verbis modusq;. Non decet viros, literarū studio deditos, cōtentionibus inseruire, & rebus vtilioribus neglectis pro inutili sermone cōmittere bellū, quo & mentes præceptorū à rectitudinis cuelluntur statu, & auditorū corda ne ad sapientię pertingant arcana, nube vanitatis obnubilata fiunt. Eius viri doctrinā libenter omnes admirantur, collaudant, lætiq; suscipiunt, in cuius oratione modestia refulget simul & grauitas, vbi nulla cōtentio æmulationis prauæ, nullus fastus cernitur superbiæ, sed cum dulcedine, vocis, mentis, & oris exhibetur tranquillitas, & amica sapientiæ coruscat humilitas. Nullus enim sapiens superbus & arrogans esse potest, qui autē elatus & superbus existit, sapiens nō est. Maxima nobis humilitatis causa mortalitatis nostræ conditio est, superbiæ vero nullam penitus causam habemus. Quid enim sumus ô poeta, nisi homines, breui necessario morituri? vento & vmbræ similes, vt Sophocles dicit in Aiace:

ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἰδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
*Video enim nos nihil esse aliud præter*
*Simulachra, quotquot viuimus, seu leuem vmbram.*

Punctum est, inquit Seneca, quod viuimus, & adhuc puncto minus. Sed hoc minimū specie quadā longioris spacij natura diuisit, aliud ex hoc infantiā fecit, aliud pueritiā, aliud adolescentiā, aliud inclinationē quandam ab adolescētia in senectutē: à senectute vero ad pueritiam quendā statuit regressum, per quē omnia morte cōcluduntur. Quid aliud est homo q̄ sperma fœtidū, saccus stercorum, & cibus? Post hominē erimus cadauer putridum, ex cadauere, vermes, post vermē fœtor pessimus & horror maximus. Et sic in hanc speciē vertitur omnis homo. Nam sicut in Ecclesiasta Salomon dixit: *homo sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic nudus reuertetur in terram, & nihil auferet secum de omni labore suo.* Miserabilis prorsus infirmitas hominis, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo proderit ei quod laborauerit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis & ęrumna & tristicia. O fallacem hominum spem, Cicero clamat, fragilemque fortunam, & inanes nostras conceptiones, quæ mediocri in spacio sæpe franguntur & corruunt, & cum ipso cursu ante obruuntur quam portum conspicere valuerint. Finem ergo tuum, Sibute, semper cogita, teq; cognosce mortalem, nec mente superbiam malorum omnium matrem contigeris vnquam. Sunt enim inexorabilia fata, & sicut Martialis inquit,

*Lanificas nulli tres exorare puellas*
*Contigit, obseruant quem statuere diem.*

Omnes morimur, & quasi aquæ in terram dilabimur, quemadmodum & ille dixit: Debemur morti nos, nostraque mortalia facta peribunt, estque mors vltima linea rerum. Vtilibus insuda studijs, quibus non solum corpori prouideas necessaria, sed etiam mens à morte horrenda seruetur immunis. Reuersuri ad propria breui tecũ in Albiburgio tuo erimus, & quid nos vt audatius ista scriberemus premouerit sermone pandemus. Tu vero sciens nostrum in te amorem quam fecimus exhortationem non execraberis. Vale tui memor. Ex Berlin 20. die mensis Aprilis. Anno Christianorum M.D.VI.

LXII.

*SERENISSIMO PRINCIPI, IOACHIM BRANDENBVRGENSIVM Marchioni, Stetinensium ac Pomeranorum Duci, Rugensium Cassubiæque comiti, principi Electori &c. Ioan. Trithemius Abbas Spanhemensis felicitatem.*

QVARTADECIMA die mensis Maij Berlin oppidum residentiæ serenitatis tuæ, vt scis princeps clarissime, circa horam vndecimam exiui, & iuxta prædictiones Astrophili nostri plura nobis contigerunt aduersa, sed miserante Deo euicimus omnia. Sex namque diebus morbo calculi & vesicæ laborans grauiterq; afflictus remanere in Lypczig coactus sum, & manibus me cõmittere medicorum, quod antea feci nunquam. Cumque venissemus ad Rhenum per satellites cuiusdam iniquissimi comitis incendiarij monasterij Lympurgensis ego cum nuncio serenitatis tuæ famulisque meis & vno monacho memorati cœnobij exusti capti sumus in festo sanctissimæ Trinitatis circa horã vndecimam, ductique in castellum vicinum. Eodem tamen sero cognoscentes me sub tuitione regia custoditum omnes nos dimiserunt: causam propter quam nos cepissent afferentes non aliam, nisi quod me negotijs combusti monasterij Lympurgensis fauentem arbitrarentur. Qua contumelia factum est, sicuti ex tuo intelliges nuncio, quod neque ad Archiepiscopum Colonienſem, neque ad Treuerenſem, sed neque ad Moguntinenſem tuas perferre commissiones potui. Agam tamen quamprimum, vt & tuas literas habeant & intelligant voluntatem. De meis vero rebus nihil certi scribere possum, quousque cum excellentissimo principe meo locutus fuero, qui nunc est absens, & statum fratrum meorum, simul & mentes æmulorum clarius intellexero. Nullatenus enim videbor in Spanheim, nisi cuncta prius obstacula remota fuerint. Quod si non fuerit æmulorum conuersa temeritas, faciam alterum è duobus, aut reuertar ad te sicuti postulasti, aut eligam mihi locum in ordine studijs meis conuenientem, vbi & possim tuam Serenitatem meorũ facere studiorum participem. Audisti me sæpius dicentem quod sentio, quia curias sequi nunc pũ, nec meo conuenit proposito, nec plane congruit institutioni. Quæram ergo conuenientem mihi in latitudine ordinis mei locum si fieri potest, quem si inuenire nequiuero, facturus sum necessario quod possum. Tuæ vero serenitati gratias habeo immortales pro tuis in me amplissimis beneficijs non solum exhibitis, sed etiam amplioribus, si necesse fuerit, promissis. Excellentiam tuã cum omnibus suis valere opto incolumem Nestoreos in annos. Ex Heidelberga 18. die mensis Iunij. Anno Domini 1506.

LXIII.

*IOHAN. TRITHEM. AB. SPANHEM. DILECTIS IN CHRISTO fratribus & filiis, Priori & conuentui in Spanheim, synceram in Domino charitatem.*

DE Marchia Brandenburgensium tandem cum salute ad patriam reuersi, Theodoricum capellanum nostrum ex Francfordia præmisimus ad vos, quo ea referente quæ illi commisimus, & statum intelligeretis nostrum & mentem. Qui retulit nobis Budorim reuersus ad nos desiderium vestrum, quo precamini ad vos quantotius reuertamur, neminem esse neque futurum qui nos molestare possit aut velit. Credimus quidem vera quę dicitis in cordibus vestris, æmulis tamen confidendum nõ duximus, quorum tanta in nos præsumptio à nemine iudicatur. Propterea sine consilio nihil faciemus, maxime cum quidam inter vos ambitione, & infidelitate pleni Cynonotis consentire potius quam nobis pastori suo conuincantur manifeste. Deum testamur omnipotentem, quem nihil potest latere,

latere, quod libenter quidem reuerteremur ad vos, si vestram erga nos integritatem posse-
mus habere exploratã, de qua nos subdubitare compellit, quod toties moniti à nobis ni-
hil cum Duce contra æmulos egistis. Sed mittite ad nos Priorem vel alium quempiam ex
vobis, cui mentem latius nostram explicare possimus. Nam & si neminem qui nos lædere
possit reuereamur, quippe qui non metu cuiusquã, foris manemus, sed facti duntaxat indi-
gnati memoria, tamen redire ad Spanheim sine principis Palatini consilio nequaquam
intendimus. Valete, Deũ orantes, vt eius sanctissima impleatur voluntas, quæ nunquam
potest esse non recta. Ex Heidelberga 20. die mensis Iunij anno Christianorum 1506.

## LXIIII.

### *SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI, IVLIO PAPÆ SECVNDO Iohan. Trithemius abbas Spanheimensis humillima pedum oscula beatorum.*

IGNIS quem Dominus noster Iesus Christus, Patris æterni filius misit in terram, voluit-
que in cordibus hominum vehementer accendi, me vltimum subditorum tuorum cle-
mentissime pater nullius apud diuinam pontificatus tui sedem, præter fidem & deuotio-
nem, vel meriti, vel momenti compellit, vt causam diui Bennonis merito & sanctitate
Misnensis Ecclesiæ dignissimi quondam episcopi meis altiorem viribus, ad instantiam
Christianissimi Saxonum Ducis Georgij, apud tuam clementissimam paternitatem, quia
verbis nequeo, mutis vel literis agam. Is, vt veterum monumentis edocemur, ab infantia
præuentus diuino spiritu totum se Dei mancipauit obsequio: fide clarus, virtute & cõstan-
tia infatigabilis, spe robustus, amore & charitate in Deum & ad proximum omni tempore
semper feruentissimus. Ex monacho regulę sancti Benedicti primus monasterij q̃ Goseck
indiœcesi Nuenburgensi nõ longe ab ipsa ciuitate sitũ nuncupatur, abbas institutus, trien-
nio ferme præfuit in omni religione & sanctitate. Quo elapso monachorũ suorũ inuidia
stimulatus, iniurijsque aduocati comitis impetitus, monasteriũ cum abbatia deseruit, &
heremum Christo in tranquillitate seruiturus intrauit. Inde per Victorem papã secundũ
vocatus, Goslariensis ecclesiæ rector constitutus est, & crescentibus semper in eo meritis
sanctitatis, postremo Misnensis Ecclesiæ pontificatũ canonica electione fratrũ adeptꝰ fuit.
Qui vt nomen tantæ dignitatis non infructuose videretur sumpsisse, ad vtilitatem ouium
Christi summi pastoris sese totum conuertit, in oratione cõtinuus, & in prædicando Ver-
bum Domini, tam Sclauis, quos ad fidẽ conuertit orthodoxã, quam suis atque in circuitu
fidelibus mirabili inc edibilique feruore deuotus. In ea quoq; persecutione qua Henricus
Imperator tertius summis Romanæ Ecclesiæ pontificibus inobediens hostis atq; rebellis
vniuersam in Germania præcipue turbauit Ecclesiã, Benno vir Dei, præsul quoq; magni-
ficus, in fide & amore domini sui formatus, & Apostolicæ sedi semper fidelissimus, in faciẽ
tyranno restitit, peccantẽ redarguit, sententiamq; anathematis, q̃ Papa decreuerat, in eũ
confidenter fulminauit, schismaticũ, maledictum, & reprobatũ à Deo, nisi pœnitentiam
ageret, ad iudiciũ vicarij Christi, publicę illum prædicans & denuncians cunctis fidelibus.
Pro his omnibus coniectus in vincula & carceres, iniurias & contumelias, opprobria si-
mul & verbera passus, hilari semper mente canebat: *Mihi adhærere Deo bonũ est, quoniã Chri-
sti vicario magis obediendũ q̃ homini male dicto.* O virũ virtutib. plenum meritisq; excellsum, ter
sanctũ quaterq; sanctissimum, qui solidatus in petra constantiæ Apostolicæ, sese murũ pro
domo Dei necessario ac periculoso tempore confidenter opposuit, & pro honore sacro-
sanctæ sedis Apostolicæ fortissime decertãs, nulla tyrannorũ vincula formidauit. O pon-
tificem sempiternis extollendum laudibus, cuius vita cunctis virtutib. omniq; sanctimo-
nia choruscans merito nobis in exemplum proponitur, quam Deo placuisse altissimo in-
finitis pene miraculis vsque in præsentem diem manifeste declaratur vsq; adeo, vt si mira-
culorũ testimonio sanctorũ integritas comprobanda indicitur, nemo sanctior diuo Ben-
none his temporibus iudicandus videatur. Quotidie ad eius sepulchrum stupenda fiunt
miracula, semperq; mirandis succedũt mirabiliora. Et quamuis pater beatissime Iuli, Ben-
no pro suis meritis apud Deũ optimum maximũ mercedẽ & gloriã in cœlesti palatio iam
susceperit æternam, suoq; ineffabili spiritus principio cõiunctus per gratiã non naturã, si-
ne fine beatus, nostros minime requiret honores, quippe cum omnia in summo illo ha-
beat bono, nobis tamen & posteritati fidelium, authoritate sanctissimæ sedis tuæ consu-
lendum fuerit, qui sanctorũ patrocinio indigemus. Bennonẽ testantur miracula sanctũ,
clamant virtutes honorandum, fidelem experiẽtia sanitatum pollicetur patronum. Hoc
vnũ votis obstat omniũ, & beneficia impedit singulorũ, q̃ cum autoritate sedis apostolicę

nondum apud nos in catalogum sanctorum videatur adscriptus Benno, quem regnare cum sanctis in cœlo non dubitamus, ab eis veneratione cogamur desistere, neque suffragia tanti viri nobis liceat inuocare. Sed cum vita eius sanctissima plena virtutibus à vetustioribus suisque contemporaneis luculenter habeatur descripta, & multa quotidie in Ecclesia Misnensi ad eius tumulum fiant miracula, Christianitatis amator, cultor, atque defensor integerrimus & Christianissimus princeps Saxonum, Misnensiumque Dux memoratus Georgius, pia deuotione motus, pro eius canonizatione laborandum duxit, & commissarios qui examinarent singula, à tuæ sanctitatis prædecessore Alexandro Papa sexto impetrauit. Alexander vero morte sublatus expedire negotium diui Bennonis nō potuit, & forsitan non debuit, propterea quod diuina prouidentia tanti viri honorem tuis temporibus deputauit, tibique amicissimum sibi præsulem sanctorum adscribendum catalogo reseruauit. Quocirca tuam sanctitatem beatissime pater qua possumus humilitate rogamus, Bennonem apostolicum virum nobis venerandum concedas, eiusque nomen cum sanctis Dei cōfessoribus celebrandum inscribas, & quod tuo muneri reseruatum est, in gloriam alterius non patiaris deuenire. Crede mihi pontificum maxime, Bennonem conferendo patribus diuis cultum Dei non mediocriter ampliaueris, tuo quoque celeberrimo nomini sempiternam apud Saxones memoriā comparabis in terris, & diuo interueniente Bennone, pro ampliato cultu diuino bonam recipies mercedē in cœlis. Hoc vnanimiter à tua sanctissima maiestate petimus omnes quoquot diui Bennonis merita vel in nobis vel in alijs sumus experti. Exaudiamur à te clementissime pater iterum atque iterum rogamus, faciesque rem gratam Deo, vtilem & honestam populo Christiano, & supplicantibus nobis perpetua gratitudine memorandum. Omnipotens Deus, cuius vicarium agis in terra beatitudinem tuam ad nostram salutem diu conseruet incolumem. Ex Budor. 21. mensis Iunij anno Christianorum 1506.

LXV.

*IOHANNES TRITHEM. AB. SPANHEM. DILE-ctissimis in Christo filiis synceram in Domino charitatem.*

QVAM mutentur cito mentes hominū quotidie satis experimur, non solum in extraneis, sed etiam quod valde miramur in vobis, si tamen vera sunt quæ nobis per Priorem vestro sunt nomine relata. Ad monasterium reuertamur oratis, & obstacula quæ mentem nostram non immerito offendunt, quod sæpe mandauimus, nec dum abstulistis. Cogitate fratres cui potius hæc vestra negligentia nocere possit. Non existimetis me anhelare ad Spanheim, qui alibi mihi cum Dei auxilio facile melius possum prouidere. Vestri tantum misereor, vos inuitus desero, quos in Christo congregans enutriui. Quod si mihi per vos data fuerit occasio qua vos iuste deserere possim, scientes scitote quia nunquam in æternum ad vos redire consentiam, sed fortunam sequar oblatam. Quam temeratam nobis iniuriam fecerint æmuli non ignoratis, licet ipsi nunc dicant, nihil se in odiū nostri cogitasse, sed in illos potius cœpisse iniuriam, qui minas abbati Moguntino intulerunt. Quod vero consulitis Duci literas scribamus supplicatorias, est causa nos prohibens, maxime vero manifestum, quod nihil in eum peccauimus vnquam, ipse vero in nos cuius sit animi, & quam ob causam, nos non latet. Vos autem quod bonum vobis videtur cum illo agite, nos quidem ad eum pro nobis non scribemus. Complacuit autem nobis non absque ratione, causam differre omnem vsque ad capitulum annale, quod in proximo celebrabitur apud Moguntiam, quo & patrum exploremus sententiam, & eos in re tam ardua noluisse præterire comprobemur. Interea paululum sustinete, quoniam celebrato capitulo vobis mentem nostram opere faciemus manifestam. Valete & pastoris vestri memoriam ad Deum habetote. Ex Budori 6. die mensis Iulij anno Christianorum M.D.VI.

LXVI.

*IOHANN. TRITHEM. AB. SPAN. IACOBO WIMphelingio Seleſtadienſi amico S.*

IN toto biennio nunquam mihi data fuit occasio qua tibi certo scribere possem, bello in nos sæuiente grauissimo, & magnam rebus nostris mutationem, Deo sic permittente, sumentibus. Nam anno salutis nostræ quarto supra quingentesimum atque millesimum

mum circa festum Pentecostes conspirantes in vnum Bauari, Sueui, & Hassones, cum certis alijs principibus, Comitibus, ac ciuitatibus, omnem terram sereniss. principis nostri Philippi Comitis Palatini, tam hic circa Rhenum quam in Bauaria vbique hostili peruagantes incursu, quicquid inuenerunt non satis munitum rapuerunt, nulli parcentes loco, nulli religioni deferentes, sed neque sexum reuerebantur, neque ætatem. Spoliauerunt Ecclesias & monasteria deprædati sunt, auferentes quicquid inuenerunt, calices, altarium quoque operimenta, campanas, & cuncta vtensilia, tam ad diuinum cultum, quam ad hominum pertinentia vsum. Multæ circa nos villæ satis pulchræ & magnæ cum ornatissimis ecclesiis per hostes incensæ sunt, funditusque ignibus consumptæ iacent. Illud quoque insigne cœnobium nostri ordinis Lympurg prope Durekheim per satellites Comitis de Lyningen cum ecclesia & omnibus habitationibus suis in fauillam redactum est penitusque destructum. Duo illa monasteria circa nos, alterum porta Mariæ * Wilhelmitarũ per Alexandrinos, alterum vero S. Disibodi * Cisterciensium per Palatinenses omnibus mobilibus bonis tunc inuentis spoliata fuerunt, & ne incenderentur pecunia redempta. Nostri quoque monasterii cortes pene omnes aut incensæ, aut alias penitus destructæ iacent. Interea dum hæc agerentur hic circa nos, ego in oppido Palatini proximo Creutzenach, quo in vigilia Petri & Pauli hostium timore secesseram, per duas & viginti hebdomadas manere coactus fui, non sine maximo rei familiaris iactura. Quicquid enim fuit in monasterio, ne hostibus cederet in rapinam, illuc deferre oportebat. Et multa quidem inter vehendum reuehendumque fuerunt distracta vel etiam collisa, dum nemo nostrum adesse potuit, qui diligentiam rebus necessariam adhibuisset. Sedato tandem vtcunque tumultu furientis populi, ad cœnobium reuertor meum, frumento & necessarijs pene vacuum, quæ omnia ratione belli fuere consumpta, & ecce paucis mensibus transactis me Budori existente, quidam ex monachis & capuciatis nostris, quos appellamus donatos, nescio quo spiritu ducti, cum Cynonotis, propter Palatinum nobis occulte infestis, in nos conspirasse notati sunt, & Ducem Transsyluanum nobis reddiderunt infensum. Qui falsis delationibus accommodans fidem, quosdam è familia nostra sub immunitate ecclesiastica fecit detineri, causas confictas allegans, cum omnia ex alio fonte prodirent. Ego Budori factum audiens, rei indignitate permotus, à prima die mensis Aprilis millesimi quingentesimi quinti salutis nostræ anni vsque in hunc diem extra monasterium mansi, non metu Ducis vel alterius cuiuscunque sed iniuriarum memoria indignabundus. Fui in Marchia Brandenburgensi mensibus nouem, cum serenissimo principe Ioachim sacri imperij electore, à pluribus annis desideratus ab eo rogatusque, & iam remuneratus ab illo non mediocriter discedens Budorim reuersus sum, hicque manens donec videam quid mihi sit vtiliter faciendum. Multæ sunt rationes & causæ penes me, propter quas redire ad Spanheim non facile consentiam: ne quid tamen egisse videar inconsultis patribus, ordinis eorum præstolabor conuentum, qui in capite Septembris apud Moguntiacum ex more celebrabitur. Si rebus meis potuerint vtili ratione consulere, bene factum est: sin vero nequiuerint, vel certe neglexerint, dabit ipsa necessitas mihi consilium, vt fortunam sequar vrgentem. Neque primus sum qui locum sibi commissum iniuriatus deseruit, ne seruiret ingratis, cum plures ante me non solum abbates, verum quoque & pontifices suas propter improbitatem subditorum dignitates prælaturasque dimittentes propriæ consuluere saluti. Omnipotens ac piissimus DEVS, qui pascit auiculas cœli, datque iumentis escam in tempore oportuno, mihi quoque non dubito prouidebit vnde viuam, qui nec multa desidero, nec magna concupisco. Habens enim victum & vestimentum, iuxta verbum sancti Christophili, his iam didici contentari, sicuti & Græcorum quidam dixit:

*Belli Bauarici mentio.*

** Marienpfort.*

** Disibodenberg.*

*Psal. 140.*

*1. Timot. 5.*

Οὐκ ἐθέλω πλουτεῖν, οὐκ εὔχομαι, ἀλλὰ μοι εἴη «
Ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων μηδὲν ἔχοντι κακόν. «
*Non quæro ditari nec opto, sed mihi sit* «
*Viuere in modicis nihil habenti malum.* «

Scire cupimus quid cuderis noui: neque ocio te languescere credimus, neque sine lucubratione continua expendere diem posse vel vnum. Vale nostri memor ad Deum. Ex Budori vltima die mensis Iulii anno Christianorum 1506.

## LXVII.

### IOANNES TRITHEMIVS AB. SPAN. OPT. FRATRI IOAN. Nutio Salutem.

VENIT ad me Prior sine literis cuiusquam, verbo significans capita factionum apud Bingiones conuenisse nostri causa ad quartum diem mensis Augusti, quorum & ipse interfuit consilio, vna cum suo collega Bingionita, retulitque nobis in illo impietatis cõsilio quædã æmulorum dicta simul atq; concluſa, quorum sententia hanc verborum cõplectitur summam. Ad monasterium reuertamur se maxime optare dicunt, nobisque ex parte Ducis atq; suorum nihil esse verẽdum, vtpote qui & reditum valde cupiat nostrum, & dixerit manifeste sæpius, nihil se aduersum nos sensisse vel cogitasse vnquã. Quod si nobis redire ad cœnobium non placeat, optare Ducem simul & mendaces illos presbyteros senes, ꝙ Abbatiam resignemus, se tamen malle reuertamur q̃ cedamus. Hæc prauorum summa consilii, super qua Melantius Prior nostrum quod referret optabat responsum. Instare capitulum diximus Moguntiæ celebrandum in capite mensis Septembris, in quo causam patribus examinandam proponere intendimus, & quid consulant audire. His cognitis prior discessit, relaturus ad ducem. Post cuius digressum altera mox die Ioannes Damius nobis aperuit, literas se apud priorem vidisse nobis inscriptas nomine conuentus nostri, quem interrogatum quid continerent, respondisse, inuectiuam contra abbatẽ. Et Damius, *Contra Abbatem* (inquit) *scribit conuentus? O stultissimi & insani quidnam agitis?* Arreptasq; de manu Prioris literas aperuit, legit, Prioris que temeritatem mirabatur. Continebant enim quosdam in nos (vt asseruit) articulos, per solum Priorem nostrum apud Moguntiacum, adiutorio illius destructi hominis Petri Slarpionis confictos, & nomine conuentus nostri ignorantibus ipsis mendaciter conscriptos. Damius autem posteaquam legerat schedulam rupit, ne nostras incideret manus. Hac iniuria prioris nostri denuo moti, nobiscum statuimus frater (quod te minime latere volumus) nunquam redire ad Spanheim, sed nobis vt poterimus alibi prouidere. Iam enim vobis constat manifeste prioris infidelitas, qui se nobis eatenus finxit esse fidelem. Scimus quod ad abbatiam nostram aspirat, propterea nobis molitur insidias, dulcia in ore verba, sed dolum machinatur in corde. Cedemus ergo non inuiti sed voluntarie, & quamuis tenere Abbatiam nostram possemus etiam de monasterio absentes, & Duce & vobis omnibus inuitis, libere tamen post dies paucos & sine pactione dimittemus, quemadmodum ante annos tres & viginti ad eam sine pacto nescientes canonice fuimus electi. Facilis est nobis iactura terrenæ dignitatis, qui nos scimus esse mortales, nec pensi habemus quid vocemur, sed potius quid simus attendendum duximus. Sed prioris ingratitudinem miramur, quem & benevolentia singulari semper extulimus, & multis beneficiis prosecuti sumus. O Prior infidelissime omnium monachorum, Iudæ non immerito comparandus traditori, quam impie contra nos egisti, immemor beneficiorum in te nostrorum omnium. Nonne parentes tuos ex terra Lucenburgensi bello & incendio profugos, pauperes & egenos, amore tui suscepimus, fouimus, & per annos iam tres & viginti de monasterii substantia, contra multorum fratrum sententiam, enutriuimus, eisque domicilium cum omnimoda libertate in villa Spanheim tradidimus gratis: eis quoque de monasterio quotidie præbendam integram & ambobus sufficientem per nostros ministrandam ordinauimus, quam & singulis diebus accipiunt vsque in hunc diem. Te quoque in sacerdotem ordinari fecimus, deinde in capellanum & commensalem nostrum assumpsimus, postea in cellerarium monasterii primum constituimus, de quo quidem officio cum te propter leuitatem tuam amouere fuisset necessarium, vt nulla tibi oriretur confusio, in Priorem te nostrum reclamantibus multis eleuauimus. Nihil tibi rationabiliter postulanti vnquam denegauimus, te quoque, quod diffiteri non poteris, vt oculi pupillam nostri semper custodiuimus, & contra omnium murmurationes fratrum, quas tua suscitasti negligentia, tibi nimium credulus, per annos iam ferme quatuordecim manutenui & defensaui. Tu autem qualia nobis reddideris in hac ipsa tribulatione nostra, omnipotens Deus qui nouit non dubitamus suo tempore vt intelligas dabit. Nos etiam non in vindictam, sed vt intellexisse nos tuam ingratitudinem agnoscas tibi antipodosim suo tempore scribemus. Quid tibi nunc amantissime senior Nuti videtur, iustene mouemur ad cedendum an iniuste? qui talem in Priore nostro ingratitudinem & malitiam inuenimus, in quo confidere præ cæteris solebamus. Scribit in nos eulogia sub nomine conuentus, ignorantibus cunctis, qui nihil de nobis mali scribere cum veritate potuit vnquam, Putabat forsitan homo stolidus & ambitione plenus, si huiuscemodi literæ in manus de-

nus aeueniſſent noſtras, quod contumelia moti in conuentum arma verteremus, ipſoſque fratres ſcribendo durius, nobis faceremus auerſos, ac per hoc ſibi præberetur introitus ad Abbatiam. Sed nos omnia diſſimulare ſtatuimus, propterea, quod redire ad Spanheim minime cogitemus. Noſtrum in hac re conſilium non facile mutabimus, niſi maiorum forſitan, quod abſit, auctoritate compellamur. Quæ ſpes ſalutis, quæ nobis confidentia pacis eſſe cum talibus poſſet? qui beneficiorum immemores nec Deum timent, nec homines reuerentur, ſed nec rationem propriæ conſiderant ſalutis. Hæc interim recum amantiſſime frater, donec veniat dies perficiendi conſilium. Vale noſtri memor ad Deum in orationibus tuis. Ex Budori decimaquarta die menſis Auguſti Anno Chriſtianorum 1506.

## LXVIII.

*REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBVS, PRÆSIDENTIBVS, diffinitoribus, cæteriſque abbatibus, conſilium annale ordinis S. Benedicti apud Moguntiam celebrantibus, Ioan. Trithe. abbas Spanhemen. reuerentiam & honorem.*

AD ſacrum ordinis conuentum, quem modo celebratis, amantiſſimi patres, venire perſonaliter conſtitui, propter cauſas & negocia quæ me concernunt non minima, quemadmodum partim ex his meis literis, partim ex latore ipſarum Ioanne Damio mihi profeſſo monacho intelligetis. Sed nimium in me ſæuiente fortuna prohibet. Nequiſſimus enim tyrannus ille comes de Lyningen, qui anno priore monaſterium Lympurgenſe funditus incendio deſtruxit, omnes vias ad Moguntiam dirigentes latronibus occupauit, vt vel me capiat, vel dicti cœnobij abbatem, ſicuti à multis tam occulte quam manifeſte ſumus informati. Abbati enim memorato inſidiatur, propterea quod cum coram Regia maieſtate & principibus ſuper ſpolio & incendio monaſterij accuſauit. Me autem perſequitur eadem ratione, quia non ſolum Coloniæ, ſed in alijs quoque locis iuſtis partibus abbatis ſemper faui conſuluique, & multis dietationibus contra tyrannum ſæpius interfui. Hinc offenſus nos ambos odio graui perſequitur, & ſi manus eius incideremus, non ſine periculo poſſemus euadere. Me quoque nuper de Marchia Brandenburgenſi reuerſum, cum omni familia mea, quæ tunc erat mecum, ſatellites eiuſdem tyranni exiſtentem in monaſterio Sebach mihi commiſſo, in domo hoſpitum ceperunt, & in caſtellum eius vicinum duxerunt, ipſo tunc abſente tyranno. Qui cum poſtridie reuertens factum didiciſſet, grauiter ſuos increpauit, quod me dimiſiſſent, & mihi iam ampliori inſidiatur vaſania. Quantum vero ad negotia mea pertinet, neminem veſtrum credo latere, quam grauiter anno priore fuerimus afflicti omnes, qui ſub tuitione ſereniſſimi principis Palatini ſumus conſtituti, bello & crudelitate Pinaleontum Haſſonū, qui omnia circa nos percurrentes rapuerunt, eccleſias cum villulis incendio conſumentes. Horum ego metu cum ne religioni quidem parcerent, in proximum declinaui oppidum, ibique donec illa quieuiſſet commotio permanſi. Reuerſus tandem ad monaſterium multa comperi me abſente perperam acta, moreſq; quorundā fratrum ab inſtitutione regulari miſerabiliter degeneraſſe, ac talia commiſiſſe, quæ ſilentio non viderentur penitus tranſeunda, ſed merito potius iuxta formam regularis diſciplinæ corrigenda. Metuētes autem ſcelerum auctores vindictam quam ſe meruiſſe non ignorabant, occultis machinationibus quoſdam è familia noſtra, de quibus ſuſpicabantur me omnia eorum ſcire quæ facta fuerant, relatione infamare & lingua circumferre cœperunt, primum ad officiales Ducis Ioannis, ac deinde ad quoſdam alios neſcio quam contumeliam eis imponentes. Interea me contigit in cauſa exuſti cœnobij Lympurgenſis Heidelbergam vocari, vbi cum eſſem per dies aliquot, officiales memorati ducis, neſcio cuius imperio, quoſdam è familia noſtra ceperunt & vinculis manciparunt, ad inſtantiam abbatis Moguntinenſis (vt eſt fama) qui monacho vni fugitiuo maluit dare fidem, quam mihi & toti conuentui meo Spanhemenſi. Huius ad me facti nuncio relato, non mediocriter mihi videbar offenſus, nec immerito quidē, propterea vel maxime, quod me abſente nec prius auiſato contra iuris ordinem talia preſumpſerūt. Verebar enim quod accidit, ne vulgus, turba in vitium alioquin credula nimis, aliquid de me ſuſpicaretur ſiniſtri, quaſi mea capti detinerentur cauſa. Plura mox in variam à populo dicebantur ſententiam, tantuſque ſubortus eſt in circuitu rumor, quod redire ad monaſterium non ſtatui, priuſquam iniuriantium temeritas condigna ſatisfactione plecteretur. Detuli factum omne ad principem Palatinum, cuius conſilio & aſſenſu

foris manſi vſque in præſentem diem. Cernentes æmuli quod nollem redire ad monaſterium, magis inſanire cœperunt, quorum minas parum curaui. Manſi autem Heidelbergæ & Spiræ menſibus duobus, febribus & indignitate facti æger & infirmus, ſine meorum auxilio vel conſolatione, quouſque tandem vocatus à ſereniſſimo principe Ioachim Brandenburgenſium Marchione Coloniam deſcendi: indeque Principe meo Palatino conſentiente Marchiam ipſam Brandenburgenſem cum Marchione ingreſſus ſum. Inde poſt menſes nouem reuerſus ad patriam, cum tumultus æmulorum ſedatos crederem, concitatiores quorundam ambitione, vt dicitur inueni. Conſideratis itaque ſingulis apud me ſtatui, nequaquam deinceps ſeruire ingratis, neque illius ſubeſſe dominio, apud quem plus valere mendacia quam veritas, vt cuiuſquam integritas vitæ fiduciam ſui nullam, ſola caperet impiorum adulatio firmitatem. Sum enim voluntatis dimittendi monaſterium cum Abbatia Spanhemenſi, niſi vos aliud rationabiliter decreueritis, quibus cupio pro viribus obedire. Quid mihi & Cynonotis? aut quæ poteſt mihi eſſe quies mentis in medio peruerſorum conſtituto? Confido in DOMINO IESV CHRISTO fidelium ſaluatore animarum, quoniam me pauperem ſeruulum ſuum non deſpiciet in finem, etiamſi à vobis omnibus fuero deſolatus. Annis iam viginti & amplius (ſicuti vos ipſi ſcitis) pro communitate ordinis atque capitulo continue laboraui, ſcribendo, dicendo, viſitando, cauſas & commiſſiones innumeras vnionis noſtræ coram epiſcopis atque principibus aliiſque diuerſis expediendo: nec hodie quiſquam in ordine viuit, qui tantos labores pro bono communi tolerauerit, quantos me ſcitis pertuliſſe. Per Sueuiam, Francontam totam, Alſatiam, perque diœceſes, Treuerenſem, Colonienſem, Moguntinenſem, Spirenſem, Bambergenſem, Herbipolenſem, Argentinenſemque non ſemel aut bis, ſed multoties veſtro iuſſu viſitaui, multoq; tempore de monaſterio meo abſens vobis imperantibus propria neglexi curans aliena. Quid pro his omnibus mercedis cõſecutus ſum? Niſi omnipotens Deus in futura illa retributione iuſtorum mihi per ſuam miſericordiam mercedem conferat laborum, omnia coram hominibus perdita dixerim. Videte quæ fecerim, & quam iniuſte patiar intelligetis. A multis vero annis hæc in me pullulauere mala, ea præſertim occaſione, quod me in viſitationibus diutius occupato, fratres mei non ſatis religioſe vixerunt, & Cynonotos, quod nunc experior, in odium mei occulte prouocauerunt. Non ex opinione ſcribo: etenim manifeſta ſunt quæ dico. Sed culpas fratrum meorum in lucem proferre nec volo nec debeo, magis autem patientiam complectens, exẽplo ſanctorum patrum oues incorrigibiles dimittam. Reliqua veſtris paternitatibus proponenda latori præſentium præfato commiſi. Opto vos in Chriſto valere memores mei. Ex Budori 20. die menſis Auguſti, anno Chriſti 1506.

## LXIX.

### *IOANNES TRITHEMIVS ABBAS SPAN. CONRADO ABBATI monaſterii ſancti Stephani in ciuitate Herbipolenſi, Salutem & charitatem.*

REVERENDE pater amice & frater chariſſime, cum iuxta vulgarum prouerbium in neceſſitate probetur amicus verus ſit an falſus, nihil in hac mea deſolatione magis à te poſtulo, q̃ vt (ſi vllo modo fieri poteſt) ad me Budorim venias capitulo celebrato. Multa enim in corde meo concepta tibi dicenda verſantur, quæ literis demandare mortuis nullatenus poſſum. Neque tuam charitatem exiſtimo latere, quibus agitor procellis perſecutionum quorundam Cynonotorum, qui ſe obſequiũ Deo præſtare arbitrantur ſi me gratis fuerint perſecuti, nõ minus inuidia q̃ odio mei laborantes. Ego autem qui optime nouerim per multas tribulationes introitum patere regni cœlorum, me, quantum potui hactenus, patientiã DOMINO IESV largiente, armaui, non volens malum reddere pro malo, ſed iræ potius dare locum, abſens à monaſterio meo in ſeptimum decimum hodie mẽſem permanſi. Cauſa vero non vna ſolum ſed plures mihi ne ad monaſterium reuertar in æternum perſuaſerunt. Dux Cynonotorum æmulis meis nimium credulus, noſtris male partibus fauet, quamuis vt reuertamus optare videatur. Sed eius non ſequar imperium qui fertur dixiſſe: reuertatur ad monaſterium ſuum abbas veſter nihil metuens: ego enim neque malum illi facturus ſum, neque bonum. Satis animum in nos tuum declaraſti, ô princeps, nec interprete opus eſt vllo, intelligimus enim quam rebus noſtris faueas bene, qui te nobis manifeſte nihil boni polliceris facturum, ſicuti nec antea quicquam feciſti. Igitur valeas cum adulatoribus tuis, ego deinceps tuo ſubiici dominio non conſentiam in æter-

in æternum. Omnipotentis sequar consilium, qui nihil sine causa permittit, cuius miserationi confidens non timebo quid faciant mihi homines iniqui, ambitiosi & ingrati, qui me propterea persequuntur, vt eorum satisfieret ambitioni, quod rei probabit euentus. Scripsit in me, vt fama est, prior meus eulogia nomine conuentus, mendacijs plena & sine ratione conficta. Mira hominis dolositas. Literis pene continuis pulsat, verbis quoque & lachrymis quoties venit ad me orat, petit, & rogat, tam suo nomine quam conuentus, vt ad monasterium nostrum reuertamur, omnem subiectionem obedientiamque promittens, & in occulto nobis aduersa machinatur. Hac dexteræ manus iniuria & scandalo motus, quanquam serenissimi principis Palatini aliorumque fauore & assistentia has iniurias propulsare possem, abbaciamq; retinere meam etiam absens omni tempore à monasterio, Duce cum omnibus æmulis meis non attentis, animum ad resignandum tamen induxi, malens conscientiam meam ab his malis quæ sequi possent, seruare innocentem, quam illatas vindicare contumelias. Statui ergo apud me tantis cedere oneribus curæ pastoralis, & deinceps nequaquam seruire ingratis, exemplo sanctissimi patris nostri Benedicti, & complurium ipsum sequentium patrum, qui prouocati suorum ingratitudine monachorum, relicta pastorali cura ouium morbidarum, ad alia loca suæ saluti prouisuri sese contulerunt. Sed de his colloquemur ad plenum, cum tua charitas ad nos venerit Heidelbergam, vbi ego & Lympurgensis abbas te simul & Schotterensem præstolamur, venturosque omnino speramus. Opto paternitatem tuam diu valere incolumem. Ex Budori 20. die mensis Augusti, Anno Domini 1506.

## LXX.

### *IOAN. TRIT. AB. SPAN. HENRICO ABBATI Bursfeldensi Salutem.*

DEVS omnium vnus optimus maximus, qui nihil ignorat, noscens abscondita cordium, ipse scit quam absentauerim me à capitulo inuitus, causam habens non modicam, qua perurgente plus quam libenter eius interfuissem celebrationi, nisi me, quemadmodum & abbatem Lympurgensem, Comitis tyranni sæuitia impediret. Multorum enim consilijs auisati sumus, ne viarum periculo nos tanto subijciamus. Nos enim malitiã eius non ignoramus, quæ tanta est, vt nec Deum timeat, nec hominem reuereatur. Dæmone plenus est & pene furiosus, vtpote qui anno priore bello sæuiente in pauperes, non solum Lympurgense monasterium, sed & alias complures Ecclesias pulcherrimas Diaboli agens officium ignibus incendens penitus destruxit. Hinc semper præsumit sæua perturbata conscientia. Si me (quod Deus auertat) denuo caperet, quis de manibus insanientis liberaret? Pro corpore & vita res agitur, quam toto mundo duximus præferendam. Ego penes me constitui quid facturus sum, non vnius noctis sed plurium mensium consilio mature deliberatus. Abbaciam meam breui intendo resignare, & mihi cum Dei auxilio principisque fauore alibi vbi potero quietius prouidere. Non cupio redire ad Spanheim, nec Ducis opto reconciliationem, quoniam qui mihi sine causa infensum se præbuit, sub suo me dominio deinceps non habebit. Sunt duo in Spanheim qui totius mali fuerunt incentores, quorum alter est Prior, alter fuit Cellerarius, vterque abbatiam adspirat, sinãt patres vt præualeant si velint, ego me conuertam ad tẽmitam pacis impiorumque consortia euitabo. Abbas sancti Iacobi Moguntinus omnia hæc mala præueniisset, si mendacio non plus credidisset quam veritati. Deprehensus namque publice in crimine cellerarius, me quidem absente metuens pœnam ad ipsum confugit abbatem, & vt sua defenderet vitia mendaciter confinxit aliena. Credidit ille mentienti potius quam veritati, totumque putabat Euangelium quod frater pro sui defensione excogitauerat. Reuersus ad monasterium ego, cum facti historiam didicissem, grauiter quidem tuli non solum crimẽ fratris sed etiam temeritatem abbatis, qui talem contra fratrum omnium testimonia criminosum & fugitiuum defensaret. Interea cum noluissem præcipitantem sequi multorum sententiam, contigit me denuo Heidelbergam vocari, vbi me diutius occupato in negocio exusti cœnobij Lympurgensis, idem frater in odium eorum qui factum eius prodiderunt, quibusdam sibi ex donatis consentientibus tantum effecit, quod aliqui ex eis capti fuerunt, non minus id procurante abbate memorato. Quæ postea fuerunt secuta, ex fratre quẽ misit tua paternitas clarius intelliget. Vale pater optime & ora pro nobis Deũ. Ex Budori 30. die mensis Aug. Anno Christianorum 1506. Et sua manu raptis.

## LXXI.

### *IOANNES TRITHEMIVS ABBAS SPANHEMENSIS, optimo fratri Rogerio Sycambro salutem.*

VENERVNT ad me Budorim quarta die mensis huius, Ioannes in Schotteren, Conradus S. Stephani in Herbipoli, & Georgius in Suuartzach, monasteriorum nostri ordinis Abbates, missi à capitulo annali Moguntiæ pridem celebrato, hæc summarie habentes in mandatis, vt suis mihi persuaderent sermonibus ad monasterium reditē. Duos etiam alios patres per capitulum ordinatos dicebant, qui Ducem nomine totius vnionis accederent Bursfeldensis, eumque mihi efficerent placatum. His ego auditis respondi, nō esse opus propter me deputatos accedere Ducem, quoniam illius reconciliationem & gratiam nec quæro nec opto. Absit à me vt illius deinceps dominio subijciar, apud quem mendacium valet plurimum, veritas nihil potest. Nimis temeratam iniuriam passus, tā à Duce quam à tribus è conuentu meo, non reuertar amplius ad eos, sed resignabo abbatiā quamprimum rebus meis aliquantulum prouidero. Accepto missi responso, cum cernerent sententia fixum, non amplius molestarunt, sed rescripserunt abbatibus à capitulo deputatis, nulla fatigatione ad Ducem esse opus, quia omnino penes me statuissem non amplius redire ad Spanheim. Deus mihi prouidebit vbi maneam, & cum pace maiore quam in Spanheim vixerim in vnquam. Quorsum vero me intendam conferre si velis scire, nescio quid respondeam. Tres me principes magni expectant, sed non placet mihi curias sequi principum. Tres quoq; ordinis quem sum professus abbates potentiores vt ad eos veniam rogant. Sed ne fabulam putes, nomina dabo singulorum. Maximilianus Rex serenissimus Romanorum pluries (vt nosti) me sollicitari fecit, vt suo me cōferam seruitio. Marchionem Brandenburgensem non opus est vt citem in medium, cum scias quanti me faciat. Philippus quoq; Bauariæ Dux, & Comes Palatinus Rheni, clementissimus princeps, me prouidere quo ad viuam copiosè pollicitus est, vel penes Abbatem Lympurgensem, vel in suo principatu, vbicunque voluero. Postremo iam mihi abbas S. Stephani memoratus dixit, abbatiam diui Iacobi apostoli maioris in suburbio Herbipolensi propediem vacaturam per resignationem præsentis abbatis, quam si assumere velim, se operam daturum, vt res quantotius fortiatur effectum. Assensi consilio malens in paupertate viuere sub institutione monastica, quam diues in curijs principum conuersari. His ita conclusis missi ad me à capitulo patres octaua die mensis Septembris ad sua reuersuri discesserunt. At ego responsum sæpe dicti abbatis expecto vtrum videlicet ita placeat reuerendissimo patri Episcopo Herbipolensi, quo tādem accepto te facturus sum de omnibus certiorem. Vale ex Budori 12. die mensis Septembris Anno Domini 1506.

## LXXII.

### *CONRADVS ABBAS S. STEPHANI HERBIPOLENSIS Ioanni Trithemio abbati Span. S.*

REVERENDE pater, iuxta recessum mutuæ conclusionis nouissime in cœnobio monialium Noui castri * prope Heidelbergam factæ, mox vt peruenì ad propria. D. Reuerendissimum Herbipolensem episcopum accessi, & inter alia colloquia monasterium S. Iacobi concernentia vestræ paternitatis mentionem feci, asserens fore possibile, si suæ paternitati reuerendissimæ placeret, quod vestra paternitas eidem præficeretur cœnobio. Quod audiens summe dicebat sibi placere, pollicebaturque quod velit vestram paternitatem gracioſe fouere, manusque fideliter præbere adiutrices, mihi quoque vt hæc quantotius vestræ paternitati significarem iniunxit. Vestra nunc igitur paternitas non sit in mora, quam ipse reuerendissimus dominus noster in omnibus grauiter ferre consueuit. Reliqua mutuæ reseruo collocutioni, quam altissimus prosperam & iucundam facere dignetur. Datæ Herbipoli in die exaltationis Sanctæ crucis Anno Christianorum M.D.VI.

* Neuburg.

## LXXIII.

### *IOAN. TRITHE. ABBAS SPAN. CONRADO ABBATI S. Stephani Salutem.*

LITERAS tuas pater venerande sextadecima die mensis huius Septembris apud Budoras in nouo castro * cœnobio susceپi, quibus relectis mentem reuerendissimi præsulis simul

* Neuenburg bey Heydelberg.

simul & tuæ paternitatis intellexi. Habeo tibi gratias ingentes pro tua in me charitate, agamque libenter vberiores vnquam si potero. Nam etsi principum fauore atque pietate mihi satis posset esse prouisum, quia tamen homo sum claustralis, & studio scripturarum deditus, malo in paupere latere cœnobio, quam inter aulicos haberi clarissimus. Imitabor illum innocentiæ virum qui dixit: *Elegi abiectus esse in domo domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Veniam itaque circa finem Septembris, interea quædam hic & Neometi expediturus negocia mea, quibus peractis sine mora vobiscum adesse curabo. Et hanc voluntatem meam pontifici reuerendissimo Herbipolensi manifestam facere non pigeat precor. Quod si aliqua interuenerit occasio qua in fine Septembris adesse nequiuero, non ilico de aduentu meo desperandum putes, quia certo venturus vitam Deo cum sanitate prolongante tua te expectatione non frustrabor. Interea feliciter vale nostri memor in orationibus tuis ad Deum. Iterum vale. Ex Budori 17. die Septembris. Anno Christianorum M.D.VI.

## LXXIIII.

### IOANNES TRITEMIVS ABBAS SPANHEM. ROGERIO Sycambro Salutem.

QVOD tibi fueram pollicitus Rogeri amantissime vltimis ad te literis meis, nunc his quidem breuissimis quam libens facio. Literas Conradi abbatis S. Stephani 16. die mensis huius apud Budoras accepi, quibus reuerendissimum præsulem Herbipolensem Laurentium rebus meis benefauentem significauit: mihi quoque abbatiam S. Iacobi quondam Scotorum, non solum voluntarie verum & quam hilariter offerentem, quam vt suscipiam, quantotius mandauit properandum. Sum itaque hic Neometis paucis quidem diebus moraturus, ad quarundam rerum mearum expeditionem, quibus ordinatis iter versus Herbipolim dirigemus. Verum priusquam his finibus excedamus, te videre & alloqui optamus. Sed quoniam venire ad te propter dœmonis incarnati sæuitiam (qui non natura sed imitatione potius diabolus quam homo dicendus est) sicuti nosti, minime possumus. Tu ad nos vt venias, te etiam atque etiam hortamur, petimus & rogamus. Multa enim mente versamus tecum disputanda, quę literis mandare non possumus. Scripsimus autem & priori tuo, rogantes, vt sua tibi auctoritate veniendi potestatem indulgeat. Libellum tuum *de vario literarum vsu* tecum adferas: sunt enim quædam in eo scripta, si recte memini, quibus subtilior lima fuerit necessaria, in his maxime quæ linguam respiciunt Græcam, in cuius perceptione satis nec dum profecisti. Adero quãtum mihi licuerit, ne hoc ipsum tuum opusculum ex tua officina inemendatum vadat in publicum. Moras rumpe, quoniam vltra quatriduum istic non manebimus. Vale ex ciuitate Neometensi 20. die Septembris Anno Christianorum M D.VI.

## LXXV.

### IOAN. TRIT. AB. SPAN. RICHMODI DE HORST, abbatissæ in Sebach, Salutem.

DECIMVS & octauus hodie mensis voluitur, vt nosti charissima in Christo filia, quod à nostro peregrinamur cœnobio æmulorum temeritate commoti. Vnde post multa consilia & maturam deliberationem statuentes amplius ad Spanheim nequaquam reuertendum, operæ precium fuerit aliquando prouidisse vbi tandem maneamus. Offertur nobis Abbatia quædam in suburbio ciuitatis Herbipolensis sita, quam bene nouimus, pauperculà quidem & modica, sed quieta multum atque tranquilla, nostroque satis vti speramus conueniens proposito, quam duximus persuasi amicorum consilio non spernendam. Optime nouit charitas tua quantis laboribus per annos iam tres & viginti continuos in Spanheim fuerimus afflicti, non solum in regimine monasterii proprii, sed multo amplius pro totius ordinis vtilitate communi. At nunc posteaquam ingratitudinem fratrum erga nos manifeste simus experti, manere cum eis diutius non credimus tutum, quoniam nec illi nobis vmquam deinceps erunt fideles, nec eis confidere amplius veraciter poterimus à quibus tam enormiter sumus decepti. Nobis autẽ sic pauide conuersantib. quis non intelligat quantũ animarũ sequeretur periculũ, dum neq; pastor se ouib.

crederé, neque ad pastorem oues securum deinceps possent habere accessum. Et quamuis de corde meo rancorem remittere omnem forsitan possem, tamen fratres horsi autorum malorum neq; hoc ipsum crederent, neque prauas consuetudines suas facile immutarent. Satis enim scimus quam sit difficile monachos deprauatos mala consuetudine ad rectitudinem nouitatis reuocare. Dicit namque vir sapiens: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Assimilatur enim consuetudo naturæ, cui nemo sine difficultate resistit, beato dicente Gregorio: *Tenent prauæ consuetudines quem semel ceperunt atque quotidie duriores existunt, & non nisi cum peccatoris vita finiuntur.* Multæ præterea sunt rationes, quarum consideratione moueor ad cedendum, paucissimæ vero quibus induci possim vt maneam. Maxime autem in odium (vt ita dixerim) loci, Ducis inconstantia suorumque temeritate motus sum, vsque adeo, vt eius pollicitationibus fidem amplius nequeam adhibere, neque veniam postulanti credere, neq; gratiam eius oblatam possim acceptare. Viuant deinceps in rure Spanheimenses cum rusticis, quibus videre nimis fuerat graue, de quo etiam principes gloriarentur. Venire mei visendi gratia in Spanheim ex tota fere Germania, ex Italia & Gallia, cæterisque adiacentibus regnis viri eruditi atque doctissimi in omni facultate consueuerunt. Miserunt principes atque potentes huius sæculi suos in re literaria nuncios & oratores ad me, sicuti tota nouit vicinitas, quos ego inauditos, vel sine honore hospitalitatis dimittere nec debui nec volui certe, quamuis plures eorum legaliter satisfecerint pro expensis. Viderunt hæc in circuitu omnes, & factum laudauerunt: soli ex subditis meis monachi duo, & conuersi omnes, quos donatos vsitato vocabulo nuncupamus, æquo cernere animo non potuerunt, sed in occulto murmurabant, vt talium mos est, ipsumque ducem, studiosos, doctosque viros, non satis appreciantem sui s iniquis delationibus paulatim aduersum me concitarunt. Dabo igitur locum iræ, vt valeant cum rusticis, qui salutarem semper spreuere doctrinam. Prouidebit mihi altissimus locum vt confido meis aptiorem studiis, & pro laboribus multis, quibus desudaui in Spanheim, alibi requiem tribuere dignabitur. Tu autem charissima in Christo filia vna cum sanctis virginibus tibi commissis, sta firmiter in sanctitatis proposito vsque in finem, vt præsentis vitæ consummato itinere, cum sanctis virginibus ad nuptias sponsi intromitti merearis regis æterni. Dominum tuum IESVM CHRISTVM, cui te totam deuouisti, ex toto corde tuo semper diligas, illumque ama super omnia, qui tui amore factus est homo. In quantum plus illum amaueris, in tantum euades aptior ad ingressum regni cœlorum, quoniam ipse est via per quam itur ad patriam, ipse est veritas, per quam cognoscitur summum bonum, ipse quoque est vita, per quam iustorum animæ fiũt immortales. Vnguentum suaue & optimum est amor Dei, quo animæ pestes cito sanantur omnes, intellectus quoque illustratur mirifice in omnium cognitionem, & affectus ab omni puluerulentia mundanæ adhæsionis purgatur. Quicumque enim Dominum IESVM ex toto corde suo diligit, locum in se vitiis & peccatis minime relinquit, nec intrare animum diabolus permittitur, qui diuino totus occupatur amore, quia diabolus animam virtutibus vacuam desiderat, & mentem diuino nudam amore inhabitat. Vbicumque vero cor hominis amore diuino repletum inuenerit, sub magna confusione recedit. Vt enim visibilia vasa aliquo repleta liquore materiali, superuenientium augmenta non capiunt, sic mens diuina charitate repleta nullum vitiis & concupiscentiis aditum penitus concedit. Felix illa conscientia, in cuius secretario præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, puritas atq; iustitia, nullus amor versatur alius, vbi cor Deum amantis nec ad hominis recordationem aliquãdo suspirat, nec videre quic quam in mundo transitorium optat. Sit constans & perfectus amor tuus in Deum, o virgo Christi desponsata contubernio, vt si necesse fuerit amore illius moriaris, qui amore tui placide ac benigne mori dignatus est. O quam dulcis, suauis, & fortis, & potens est amor tuus Domine Iesu, qui mentem æterna satietate reficit, conscientiam ab omni immundicia puram custodit, animam diligentis perfecte illuminat, & cor hominis infirmissimi cõtra omnia huius mundi aduersa robustissime confortat. Ama igitur, o virgo Christi Deum, totum ama tota, vt possis omnia sine labore vincere & delere peccata, quia charitas operit multitudinem peccatorum, & Deo hominem facit esse proximum, in cunctisque mundi aduersitatibus gloriosum. Teneræ namque militiæ ac delicati conflictus est amore solo de cunctis hostibus reportare victoriam. Vt ergo fortiter vincas omnia mala huius sæculi, sta fortiter & constans in amore Dei. Tanto enim vinces potentius, quanto amaueris fortius, sancto dicente Bernardo: *O iugum sanctiamoris quam dulciter capis, gloriose laqueas, suauiter præmis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis. O felix amor, ex quo oriuntur*

Prouerb. 22.

Ioann. 14.

Diligere Deum super omnia.

*ritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, & præmiorum sublimitas. Thesaurus indeficiens est amor diuinus, quem qui habet diues, qui non habet, etiam si Cræsi possederit diuitias, omnium pauperrimus est.* Prior dilexit nos DEVS non vulgari amore, sed dulciter, sapienter & fortiter. Dulciter quidem, quia carnem pro nobis assumpsit humanam, sapienter, quia peccatum non fecit, nec est inuentus in ore eius dolus, fortiter quia factus est Patri obediens pro nobis vsque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce virgo, Christus formam in semetipso tibi præmonstrauit diuini amoris, quem sequaris oportet, si eius thalamum volueris introire. Ama dulciter ipsum CHRISTVM IESVM, ne quicquam præter illum concupiscas: ama prudenter, ne carnis vanitate decipiaris: ama fortiter, ne in aduersitatibus huius mundi vnquam à sancto proposito deiiciaris. Tribus enim istis columnis diuini amoris opus est, quoniam qui Christum dulciter amat, ipsum solum amat, & nihil concupiscit illi contrarium, diuo dicente Augustino. Minus te Domine amat, qui aliquid tecum amat quod propter te non amat. Dulciter itaque diligis, si Iesum non ad aliud quam propter ipsum & solum quidem diligis. Scis enim quid in sacra dicat ipse scriptura: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes.* Solus a te vult amari, non admittit socium, nec potest amor esse dulcis si fuerit in obiectorum diuersitate communis. Sapienter etiam diligas Dominum Iesum, quoniam ipse est sapientia Dei Patris, qui vult amari non solum dulciter, sed & sapienter, alioquin facilime zelo tuo spiritus illudet erroris, cum scientiam sapientis neglexeris amatricis. Non enim habet callidus hostis medicamentum efficacius ad tollendum de corde hominis Christi amorem, quam si efficere possit vt in eo sine ratione & incaute ambuletur. Propterea in omni sacrificio salem diuina præcipit offerri scriptura, quemadmodum & Deus sapienter omnia fecit & ordinauit. Modus autem diligendi Deum est, vt diligas eum quamtum potes, quoniam quanto plus amaueris, tanto melior dilecto erit. Ama & fortiter DOMINVM tuum Iesum, o virgo, hoc est perseueranter, vt ne prospera quidem neque aduersa mentem tuam ab eius dilectione, vel emolliant, vel auertant. Diligendus est Iesus maximo cum feruore vsque ad mortem non minus in aduersis quam in rebus secundis, nec propter accessorium aliquod, sed propter ipsum solum, quia Iesus est causa dilectionis suæ dignissima. Dominus Iesus portio tua sit, o virgo claustralis, nihil tibi curandum, nihil cogitandum, nihil amandum nisi Iesus ipse, cui te mente & corpore deuouisti, cuius amor omni dulcior melle, quem quicunque veraciter diligit, nihil in hoc mundo præter ipsum concupiscit. Amor Iesu amanti est in cunctis sufficiens, inopiam nõ patitur, nec cedit aduersis, nec prosperis emollitur, in se constans est, sibi abunde sufficiẽs, quoniam in Domino Iesu intus omnia possidet, nihil requirens eorum quæ foris esse videntur. Omnia enim necessario contemnit, qui Iesum habere voluerit amicum. Accedens ergo ad Christi amorem virgo claustralis, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem, quoniam qui amicitias petit Iesu, multorum sibi nouerit inimicitias esse tolerandas, & propterea se paret ad humilem patientiam, ne sanctam amicitiam priusquam adipiscatur perfecte, amittat. Enimuero cum anima se Dei verbo sociauerit, sciat indubitanter statim inimicos se habituram, & eos plerumque, quos ante habuit amicos in aduersarios esse vertendos. Fortiter itaque in Dei amore perseuerandum est, & animus contra quælibet occurrentia firmandus aduersa, ne in medio constitutus itinere deficiat, vel territus laborum magnitudine recedat. Nam si Christum Iesum qui nullum habuit peccatum, oportuit pati, & sic intrare in gloriam suam, quanto magis nos miseri homines, in peccatis concepti, nati & educati, qui delinquendo quotidie deteriores nobis efficimur, multa necessario sustinemus aduersa, qui nostro patimur demerito, quicquid nobis occurrerit mali. Si tribulationes iustorum multas scriptura commemorare non dubitat, nemini videatur mirum, si nos peccatores à iustitiæ operibus nudi, conuersi licet ac pœnitentes multa sustineamus aduersa. Hinc sacer inquit Christophilus: *Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Ad Christianos pertinet, & maxime ad claustrales, iniurias tacendo fugiendoq; potius quam respondendo aut reluctando vincere, & quanto nos professio monasticæ institutionis ad perfectionem ligat amplius, tãto nobis licet minus vim vi repellere, sed magis oportet quæcunque aduersa patientius sustinere. Christiani sumus & claustrales per amplius ad humilitatem obligati propter quod omnia grauia & amara pro CHRISTI amore patienter à nobis ferenda sunt. Ego vt me CHRISTI seruum licet inutilem comprobarem, ecce quanta sine demerito sustinui meo, quæ in æmulos retorquere potuissem,

*Exod. 20.*

*Pii potissimum affliguntur.*

*Hebr. 10.*

*Monachos omniũ maxime decet patientiam præstare.*

potuissem, sed nocentibus malum inferre numquam volui, sperans quod Dominus Iesus patientiam remunerabit quam dedit. Super omnia graue mihi fuerit monasterium meum cum amicis in perpetuum deserere, structuras quas ædificaui pulcherrimas alteri & forsitan inimico & ingrato construxisse, & quod excedit vniuersa, bibliothecā duorum milium, quam ego sicuti manifestum est solus comportaui, precioſorum ratissimorumq; voluminum post me relinquere, sine qua mihi videbar aliquando viuere non posse. Hæc me sane annis compluribus nimio sui amore detinuit, & ne consentirem in Abbatias pinguiores, quæ mihi offerebantur, vt scis, semper nimium retraxit. At nunc posteaquam persecutio in me sæuire cœpit æmulorum, vincula amoris rupi fortiter, & statui pro Christi amore non solum chariſſimam mihi hactenus bibliothecam, sed monasterium quoque cum omnibus ad ipsum pertinentibus & patria & amicis deserere, ne forte in medio constitutus æmulorum memoria mentem corrumperet iniuriarum. Nec tu propterea te filia arbitreris desertam, quoniam nos Deo vocante digredimur ad Francos. Potens enim est DOMINVS IESVS prouisorem tibi dare meliorem, qui rebus monasterii tui tam spiritualibus quam temporalibus consulere multo quam ego possit vtilius. Non deseret vos Episcopus vester Neometensis, in cuius diœcesi monasterium vestrum dignoscitur constitutum, sed prouidebit vobis abbatem sine dubio meliorem. Vale cum vniuersis tibi commissis sororibus, Deum pro nobis orantes. Ex Neometi 20. die mensis Septembris, Anno Christianorum M.D.VI.

## LXXVI.

*REVERENDO IN CHRISTO PATRI, D. IOAN. TRITEMIO ABBATI Spanheimensi, Richmodis Abbatissa, Anna de Helmstat Priorissa, & humiles filiæ totius conuentus monasterii S. Laurentii in Sebach, cum orationibus vtinam deuotis sempiternam exoptant felicitatem.*

SCIRE paternitatem tuam volumus, quod pene ad mortem contristatæ sumus relectis quas nobis misisti literis tuis, quibus te significas dimissurum abbatiam tuā Spanhemensem, & tam longe progressurum à nobis. O quare nos deseris Reuerendissime pater, aut cui nos pauperrimas ouiculas committis, quas tam dulciter pascere consueuisti lacte cœlestis doctrinæ? Quis erit nunc o dulcissime pater, qui nobis more tuo suauissimos de Christi passione, deq; amore diuino, & amœnitate regni cœlestis distribuat sermones? aut quis deinceps consolabitur nos in tribulationibus nostris, quarum non est numerus? Ad quem in necessitatibus pro consilio fugiemus, aut quem inuocabimus tua præsentia destitutæ? Vtinam lachrymas filiarum tuarum cerneres, vtinam ad monasterium tuum redires miserius cuium tibi commissarum, cum sit nemo, sicuti veraciter iumus informatæ, qui tuum ad Spanheim reditum non summe desideret. Fuit enim nuper hic nobiscum Prior Spanhemensis, qui dixit, quod ille Dux Ioannes vna cum suis omnibus valde cupiat, quatenus reuertaris ad Spanheim, velitque tibi semper esse benignus & gratiosus, nec permittere quod aliquam patiaris molestiam. Hoc idem cupiunt, orant, & precantur fratres tui omnes, similiter & ordinis abbates, qui Moguntiæ in capitulo fuisse dicuntur, idem optant vniuersi. Væ nobis misellis, captiuis & inclusis, quæ omni humano sumus destitutæ solatio, & in medio inimicorum positæ, vnicū quod habebamus subterfugium patrem & pastorem fidelem & pientissimum adhuc viuentem compellimur amittere, cui similem numquam poterimus inuenire, qui tantum valeat eruditione, religionis deuotione, experientia, clementia & pietate. Sed quid miseræ faciemus, cum absentem lachrymis non possimus reuocare. Vtinam nobis solum hac vice liceret monasticam exire clausuram, vt Spiram conuentualiter omnes possemus adire, genibusque flexis in terram profluentibus lachrymis tuam deprecari clementiam, forsitan propositum mutares, obtineremus. Sed quia manere nos fixas oportet in loco, hoc vnum paternitatem tuam nobis semper obseruandam propter effusionem precioſissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quem semper prædicare & honorare consueuisti, quam humilime rogamus, petimus & obsecramus, vt si omnino dimittere abbatiam Spanhemensem statuisti, commissioni monasterii huius nostri, quam tibi Dominus Episcopus olim dedit, nequaquam renuncies propterea, sed permaneas visitator noster deinceps, sicuti hactenus iam per plures annos fuisti. Quamuis enim Herbipolis amplius distet à Sebach quam Spanheim, tua tamen paternitas suo nos tempore bene poterit visitare, & si non singulis annis,

annis, saltem in biennio vel in triennio semel, & interea dulcissimis epistolis sæpius consolari, vt antea consueuit. Scis enim quod nullum possumus alium inuenire abbatem nobis viciniorem, qui sit idoneus conseruare sanctam institutionem regularis disciplinæ in nobis, quam tua reuerenda paternitas magno labore plantauit, & vsque in præsens laudabiliter continuauit. Precamur ergo iterum atque iterum per innocentissimã mortẽ Domini nostri Iesu Christi, exaudi nos in hac nostra petitione, si aliter fieri nõ potest, quoniã iusta petimus & sancta, nobis salutaria, & tibi non impossibilia. Mittimus cum his literis procuratorem nostrum, per quem vnanimiter postulamus & præstolamus votiuum reuerendæ paternitatis tuæ responsum. Quam omnipotens Deus ad nostram multorumq; vtilitatem diu conseruare dignetur incolumem. Commendamus nos sanctis orationibus tuis, iterumque te valere cupimus dulcissime pater. Ex Sebach 21, die Septembris Anno 1506.

## LXXVII.

*IOANNES TRITEMIVS ABBAS SPANHEM. DVLCISSIMIS in Christo filiabus, abbatissæ & conuentui in Sebach, Salutem & synceram in Domino charitatem.*

LITERAS charitatum vestrarum Neometi suscepimus, quibus lachrymas & suspiria pro nobis vestra significatis. Condolemus quidem vobis ex corde, sed aliter fieri non potest. Spanheim sicuti constituimus propter ingratitudinem monachorum deseremus, non curantes verba prioris, quem nouimus esse fallacem. aliud enim loquitur aliud in corde meditatur. Ducis mentem non attendimus neque illorum qui cum ipso sunt vota curamus, quoniam si alterum oporteat, mẽdicare potius omni tempore statuimus, quam eius deinceps subesse imperio. Scimus & multorum relatione cognouimus, quod vehementer dolet factum, & vt reuertamur ad monasterium cupit, nos quoque fideliter manutenere promittit, sed nos gratiam eius non quærimus, quem nos tam inconsulte, iniuste ac temere irritantem sumus experti. Quantum vero ad commissionem vestri dudum nobis factam per Lodouicum episcopum libenter faciemus quod vnanimiter postulatis, vt videlicet nomen visitatoris retineamus simul & officium, quousq; vobis possit melius prouideri. Nam & si tam crebro venire ad vos personaliter, sicut hactenus potero minime, veniam tamen sæpius scriptis, donec & tandem aliquando personaliter venire contingat. Rebus autem Lympurgensium in turbatione positis, nemo nostri ordinis abbas vel monachus propter sæuitiam Comitis vestri Sebach audebit accedere, quanto minus ego qui iustis Lympurgensium causis aduersus comitem semper adhasisse incusor. Vnde necessario sine visitatione aliquanto tempore manebitis donec inter abbatem & ipsum Comitem fuerit reformata concordia. Propterea rogamus vos in Domino filiæ charissimæ, vt vocationem vestram diligenter attendatis in omni charitate & patientia secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti humiliter conuersantes, quatenus in pace & Dei amore proficiendo quotidie sanctum spiritum possitis habere visitatorem, qui super humilem & quietum ac Dei sermones custodientem requiescere consueuit. Nolite contristare matrem, quæ vobis in sollicitudine præest, sed eius in Dei seruitio imitamini feruorem, in omnibus humiliter obedientes. Ipsa enim sicut cernitis verbo & exemplo vos in omni sanctitate prima semper in choro præcedit, tam diligens & sedula in diuino seruitio, vt nullam in temporalibus videatur habere occupationem: tam vero in externis occupata, vt orandi tempus nullum superesse videri possit. Mutuam inter vos charitatem ante omnia custodite, quoniam vbi charitas non est, nulla potest esse iustitia. Dilectio enim proximi malum non operatur. Charitas namque perfectionis vinculum fons & origo omnium virtutum multitudinem operit peccatorum, sine qua nemo verã cordis habere contritionem poterit, veniam nemo scelerum impetrabit. Dilectio proximi diuino conformata amori est, vnda pacis, charitatis himber, semen concordiæ, meritum felicitatis æternæ. Propterea Deus omnipotens vnicuique nostrum præcipit dicens: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Proximus hic non sanguinis propinquitate, sed rationis societate putandus est, in qua socii sunt omnes homines Hac de causa in monasterio estis congregatæ, vt mutuis auxiliis charitatis imbecillitatem vestram tueamini, & propterea mutuæ semper dilectionis obseruantiam custodite, vt monasticæ satisfaciatis institutioni, sicuti sacer mandauit Apostolus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Sola enim charitas est quæ vincit omnia, & sine qua nihil valent omnia, quæ si

*Rom. 13.*

*Matth. 22. Marc. 12.*

veraciter in vobis extiterit, veras Christi sponsas efficiet. Omnipotens Deus in suo vos ardere faciat amore, quem vt nobis reddatis placabilem orationibus vestris instantissime rogamus laborum nostrorum memores, quos pro vtilitate vestra multis iam annis pertulimus communi. Valete in Domino Iesu sine macula conuersantes. Ex Neometi 22. die mensis Septembris Anno Christian. 1406.

## LXXVIII.

### *IOANNES TRITEM. AB. SPAN. FRATRI IOANNI de Francfordia Salutem.*

DILECTE frater, intendimus monasterium nostrum Spanheim ex certis & rationabilibus causis dimittere, ipsiusque Abbatiam, quam annis quatuor & viginti possedimus resignare: ne autem propterea cœnobium Christi sponsarum in Sebach aliquod incurreret periculum, eius commissionem per episcopos Spirenses nobis factam ad humilem instantiam Abbatissæ & Conuentus diutius continuabimus, donec sibi conuenientiorem valeant inuenire visitatorem. Quocirca tuæ charitati committimus & mandamus, quatenus ea quæ concernunt officium tibi commissum exequaris & custodias omni diligentia & sollicitudine, quemadmodum audiuisti à nobis, cum præsentes in ipso monasterio nuper essemus. Vagos extra cœnobium intermitte discursus, & clausuram solus nunquam ingrediaris. Mandatis Abbatissæ obtempera, sciens te seruum Christi virginum non dominum. In cæteris ad præscriptam tibi normulam te studeas conformare. Vale, Ex Neometi 22. die mensis Septembris, Anno 1506.

## LXXIX.

### *IOANNES TRITEM. AB. MONASTERII S. IACOBI APOstoli in suburbio ciuitatis Herbip. Iacobo Tritemio charis. fratri S.*

PARVI desiderio tuo quantum mihi licuit dulcissime frater, & quarundam epistolarum mearum, quas scripsi à die exitus mei de Spanheim vsque in præsentem diem, exemplaria quotquot remanserant in præsenti volumine comportaui. Nec enim omnium penes nos exemplaria retinuimus, propterea quod sæpius festinare in scribendo cogebamur. Congessimus autem in hoc ipso volumine sexaginta sex epistolas nostras, & duodecim alienas ad nos missas coniunximus, quæ omnes cum ista quidem ad te simul faciunt nouem & septuaginta, in quibus more nostro familiari nobis scribendi genere sumus vsi, non pro admiratione nostri sequentes eloquentiam, quæ in nobis nulla fuit vnquam, sed scholastico sermone, quo facile intelligamur. Scis autem quod prima die mensis Aprilis monasterium meum exiui, nunquam illuc postea reuersus vsque in hunc diem. Exiuimus autem anno Christianorum millesimo quingentesimo quinto, prima vt diximus Aprilis: & hanc sancti Iacobi abbatiam suscepimus quintadecima die mensis Octobris anni sequentis. Omne igitur tempus inter exitum nostrum de Spanheim & introitum huc, menses effluxerunt decem & octo diesque tredecim. Huius temporis fuerunt epistolæ præsentes, quas tibi tradidimus suauissime frater, non ad eruditionem tui, sed potius ad memoriam nostri. Illas vero quas prius scripsimus dimisimus in Spanheim, nec dum in ordinem coadunatas, quas si quando redegerimus in ordinem habere volueris, facile consequeris. Eas autem quas postea dedimus, aut in futurum scribemus alio comprehensas volumine tibi quoque suo tempore non subtrahemus. Vale ex monasterio nostro sancti Iacobi apostoli maioris in suburbio ciuitatis Herbipolensis 28. die mensis Decembris Anno Christi 1506.

*Finis Epistolarum Spanhemensium, Tritemii Abbatis.*

IOAN-

# IOANNIS TRITEMII ABBATIS S. IACOBI HERBIPOLENSIS, EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER SECVNDVS, AD IACOBVM TRITEMIVM DVLCISSIMVM FRATREM.

## I.

*IOAN. TRITEM. AB. MONASTERII DIVI APOSTOLI IACOBI in suburbio ciuitatis Herbipolensis, magistro Iacobo Tritemio fratri vnico atque dulcissimo, Salutem.*

VT pleno fraternitatis erga te comprobemur affectu, primum hunc librum epistolarum nostrarum Herbipolensium vltimo Spanhemensium, quem tibi dicauimus, pulchra duximus ratione connectēdum. In illo enim nostrarum calamitatū legisti miserias, in isto quietis subsecutę legito lubentis animi lucubrationes. Prioris namq; voluminis epistolas scripsimus abbas monasterii Spanhemensis, huius autem libri missas dedimus abbas nihilominus diui Iacobi Herbipolensis. Quod in primo fecimus etiam in isto pollicemur, non omniū nos epistolarū rescripsisse formulas, sed earū duntaxat quas tibi putauimus placituras. Amicorū quoq; ad nos interposuimus epistolas, non omnes quidē, sed paucas è multis, quas tua iudicauimus lectione condignas. Hortamur te frater sapientum imitare studia, stultorumq; ignauiā fugito, sciēs dictum Salomonis: *quia filius sapiens letificat patrē suū filius vero stultus mœstitia est matris.* Dū finit ætas memoriaq; viget discendum est, quoniam (sicut verum dixit Seneca) studia te clarū & nobilē efficient: ita sine studiis æger est animus, & nulla claritate insignis. Auro intellectus comparatur humanus, quod puluere fimoque fœdatū iacet ignorantiæ, nisi purgetur exercitationis lima continue, nec aurum pulchritudinem, nec intellectus cognitionem assequitur naturalem. Sunt autem tria quæ studio intentis scripturarum frequenter obsistere consueuerunt, negligentia videlicet, imprudentia, & fortuna. Negligentia nos impedit, quoties ea, quæ sunt à nobis vtiliter discenda, vel prorsus intermittimus, vel minus prosequimur studiose. Contra hanc salutaris studii corruptricem, studiosorum ac se in palæstra scripturarum continuo exercitantium veneranda societas optimū præstet remediū, inueniturq; in publicis gymnasiis multis, & in cœnobiis claustralium paucis. Hodie nanq; studiū scripturarum à multis claustralib. omniū pene regularum contēnitur, & in paucis vigere monasteriis videtur. Imprudētia vero nos inter studendū subuertit, quādo in his quæ discimus debitum ordinem non seruamus. Aut enim quæ nobis non cōueniunt discere cupimus, aut neglectis interdū vtiliorib. minus vtilia inconsulte vsurpamus. aut etiam bona & vtilia nec ordini nec tempori congruo distribuimus. Valde indecens est nobiliora ingenia studiis dehonestari minorib. & eos quos ardua & grauiora expectāt studia vanis & inutilib. exercitamentis occupari. Ne hoc malum incidamus discentes, magistri nobis deligendi sunt optimi, quorum institutione pariter & exemplo congruum ordinem assequamur studiorum. Fortuna quoq; multipliciter insidiatur studiosis, quod vnusquisq; nostrum experitur quotidie, qui ad veræ philosophiæ conatur ascēsum. Variis enim quatimur euentib. paupertate, diuitiis, infirmitate, honorib, prosperis & pariter aduersis, quib. interdum singulis mens intercipitur hominis studiosi, vt nequeat apprehēdere scientiā q̄ concupiscit. Tarditas etiam ingenii naturalis, inopia librorum, & raritas conuentientium præceptorū multos à profectu salutaris studii retraxit. Sæpe nocuerūt philosophantib. diuitiæ, & plures à studio quā inopia reuocarunt. Eodem scatent veneno, honor, pulchritudo corporis atque prosperitas, quæ pluribus ignorantiæ q̄ sapientiæ occasionē præstiterunt. Tarditatem vero ingenii naturalē amor euincit, si diligens studiorū adhibeatur continuatio. Inopiā librorum veteres allegare potuerūt, nos vero potius inopes copia fecit, quoniam impressoria nostris diebus arte apud Moguntiacum inuenta, hodieque per orbē vniuersum dilatata, tot veterum atque nouorum volumina doctorū veniūt in lucē, vt æreiam modico doctus quilibet esse possit. Neque desunt hodie bonorū præceptores studiorū, sed vbiq. tertarū abundant in omni varietate disciplinæ, non solum in latina, sed in Græca lingua simul atque Hebraica. Hæc sunt vere aurea tempora, in quibus bonarum literarum studia multis annis neglecta refloruerunt. Nec volo te sæcularis literaturæ plus haurire q̄ necesse ad diuinarū intelligentiā consequendam scripturarum, ne verificetur in te quod de amatoribus vanitatis (quales hodie sunt multi) quidam sapiens protulit dicēs:

*Prouerb. 10.*

*Tria quæ hominem à studio scripturarum auertunt.*

*Impressoria ars vbi & quando sit inuenta.*

Necessaria nesciunt, quoniam superflua didicerunt. Vera scientia est, quæ Dei cognitionẽ inducit, mores corrigit, restringit voluptates, affectum purgat, intellectum in his quæ pertinẽt ad salutem animæ illuminat, & cor in amorem creatoris inflammat. Hæc est scientia salutaris, quæ mentem in Dei amore afficit, non extollit, quæ superbos non efficit, sed lamentantes facit, quæ vanitatem non sequitur, sed omnia trahens ad vnum in diuino amore dulcissime solidatur. Huius te frater scientiæ cupimus esse studiosum, quæ sola complementum est omnium scientiarum. Non te quo minus studio incumbas scripturarum, gradus magisterii extollat; sed eo tibi magis discendum nouerис, quo manifestiũ scientiæ signum, quod præ se fert nomen doctoratus, accepisti. Non magnifacio clarum sine scientia gradum, aut magnum cum parua eruditione vocabulum, sed doctos viros quæri mus, qui doctores multos habemus. Scientia gradum commendat, nõ gradus scientiam. Verecundum est nescire magistrum, & eum qui scientiæ signum publice portat, necessariam non habere doctrinam. Quid circulus ante domicilium expositus vbi non venditur vinum? aut quid regale sceptrum in manibus stulti? Absque signato signum tribuitur, quoties indoctus & sine scientia homo in doctorem sublimatur. Et proh pudor quam frequens hodie in scholis apud quosdam iste reperitur abusus, quo gradus magisterii datur in signum, vbi sufficiens non inuenitur signatum. Nunquid tibi non verum dixisse videmur, cum orbis magistris scateat simul atque doctoribus, inter quos docti pauciores, indocti complures occurrunt? Curandum tibi suademus, magisterium scientia, sacerdotium sanctis exornare moribus, ne gemino confunderis opprobrio, si & doctor sine scientia, & presbyter habeare sine merito sanctitatis. Necessaria tibi scientia est in primis Deum nosse, diuinas intelligere scripturas, canones patrum scire, ius tam humanum quam diuinum, in quantum tuum concernit officium, non ignorare, virtutes colere, & Deum puro corde super omnia amare. Ad magistrum pertinet artium quas profitetur scire principia, vt nodos enucleare sciat, dilucidareque tropos, & omnium figuras exponere scripturarum. Septem liberalium vocaris artium magister, videamus quantam singularum sis assecutus scientiam, vt quemadmodum tibi vsus earum sit necessarius intelligas. In primis per Grammaticam artem, quæ septem liberalium est fundamentum, te scire oportet, quemadmodum latine scribas, loquaris congrue, & sine vitio rectum debeas proferre sermonem. Rethorica vulgarem transcendens modum loquendi, pulchrum in dicẽdo quærit ornatum, tropis varijsq; coloribus vtitur, & pulchro dulcissimoq; sermone propositã sibi causam efferre conatur: quæ cum persuaserit, in oratoriæ finem cum proposito sibi præmio euasit. Logica rationalis scientia te verum discernere docet à falso, ne aut decipiaris subtilitate sermonis, aut fallacium syllogismos incidas argumentationum. Præcedit enim scientia virtutis cultum, quia nemo potest fideliter appetere quod ignorat: & malum nisi cognitum sit minime caueri potest. Arithmetica numeros docet propositos multiplicare, diuidere quoque & in omni varietate certam inuenire radicem. Omnia numero constant, & qui arithmeticæ ignarus est, nullius habet scientiæ perfectionem. Geometricæ artis cognitione terræ dimensionem intelliges, ex numeris & mensura consurgentem: pulchra quidem scientia, arithmeticisq; decorata figuris, per quã humana ratiocinatio non mediocriter in cognitionem summi consurgit principii. Hæc orbis latum metitur ambitum, cunctaque maris & terræ spatia describit, & consumata in cosmographiam ascendit. Nihil hac speculatione pulchrius, in qua mens totius mundi transcẽdens machinam, incomprehensibilem creatoris omnium sapientiam admiratur. Musica cœlestium harmoniam & consonantiam præfigurans, & arte & moribus tibi necessaria est, qua in Dei ecclesia ordinatus sacerdos, & recte suauiterq; modulatis canere vocibus scias, & sanctis ornatus virtutibus à sacerdotalium proportione morum non recedas. Astronomia quantum tibi sit necessaria magistro, si ignoras magister nõ es. Hæc astrorum docet cursus, discernit tempus, annum diuidit, horas discernit & dies: de cuius scientia cõputus assurgit ecclesiasticus, festorum dans rationem mobilium, quã scire sacerdotem Christianorum oportet. Ecce sacerdos, quam tibi septem cognitio liberalium artium necessaria est, vt simiæ non comparaueris in tecto, neque stulto regali sedenti in solio. Confert enim Grammatica vt Latinum congrue intelligas proferasque sermonem. Logica verum te docet à fallo discernere. Rethorica virtutem tibi præstat dicendi, vt bonum & verũ qꝑ intelligis, tuis vtiliter auditorib. valeas persuadere. Arithmetica vero simul & Geometrica, præter id qꝑ tibi in œconomicis conferunt bonum, magnum quoq; diuinæ speculationis adminiculum præstant, quo non solum inuentis, sed inueniendis quoque aptus magister habearis. Maxima enim numeris & mensuris continentur archana, mathematices ignaris minime

*Gradus sine scientia nihil esse faciendos.*

*Septem artes liberales.*

peruia. Musica cantum, Astronomia computum docet ecclesiasticum, sine cuius scientia nemo satis ad sacerdotium reperitur idoneus. Quod si magistrum septem artium liberalium velimus describere, non ea sufficient quæ ad sacerdotem diximus pertinere. Alia enim ratio est in scholis magistri docentis, atque alia sacerdotis in Ecclesia prædicantis. Nã isti quidem vsus scientiarum extractus ab arte quadam generalitate sufficit, illi autem docendi munus necessarium particulas etiam singularum artium quadam specialitate particulariter speculandas indicit, vt non solum vti scientiis nouerit acquisitis, sed etiam regulas dare atque præcepta discipulis pro eisdem acquirendis. Tu autem qui scholis artistarum accepto magisterio desertis ad Christi te gymnasium contulisti sacerdos factus in ecclesia Dei atq; minister, sæcularium literarum necessario duntaxat vsu retento, te totum iam deinceps ad studium diuinarum conuerte scripturarum, in quibus vera scientia continetur salutaris, & mentem suauiter illuminat sapientia supercœlestis. Vana est enim omnis scientia huius mundi si conuersa non fuerit ad cultum Dei. Sacra autem scriptura, quam merito nuncupamus diuinam, omnem huius mundi scientiam atque doctrinam procul excedit, quoniam vera sine ambiguitate prædicat, mentem lectoris placidi à terrenis ad cœlestia vocat, eamq; pro Dei amore humilem reddit in prosperis, & fortem atque constantem in aduersis. Hic est sacri fluminis impetus, qui ciuitatem Dei lætificat, planus simul atq; profundus, in quo & agnus simplex ac paruus ambulet, & elephas maximus natet. Mirabilis iste fluuius est, in quo simplex & sine literatura Christianus, pedibus, vt ita dixerim, siccis, ad salutem securus transire poterit: & magnus subtiliterque literatus & natare potest sobrie sapiendo, & si nimium scrutatus fuerit submergi. Haber enim in publico vnde paruulos nutriet, & seruat in occulto vnde mentes sublimium in admirationem ducat. Nam in vno eodemq; sermone, dum narrat historiam multiplex pandit mysterium: & in superficie quidem simplices dulciter refouet, & in secretis mysteriis sublimiter exercitat sapientes. In apertis quidem potus est, quoniam nulla fractione indiget, in obscurioribus vero cibus est, quoniam sine expositione fractionis non potest deglutiri. Propterea diuus Ambrosius præcipit dicens: *Cœlestium scripturarum eloquia diu tercre ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, vt succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat.* Diues & fœcundissimus est ager diuinarum scripturarum, omnes in se habet delicias, omnemq; suauitatem producit. Et sicut manna secundum voluntatem vniuscuiusq; sapiebat in ore, ita sermo diuinus omnem tibi saporem quem volueris præstabit in corde. Nihil Christiano sacerdoti melius, nil suauius, nil iucundius esse potest quam si omni tempore sacris se cum desiderio cordis occupauerit scripturis, mundumque custodierit ab hoc sæculo nequam. Dicit enim beatus Hieronymus: *Ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis.* Propterea sint scripturæ diuinæ semper in manibus tuis, & iugi meditatione in corde voluantur, nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, & operibus obliuisci, sed ideo illa sæpius legito, vt facias quod didicisti. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores mandatorum Dei ab ipso iustitiæ coronam accipiunt. Ita viue, vt sapientiam diuinarum humanarumque rerum cognitionem tibi necessariam assequi mereris, quia non est miserabilior egestas, aut inopia turpior, quam in ordine constitutum sacerdotali egere sapientia, & eum qui alios docere iubetur ex officio, stultum esse & sine eruditione virum. Vale & Deum ora pro nobis. Ex Herbipoli 24. die mensis Iunii. Anno Christi 1506.

*Sacra scriptura quantum præstet reliquis scientiis.*

*Psalm. 45.*

*Rom. 2.*

## II.

### *IOANNES TRITEM. AB. MONASTERII S. IACOBI IN SVBVRBIO Herbipolensi, Priori & Conuentui in Spanheim diuini nominis continuum habere timorem.*

OMNIPOTENS Deus cuius æterna potestas & nunquam iniusta voluntas, sanctus & iustus in omnibus operibus suis, qui nihil facit mali, nihil ve sine causa permittat. Ipse iustus, sanctus & misericors, omnia in vero iudicio fecit cum sit bonus atque omnipotens, nulli penitus iniuriam facit, qui custodit veritatem in sæculum sæculi, facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus. Dominus erigit elisos. Dominus diligit iustos. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem. Pedes sanctorum suorum seruabit, & impii in tenebris conticescent. Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc abbas Tritemius nisi quia dominus erat in nobis, cum exsurgerent improbi homines in nos, forte viuos deuorassent nos. Cum irasceretur insania

*Psal. 144.*

*Psal. 145.*

*Regum 2.*

*Psal. 112.*

*Psal. 112.*

& furor eorum in nos, forsitan aquæ malignantium operuissent nos Torrentem iniuriarum & contumeliarum pertransiuit anima nostra, nisi astitisset Dominus Iesus, forsitan pertransisset anima nostra aq̃ intolerabilis desperationis, aut certe non satis religiose vindicasset iniuriã. Sed benedictus Dominus Iesus, qui nõ dedit nos in captionẽ dentib. æmulorum, vt prauorũ hominum cogeremur diutius subesse imperio. Anima nostra sicut passer innoxius liberata est de malignorũ laqueo venantiũ, quorũ inuidia nullo viro bono parcere nouit. Laqueus contritus est, & vana Cynonotorũ elisa confidẽtia, qua nos renocare à sanctis studiis in odiũ iusti principis frustra tentauerunt. Nos autẽ adiutorio Domini nostri Iesu Christi à multis, quas in regimine monasterii Spanhemẽsis sustinuimus, miseriis tandem liberati sumus. Laqueus mundanæ colligationis nostris omnino cõtrarius studiis Dei prouidentia contritus est, & nos de seruitute ingratissimorũ hominũ liberati sumus. Dominus Iesus liberauit animã meã à labiis iniquis, & à lingua æmulorũ nimis dolosa. Vos scitis, fratres, modo veritati velletis exhibere testimoniũ, q̃ iniustã à Cynonotis iniuriã susceperim, qui nullã contra me causam habentes, inuidia & liuore cõmoti, ecclesiasticã violare immunitatẽ non timuerunt. Excusationes modo afferũt suæ in nos temeritatis, dicentes se non odio nostri sed amore potius fecisse q̃ egerunt. Sed malus & nobis non tolerandus amor eorũ fuit, quo nomen nostrũ ab omni scelere semper innoxiũ, per ora multorũ in suspicionẽ vertitur, quasi propter aliq̃ nostri lasciuiã, ita sæuire oportuerit in familiam. Annus hodie 24. voluitur, quo canonice in abbatẽ electus Spanhemensem, omne tẽpus q̃ mihi cõpetere ad otiũ potuit, vos testes estote & iudices, non ad voluptatẽ carnis qualẽcunq;, sed totum semper ad studiũ conuerti scripturarum, die ac nocte lectionib. intentus, semper aliquid scribens aut discens. Nemo vestrũ me vnq̃ inuenit otiosum, nemo vidit vel audiuit carnis solatiis deditũ, vagisq; discursib. vel spaciamentis in monasterio vel extra inutiliter occupatũ, sed neq; comessationib. aut potationib. conuiuiisque minus necessariis intentum, seu quibuscunq; aliis leuitatib. aut vanitatib. desudantẽ. Nihil mihi dulcius vnq̃ fuit, quã sacras rimare scripturas, in illisq; oportuno tempore diebus occupari & noctib. & semper aliquid boni aut legere aut scribere. In testimoniũ studiorũ nostrorum voco citoq; bibliothecã illã solennẽ, quam meis laboribus, studio & impensis comportaui non sine vigilantia & fatigatione continua, voluminum in omni varietate studiorum non modicam multitudinem congregans, non solũ impressorũ nouiter, sed scriptorum quoq; manu & calamo, quorum numerus omniũ duo millia excedit. Superfluum fuerit nostras recensere lucubrationes, quas in medio curæ pastoralis, rerumq; sollicitudine temporaliũ per interualla scripsimus, quib. nomen Spanhemẽsis cœnobii pri⁹ incognitum & obscurũ, satis celebre factum est. Neq; studiis nostris intenti nimium rem propterea negleximus temporalem, q̃ laborum nostrorũ monumenta testabuntur compluria, neq; nos ipsi poteritis negare, palã cernentes quas ereximus necessarias pulcherrimasq; structuras: & in ecclesia quos cõparauimus ornatus campanulasq;, & varia sacri vasa mysterii: censuum quoque ornatissime renouatas conscriptiones, quæ omnia quantis exegerimus laborib. & impensis, etiamsi vos non intelligatis, ipsa tamen posteris inducẽt admirationem. Deniq; ab annis iam ferme duodecim, vbi in notitiam & familiaritatem quorundam deuenimus principum atq; nobilium, non parũ vobis emolumenti adduximus, ex his quæ nobis eorum fuerant munificentia condonata. Nihil fuit nobis vnq̃ speciale, nihil propriũ, sicuti nec esse debuit, sed fuerunt nobis vobiscum omnia semper communia, & nulla penitus neque in habitu neque in cibo neque in potu nobis vnquam singularitas fuit, quod ita verum esse nullus vestrũ ignorat. Maxima quoque nobis cura semper fuit, ne quid eorum quæ vobis necessaria videbantur deesset, fecimusq; vt in nullo sustineretis penuriam, quantũ nobis omnino possibile fuit. In spiritualib. vero nunq̃ defuimus vobis, tametsi pauci vestrũ post discessum fratrũ nostrorũ, quib. sancta studia placuerũt, spiritualia dilexerint exercitia, sed vanis se occupauerint semper. Scripsimus, diximus, Verbum Dei continue vobis prædicauimus, vosq; oportune & importune ad cultum veræ sapientiæ publice ac priuatim exhortati sumus, quantum vero profecerimus, confiteri palam erubescimus. Et quia fecistis vos nostra exhortatione indignos, diuina forsitã prouidentia transplantati sumus, ne inter spinas arbor diutius sine fructu pungeretur. Venit illa dies quam à multis optauimus annis, in qua nobis est data oportunitas, vt ingratarum ouium sanguinem super earum capita funderemus, excussoq; in eas puluere pedum, à finibus surdorum, iuxta præceptum Euangelicum transiremus. Audite capita si placet eorum quæ commisistis in nos, vt cognoscatis vos iustissima ratione desertos à nobis, sacra vobis semper displicuere studia nostra, scriptisque nostris omnibus pro reuerentia cachinnos reddidistis, & nemini vmquam lucubrationes nostræ minus placuerunt

*Matth. 10. Mar. 6. Luc. 9. Act. 13.*

*Imago pessimorũ monachorum.*

quam filiis nostris. Nec satis fuit irrisisse opuscula etiam quæ patrum iussu conscripsimus, nisi & apud indoctam plebem de tractationibus ea carperetis. Vixistis semper paternis exhortationibus contrarii. Multis sæpe in nos conspirationibus machinati fuistis, interpositoq; iuramento & pœna vocis amissionis in capitulo ne quis nobis cōspirationis vestræ reuelaret archana, mendacia debitorum confinxistis in nos, quæ per aurifabrum Wormatiensem, qui creditor occultus dicebatur, coram vobis omnibus in loco capitulari ostendimus conficta & ementita. Ambo viuunt hodie testes, tūc autē deputati visitatores, Gerlacus Tuitiensis, & Ioannes Schonaugiensis abbates, qui ne dignam de vobis vltionē sumeremus, precibus obstiterūt. Item cura & sollicitudine rerum temporaliū spiritualiumque per omne tempus nostri regiminis grauiter oppressi, nullum è vobis inuenire potuimus vnquā, qui aut nostris compateretur laboribus, aut vices monasterii pauperis in veritate doleret. Quot vobis priores instituimus clausträles? & præter vnū Nicolaū de Creutzēnach, alterumq; Ioannē Damium Curtensium, nullum regularis disciplinæ zelatorē inuenire potuimus vnquā. Erubescimus dicere quāto semper odio fueritis persecuti eos, qui vobis monasticæ obseruantiæ disciplinam persuadere conati sunt. Quantam vero pro re familiari diligentiam fecerint quos nobis coadiutores assumpsimus, & nos cū dolore sumus experti, & neminem vestrum latere potest. O quantis gemitib. & suspiriis plenum onus pastoralis curę in vobis hactenus portauimus, nullū ex vobis neq; in spiritualibus neq; in temporalibus fidelem habentes adiuuantem. Vos ad omnia nobis præstitistis inutiles, nullam rectitudinis vel communitatis zelum habentes, nihil aliud quam carnis solatia quæsiuistis. Inter vos erat nemo qui manus nobis porrigeret adiutrices, & si quando extraneum nobis in auxiliatorem temporalis curæ assumpsimus, continuis illum detractionū morsibus lacerastis. Annis quatuor census monasterii omnes in propria leuare ac renouare persona coacti fuimus omni solatio vestrum destituti, & quoties aliquem in cellerariū ex vobis deputauimus, toties in rebus monasterii graue dispendiū passi sumus. Nos autem qui patrum ordinis imperio multoties obedire compulsi, ab annis viginti per omnes vicinas prouincias visitando totas plerumq; consumpsimus æstates, reb. nostris semper nequiuimus pro voluntate adesse vtiliter, quo factum est, vt nobis absentib. & vobis omnia negligentibus, imo vestra solatia quærentibus, non satis pulchra facies rerum vtriusq; status tandem emerserit. Quamuis maxima sollicitudine nostra interueniente, nullam vnquā rerum ad vitæ sustentationem necessariarum senseritis inopiam, quousq; tādem anno Christianorum quarto supra quingentesimū atq; millesimum, bello sæuiente in principem illustrissimum Palatinum grauissimo, cortes monasterii omnes vnde viuere solebamus, per Hassones Alexandrinos; aut exustæ aut desolatæ fuerunt. Erat nihilominus certa nobis spes recuperationis omnium, sed vestra se stultitia, ne dicamus perfidia interposuit, & omne consilium nostrum, quod nullius iniuriæ memores pro vestro parauimus bono, præsumptuosa temeritate corrupistis. Ab annis duodecim nouimus præcessisse discordiarum semina, ex quibus malum omne constat exortum. Ducem Cynonotorū alioquin principem pientissimum, quidam ex vobis inter medios blatterones nobis reddiderunt suis occultis machinationibus infensum, in mediū pro causa, vt ratio videretur sufficiens, asserentes conficta, quasi nos partes principis Palatini, iuribus ipsius ducis magna quadam adhæsione duxerimus præferendas. Quid enim si fuisset etiam hæc vestra confictio vera? Eramus propterea vel detractionibus vestris lacerandi, vel indignationi ducis iustæ obnoxii? Quid Palatino cōtulit adhæsio nostra? quid profuit? aut quid commodi ex ea re cepit? Aut quid nocuit Duci, quod nos Palatini fauimus rebus? Ingenue fatemur Palatini principis Sereniſſimi nobisq; clemētissimi atq; munificētissimi bene fauimus semper, sed & hodie fauemus honori, bonæ fortunæ, rebusq; secundis, quanquā fauor hic noster suæ nihil contulerit maiestati. Neq; Ducem propterea odio habuisse putandi sumus, aut rebus eius male fauisse, quod etiamsi voluissemus, quā illi rerum suarum intulissemus iacturam? Libet exclamare in ducem & suos, si vestris delationibus credidit falsis, cum Aristophane in quodam loco pulchre satis dicente.* *in principio Plusti.

ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν ὦ ξεῦ καὶ θεοὶ
ὅλον ἠμιέθην παραφρονεῖντος δ' ἰσπάτη.

De omnibus his libenter quidem nobis persuaderemus innoxium principem, nisi manifesta viderentur seductæ mentis obstare inditia. Vera dicimus, in potentem cognita scribimus, nullam eius proscriptionem metuentes, quoniam nos proscribere nō poterit, cuius imperio minime subiacemus. Parcimus tamen, ne vindictæ genus videatur scripsisse veritatem. Ad vos nota referimus atq; manifesta, quibus si auderis cōtradicite, imo si potestis. Quis in crepidine templi monachum illum quem noscitis omnes reperit cum vxo-

re villani commiscentem? Nonne tu prior cum aliis multis? Hic talis iustene à vobis defendi potuit, & in aliorum perniciem nobis tunc absentibus auxilia sibi hominum inuocare secularium? Negauit publice factum quod multorum fuerat attestatione probatum: & ne debitam pro demeritis lueret pœnam, nobis consentientibus opemque ferentibus innocentes nostros familiares, quorum fuerat industria deprehensus in facinore, contra omnem iustitiam vocauit in culpam. Cur nostrum non expectastis aduentum? Omnia enim nobis Heidelbergæ tunc existentibus & ignorantibus facta sunt. Vestro dehinc fauore atque consilio mendaciis suis abbatem montis speciosi nimis credulum, ac Ducis Cynonotorum quosdam officiales circumuenit, eoque concitauit, vt innoxios familiares nostros, qui eum solum cum sola in loco ecclesiæ obscuro, & ab hominum accessu remoto, cum signis sui sceleris manifestis (quæ maior quoq; pars vestrū vidit & vera cognouit) ab vndecima hora vsq; ad secundam obseruarunt, reperierunt, exeuntesq; increparunt de templo, alios caperent, alioſq; conuerterent in fugam, non in paruum nostri despectum, contumeliam & opprobrium. Hæc omnia vestro consilio facta, & instantia per ducales præsumpta ministros in absentia nostra certius certo cognouimus cum cæteris quæ nos scribere verecundia nō permittit. Huius indignitate facti tandem relati ad nos, extra monasterium manere ad tempus decreuimus, donec animos erga nos vestros intelligeremus plenius, & mentem Ducis cur & si talia commisisset haberemus exploratam. Interea mēses decem & octo fluxerunt, in quibus præter Priorem neminem vestrum vidimus, nullas à vobis accepimus literas, præter in Marchia vnas, & impensis viximus alienis, munificentia principū sustentati: animos vestros rerum exhibitione satis intelligentes, nisi forsitan Prior fidelis internuncius esse contempserit, q̄ tempus sine dubio dabit in lucē. Quid est fratres q̄ toties nos vt reuertemur ad monasterium precib. pulsare voluistis, quasi mētem nesciretis nostram, quā vobis dudum literis significauimus per Priorem? Si voluistis vt rediremus ad vos, quare mandatis nostris non obtemperastis? Quare Ducem non conuenistis vestrum, vt nobis gratiosum retribuisset animū? Sed audiuimus illum dixisse ad suos cōplures, quare abbas nō reuertitur ad monasteriū suum, quando nemo illi fuit molestus, nemo turbauit, nemo iussit exire, nemo reuerti prohibet? Mallet. n. Dux non dubitamus non esse factum, q̄ ad instantiā fugitiui illius monachi fieri mandauit, pœnitētiaq; ductus vt rediremus optaret, sed more principum huius mundi, veretur ne si nobis desideriū scriberet suum, recognouisse iniuriam videretur quā fecit. Magis autē expectat humilitatem à nobis, vt qui contumeliam susceperimus veniam priores deprecemur. Non possumus hoc nostram decere institutionem monasticam non cōfiteri, & fecissemus quam libētissime ob Christi amorem, nisi vestra nobis inueterata nimium ingratitudo ne rediremus obstitisset. Satis enim perspecta nobis est innata clementia Ducis, quā vel vnis impetrare potuisse literis minime dubitamus. Vestra in nos commissa ingratitudinis vitia sæpiusq; repetita cogitamus, quorum diutius insolentiam tolerare nō volentes, datam nobis occasionē qua liberemur à vobis licet cum amaritudine suscepimus, scientes nos agrum huc vsq; sterilem coluisse. Nimium estis ignaui & simplices, si putatis me dolos vestros & fraudes non præuidisse, cum me verbis vt redirem fecistis crebrius rogari, & tamen nihil plus quam reditū meum timuistis. Creditis nos latere consilia in conuentu malignantium apud Bingiones agitata? Aut minime cōstare nobis eulogia putabitis quæ prior nomine omnium vestrū cōsinxit in mōte speciosо aduersū nos faciēs ea cōscribi per manus Petri Schlarpii, quanq̄ intercepta cuiusdā fratris industria apud Budoras, in man⁹ nec dū peruenerint nostras. Hæc ingratitudinis & maleuolētiæ vestræ manifesta inditia nos tandē rationabiliter cōmouerūt, vt recedētes à vobis tātas insolētias diutius minime pateremur. Quod vtinā prius fecissem⁹ cū ad plures vocaremur abbatias à multis, quas vna sentētia oēs vestri amore contēpsimus. Erāt. n. tunc plures inter vos religiosissimi fratres morib. & prudentia insignes, quorū intuitu oblatā nobis fortunā despexim⁹. His tādē aut mortuis aut ad alia monasteria vocatis, vos mihi relicti fuistis prudētia & eruditiōe paruuli, stultitia vero & temeritate magni, quos sæpe ad semitā iustitiæ reuocare tentauim⁹, nihil tamē profecim⁹ vnq̄. Semper vobis disciplina regularis odiosa fuit, & propterea neminē voluistis vnq̄ sustinere priorē, nisi qui vestris morib. conueniret. Simplicē illū & rectū virum Nicolaum Stauropolitanum, quē vobis constitueramus priorem, cum per viā obseruantiæ regularis ambulare cerneretis, tot iniuriis, contumeliis & irrisionib. agitastis, quousq; non solū de prioratu eū sed de monasterio quoq; turbaretis. Venerabilē quoq; fratrē integerrimumq; virū Ioannē Damiū Curtesiū agrippinatē literis à nobis omnifariā sufficiēter imburū, nō modo latinis sed græcis quoq; atq; hebraicis pari væsania sustinere in prioratu recusastis, propterea q̄ ad regulæ puritatē ambulās vestris noluit cōsentire peccatis. Hic quātus euaserit

apud alienos qui suis displicuit hodie cernitis, quem ad vos reuocare iam deinceps minime poteritis. Improbitas vestra viros optimos nunquam potuit sustinere, propterea q̄ vestris leuitatibus minime consenserunt. O Spanheim Spanheim, bonos vtilesque viros ab initio reformationis tuæ semper abhorrens, quantis volui conatibus tuas reuelare miserias & consentire noluisti. Ecce tunc tandem accedia plenus meliores compellor sequi fratres quos iniuria repulisti, Nonne Henricum Northeimensem virum optimum regularisque disciplinæ zelosissimum custodem inuidia paruulorum ad Saxones redire compulit? Post quem pari væsania æmulorum ex te pulsi fuerunt Ioannes Thoringus nunc Prior in Pegauia, Ioannes quoque de Dreisa iam Prior in Mariæ monasterio, Nicolaus Stauro politanus cellerarius Lympurgensis, Ioannes Damius præpositus sanctimonialium in Nouo castro apud Budorim, & Ioannes Venatoris institutor nouitiorum in præfato cœnobio Pegauiensi, qui singuli mutuo sibi succedentes Prioris in te gesserunt officiū, quos zelum disciplinæ monasticæ habentes ferre noluisti. Transeo reliquos non priores, monachos simul atq; nouicios, quibus inuidia tuorum fortunæ locum contulit melioris. Hæc tua Spanheim infirmitas semper & nausea fuit, q̄ sanum fuit & integrum euomere, ægrotum vero & inutile, non sine periculo in ventris stomacho retinere. Viros bonos, maturos & vtiles, in quibus requiescere potuissem securus per inuidiam eiecisti, quorum destitutum auxilio facilius tandem sæuires in pastorem. Expulsis nequiter domesticis, quid restat nisi vt paterfamilias expellatur? Excusationem verba legitimam conficta non afferunt, quoniam damni occasionē qui dat, damnum dedisse videtur. Præter enim illa quæ vestra superius in nos cōmissa perperam enumerauimus non minus ad indignationē nos concitauit mendosa detractio vestra, cū nihil eorū Deo teste commiserimus, quæ impio in nos animo confinxistis. Erubescimus dicere crimina quorundā vestrū quæ omnib. vobis sunt manifesta, sed quia inter nos ista manebunt secreta quæ hac vice scribimus, & nos cōpellit integritas ad memoriā vob s reducamus quorum nunq̄ fuistis obliti. Boni fratres hortamur vos per districtum Dei iudiciū in quo secreta cordium erunt manifesta, cessate innocentē persequi patrē, de quo quicquid sceleris dictum est, confictū & mentitū non ignoratis. Vos ipsos inspicite potius & agite pœnitentiam, quoniam parua consolatio est si homines vestra lateant crimina, cum Deum minime latere queāt. Schedulā his inclusam legite, & quanta vobis pœnitētia sit opus intelligetis. Non sufficimus admirari temeritatē vestrā, qua inuoluere scelerib. vestris non metuitis innocentes, vsq; adeo vt ne nobis quidē parcere noueritis. Nisi verecundia prohibuisset nos reprobā conuersationē vestram, qua nobis absentib⁹ semper in deteriora profeciſtis ad notitiam patrū deduci fecissemus, vt agnoscerent oēs quantā à vobis suscepissemus iniuriam. Cōfidimus aūt in domino Iesu qui sol⁹ nouit innocētiam nostrā, quoniam venient in lucē omnia quæ cōmisistis in nos nobis ēt nihil reuelantibus, dabitisq; iusto Dei iudicio meritas in hoc tēpore pœnas, ne in futuro examine pereatis. Vos quidē nobis vt crederemus occasionē improbitate vestra tribuistis, talia cōmittentes in nos qualia boni claustrales nunq̄ in suū commisere pastorē. Abbatiā itaq; monasterii diui præsulis Martini Spanhemensem, q̄ canonice dudum electi atq; cōfirmati suscipientes annis 24. mensibus duobus & viginti diebus cum Dei auxilio pro viribus ad puritatem regulæ sanctissimi patris nostri Benedicti regere, manutenere & gubernare curauimus, hodie per manus nostræ chirographum propter incorrigibilem temeritatem vestrā multiplicesq; iniurias tam à vobis quam ab aliis susceptas coram crucifixo Iesu Christo in arbitrium conuentus, non inducti neq; ab aliquo persuasi aut compulsi, sed voluntate spontanea in Dei nomine resignamus, ea contenti q̄ pridie S. Iacobi maioris Apostoli in suburbio ciuitatis Herbipolensis oblatam à reuerendissimo præsule Laurentio suscepimus gubernandam. Confitemur autem & publice in his scriptis protestamur, q̄ Ioannem Nutium seniorem, Ioannem Damium, Ioannem Cusanum, Ioannem de Sobernheim, Ioannem Pingionitā seniorem, & Nicolaū Sculteti filium, ab omnib⁹ iniuriis & cōtumeliis nobis illatis à vobis credimus, tenemus & pronunciamus innocentes, innoxios & immunes. Satis enim nobis innocentia & integritas eorū constat, qui pura semper deuotione nostris obediuere mandatis, seq; à prauitatis vestræ studiis vbiq; subtraxerunt. Propterea illos immunes denunciamus atq; innoxios ab omnibus iniuriis, cōtumeliis & detractionibus vestris, quibus vt recederemus à vobis effecistis. Similiter & vita defunctos præter Haymonem omnes credimus & pronunciamus à vestris conspirationibus innocentes. Omnipotens Deus indulgeat vob s ea quæ commisistis in nos & nō imputet vobis in peccatum ad mortē, sed culpam simul & pœnā pro ea debitam in hac vita remittat. Ego vobis ēt non rogantib⁹ propter amorē Domini mei Iesu Christi libēter indulgeo, à quo &

ipſe meorum expecto veniam delictorum. Credite mihi, fratres, coram Chriſto Ieſu & ſaluatore omnium vera dicenti: quoniam ſemper vobis pepercimus & malefacta veſtra quæ in Deum commiſiſtis & me nunquam effudi in lucem, indignum exiſtimans, vt paſtor mali aliquid etiam cum veritate de ſuis ouibus loqueretur. Hinc ſcio vobis audacia creuit, & temulentus cõtra nos pauper cornua ſumpſit, vt de me fingeretis falſa, qui de vobis ſemper tacui vera. Satius ergo duxi monaſterium dimittere, quam veſtros mores improbos in capitulo patrum verbo vel ſcriptis accuſare. Certus ſum enim & nullatenus dubito, quoniam ſi cauſam vt eſt in notitiam patrum deduxiſſem qui apud Moguntiam in capite Septembris anni præſentis capitulum annale celebrarunt, & mea fuiſſet comprobata innocentia, & nullus veſtrum deinceps in Spanheim remanſiſſet. Veſtrum coram hominibus libenter portaui opprobrium, vt verum me Ieſu Chriſti comprobarem diſcipulum. Arbitrabar enim melius vt vnus cederet multis, quam propter vnum multi deſpergerentur. Dominus Ieſus qui eſt iudex viuorum mortuorumque venturus, pro his contumeliis & iniuriis, quas innocenter ſuſtinui mercedem, mihi rependet ſupra quam auſim aut petere aut ſperare non dubito. De cætero fratres ſecundum Dei timorem & veſtris prouidere cõſcientiis, & talem ſuper vos eligite paſtorem, non qui prauis conueniat moribus, ſed qui verbo & exemplo vos præcedat in ſalutem. Duos ſcio inter vos principes factionum, quorum ad abbatiam vterque aſpirat, alter vaticinio cuiuſdam fatuelli ſicuti omnes nouiſtis dudum animatus, alter vero in ſua prudentia confiſus. Deum non quærunt ſed ſuæ ſolatia carnis, quod ex vita vtriuſque tranſacta facile comprobare poteſtis, ac deinceps non ſine periculo experiemini. Hoc ſolum monuiſſe ſufficiat, quanquam verear ſurdis narrare fabellam. Dominum Deum timete, & eius obſeruate mandata, ne peccatum accumulantes peccato, iram vobis duplicem in die reuelationis iuſti iudicis theſaurizetis. Vindex enim eſt Dominus & ſuam longanimitatem in eos qui peccant & non egerunt pœnitentiam, atrocitate pœnarum compenſat. Valete & rectum aliquando ſapite. Ex Herbipoli vltima die menſis Octobris Anno 1506.

## III.

*IOAN. TRITHE. ABBAS S. IACOBI APOSTOLI IN SVBVRBIO HERbipolenſi, Ioanni Brachtio priori monaſterij diui Matthiæ Apoſtoli extra muros Treuirorum, amico ſalutem & charitatem.*

QVAM pendeant cuncta ſub ancipiti mortalia caſu, ſi prius amice neſcieras, Trithemiana tibi nunc patefacit hiſtoria. Ego ſum ille Trithemius, abbas quondam Spanhemenſis, quem docti ſimul & indocti tanquam oraculum Apollinis obſeruabant, qui omnium ore laudatus, Burſueldianæ congregationis videbar caput atque columen. Magnum me aliquid exiſtimabant Reges & Principes, Eccleſiarumque præſules ad famam nominis noſtri concitati, me videre, me alloqui, ac ſuis intereſſe cupiebant archanis. Nomen Spanhemenſis abbatis per omnium ora cum laude volabat, ſeque putabant felices viri magni & eruditi ſi quos in mei familiaritatem admiſiſſem. Confluebant ad me non ſolum ex Germania tota viri doctiſſimi atque ſpectabiles multi, ſed ex Italia quoque & tripartita Gallia plures: principes quoque & pontifices eccleſiarum ſuis me literis atque muneribus viſitabant. Hunc me talem in æſtimatione hominum longe lateque habitum commouere quis potuerit miraris, vt locum quem ſcriptis & lucubrationibus inſignem reddidi, fratres quoque meos, quos enutriui in Chriſto, vna cum illa preciоſiſſima ſupellectili voluminum, quam omni varietate ſcripturarum congregaui, dimitterem, & in obſcurum pauciſſimis notum hunc me locum transferrem. Scripſimus tibi de menſe Iulio prioris anni, propter quaſdam iniurias nobis inuidia hoſtis antiqui factas in nauſeam monaſterii noſtri Spanheimenſis incidiſſe, quarum recordatione permoti dimiſſo ad tempus cœnobio in Marchiam ſeceſſimus Brandenburgenſem. Inde reuerſi ad Neometim, tales æmulorum inuenimus animos, quod ſatius videbatur nobis monaſterium ex toto deſerere, quam acedia continua pulſante cum ingratis & perfidis diutius habitare. Ad pauperem, humilem ſancti Iacobi abbatiam in ſuburbio ciuitatis Herbipolenſis oblatam mihi per reuerendiſſimum antiſtitem Laurentium ſciens & volens me contuli, plenamque inutilibus & vanis occupationibus Spanhemenſem reſignaui. Natus enim ad ſtudia ſcripturarum inſtitutioni meæ conuenientem reperi locum, in quo paupertati quies cum tranquillitate coniungitur, & paxinopiam comitatur. Optime nouiſti meam viuendi cõſuetudinem, quoniam nec multa quæſiui vnquam nec magna, ſed paucis ſemper & pa-

uis vixi

tiis vixi contentus. Oblatas pingues locupletesque abbatias plures contempsi, sciens in multa rerum abundantia, multas esse turbationes, meo quoque nihil adeo contrarium proposito, quam rebus immergi temporalibus & nullam ad salutis studia superesse quietē. Scio enim qui dixit: Tranquillam & vacuam curis sapientia mentē Imbuit, & placidi pectoris hospes erit. Eram propterea familiari paupertate contentus, & spretis mundi pompis atq; diuitiis, latere in Spanhemensi tugurio non recusabam. Vidit hoc μισάνθρωπος & inuidit, existimansque aut principum me curiis mancipandum, aut rebus necessario implicandum terrenis, totū perfidiæ suæ venenum in pauperem humilemq; parauit. Ab annis retro duodecim fratrum quorundam infecerat corda, male partibus fauentium principis serenissimi comitis Palatini, quorum machinatione occulta in nos tandem prauorum surrexit inuidia. Palatini principis in me fauor Cynonotorum auxit inuidiam, quorum latentis odii causam disparis potentiæ consideratio dedit. Videbant me inter secretos plerunque admissum, diuique munificentia Iouis honoratum & tabescebant, plusquam fuit emolumenti somniantes. Quam diu stetit Leo robustus in flore, nihil catelli audebant, sed operiebantur tempus, quo possent super innocentem suam exercere maliciam. Venit illa dies prauis optata blasphemis, qua improbi raptores totum Palatini turbantes principatum rapinis incendioq; vastarunt, neq; monasteriis neq; Dei parcentes Ecclesijs, se non Christianos sed Turcas potius exhibuerunt infideles. Interea fortissimus leo persequente aquila totius imperij viribus grauissime fatigatus, non paruum cœpit sentire detrimentum, vt fides multorum probaretur. Prostratum è cœlo Iouem extinctumque subito leonem multi putabant, & qui prius metu non charitate videbantur amici, in aduersis constitutum principem mansuetissimum deserentes cum aduersariis senserunt, iuxta vulgatum illud apud Græcos prouerbium: Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται, ita nos cum illo cecidimus omnes. Hinc temeritatis ausum inuidia sumpsit, pauperemque me & innoxium Trithemium carpsit, oportunitatem nacta diutius optatam, qua se inter culices iactaret potentem. Me namque apud Budoras cum sacratissimo principe moram agente, Cynonotorum satellites principis, ad quorundam fratrum meorum instantiam, qui fuerunt in scelere deprehensi, monasterium intrantes, quosdam è familia, qui factum nouerant, ceperunt, spoliatosque sub immunitate ecclesiastica rebus omnibus & ianuis fractis in vincula coniecerunt. Hæc mihi Budorim nunciata non mediocriter displicuerunt, propterea quod in odium mei facta considerabam, veritus quod accidit, ne puritatem mei nominis apud ignaros veritatis in aliquo lædere posset. Constitui ergo penes me, non prius redire ad monasterium, quam patratæ iniuriæ causam iustitia vindicassem. Mansi autem foris mensibus decem & octo, memoria facti, vt mihi visum est, ratione commotus, & quanto diutius, tanto nausea reuertendi maior me inuadere cœpit. Sane non parum ad cedendum me fratrum meorum ingratitudo permouit, quam sæpe quidem grauiter expertus, verecundia prohibente in lucem facere non volui, melius iudicans, vt iniuriam paterer, quam multitudinem cum veritate licet diffamarem. Maneant occasiones mei recessus Deo commissæ, & quantum ad me pertinet silentio tectæ, quarum notitia scandalum potius induceret auditoribus, quam ædificationem. Crede mihi velim amice, quoniam nisi graues fuissent iniuriæ, & nimiū discessus mei rationabilis causa, monasterium meum, cui annis præfui tribus & viginti cum sollicitudine maxima, bibliothecam quoque pretiosissimam non resignassem. Nihil Deus permittit sine causa. Quis scit si me in alium transferri voluit locum. Scio equidem non paucos mirari, quod abbatiam dimisi Spanhemensem, quam libris & structuris effeci pulcherrimam, vsq; adeo, vt in tota Germania nunquam reperiatur bibliotheca, in qua tot habeantur in omni scientia scripturarum noua simul & antiqua volumina pretiosa atque rarissima, non solum Latina, sed Hebraica quoq; & Græca, charactere scripta vetustissimo. Nā vt vidisti plus quam duo voluminum millia ex diuersis mundi regnis rara & antiquissima cōportaui, quæ omnia cum ædificiis & rebꝰ variis amore pacis dimisi. Si quis ex eorum amissione dolor animum pulsare cœpisset, mortis mihi similitudinem formaui, qua non solum obliuionem librorum, sine quibus aliquando viuere non potui, sed etiam contemptum (vt dixerim ita) mihimetipsi persuasi. Magno fateor bibliothecæ quōdam tenebar amore, & cunctis mundi opibꝰ libros meos anteferebam: sed posteaquam rerum mutationem perpendi adesse mearū, omnia quæ prius amaueram stercoris æstimatione contempsi, animoq; imperaui meo, nihil præter seipsum deinceps suū credere, & quæ in morte necessario esset relicturus, multo magis viuens in carne discerer non amare. Semel me vana mundi confidētia decepit, qua risus monachorū fauorem esse putabā, blandimenta

*Bibliotheca Spanhem.*

nobiliũ duxi honorem, & quicquid offerebat fortuna placens arbitrabar æternum. Non adiiciet vt me secundo contristet, quoniam expertus iam didici rebus non fidere vanis, & quod spes hominum falsa semper in tribulatione deficiat. Cernis ne homo, quoniam parua necat morsu spaciosum vipera taurum, & monachi latentes in occulto pastoris labefactant imperium. Gutta cauat lapidem non vi sed sæpe cadendo: & sæpe rectorem humilis turba deiecit superbum. A multis quidem annis improbitatis seminarium pullulare cœpit quorundam inuidia fratrum, quos publici criminis olim tenebat infamia: tam est periculosum rectori contumaces plectere sontes, qui meritas adscribunt iniuriæ pœnas, semper operientes silentio tempus, quo corripientem perdant censorem. Sed Dominus Iesus qui pauperum suorum non obliuiscetur in finem, erit consolatio mea, in quo spem meam posui omnem, qui pacem cordi meo dabit in tempore oportuno, & occulta mortalium iudicaturus producet in lucem. Cuius misericordiam vt ores pro me te etiam atque etiã rogo. Vale. Ex monasterio meo præfato Herbipoli vltima die mensis Octobris. Anno Christianorum M.D.VI.

## IIII.

### *IOAN. TRITHE. AB. MONASTERII S. IACOBI HERBIP. Ioanni Gotfrido pastori ecclesiæ vallis virorum* Salutem.*

* Manthal.

QVOD me fraterno prosequaris amore, satis habeo manifestum; & ideo dissimulare non potui, nec debui forsan, quo minus tibi omnem rerum seriem mearum innotescerem. Vera namque amicitia Christi confirmata dilectione, nihil accidentis fortunæ celare consueuit amicum, vt si prouenerint secunda, congaudeat, sin vero contraria, patienti amico compatiatur. Causas diuturnæ peregrinationis meæ à monasterio Spanhemense, notas tibi non scribo, sed quoniam æmulorum iniuria motus rebus tandem prouiderim meis. Quid ni facerem tam insigni præter meritum contumelia suscepta? Necesse fuit mihi pacem non aspernari oblatam, & quæ negabatur à propriis amplecti cum alienis. Enimuero quæ hodie sit facies obseruantiæ regularis monachorum in Spanheim, qualisque fuerit olim me præsente, vicinus ignorare non potes, & quanta mihi dudum ingratitudinis exhibuerint signa probe cognouisti. Quid deinceps facerem cum ingratis hominibus, qui nihil minus quam spiritualia curant, nihilque studiosius quam carnalia sectantur. Maximis me curis & laboribus pro eorum commoditate per annos iam tres & viginti continuos afflixi, vides quam reporto mercedem. Aduersum nos cum æmulis potiores inter eos sentientes, pientissimum in nos ducem concitarunt, mendacio fraudeque vsi & dolo, donec pro veris falsa persuadentes efficerent quod dudum cogitarunt. Ad tẽpus monasterio duximus cedendum, vt saniori consilio non deesset oportunitas, qua meritas daret inuidia pœnas. Nouem in Marchia Brandenburgensium commorati mensibus, certo putabamus futurum, vt suum temeritas mutaret consilium, & fratres malorum saltem innoxij principis animum conuenirent. Interea nos ad monasterium per literas vt reuerteremur sæpius rogauerunt: Ducem vero quem nobis inconsulto mendacio reddiderunt infensum, verecundia moti atque pauore in contrariam suadere sententiam contempserunt. Reuersi tandem Budoras, ad nos euocauimus priorem, à quo relatione consueta percepimus omnia esse pacata, & nihil penitus verendum: omnesque non solum vicinos & fratres, verum & ducem cum suis orare Cynonotis, vt ad cœnobium quantotius rediremus. Persuasit nobis tandem animumque induximus redeundi, annali mox celebrato capitulo, quod in capite Septembris apud Moguntiam instabat seruandum. His auditis lætum se fingens abscessit, mœstus corde reuera, quia certi sumus illum ad Spanheim reditum nostrum semper horruisse potius quam optasse. Nisi enim nos fallat opinio, spem illi Abbatiæ imago 26. in refectorio dedit depicta. Recedente autem priore, mox nobis per Ioannem Damium innotuit, qualia Moguntiæ in monte S. Iacobi per manus cuiusdam monachi cœnobii sancti Ioannis Rinckaugiensis Petri Slarpionis eulogia scribi nomine totius conuentus Spanhemensis fecisset, quæ tamen ipsius referentis cautione intercepta ad manus nostras minime venerunt. Hac perfidia nostrorum cognita, firmo statuimus consilio, ad Spanheim deinceps minime reuertendum, nullisque cedendum suasionibus hominum in hac parte quorumcunque. Vere in me completum est illud Christi in Euangelio, *quoniam erunt inimici hominis domestici eius.* O claustralium memoria beneficiorum breuis, quoniam parua in monachis fides, non Deum sed semetipsos quærentium. Quis credidisset Trithemium abbatem subditis pium semper, & nulli onerosum,

Matth. 10.

sum, nulli grauem, nulli molestum, sed omnes affectu paterno fouentem, omnes charitatiue tractantem, & in vera dilectione amantem, tam repente ac sine causa deserendum à suis filijs, quos in Domino collegit, souit, & enutriuit? O prior Iudæ non immerito comparandus traditori, quam perfidum te nobis exhibuisti vicarium, qui vt abbatiam consequaris nostram, manifesta in nos machinaris perfidia. Memor esto vel nunc tandem omnium ingratissime hominum, quanto non solum tibi quidem indigno & nunquam merenti studio humanitatis benefacere curauerimus semper, sed tuis quoque parentibus nostra impendimus beneficia cum summa pietate. Scis enim perfide, nec ignorare potes, quod bello ducatum Lutzenburgensem deuastante, patriam nudi atque mendici propter inopiam exire fuerunt compulsi, & neminem inuenientes receptorem, ad te qui tum nouitium nobiscum vixisti in Spanheim venerunt, & in porta vallis virorum ad vnius anni spacium in magna paupertate vixerunt. Nobis tandem ad abbatiã vocatis, misericordia moti, te quoq; instante, ad villã eas Spanhemensem euocauimus, gratis domicilium eis optimum contulimus, eisque de monasterio singulis diebus præbendam in cibo & potu sufficientem propter Deum tuique assignauimus amore, quam & hodie in annum quartum & vicesimum sicuti eis à principio constituimus suscipiunt. Liberos denique & immunes ab omni seruitute, exactione & grauamine villanorum ac principum eos fecimus, vestimenta dedimus, & in omni necessitate semper eos copiose prouidimus vsque in præsentem annum. Te quoque primum ex capellano nostro domestico in cellerarium monasterij nostri assumpsimus, confidentiam in te habentes singularem. Sed cum post menses paucos te propter inexperientiam tuam & negligentiam multam amouere ab ipso cellariæ officio cogeremur, ne aliquam sinistræ opinionis incurreres maculam, in priorem te ordinauimus claustralem contra voluntatem multorum: te quoque in eodem officio per annos iam sedecim contra fratrum murmurationes omnium manutenuimus, defensauimus & excusauimus semper. Nostram in te commemorari pietatem confundimur, quam negligentiæ & remissioni obnoxiam potius quam virtuti confitemur. Dignum te in monasterio nunquam gessisti priorem, quia nec obseruantiam magnopere curasti regularem, nec internæ conuersationis studium amasti. Nobis in visitatione ordinis sæpius occupatis, tu sine causa, sine necessitate, ac sine voluntate nostra (quod tibi licebat minime) ad cœnobia monialium sanctæ Catharinæ, sancti Ruperti, & Ibingen, carnis quæsiturus solatia discurrebas, & ad villas & oppida in circuitu trium milliarium cõtra monasticę institutionis regulam vagari consueuisti, cunctos inhibens precibus, ne quis tuam nobis euagationem intimaret. Nos vero cum aliquando factum cognouissemus, nimia in te charitate feruentes, aut in totum dissimulauimus propter pacẽ, aut minus sufficienter emendauimus. Semper in te animum gessimus pientissimum: Tu autem Iudam imitatus traditorem pro nostra in te bonitate malum nobis reddidisti. Verum quia cõtumeliam nobis factam, & per te & per alios cum facile potuissemus, non cupientes vindicare, reliqua malignitatis tuæ scelera pertransimus, non dubitantes te casurum in foueam quam feceris, iusto Dei in te sæuiente iudicio, qui nos infideliter sine causa iniuste es persecutus. Veremur autẽ non sine præsagio futurorum, q̃ nimis sero boni fratres experientur, quam pium vtilemque in nobis amiserint pastorẽ, sua potius quam nostra voluntate, cui fauere & subuenire in tempore necessitatis, amore an odio æmulorum aut nostri cogitent ipsi, contempserunt. Vt reuerteremur ad monasterium crebrius rogauerunt, sed quod nunq̃ id fecerint integro in nos animo, duorũ nobis consideratione persuasum est. Horũ est primum, q̃ nunquam induci potuerunt, vt Principis Cynonotorum, quẽ nobis mendacio suo quidam reddiderunt infensum, mitigare animum, vel leuiter saltẽ tentassent, metuentes duplicitatis argui, si quem prius vituperauerant rursus postea laudassent. Alterum vero infidelitatis eorum testimonium satis est manifestum, quoniam qui prius vt reuerteremur semper instabant, mutati, vel potius detecti apud Pingiones in consilio malignantium, vt cederẽ officio curæ pastoralis rogauerunt. Nos aũt pro nostro non ipsorum arbitrio duximus rebus nostris prouidendum, cessimusq; cũ nobis placuit, non quando voluerunt ipsi. Dolemus principem alioquin humanum, mansuetum, & eatenus rectitudinis amantem, hac vice nimis credulum extitisse prauorum delationibus, quando ne verbo quidem eius vnquam contradimus imperio detrimentum. Palatini iustis partibus nos semper benefauisse confitemur, neque nos pœnitet, quoniam Principem illum agnouimus Christianissimum, Deo deuotum, & bonis doctisque viris semper benignum, mansuetum, & pientissimum, cuius multa in nos beneficia ingratitudinis arguerent merito, si aliter sentiremus. Quid fauor iste noster Illustrissimo Principi nostro Palatino boni

contulit,aut quid tuo nocuit Duci?Nihil certe profuit illi,nihil nocuit iſti.Monachus pauper & modicus Principibus huius mundi magnis conferre quid poterit ſeu aufferre? Fauemus tamen ſemperque fauebimus Palatino ſacratiſſimo principi quam optime, tuo vero duci fauemus quantum ipſe nobis fauiſſe conuincitur. Sic enim nobis per ſuos mandari fecit.Reuertatur ad monaſterium ſuum abbas nihil metuens,quia nos neque boni neque mali quicquam illi ſumus facturi. Quam pulchra Ducis Chriſtiani promiſſio,in qua mentis eius in nos habitudo manifeſta efficitur. Sed mobile tandem valeat cum principe vulgus. Trithemius his fabis non paſcitur. Deum poſui adintorem meum, cui omnem cauſam iniuriarum commiſi,certus quod nulli facit iniuriam, ſed reddet vnicuique iuxta opera ſua. Scio enim quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, quemadmodum & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus in multis nos paſſionibus tribulationum præcedere dignatus eſt,ſuo nos volēs exemplo in aduerſis eſſe conſtantes. Omnia propter amorem patriæ cœleſtis patienter ſufferre debemus aduerſa,vt coram angelis Dei mereamur ſanctorum inuenire conſortium,qui contumelias non vindicamus æmulorū.

*Viro bono quatuor ſunt neceſſaria.*

Nam vt Hugo Folieti monachus noſter in primo libro ſcribit de animæ clauſtro, quatuor viro bono ſunt neceſſaria.Primum,vt omnes ſibi faciat amicos. Secundum, vt ſi facere amicos nequiuerit omnes, inimicos ſaltem non faciat. Tertium, vt ſi nec hoc euitare potuerit quo minus fiant inimici,diſcedat ab illis. Quartum, vt ſi quis diſcedentem perſequatur, non vindicet iniurias. Ego vero qui me virum exhibere bonum ſemper ſtudui, quantum in me fuit omnes cupiebam habere amicos,eos maxime qui virtutibus & eruditione literarum viderentur ornati,de quorum videlicet familiaritate non vſurpium,ſed laudis mihi præconium naſceretur. Et multos quidem commertio ſtudiorum feci amicos,quorum in aduerſis poſtea fidem & conſtantiam fui expertus. Vnum duntaxat hominum genus admittere in amicitiam nunquam potui,quoniam ſe bonis ſtudiis ſemper inimicum exhibuit, & viros eruditos perſequi nunquam ceſſauit.Hi ſunt tumidi & ignauiſſimi literarum oſores,qui doctos viros ſuperbe deſpicientes, nihil amplius quam pecunias, & vanos mundi venantur honores,quorum amicitiam nunquam optaui,nec ſi quæ ſuiſſem obtinere facile potuiſſem,propterea quod omnis eorum amicitia pecuniarum & munerum largitione conſtat,non Chriſti aut veritatis amore. Me autem odio habuerunt, propterea quod me virtutibus & ſacro ſtudio ſcripturarum, quorum ſe cōtemptores ſemper exhibuerunt,totum mancipaui,ſimulque quod inſaciabilem eorum auaritiam donis atque muneribus facere locupletiorem neſciui. Quis vnquam doctus vel eruditus inter Cynonotos ſine detractione conuerſatus eſt ? Aut quem ſtudioſum literarum non ſunt perſecuti?Nam ex ipſo principe aliquando me audiuiſſe memini,quanto ſolo viſu librorū afficiatur horrore,cauſam aſſignante non aliam, niſi quod puer nimia præceptorum indiſcreta fuerit verberatione caſtigatus & verberatus. Hæc dixerim non ad contumeliam Ducis,ſed vt tu ad memoriam reuoces quod non ignoras,quales ſint qui ſe mihi ſine cauſa inimicos exhibere voluerunt. Ego autem ſecutus boni viri conſilium receſſi ab eis,malens pacem habere in terra aliena,quam continuam in propria perturbationem. Putabāt forſitan æmuli noſtri orbem terræ ſpacioſum in vnius caligulæ anguſtia reſtrictum, vt inuenire Trithemius extra Spanheim non poſſet vbi maneret,cogereturque propterea illorum ſe ſubmittere votis,& ad imperium Cynonotorum ſeruum viuere,qui innata ſemper libertate viuere ſub Chriſti famulatu ſolius conſueuit. Certus tamen eſſe mihi videor, quoniam ſi rei prænouiſſent exitum, quæ me cedente modo cognoſcunt, hanc temeritatem aggredi nunquam præſumpſiſſent. Inter monachos autem noſtros duo ſunt capita factionum,qui nobis abſentes reddere infenſos tentauerunt,non tam odio noſtri,quam ſui forſitan amore,quippe quibus non modica ſpes ſit nobis cedentibus ad abbaciam, nec tibi amice nomina eorum incognita ſunt,nec peruerſi mores abſconditi. Dicunt nihilominus,iuſtificationem ſui præferentes,quod nobis & antea dixerunt. Quis te pater abire vel iuſſit vel coëgit?aut quis te redire prohibuit? Cur ad monaſterium tuum non regrederis,cum non ſolum nemo ſit qui prohibeat, ſed omnes potius in circuitu nobiſcum amici ſimul & qui prius inimici videbantur tuum vehementer cupiant reditum? Nemo fateor me iuſſit exire,nemo compulit,regreſſum nemo interdixit. Spontanea voluntate contumeliam non ferens æmulorum , foris vbi eram remanere ſtatui, donec viderem exitum rei. Redire autem ad monaſterium ingratiſſimorum hominum , ſtultitia mihi videretur potius quam pietas,vbi conuitiator in foribus aſtat quotidie,auxiliator vero nullus adeſt. Vnde comprimi inter duos molares metuens , ſatius mihi viſum eſt, abbatiam ſimul & gentem cum pace deſerere,quam in medio nationis prauæ continuum mentis & corporis peri-

ris periculum formidare. Nulla me temeritas vt cederem propria incitauit, nec sine patrum præcedentium exemplo prauos monachos dimisi, quorum ingratitudo talem meretur pastorem, qualem ego me nunquam volui exhibere. Rabanus ille Maurus abbas Fuldensis in ordine sextus, vir certe doctissimus, improbitate monachorum suorum abbatiam ipsam, posteaquam annis rexisset quatuor & viginti, deseruit, & ad Lodouicum Imperatorem pium confugiens declinauit, à quo transacto biennio post mortem Otgarii archiepiscopi Moguntini in locum eius suffectus est. Regino quoque Prumiensis cœnobii clariss. simul & doctiss. abbas, qui multa scripsit vtilia, monachorum suorum iniuria pulsus abbatiam deseruit, & ad Treuirorum archiepiscopum confugit. Benno primus abbas monasterii Gœseccensis, per fratres suos & Com tem fundatorem agitatus iniuriis, abbatiam dimisit vnà cum cœnobio, & pro Christi amore ad Heremum conuolauit, qui tandem omnium consensu sacerdotum ecclesiæ Misnensis Episcopus ordinatus est, & in testimonium sanctitatis vsq; in præsentem diem crebris choruscat miraculis, de quo monachi sui quam male & improbe senserint, scriptor Chronicæ Pegauiensis non tacuit. Quid loquor de nouissimorum pene temporum abbatibus, cum princeps monachorum diuus pater noster Benedictus, primam ad quam fuerat ordinatus abbatiam, propter subditorum perfidiam dimiserit. Non sum melior quam patres mei sanctissimi atque doctissimi, quos omnipotens Deus iniurias voluit pati monachorum, vt in eis sanctitatis augeret meritum, vel more sapientis agricolæ, vt fructum vberiorem producerent, si in locum magis conuenientem transplantaret. Plures enim veterum lectione cognouimus præstantissimos patres abbatias dimisisse suas propter ingratitudinem monachorum, alios quidem coactos metu tyrannorum, alios vero spontanea voluntate. Horum ego patrum exemplo monachos cum abbatia dimisi pertinaces, quorum commissa in nos facinora præ verecundia calamo tradere non putaui. Verum sicut iin his malis non omnes monachos meos æstimare possim innoxios, ita nec omnes dixerim esse culpabiles, quanquã si me voluissent diutius habere pastorem, offensum delationibus falsis ducem aliter informassent. Satis enim mihi constat, Ioannem Nutium, Ioannem Cusensem, Ioannem Damium, Ioannem de Sobernheim, & Nicolaum sculteti, in omnibus conspirationibus fratrum contra me semper fuisse innocentes, nec in aliquo me læsum ab eis confirmo. Nomine autem exprimere illos, qui dentes suos armauerunt in nos, parum conducit, tu enim qui sint & quales optime cognouisti. Inter quos duo capita factionum, Remitius Melantius Prior omnium ingratissimus hominum, & iunior ille Pingionita, cuius malitia fatuitate superatur, quosdam temeritatis suæ fautores consecuti, ambo totis ad abbatiam conatibus anhelant. Vt ergo tandem eorum magis innotescat perfidia, locum damus & tempus, longa docti experientia, quantum obstet mentis profectui pernicioſa temeritas monachorum. Oblatam nobis abbatiam monasterii sancti Iacobi apostoli maioris in suburbio ciuitatis Herbipolensis, per antistitem reuerendissimum Laurentium de consilio amicorum, quintadecima die mensis Octobris anno præsenti susceepimus, & priorem Spanhemensem, cui præfuimus annis 21. mensibus duobus & diebus viginti, propter monachorum ingratitudinem, & ducis tui persecutionem spontanea dimisimus voluntate. Valeant nunc æmuli mei, humilem innocentemque persecuti, valeat dux cum inuidis Cynonotis, valeat prior Melantius iniquitatis amator cum omnibus conspiratoribus suis. Tantum in me, Deo permittente, inuidia potuit æmulorum, vt benefactorum meorum oriretur repente obliuio, & malum mihi redderent, quibus benefacere non cessaui. Verũ siue viuimus siue morimur Domini sumus: Deum posui adiutorem meum, in quo spem omnem locaui meam, qui transtulit me de medio nationis prauæ, & constituit in loco pacis & quietis, ipsi laus in sæcula sæculorum amen. Vtinam qui tantopere optauere meam contritionem, Dei nunc zelo cum puritate armentur, talem desolato monasterio prouisuri pastorem, qui paupertati eius consulere vtiliter & velit & possit. Compatior enim pauperi cœnobio, & pro innoxiis fratribus compassionis viscera porto, quanquam parum rationis mei habuisse videantur. Habes omnem translationis meæ historiam, qui nihil eorum quæ Cynonoti tui in me præsumpserunt. Vindictam non quæsiui contumeliarũ, nec quæro in æternum, sciens omnium dixisse iudicem: mihi vindictam, & ego retribuam. Omnia enim patienter sustinui & elongaui me fugiens à facie persequentis: quanquam si voluissem aliter, neque suffragia defuissent, neque vires propulsandi iniurias. Vale, & Deũ pro me orare non cesses, pauperique monasterio Spanhemensi deuotus in necessitate adesto patronus, vt esse hactenus consueuisti. Iterum vale, ex Herbipoli vltima die mensis Octobris, Anno Christi 1506.

*Rabanus Maurus.*

*Regino Prumiensis.*

*Benno abbas sup. lib. 1. epist. 64.*

## V.

### IOAN. TRITHEM. AB. S. IACOBI HERBIPOLENSIS, IOANni Damio Curtesio præposito sanctimonialium in Nouocastro.* S.

* Neuburg.

CVM te non lateant causæ amantissime frater, animum nostrum ad resignationem Spanhemensis Abbatiæ mouentes, paucis duximus vtendum, hoc solum in primis significantes, nos quintadecima die mensis huius Octobris, possessionem abbatiæ S. Iacobi canonica electione adeptos realem, in qua maiore nos cum pace victuros speramus, quam in Spanheim viximus vnquam. Vnde literas dedimus ad Conuentum in Spanheim, quibus & eorum ingratitudinem redarguimus, & resignasse propterea Spanhemensem abbatiam denunciamus. Tuum erit perferre illas, & operam dare, quatenus vtilem inueniant abbatem, non vitiis eorum consentientem. Quocirca nobis videretur consultum, quod tua charitas hæc denunciatura speciosi montis tetro abbati, à quo & eorum dependent consilia cuncta, & quasi ab Apolline omnia responsa, Mogunciam primo descenderet, si forte pro visitatoribus fuerit mittendum, ne iniquitas prævaleat impiorum. Quocirca in visceribus Iesu Christi te hortamur, quantum in te est prouidere videlicet nō omittas, quatenus pauperi cœnobio persona conueniens & vtilis præficiatur, sicuti ipsa necessitas videtur exigere. Scis enim quemadmodum illi duo, Prior Melantius, & Pingonita mendax, ambo fatuelli & stulti, maxime anhelant ad abbatiam, quorum & vitam nosti & mores: nostro iudicio vterque non solum inutilis monasterio, sed nociuus quoque non mediocriter futurus. Quamuis autem nimis grauem susceperimus iniuriam à nostris optamus nihilominus & monasterio & fratribus omne bonum, eius amore qui in sancto Euangelio dixit: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, benefacite his qui vos oderunt.* Indulgeat eis omnipotens Deus, qui nos iniuste & sine causa persecuti sunt, nescientes forsitan quid fecerint, zelum habentes nec bonum nec secundum scientiam, sed amaritudinis & indiscretionis. Vale Deum iugiter orans pro nobis. Herbipoli, vltima die mensis Octobris, Anno Christianorum M.D.VI.

Matt. 5.

## VI.

### SERENISSIMO INVICTISSIMOQVE PRINCIPI, FRIDERICO DVCI Saxoniæ &c. Ioannes Trithē. Abbas monasterii sancti Iacobi in ciuitate Herbipolensi S.

REVERTENTI mihi nuper ex Marchia Brandenburgensi, Cōradus Mutianus doctor tuæ serenitatis desiderium exposuit, quod Henricus quoque de Bunauue miles quondam & orator tuus non minore diligentia explicauit. Ambo in vnam retulere sententiam, quod tua serenitas à me consummari desideret historiam de gestis Saxonum, quam Adam de Fulda olim inchoauit, sed morte præuentus non compleuit. Animus quidem meus & promptus semper fuit, & voluntarius tuis obedire mandatis, sed variis se occupationibus in medium offerentibus, hactenus satisfacere & tuis desideriis & meis votis minime potui. Nunc vero tandem oportuna mutatione quietem assecutus Spanhemensem abbatiam resignaui, & eam in qua nunc pauper viuo ex more philosophus sancti Iacobi Herbipolensem assumpsi, & meis aptam studiis, & quietudinis oportunitate magis tranquillam. Si quid ergo in me est virium, quo tuæ celsitudini gratum possim exhibere obsequium, paratum me inuenies semper, quia præ multis dignum te laude principem omnium ore hominum cognoui, quippe qui sapientia maximarumque rerum scientia & in viros doctos fauore parem habeas neminem. Commodaueram olim memorato Henrico de Bunauue, cum apud Wangiones crure laboraret fracto, quædam volumina, quorum indicem his introclusi, sub fide quantotius restituenda: ille autem nihil suo more restituens, viam humanæ resolutionis ingressus est, fratrem relinquens omnium rerum suarum hæredem, apud quem & ipsa volumina mea remansisse feruntur. Quocirca tuam serenitatem quam humilima precor submissione, vt hęc ipsa mea volumina suo mihi faciat imperio restitui. Quod si tuo numine assecutus fuero, me tuis rebus totum obligaueris. Omnipotens Deus excellentiam tuam diu conseruet incolumem, cui me humili sedulitate commendo. Ex præfato monasterio meo S. Iacobi Herbipolensi 6. die mensis Nouembris, Anno Christianorum 1506.

Adam Fuld. de gestis Saxon.

VII. IOA-

## VII.

### *IOACHIM DEI GRATIA MARCHIO BRANDEN. PRINCEPS electior, reuerendo patri Ioan. Trithemio abbati S.*

INGENS noſtri amor & beneuolentia erga te pater eruditiſſime, ſimul & recens memoria eorum quæ nobis piæ eruditionis nuper exhibuiſti documenta, nos vehementer impellunt, vrgent, commouentque, vt crebro tibi ſcribamus, ſignificantes in primis præſenti noſtro chirographo felicem & incolumem ſtatum noſtrum, vxoris quoque, filii & fratris, atque ſororis. Tuæ autem paternitati maxime condolemus propter æmulorum inuidiã aduerſa tibi ſuſcitantium, ſicuti ex tuis literis vltimis intelleximus, & nuncij noſtri accepimus relatione. Confidimus tamen quod & ſapientiæ tuæ conſilio, & diuino pariter auxilio cuncta humanæ prauitatis machinamenta facile ſuperabis. Nimis amara cognouimus relatione, doctiſſimum quondam præceptorem tuum Libanium ſarcinam depoſuiſſe carnis, & ſpiritum reddidiſſe altiſſimo qui creauit illum, de cuius morte (ſi tamen mortuus eſt, adhuc enim ſperamus viuentem) non minus dolemus, quam ſi quiſpiam ex amicis noſtris deceſſiſſet chariſſimis. Præclaram eruditionem eius, inæſtimabilem ſcientiam omnium ferme ſcripturarum, & ſingularem ingenij ſubtilitatem in eo ſemper dileximus & mirati ſumus. Rogamus autem paternitatem tuam, quatenus ſi mortuum inueneris, omnem pro libris ab eo relictis diligentiam impendas, ne in manus deueniant exterorum, illi maxime quos vtiles nobis intellexeris. Libenter enim ſoluemus quicquid decreueris ſoluendum. Cæterum amantiſſime præceptor te iterum atque iterum quam inſtantiſſime obſecramus, vt redire ad nos circa feſtum paſchatis, aut pentecoſtes non pigriteris. Eſt enim nobis quod noſti tua opera in multis neceſſaria, qua ſine detrimento rerũ noſtrarum diu carere non valemus. Tuum ſuper his conſilium nobis per hunc nuncium noſtrum, quem propterea miſimus ad te, reſcribito. Quod ſi petitionibus noſtris conſenſeris (vti plenam de te confidentiam gerimus) ſignifica tempus, & eundem tabellarium ad diem deſtinatum cum ſumptibus pro via neceſſariis remittemus ad te, nec irremuneratus recedes à nobis. Nec te lateat amator vnice nouum præceptorem quem perſuadente admiſi per omnia bene agere, eſtq; mihi ſpes non parua de maiore cum tempore profectu. Signauimus autem in ſchedula his introcluſa quædam volumina, quorum copiam non habemus, rogantes vt quamprimum poteris eorum nos lectione reficias. Scire etiam te volumus, quod ſoror noſtra domina Vrſula contractum cum Duce Magnopolitano matrimonium in hoc carnis priuio ſolemni celebratione nuptiarum hic in Vrſulo conſummabit. Iterum te rogamus vt in præmiſſis omnibus te nobis talem exhibeas, qualem in te confidentiam habemus, & ſemper habebis nos tibi gratificaturos in omnibus. Vale noſtri memor & amans, & maneat inter nos amicitia dudum contracta inuiolabilis. Iterum vale ſemperq; valero. Ex oppido noſtro Tangermunda circa Albim. Anno dominicæ natiuitatis milleſimo quingenteſimo ſexto, die vero ſancti Burchardi. Et manu noſtra propria.

## VIII.

### *ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. IOACHIM BRANDENburgenſium Marchioni, &c. Ioannes Trithemius abbas ſancti Iacobi in ſuburbio ciuitatis Herbipolenſis, quondam vero Spanhemenſis, felicitatem.*

INCOLVMITATI tuæ tuorumq; Sereniſſime pientiſſimeque princeps, iure vehementer congaudeo, & plus quam vel præſens dicere, vel ſcribere abſens poſſim, proſperis rerum tuarum ſucceſſibus lætatus ſum. Compaſſioni vero excellentiæ tuæ ſuper incommodis meis gratias ago habeoque immortales, ſed & referam ſi qua oportunitate potero vnquam. Spero autem quod inuidiam æmulorum conſilio tandem ſapientis euaſerim auxiliante Deo. Notum itaque tuæ ſerenitati facimus inuictiſſime princeps, quod recedens à tua celſitudine ad Spanheim non fui reuerſus, quoniam & ſi dux Cynonotorum meum videretur optare reditum ad monaſterium, tamen quædam ſeſe interpoſuerunt ex parte infidelium monachorum meorum machinamenta, quibus in tantam fui prouocatus acediam, quod firma penes me concluſione ſtatui, ad Spanheim deinceps minime reuertendum. Manſi ergo non ſine conſilio foris apud Sereniſſimum principem meum Philippum Comitem Palatinum, Bauariæ ducem, ac principem electorem Budoris menſibus quatuor, quouſque tandem reuerendiſſimus præſul Herbipolenſis ad Abbatiam ſancti Iacobi, quondam Scotorum in ſuburbio, vocari me fecit, elegit ac confirmauit,

ad cuius possessionem intraui quintadecima die mensis Octobris anni præsentis. Locus quidem paruus, pauper & modicus est, sed proposito & studiis meis multum conueniens, vbi & mihi & literis ad placitum potero semper esse intentus. Abbatiam itaque Spanheimensem inutilibus plenam occupationibus vnà cum ingratissimis monachis amore, pacis & quietis dimisi, posteaquam illi præfueram in annum quartum atque vicesimum. Quod quidem factum non solum me non pœnituit, sed vsque adeo delectat, vt nequeam iam cum omnimoda pace illic me vellem remansisse. Mortem Libanii præceptoris mei dulcissimi grauiter ferrem, certo si scirem esse defunctum. Spero enim per Dei misericordiam eum adhuc esse viuentem, & sicuti mihi priore anno pollicitus fuit, ad me in breui esse venturum. Misi ad eum mense Augusto literas & tuæ Serenitatis & meas, quas an receperit adhuc sum incertus. Operam pro viribus dabo, vt sciam veritatem, & si quidem mortuus est, quod Deus omnipotens auertat, curabo ne penitus à nobis videatur ablatus. Reliquit enim preciosa valde opuscula suo ingenio luculento composita, quorum ad nos quanto poterimus plura contrahere, tanto minus à nobis videbitur deceßisse. Ego autem ab eo die quo Marchiam tuam à celsitudine tua exiui, vsque in præsentem, nihil scribere potui, propterea quod neque locum potui habere quietum, nec tempus oportunum. De laudibus vero sancti Ioseph nutricii Domini saluatoris quam primum inchoabo tractatum, & reliqua per ordinem in schedula signata manu celsitudinis tuæ, quanto citius potero iuxta ingenii vires ædere curabo. Interea tua serenitas moram hanc patienter sufferat precor, quoniam miserante Domino Iesu, & vitam prolongante meam, omnia cum tempore à me recipies consummata quæ flagitas. Ad illud vero, quod tua celsitudo meum ad se in Marchiam denuo petit regressum ad festum Dominicæ resurrectionis vel pentecostes, nihil certi rescribere possum, propterea quod resignata priore abbatia & ista suscepta, iam me alterius dominio principis subiecci. Ego enim quantum in me est facile potero persuaderi, sumque & promptus & voluntarius iustis desideriis maiestatis tuæ in omnibus pro viribus obedire, sed duo sunt hac vice quæ mei promptitudinem animi videntur impedire. Primum, quod in hac nouellus abbatia tam cito tamque remote abire, ac foris diu remanere sine principis mei reuerendissimi consensu nullatenus possum: & consensus quem prior dedit Palatinus nihil hodie suffragetur, quoniam mutato principe necesse est & priuilegium mutari. Aliud quod obstare videtur quamuis non magnifacio, me tamen aliquantulum contristauit, quod ex ordine meo patres quidam in me scandalizantur, quod curias sequar principum, nescio quæ friuola & conficta garrientes, quasi pro rebus quibusdam prophanis docendis, & non pro Christiane religionis honore diuinarumque scripturarum tradenda intelligentia ad tuam celsitudinem fuerim antea profectus. Credula in vitium turba suo contra innocentiam more bacchatur, & quoniam naturalium rerum non habet in cognitione principia, quicquid non intelligit, malis operationibus adscribit. Nemo capit ignarus, esse possibile quod miratur, & vim naturæ metitur vnusquisque pro sui capacitate intellectus, ac inde vt cæcus omnino decipitur. Sed nihil eorum cauillationes aduertit conscia mens recti, deridens potius imperitorum ignauiam, qui bonum despiciunt quod ex ignauia nunquam didicerunt. Tua tamen serenitas domino meo reuerendissimo scribat episcopo, & si vt veniam consenserit ille, satis vtrique fuerit consultum. Quanquam mihi videatur consultius, salua tuæ celsitudinis voluntate multis respectibus, quod meus ad Marchiam introitus vsque in annum millesimum quingentesimũ differatur octauum, ne si tam cito abiero, rursus aliquid in me lingua æmulorum maledica leuitatis exspuat. Promissum Regis Danorum dilatatũ intellexi & doleo. Vereor autem quod parum cum Suedis prosperabitur, & quanto magis conterere illos tentauerit, tanto se amplius euiscerabit. Deus enim excelsus dominatur super regnum hominum, sicuti scriptura dicit, & cuicunque voluerit dat illud. Omnipotens Deus principatum tuum in omni bonitate confirmare ac facere gloriosum dignetur, præbens tibi omne desiderium cordis tui, quod sine dubio facturus est, si corde perfecto in mandatis eius cum sancto Dauid innocenter ambulaueris vt cœpisti. Quod nuncius tuæ serenitatis tardius reuertitur, causa est, quia opinione deceptus in Spanheim me requisiuit. Altissimus maiestatem tuam conseruet incolumem, cui me humilime recommendo. Ex monasterio meo præscripto Herbipoli 25. die mensis Nouembris. Anno Christi M.D.VI.

IX. DO-

## IX.

*DOMINÆ HELIZABETHÆ DE LONGOVICO, HONESTISSIMÆ dulcissimæque matri, Ioannes Trithemius filius, abbas S. Iacobi Herbipolensis, quondam vero Spanhemensis, cum omni honore & reuerentia, filialem in cunctis affectum cum debita exhibitione paratum.*

SCIO mater (nec enim dubitare possum) rebus nostris plus quam ad anni spatium iam turbatis, te propterea non mediocriter perturbari. Nam etsi annos euasimus puriles, tu tamen quamdiu supersunt filii, matrem te non desinis exhibere fidelem. Misi ad te cum his literis magistrum Iacobum fratrem meum vnicum, vt per filium agnoscas omnia quæ filio contigerunt, & per alterius præsentiam, leuius ferre absentiam alterius assueseas. Nullam te pro me volo habere sollicitudinem, nec propterea credas miserum, quia de Spanheim forte fama sparsit expulsum. Sed mihi crede potius verum scribenti, quoniam non vi, non metu, non coactus, sed spontanea voluntate exiui, & matura deliberatione præhabita foris manere decreui, abbatiamque resignaui, & istam in qua modo cum pace viuo assumpsi, propter causas multas & rationabiles ad hoc me inducentes, quarum si aliquas scire volueris, relatione fratris intelliges. Confido autem in DOMINO IESV, qui nihil permittit fine causa, quod mutatio ista mihi ad vtriusque hominis salutem proficiendi materiam dederit, quoniam à multis occupationibus inutilibus liberatus sum, & bonam pacem cum tranquillitate assecutus. Quam enim ingratis seruierim hominibus hactenus in Spanheim, me nemo melius nouit. Propter quod non contristor, sed gaudeo potius datam mihi recedendi occasionem ab eis, quos deserere antehac sæpius cogitaui. Sed vnum est quod mentem, vt opinor, tuam cruciare aliquantulum posse videatur, quoniam deinceps vel rarius, vel nunquam visura me sis in hac carne viuentem, propter maiorem distantiam locorum, in quibus versamur ab inuicem. Memento matrem te esse hominis necessario mortalis, à quo velis nolis aliquando separanda sis, etiamsi multis tecum vixerit annis, vter vestrum prior mortuus fuerit. Quid enim in se continere poterit consolationis humanæ visio breuissima carnis, quæ maiore cum amaritudine tandem necessario per mortem extinguitur, quam prius dulcedine vnquam possessa videatur? Referamus ergo hæc vanitatis desideria nostra ad illam visionem æternæ beatitudinis, in qua perseuerans & sine fine suauitas, quæ cum semel nobis illuxerit, nunquam in sempiternum extinguetur. Ad illam festinemus, ô mater, ad cuius participationem sumus creati, quam tunc sine dubio poterimus adsequi, cum die ac nocte in mandatis Domini meditantes, ipsum Dominum & Deum nostrum Iesum Christum, pura mente, integro corde, & ardente in nobis æternitatis desiderio semper amauerimus. Ad quid nobis carnali visioni opus est, qui spiritualem debemus inquirere? Ego me Deo seruiturum deuoui, non licet mihi parentum deinceps solatio delectari. Omnia pro Christi amore contempsi, & cœpi iam esse vt Melchisedeck, sine patre, sine matre, & sine genealogia: solum Deum patrem agnosco, & matrem non habeo nisi Ecclesiam. Nec meus iam sum amplius, nec tuus sum filius, quoniam Deo solenniter oblatus, eiusque ministerio perpetuo inscriptus, & ideo tua mihi sollicitudine non est opus. Quod tuum est cura, omnipotens Deus quod suum est sine dubio curabit, sibique spontanea voluntate oblatum non despiciet. Gratias tibi ago, quia tuus cum essem, pia me sollicitudine nutriuisti: at nunc posteaquam Dei me seruitio obtuli, ipse me enutriet qui creauit, nec tua indiget cura, nec quod suum est tibi amplius commendabit. Sis ergo mente tranquilla, & nullam pro me geras sollicitudinem, quoniam ita rebus meis prouidit altissimus, vt hic in Herbipoli multo sim & melius & libentius, quam in Spanheim fuerim vnquam. Deus enim qui omnia bene ordinauit, eam mihi gratiam misericorditer contulit, vt multorum fauore principum si voluissem mihi satis extitisset prouisum, ita vt parentum non sit opus implorare suffragia. Deum posui adiutorem meum, & propterea mundus mihi patria est omnis, in quo cuncta pertransibo aduersa. Ita nobis viuendum est mater, vt æterna Dei visione post mortem perfruamur in cœlis. Vale & Deum ora pro me: nec aliter memorem te mei esse volo, quoniam & ego nullam tui memoriam nisi in orationibus meis habere consueui. Iterum vale: Ex monasterio meo Herbipoli, octaua die mensis Nouembris, anno Christianorum 1506.

X.

## IOANNES TRITHEM. ABBAS SANCTI IACOBI HERBIPOLENSIS, Rogerio Sycambro Dumetensi canonico, salutem & synceram in Domino charitatem.

QVOD paci & tranquillitati nostræ congratularis, bene facis, & quod verum decet amicum, nec tuis erga nos votis & studiis sumus ingrati, sicuti nec esse debemus. Magna est enim dudum contracta inter nos amicitia & magna potest, quia non cœpit ex vanitate temporalium rerum, caduciisque mundi consolationibus exordium, sed tota constat ex Christi amore fortis & sacrarum studio scripturarum. Et hæc nostræ summa philosophiæ, qui & Christiani sumus, & Deo mancipati claustrales, DOMINVM IESVM, qui cum Patre & sancto Spiritu Deus est vnus in trinitate personarum, puro semper affectu diligere, contemptisque vanitatibus mundi omnibus mentem in diuinis scripturis cum sobrietate iugiter occupare. Hæc enim vera claustralium amicitia est, quam diuinus inter fratres connectit amor, principiumque Deum habens & finem, & spreto vanitatis consortio, solitaria cum socio voti viam mandatorum Dei sine offensione perambulat.

*Tren. 3.* Dicit enim propheta Hieremias: *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, quia leuabit se super se.* Neruus enim amicitiæ claustralium, est pro Christi amore solitudinem diligere, & confabulationes hominum carnaliter sapientium omni tempore declinare. Sola est amicitia claustralium firma, quam parilitas votorum in amore cœlestis sapientiæ sine respectu terrenæ vtilitatis copulauit. Non est hic opus muneribus caducis, non auro, non argento, quia ad veram amicitiam hoc solum requiritur, vt Deus ab vtroque pure diligatur: Amor vero ex cognitione oritur, cognitio autem ex continuo scripturarum studio generatur, & studium optata solitudine pascitur, sicut Prosper sanctus episcopus dixit:

*Scrutari legem possunt vtcunque quieti,*
*Si mundi a strepitu libera corda vacent.* Iterumque ait:
*Tranquillam & vacuam curis sapientia mentem*
*Imbuit, & placidi pectoris hospes erit.*

Corpore quidem solitarius es, in nemore cum paucis fratribus eiusdem propositi sub iugi silentio habitas, sacro ferues studio scripturarum, si cordis intima non penetrauerint inuisibiles mundi strepitus, ad cognitionem summi boni quod est Deus, iam facilem parasti viam. Mens quoque restringenda est, ne turbationibus agitetur forinsecus concitati furoris, neue passionibus tangatur animalibus, sed placida sit atque tranquilla, ad diuinum semper pauida sermonem, quia scriptum est: *Beatus homo qui semper est pauidus, qui autem mentis est duræ, corruet in malum.* *Prouerb. 16.* Et Dominus per Esaiam propheram dicit: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, contritum corde, & trementem sermones meos?* *Capite 66.* Nam quia studio ferues scientiæ salutaris, vt veram sapientiam quæ desursum est intelligas, mentem ab omni terrenarum voluptatum inquinamento inprimis purifica, ac deinde studio scripturarum vtiliter exercitabis intellectum. Quanto enim fueris purior affectu, tanto proficies amplius intellectu: & quanto magis cognitione profeceris, tanto Deum feruentius amabis. Et quanto ardentius Dominum Deum tuum amaueris, tanto veræ sapientiæ plus appropinquabis. Quid enim aliud est post resolutionem corporis nostri mentis illa fœlicitatis æternæ fruitio, quam indeficiens quoddam spiritus tripudium, quod cognitione simul & amore incommutabilis boni constans gratia Dei cooperante in hac mortali vita per sancta studia ex nostra voluntate libera sumpsit exordium. Non te Rogeri magnifacio Poetam, nec Rethorem miror, neque mundialis sapientiæ amatorem collaudo, sed quod sacræ sis amator Theosophiæ, puraque DEVM mente colas, & sæculi habearis contemptor, hoc est quod veneror & laudo in te, simul & amo vehementer, quo solo in amicitiam te admisi, & in corde meo verum inscripsi amicum, sine quo nulla est inter claustrales amicitia firma. Ita pergamus velim Rogeri, sola CHRISTI IESV dilectione constantes amici, vt diuinarum scripturarum lectionibus iugiter purificatis cordibus cum sobrietate dediti, per sacri continuationem studii ad incommutabilis boni cognitionem pertingamus, ipsumque fide cognitum incomprehensibilem Deum, tota mentis intentione semper amemus, pro eius dilectione cuncta huius mundi contemnentes prospera, & nulla formidantes aduersa. Dominus enim Iesus sapientia Dei patris nostra est philosophia, & veræ claustralium amicitiæ glutinum, sine quo nullum debebis habere amicum. Hunc quanto per studium sacræ scripturę, & spiritualis exercitium cõpunctionis ampliori affectu cognoueris, tanto feruentius amabis,

*Vera amicitia vnde proficiscatur.*

amabis, quoniam sicuti nemo bonum diligit incognitum, ita quisquis summum illud incommutabile bonum per fidem formatæ credulitatis studio sancti feruoris agnouerit, nihil præter ipsum solum amabit. Gratias tibi ago Syeamber, quod mei memor Deo Patri sacrificans oras pro nobis. Amor Christi qui te nobis fecit amicum, semper in corde tuo ardeat cum dulcedine spirituali. Vale sanus & incolumis Nestoreos in annos. Ex Herbipoli decima octaua die mensis Nouemb. Anno Christianorum 1506.

## XI.

*REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO IOANNI TRITEMIO abbati S. Iacobi Herbipolensi, præceptori & amico colendissimo, Rogerius Syeamber canonicus claustralis in Hegen salutem.*

EPISTOLAM tuam doctissime Tritemi, ad Christi amorem me cohortantem, cum ingenti reuerētia & gaudio susceпi. Vtinam crebro mihi talia mittas exhortamenta, quibus semper in Dei amore possim proficere, & melior me ipso fieri. Dulces enim mihi sunt literę tuæ ac melle suauiores, nec eas toties legere possum, quin magis placeāt relectæ. Congaudeo autem tibi vehementer, quod locum à curis rerum sæcularium quietum, tuisq; studiis aptum inueniſti, sperās quod iam posthac multa sis lucubraturus ad vtilitatem communem in ocio & quiete monastica, quæ prius in Spanheim propter multiplices curas tam monasterii priuatas, quam ordinis tui publicas, intermittere cogebaris. Valde autem metuebam, posteaquam ad monasterium tuum Spanhemense redire noluisti, ne ad curias te Principum conferres, cum sint multi, vt audiui, qui te habere secum exoptent. Monachis autem tuis in Spanheim quis vir bonus non irascatur, exprobret ac maledicat rectissime qui ex inuidia & malignitate sua te virum omnium mitissimum, optimum atque doctissimum, Regibus & principibus charum, & cunctis viris bonis eruditisque reuerendum, qualem trecentis ab annis ordo sancti Benedicti habuit neminem, tam iniuriose confundere, & ad indignationem prouocare non timuerunt. Ego non cœcus explorator claustralium, cum ante decennium consensu & voluntate superiorum meorum, ad instantiam paternitatis tuæ sex mensium spatio, vt scis, tecum versārer in Spanheim tuo monasterio, tibique postulanti duo volumina rescriberem mearum lucubrationum manu mea propria, mores & inclinationes monachorum tuorum bene cum diligentia notaui, eosque fere omnes (præter Henricum de Colonia, & Ioannem Damium, quorum nunc alter mortuus est, alter in Nouocastro monialium præpositus) osores & contemptores omnium bonarum artium repperi, & tuorum detractores vtilium studiorum. Mirabar ego in victu & amictu parsimoniam tuam: & iugem regularis disciplinæ obseruantiam cum studio scripturarum continuo, mihi in exemplum spiritualis ædificationis assumpsi, nec obliuiscar quo ad vixero, sed tuus esse pro viribus imitator curabo. Audiui etiam à multis, quod æmulus ille tuus Dux Ioannes non diligat viros doctos, nec aliquem in sua curia habeat studiosis & eruditis bene fauentem. Quod ex eo verum credo, quoniam cum me tecum in Spanheim eodem tempore existente, pro qua nescio causa summo pontifici Romano, ac cœtui Cardinalium necessario esset scripturus, neminem in vniuerso ducatu suo tantæ eruditionis inuenire potuit, qui latine scribere potuisset. Postremo, si recte memini, ad te mittere cancellarium suum & rogare, vt Papæ & Cardinalibus latine scriberes, compulsus est. Vnde vehementer gaudeo & lætor, quod locum tuis aptum studiis inueniſti, vbi sint plures qui tuis lucubrationibus & eruditione lucidissima delectentur. Certe non est mihi dubium de monachis tuis in Spanheim, qui te numquam fuerunt digni, quoniam DEO iusto vindicante iudice, vltionem temeritatis suæ in breui temporis mora recipient. Vnum est, quod me tristitia afficit in hac tua mutatione, quoniam propter maiorem locorum distantiam literas tam crebro recipere tuas deinceps nequeo. Veldicus noster in Dyrmstein amantissimus tui, multum gauisus est audito, quod te in pace monastica confirmasti: timebat enim, sicut & ego, quod principum curiis hærens quietem vitæ claustralium subterfugeres. Petit autem maxime, vt aliquid operum eius castigatum prius abs te per impressores facias prodire in lucem pro communi vtilitate legentium. Spero etiam, quod aliquando & meorum opusculorum vel vnum saltem

*Veldicum.*

facies imprimi per chalcographos qui plures in vicina tibi sunt Nurenberga. Si votis meis benigno fauore volueris occurrere, curabo in breui, vt duo vel tria operum meorum mittam ad te. Scripsi nuper quoddam prognosticon, iocis & facetiis plenum, quod multis placet, sed quoniam tua censoria sæueritas iocos aspernatur vniuersos, non integrum iudicaui ea mittere ad te, qui maturitate vitæ atque verborum nimium esse nugis formidabilis soles. Scripsi etiam ad Iodocum Rubeacensem theologum tui amantissimum in ecclesia Neometensi, integerrimum verbi diuini præconem, opusculum vnum carminum familiarium, quod imprimendum ambo rogamus. Quatuor lucubrationum mearum (vt nosti) volumina scripsi, in quorum quolibet quatuor & triginta continentur opuscula quæ si dare imprimenda calcographis iubes, omnia mittam ad te, cum mihi certum desti-naueris nuncium qui perferat. Ioannes noster Canter, medicus Frisius, communis amicus, carnis debitum soluit, cuius memor esto ad Deum. Vale & ora pro me. Ex Hegen prima die mensis decembris Anno Christianorum 1506.

*Prognosticon.*

*Iodocus Rubeacensis.*

## XII.

### *IOAN. TRITEM. ABBAS S. IACOBI HERBIPOLENSIS, QVONDAM VERO SPANHEMENSIS, ROGERIO SYCAMBRO AMICO SVO CONSTANTISSIMO SALUTEM.*

TE mihi congaudere, si gaudeam ipse, non dubito. Sin autem ipse non gaudeo, nec tu quidem non gaudenti mihi recte congaudebis. Gaudeo vero quod inuidiam æmulorum superaui, & consortium ingratissimorum monachorum meorum tandem, auxiliante Domino IESV CHRISTO, euasi, quorum contrarios meo proposito mores annis viginti tribus non sine amaritudine portare coactus fui. Euasi miseros, ingratos, stultissimosque homines, & veni ad locum satis, vt spero, quietum, in quo & saluti propriæ operam dare possum, & studia sancta continuare scripturarum. Doleo autem quod bonos & innocentes propter malitiam perfidorum deserere oportuit: quanquam & ipsi cū tempore satis tute alibi sibi valeant prouidere, si prauorum consortio grauantur. Metuebas ne curiis me principum ingererem, propterea quod multi essent, qui meo delectarentur obsequio. Non hoc solus timuisti. Ego autem in omnibus aduersitatibus meis hoc, miserante Deo, in corde meo statui, viam Domini nequaquā deserere, sed religionis sacræ propositum vsque ad mortem inuiolabiliter obseruare. Vnde, quod tibi in aurem citra iactantiam sit dictum, quanto in me amplius æmuli sæuiebant, tanto magis Dei gratiam sensi adesse præsentem, qua factum est, vt cum auxilio multorum nobilium & principum iniurias mihi factas satis digne vindicare potuissem, omnem penitus neglexerim vltionem. Iniuste enim contra me linguas suas consuetudine mentiendi deprauatas mouerunt, talia confingentes, quæ à nobis cogitata nunquam fuerunt. Re autem vera, totius persecutionis in nos causa principalis fuit, quod sereniss. Principi Palatino bene fauētes, singulari ab eo clementia fouebamur. Satis enim manifeste pluribus constat, Ducem Cynonotorum cum suis, rebus non fauere Palatinis, quod eo tempore luce clarius patuit, quo in bello transacto prouincialis Hassonum Comes præda & incendio Nagauium* deuastauit. In odium ergo Palatini me persecuti sunt non solum Cynonoti, sed etiam quidam ex nostris, sicuti abbates, montis sancti Iacobi Moguntinus, & montis sancti Ioannis Rinaugiensis, quī vna cum monachis suis à multis retro semper annis mansuetissimum principem lacessere maledictis, cum nihil eis nocuerit, non cessarunt. Mihi quoque & nomen inter studiosos, & famam semper inuidebant bonam, animo ferentes iniquissimo, quoties ab aliquo Principum fuissem honoratus. Cum anno tertio & quingentesimo supra millesimum principes Imperii electores apud Francfordiam in mense Octobri conuenissent pro certis regni negotiis, contigit & me vocatum adesse in curia Sereniss. principis Ioachim Brandenburgensium Marchionis. Aderant Raymundus Cardinalis sanctæ Mariæ nouæ, presbyter apostolicæ sedis de latere tunc Legatus, & Hermannus Colonien-sis, Bertholdus Moguntinensis, & Iacobus Treuerensis Archiepiscopi. Commensalis eram ipsius Marchionis Ioachim continuus, à Cardinale quater, & bis ab archiepiscopo Colonien-si vocatus ad mensam, argenteisque vasis in recessu meo pulcherrimis donatus per eos, & in multa familiaritate habitus. Audientes hæc præfati abbates & monachi, dissecabantur cordibus suis præ inuidia, & cum nihil aliud potuissent, maledictis me persequi cœpe-

*Nachgaun.*

*Conuentus principum habitus Anno Domini 1503.*

cœperunt, fulminantes, quæ minime dicebant claustrales. Omnipotẽs indulgeat eis quoniam eorum inuidia totius mali quod passus sum occasionem dedit. Nisi enim temerariis fauissent ausibus, nũquam fratres mei contra me in apertum cornua sumpsissent. Sed vadant hæc in obliuionem sempiternam, & reddat nobis in futura retributione iustorum patientiæ fructum, qui virtutem tolerantiæ dedit. Si quid habet Veldicus noster operum suorum quod imprimi velit, emunctatum mittat ad nos, & operam dabimus vt quantotius imprimatur. De tuis quoque opusculis mitte quicquid volueris imprimendum, & diligentiam nostrã comperies. Multa Rogeri paucis annis scripsisti opuscula die noctuque, nihilominus onera comportans canonicę religionis, de quo plures sane mirantur. Laudo & commendo tuorum sedulitatem studiorum, collaudarem amplius si omissis sæcularibus ad spiritualia te conferres. Centum ferme iam & quadraginta lucubrasti opuscula, inter quæ sunt paucissima (nescio tamen si sint aliqua) quorum lectio, vel ædificet ad fidem, vel mentem promoueat in spiritualis exercitii deuotionem. Oro te mi Rogeri transfer scribendi propositum, & qui hactenus multa scripsisti filiis mundi, deinceps iam aliquid ædito cultoribus Dei. Non semper decent puerorum carmina virum, studia ætati comparanda sunt, & iuxta factum sancti Christophili, virum euacuare oportet ea quæ videntur paruulorum. Ingenio vales simul & facilitate scribendi, non satis est nisi talia scribas, quæ vel ad cognitionem, vel ad amorem summi boni, quod Deus est proficiant lectoribus, tibique mercedem parent in futuro. Vale Deum orans pro nobis. Ex Herbipoli 18. die mensis Decembris. Anno Christianorum 1506.

## XIII.

*IOAN. TRITEM. ABBAS SANCTI IACOBI HERBIPOLENSIS, IOANNI Damio Curtesio, confessori sanctimonialium in Nouocastro prope Heidelbergam, Salutem.*

EX literis tuis, frater charissime, iam factus sum certior, & forma electionis quæ fuerit, & quis in locum mei abbas Spanhemensis cœnobii sit electus. Nonne dudum prædixi Melantium priorem anhelare ad abbatiam, & propterea studiose omnes excogitasse modos & vias, quibus inducerer, aut saltem prouocarer ego ad resignationem. Quod ambitiose concupiuit adeptus est, viderit ipse quibus mediis, quoniam iustus est Dominus Deus, qui humilibus dat gratiam, & superbis tumidisque resistere consueuit. Imputandum est visitatoribus stultis & inexpertis, qui negotium electionis arduum male ordinarunt. Et vt agnoscas quæ mihi perperam gesta in electione huiusmodi videantur, ex tuis quæ notauimus literis per ordinem replicabimus. Et primo quidem posteris malum visitatores reliquere vestigium, quo sæculares pro consilio in tempore electionis ad monasterium vocauerunt cum tanto apparatu in malum exemplum, quod nec antea est factum, nec vt fieret iam fuit necessarium, nisi forsitan in consilio trium fabarum schismatis metuissent ebullitionem. Deinde cum scire manifeste potuissent, nullum ea vice inter fratres in electione tunc præsentes, ad curam pastoralis sollicitudinis extitisse idoneum, quare diem electionis non prorogarunt, donec adesse compellerentur absentes? Aut si omnino cõplacere Principi Cynonotorum volebant, vt quantotius instituerent abbatem, quare non elegerunt quempiam vndecunque idoneum? Quinque in electione monachi conuentuales duntaxat affuerunt, cæteris, & te quidẽ si militer ex indignatione factorũ absentibus, factaq; inter se conspiratione iurauerunt, nullum se recepturos in abbatem, nisi in eorum numero quinario contentum. Hac per visitatores conspiratione admissa, dubium esse non potuit, præter Melantium neminem futurum abbatem. Qualis est ista monachorum electio, in qua spiritui sancto via præcluditur, & omnium vota eligentium contra normam æquitatis malitiose restringuntur? Tali modo in abbatem electus est prior, qui nihil vnquam libentius quam nostram cessionem audiuit, dolo & fraudulentia plenus, quem contra intentionem sanctissimi patris nostri Benedicti non dubitamus ordinatum. Vitiis enim suis consentientem elegerunt abbatem, desidem, pigrum, accidiosum, & nullum pro regulari disciplina zelum habentem, nisi iam deinceps forsitan Dei miseratione ad meliora consurgat, quod vt fiat, continuis DEVM precibus orare non desistemus. Nam vt verum fateamur, non odimus hominem quamuis multa mala susceperimus ab eo, sed eius vitia merito satis detestamur, quæ nisi emendauerit, pastor inutilis erit. Hominem

nosti, propterea non est opus vt multa de illo scribamus. Quare nobis diem electionis nō significauerūt in tempore, vt pro directione & consilio fuissemus etiam presentes. Si quis homo scire mores hominum potest, nullus monachorum Spanhemen. nobis fuit ignotus. Sciens autem prior Melantius quanta in nos commiserit mala, præsentiam nostram horruit, metuens abbatiam se non posse consequi, si nostro fuisset consilio electio celebrata. Ergo visitatoribus assignetur si quod malum hanc electionem fuerit subsecutum, qui nos aduocare cum debuissent neglexerunt. Recessisse illos cum indignatione scribis peracta iam electione à monasterio, propterea quod fratrum conspiratione præuenti, cōuenientem loco instituere abbatem nequiuerunt. Nō miramur quod fratrum sunt fraude ac machinatione præuenti, cum ambo satis earum actionum, quas præsumpserant penitus sint inexperti. Alter enim Selgenstatensis abbas domi cōsistere assuetus, nunquam in causis ordinis publicis fuit conuersatus. Alter vero montis episcopi abbas quid est nisi vter sine intellectu, commessationibus & poculis inflatus? qui stulta & imperita blatteratione quicquid aggreditur confundere & inuertere consuevit. Sed ea quæ facta sunt retractare non valentes, silentio transeamus. Potens enim est Dominus Deus per misericordiam subleuare iacentem, vt electus ipse, de quo iam nullus videtur esse contentus, gratia in eo proficiente diuina, melior fiat multo quam aliquis poterat æstimare. Nec nostra deerit cohortatio, sed quam primum nobis certi fuerit copia nuncii, ipsum literis nostris pro Christi amore prouocare ad meliora curabimus. Vale. Ex Herbipoli decima quarta die mensis Ianuarii, Anno Christianorum 1507.

## XIIII.

*IOACHIM DEI GRATIA MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, princeps elector, Ioan. Trit. ab. S. Iacobi Herbipolen. Salutem.*

REVERENDE pater amantissimeque præceptor, gratioso tibi congratulamur affectu de noua quam nuper accepisti abbatia, in qua vti speramus quietem habebis maiorē quam in Spanheim te habuisse constat. Deo cunctipotenti deuote humiliterque supplicantes, vt paternitatem tuam in eadem pro sua sanctissima voluntate, non secus quam tibi ex animo fauemus, sanum felicemque diu conseruet & incolumem. Scire vehementer cupimus quid factum sit de præceptore tuo Libanio, vtrum adhuc viuat, aut rebus excesserit humanis. Quod si mortuus, paternitatem tuam attente rogamus, vt pro librorum eius acquisitione nō dormiat. Scis enim quam nobis sint vtiles & necessarii. In vltimis tuis ad nos literis promisisti, te quanto posses citius perfecturum ea quæ postulauimus addenda per te, rogamus vt more tuo diligentiam adhibeas, moxque vt consignata perfeceris, conducto fideli nuncio pro nostro salario nobis mittere quantotius non pigriteris. Mittimus tibi, o decus nostrum, tonnam vnam salsatorum luciorum, & duas hallecium, quæ vt grato suscipias animo, non pro munere sed pro nostri memoria rogamus. Sturionis autem & esocis copiam hac vice habere nequiuimus, alias etiam tibi libentissime ea misissemus. Quicquid enim boni paternitati tuæ impēdere poterimus, singulari fauore parati sumus, quod vt faciamus, tua fidelitas, diligentia, & munificentia nobis exhibitæ copiose promerentur. Nam merito ingratitudinis argueremur vitio, si tuorum erga nos benefactorum obliuisci videremur. Feruentissimo autem desiderio tuum ad nos reditum circa festum Pentecostes, aut si fieri posset citius exoptamus, quod vt sine tuo fiat incommodo diligēter curabimus. Habemus enim multa cum tua paternitate conferenda, quæ literis commendare non possumus. Vt autem pro hoc ipso negotio conuenientem ad Dominum tuum Episcopum nostrumque amicum habeas accessum, cum sine illius consensu venire nequeas, tibi nostras ad illum literas mittimus, in quibus vt nobis pro tuo ad nos reditu consentiat diligentius oramus, nullatenus dubitantes, quin tua paternitas pro impetratione huius negocii diligentissime nobis apud eundem amicum nostrum cooperabitur. Quicquid impetraueris tandem nobis per nuncium expensis nostris conducendum rescribere velis, & habebis nos tibi ad votum gratificaturos in omnibus. Valere tuam paternitatem quam felicissime optamus. Ex Vrsulo nostro in die sancti Anthonii abbatis manu nostra propria. Anno dominicæ incarnationis millesimo quingentesimo septimo.

Ad has

Ad has literas in diebus paschalibus primum respondi, quoniam non per certum nuncium, sed per casualem vectorem, qui pisces nobis ab ipso principe donatos adduxit sexta die mensis Martii, quæ fuit sabbathum post reminiscere in quadragesima, mihi præsentatæ sunt.

## XV.

*IOAN. TRIT. AB. S. IACOBI HERBIPOLENSIS, OPT. FRATRI Nicolao Basellio monacho Hirsaugiensi, suo quondam auditori atque discipulo S.*

AEGRITVDINI tuæ compatior, & Dei summi clementiam oro, vt pristinæ te quantotius restituat sanitati. Et mihi quidem sicuti scribis vastitas & solitudo, iuxta vaticinium Esaiæ prophetæ occurrerunt non sine contritione magna, quoniam bello multorum sæuiente in Principem meum Sereniſſimum Palatinum, omnes pene cortes monasterii tunc mei Spanhemensis, aut incēdio aut vastatione hostili perierunt. Bello tandem imperio Regis Romanorum sedato, quidam ex Cynonotis principi Palatino non satis prospera fauentes, contra me in eius odium surrexerunt, mihique in occulto æmulos suscitantes, Ducem Ioannem reddiderunt infensum. Quę posthæc super me secuta sint mala, cum esses mecum in fine mensis Iunii Neometi anno quinto supra quingentesimum atque millesimum, plenius audiuisti. Postea vero cum tempore didici quod prius ignorabam, quoniam omnia quæcunq; aduersum me tentauerunt æmuli, ad instantiam quorundam fratrum meorum simul & abbatis Moguntini hostis omnium studiosorum hominum præsumpserunt. Enimuero nisi me absente, nihilque tale suspicante manutenuisset improbos, nūquam in me talia commisissent. Non mireris Basselli, nec temere factum arbitreris, quod abbatiam dimiserim Spanhemensem iniuria prouocatus æmulorum, in qua per annos tres & viginti quantas inutiles occupationes meo proposito aduersas habuerim, nec ego dicere possum, nec tu facile crediturus es. Quamuis non penitus omniū sis ignarus, vtpote qui anno mecum integro conuersatus, mores & studia singulorū exactissim perpendisti, & ofores bonarum literarum apud nos plures inuenisti. Quid faceremus diutius cum monachis ingratis, quibus persuadere nunquam potuimus, vt mores ad regulæ puritatem corrigerent, & sacro studio scripturarum, quod monachos maxime decorat, insisterent, sed vanitatibus semper inhiantes salutis monita spreuerunt. Postremo in reprobum sensum conuersi grauem sed occultam in nos conspirationem ordinarunt, talia per iniquitatis satellites præsumentes, quæ nobis ad contumeliam iniustissime facta viderentur. Dimisimus illos oportunitate accepta, neque enim nos pœnitet, locum assecuti etsi pauperem, quietum tamen & nostris studiis non mediocriter conuenientem, in quo & nobis & lectioni vtiliter vacare poterimus scripturarum. Qui sint capita factionis in nos cum velis scire, ad memoriam reuoca quæ olim audieris in Spanheim, & bonos facile à consortio malorum secernes. Benedictus dominus Deus omnipotens, qui me liberauit de medio Babylonis, & de profundo inutilium occupationum eripuit animam meam, vt deinceps ambularē coram eo in pace & tranquillitate mentis, quod semper quidē optaueram in toto corde meo. De Chronica monasterii tui Hirsaugiensis, scire te volo Irbusine charis. quod imperfectam reliqui vna cum libris & comportatis omnibus in monasterio Spanhemensi, vbi quicquid vestri iuris est quærite, & pro eius consummatione vt volueritis cogitare. Prior enim conuentio nihil amplius ad me pertinet, quia cum abbatia omnibus ad eā pertinentibus renunciaui. Ero nihilominus paratus facere pro honore monasterii tui quod potero, si tuus voluerit abbas. Vale nostri memor in orationibus tuis ad Deum. Ex Herbipoli 14. die mensis Martii, Anno Christianorum 1507.

*Chronicę Hirsaug.*

## XVI.

*REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI IOANNI TRITEMIO abbati Herbip. doctiss. præceptori suo, Ioannes Centurianus de Clusardia pastor ecclesiæ in Trittenheim, Salutem.*

DICI potest minime, nec facile quidem crederet quisquam, præceptorum omnium doctissime, quanta fuerim lætitia & exultatione perfusus, quando magister Iacobus Tri-

bus Tritemius tuæ paternitatis reuerendissimæ frater literas nobis attulit tuas, quibus te non solum viuere, sed & feliciter viuere intelleximus. Ago quam humilime possum Deo gratias omnipotenti, cuius misericordia te cunctis fecit æmulis tuis fortiorem, vt qui te lædendum putabant, grauiter semetipsos & læserint & confuderint, æternoque dignos se constituerint opprobrio. Nomen tuũ celebre famamque sanctissimæ opinionis in toto Christianorum orbe perfidissimi nebulones se posse arbitrabantur extinguere, sed confido in illum qui nouit vniuersa, quoniam non solum nihil tibi nocebit inuidorum iniusta persecutio, sed propter eam translatus ad Franciam, clarior multo in breui quam fueris antea resplendebis. Omnium malorum quæ perpessus fuisti maiorem occasionem nemo dedit quam monachi tui, simul & duo illi abbates perfidissimi Moguntinus & Rincauien- 10
sis, qui (vt veridica relatione audiui) Cancellarium & ministeriales Ducis Ioannis in odium tui prouocarunt. Monachi enim tui te in Marchia existente sine intermissione hinc inde currebant ad Moguntiam, & ad ipsum Ducem in Fortiburgio * iuxta Mosellam continue residentem, & quoscunque potuerunt aduersum te prouocare conabantur. Credidit facile inuidorum delationibus Cancellarius ducis indoctus, tibi antea non bene fauorabilis, vtpote qui tuam eruditionem & sapientiam diu habuit suspectam, semper metuẽs (vt publice iam fertur) ne sibi in consiliarium te dux iste assumeret. Volens ergo Ducis præuenire consilium, omne quod fingebatur de te malum credulo nimis illi persuasit. Sed omnipotens Dei iustitia omnia successiue deducet in lucem, & certe iam actu palam fieri 20
cœpit, quam iniquissime tecum sit actum. Temeraria multa in te fulminabant æmuli tui cum in Marchia esses constitutus, sanctitatis tuæ splendidissimam famam denigrare cupientes, & quædam horrenda in vulgo sparserunt mendacia, pro quibus nuncin conspectu omnium hominum cõfunduntur. Quamuis enim omnes te sciremus esse cũ principe Sereniſſimo Ioachim in Marchia, nihilominus quidam sacratissimi nominis tui pestilentes & inuidiosores dicebant: *Vbi putatis esse Tritemium abbatem? Cum Marchione Brandenburgensi? Non est*, inquiunt, *cum illo, sed desperatus abiit Romam, deinceps nunquam reuersurus.* Alii dicere audebant, *quoniam nimia desolatione animi tactus proprio se laqueo suspendit.* Rursus alii perpetuis mancipatum vinculis confingunt. Multi quoq; hostium tuorum dictis fidem adhibentes te periisse credebant, dicentes: *Hei lumen illud splendidum, quod illuminare totum orbem sua eruditione consueuit, quomodo tenebrarum est caligine obfuscatum? Quis abbatem Tritemium in toto pene orbe Christiano fama eruditionis & sanctitatis glorioſum in tantam animi dejectionem credidisset venturum, vt patriam & amicos tam inconsulte desereret?* Ego autem qui doctrinam tuam, prudentiam quoq;, & vitæ sanctimoniam peroprime noueram, his impiorum blasphemiis & maledictis semper pro viribus restiti, & quam temeratam sanctissimo nomini tuo fecissent iniuriam multis palam argumentis demonstraui. Biennio enim sub tuo magisterio pro discendis Græcis Hebraicisq; literis salutariq; scientia scripturarũ hauriendа in tuo monasterio cõuersatus, nihil vnquam videre potui, nihil audire de te, quam sanctum, integrum, & religioſum: sed in tanta te vidimus puritate conuersantem omni tempore, vt satis miraremur. Cæteris dormientibus tu in sancto scripturarum studio vigilabas, semper aut legens, aut scribens aliquid pro communi vtilitate multorum. Nemo te 40
vnquam reperit otioſum, nemo comessationibus aut potationibus vacãtem audiuit: nemo risu aut leuitate aliqua vidit dissolutum, cum mulieribus loquentem aut conuersantem, vnde mali posset oriri suspicio, nemo te vnquam inuenit. O mi dulcissime præceptor Tritemi, gratioſe pater, quoties ad memoriam reduco sanctissimũ docendi modum, quo me simul & fratrem tuum magistrum Iacobum Tritemium docere & exhortari ad scientiam diuinarum scripturarum consueuisti, lachrymas præ mœrore nequeo continere. Tã enim profunda, tam mystica, tamq; ardentia de scripturis sanctis verba nobis eructare solebas, vt ferrea pectora in Dei commouere amorem potuissent. Vnde non satis possum admirari, quo tandem Dei iudicio permittente tam indigna de te confingere potuerint æmuli, cum nulli vnquam fueris molestus, neminem læseris, neminem iniurioſe offende- 50
ris, sed cunctis te potius pium ostenderis atque munificum, omne solatium tuum sine cuiusquam iniuria requirens semper in solo studio scripturarum. Sed firma confidentia existimo, quod omnipotens alibi te prouida voluerit dispositione locari, vt de medio nationis prauæ tandem ereptus, reliquum vitæ tuæ cum pace & tranquillitate sancto perseueres in studio ad multorum vtilitatem communem. Nunquam fuerunt tua prælatione digni monachi Spanhemenses, sed neque dux ipse Ioannes talem in suo dominio virum vt tu es optime Tritemi habere merebatur. Oportuit ergo te per tribulationem exire de medio prauorum, quemadmodum olim filii sanctorum exituri de terra Myzrahim, prius in

luto

* Starcheburg.

luto & latere multipliciter ab Ægyptiis fuerant afflicti. Apostoli quoq; Domini virgis cæsi à Iudæis, in carcerem q; pro nomine Iesu positi, & multiplices contumelias passi sunt, & postea ad salutem transmigrarunt. Quorum exemplo & tu quidem à tuis monachis iniuriam & contumeliam passus es, ne alibi transferendus Dei voluntate improbos sine causa reliquisse videaris. Conabantur monachi Spanhemenses, pravorum consilio & assistentia confortati, veneno malitiæ pleni, sanctum nomen tuum deducere in contumeliam & opprobrium, sed minime valuerunt, quoniam vindicante in eis iustitia Dei, omnes iam exterriti & confusi sunt, cadentes in foveam quam fecerunt. Tu autem eruditissime præceptor in æstimatione omnium bonorum virorum permanes glorioſus, & nomen tuum de die in diem amplius celebratur. Vale pater metuendissime, meque discipulum tuū habeas commendatum. Datæ ex Trittenheim 18. die mensis Aprilis, quæ fuit dominica post festum paschatis altera, anno incarnationis dominicæ 1507.

## XVII.

*REVERENDO PATRI D. IOAN. TRIT. ABBATI MONASTERIIS. IAcobi Herbipolensi, præceptori suo dulciss. Ioannes Gotfridi pastor inutilis ecclesiæ in Mandal prope Creutznach S.*

AMantissime præceptor, literis tuis dulcissimis simul & nimium amaris adeo compūctus fui, vt lachrymas cohibere nullatenus possem. Legi enim illas & relegi præ cordis amaritudine flentibus indesinenter ocellis, & in tantum de tua resignatione turbatus, vt parentum & amicorum omnium acerbitas mortis adeo contristare nunquam potuisset. Nec enim solus ego iam de perpetua absentia tua contristatus sum, sed omnes in circuitu sacerdotes, magistri, & docti viri, tuum amarissime lamentantur recessum. Nam quibuscunque ostendi literas tuas (ostendi autem multis) mox vt eas legere cœpissent præ lachrymis interrumpere lectionem cogebantur. Vna iam voce omnium dicitur. Heu quod vir tantus, tam doctus, tam expertus, & in omni terra celebratus, cui similem non habet Germania sapientia & religione præstantem, propter monachorum inuidiam cœnobiū suum simul & patriam deserere compulsus, ad exteras se transtulit nationes. Iniquissimus ille Cancellarius Ducis Ioannis, per quos nescio æmulos nisi monachos & subditos tuos iniuste tibi factus detractor & inimicus, ad instantiam abbatis Sancti Iacobi Moguntini & fratrum tuorum, pientissimum principem tibi reddidit offensum. Quod ei nuper in faciem tui amore improperare non erubui coram multis, tempore quo in Spanheim tuus eligebatur successor. Qui cum furore respondens dixit: *Quis abbatem tuum Tritemium quem tantopere commendas fugauit? aut quis eum læsit, contristauit vel offendit? Quare non mansit in suo monasterio? vel quare non est reuersus, cum nemo sit qui prohibuerit eum? Quare non recognouit Ducem Ioannem suum æque esse Dominum & monasterii protectorem, sicut Palatinum suum, quem semper omnibus prætulit?* Alia quoque multa inutilia bestia illa loquebatur, quibus inuidiam suam contra te optimum virum publice declarauit. Erat autem dies nona mensis Decembris, quando celebrabatur electio, & monasterium repletū equitibus, ita quod patres ordinis vna cum monachis vix locum ad eligendum poterant habere oportunum. O dulcissime præceptor, quam amarum erat cordi meo spectaculū, videre in locum tui patris mei amantissimi optimique & integerrimi viri alium sublimari, eumque indignum, indoctum, & inexpertum, actalem, qui te vt Iudas tradidit, & sub specie humilitatis tibi inocculto semper contrarius fuit. Electioni vt testis interfui, omnia quæ dicebantur agebanturque audiui & vidi, teque reuocanti in memoriam omnia contremuerunt interiora, & inter canticum lætitiæ sine intermissione lachrymas fundebant ocelli. Non existimes doctissime præceptor neque suscipiens, quod hæc scribam vanitatis studio seu intentione adulandi, cum nō solus ego, sed tota vicinitas tam laicorum quam sacerdotum tuo discessu grauissimo sit affecta mentis & corporis mœrore. Nec immerito. Eras enim totius patriæ decus, lumen Christianorum, clausstralium & religiosorum doctor & speculum, ruralium sacerdotum defensor, institutor & aduocatus, pater quoque pauperum, & medicus infirmorum: Omnes tua prudentia & eruditione vtebamur pro necessitate ad libitum, nec erat aliqua hæsitatio, quæ tuo consilio non tolleretur. Fuisti enim omnibus ad te confugientibus resolutissimus consolator, & quicquid a te postulari potuit, pauperi sicut diuiti sine inuidia patebat. O quoties ego tribulatus nunc à patronis, nunc vero à rusticis, ad tuam sapientiam sicut ad oraculum confugi, petiui consilium, auxilium imploraui, & semper tuo munimine septus victor in omnibus euasi. Nunquam à

*Tritemii humanitas.*

te sine consolatione decessi, & quale mihi tradidisti consilium, eius mihi vtilem semper & honestum recepi effectum. Quicquid tua fuerat sententia dictum, à doctis similiter & indoctis semper & vbique firmum & stabile habebatur. O quis me miserum & infelicem nunc in tribulationibus meis consolabitur? quis insciũm docebit, aut dubitantem ad veritatem quis informabit? Tu mihi & omnibus confugientibus ad te veræ sapientiæ fons & archa testamenti inexhauribilis esse solebas, cum nobis, in quibuscunque hæsitare potuimus, lucidam, & sacris confirmatam scripturis veritatem placide aperire consueuisti. Denique tuo magisterio docente, quicquid in sacris sapio scripturis, me fateor adeptum, & si Romane scribo, non meum est, sed tuæ institutionis officium. Vnde non solum dicẽdi genus tuum, sed etiam tuum scribendi characterem pro viribus imitari semper curabo, non minus amore tui, quam condiscipulorum meorum quos instituisti, Iacobi videlicet Tritemii fratris tui, Ioannis Centuriani, Nicolai Basellii monachi Adæ Pantomorani, aliorumque hoc ipsum facientium prouocatus exemplo. Vtinam te veraciter possem imitari non solum eruditione, sed moribus quoque & vitæ merito, nihil optabilius in terra posset obtingere vnquã. Feci enim q̃ fidelẽ decebat discipulũ, te cordi meo affixi magistrũ, vt ex eo tui memoria nunq̃ recedat, & os meum laudes omni tempore efferat cũ fauore Tritemianas. Vsque adeo enim tui semper sum memor non solum inter amicos, sed inter æmulos quoque, vt vulgo nomen mihi *Tritemianum* imponatur, quod est mihi omni dulcedine dulcius, & omni honore honorabilius. Non enim erubesco nomen doctissimi innocentissimique præceptoris mei, sed ipsum magnificabo laudibusque celebrabo, quam diu spiritus hos reget artus. Pereat qui Tritemio non bene fauet, loquitur & optat. Dicunt mihi aliquando æmuli tui præceptor amantissime, quoties tuum fero ad astra nomen: vbi nunc est ille Tritemius tuus clarissimus abbas, quem principes orbis, ecclesiarumq; pontifices, docti quoq; & indocti omnes, mirari, literis & muneribus honorare multumque venerari solebant? Quis princeps aut põtifex nunc aut venit aut nuncios mittit ad eum? Vbi nunc sunt viri doctissimi, qui ex omni ratione quæ in Europa est, confluere ad eum in Spanheim solebant? Est ne ipse tam honoratus & glorioſus coram episcopis atque principibus sicut anteafuit? Quibus ego q̃ verum est soleo respondere. Erratis fatui erratis. Non enim locus Tritemium, sed ipse potius Tritemius locum Spanhemensem sua eruditione fecit insignem. Quid erat Spanheim antequam Tritemius esset in eo? Aut quis nomen eius procul audiuit? Certe nihil erat, & nomen eius obscurum in tenebris abiectum latitans & incognitum. Tritemius meus sua eruditione & lucubrationibus nomen illustrauit Spanhemense, fecitque in toto mundo cum ingenti gloria inclytum, quod antea penitus fuit incognitum. Ipsum principes, episcopi, nobilesque & viri docti venerantur non locum, ipsum videre & alloqui non monasterium curabant. Et ecce Tritemius meus locum deseruit quem fecerat insignem, adhuc viuit, alibi cum gloria translatus est. Quo nunc principes currunt? Quo suos iam nuncios mittunt? ad Spanheim vel ad Tritemium? Certe nemo iam deinceps venit ad Spanheim doctus, nullus principum vel episcoporum amplius nuncios mittit suos, scientes in Spanheim non esse abbatem Tritemium. Quare manifestũ est, & nulla indiget probatione, quia nõ locum sed hominem principes venerantur, quem nunc ad Herbipolim audientes translatum, ad ipsum suos mittunt nuncios, vt prius facere consueuerunt. Nulla eis de monasterio Spanhemensi cura est, quoniam sicut dixi, non locum sed Tritemium inquirunt. Scio autem veridica relatione informatus, quod maior & glorioſior est fama Tritemii hodie apud principes, quam antea fuerit vnquam. Nam sicut veritas ait: *Non est propheta acceptus in patria sua*, sic Tritemius maiorem gloriam in terra consequitur aliena quam habuit in propria. O quam tetra nunc facies monstri Spanhemense videre cœnobium, vbi Tritemio absente omnia pene cernuntur collapsa. Regularis obseruantia cecidit, morumque integritas corrupta est, & in solo habitu monachorum nomen claustralis disciplinæ remansit. Scio mi præceptor, quod Dux Ioannes valde iam dolet de tua resignatione & multi cum illo, optarentque omnes (præter cancellarium) quod mansisses in Spanheim: quia nunc primum recognoscunt, quam vtilem amisere prælatum, & quam infideliter monachi tui tecum egerunt. Vnde nemo illis fauet, nemo illis compatitur, nemo in necessitate constitutis succurrit, sed contemnuntur ferme ab omnibus & publice dicunt de eis, quod essent incendio digni monachi Spanhemenses, qui optimum & insignem virum tanta infidelitate circumuenire & supplantare non timuerũt. Abbas ipse tuus successor, socius Iudæ traditoris, homo inexpertus, piger & fatuus, nulli placet vicinorum, ab officialibus principum contemnitur, & despectui ab omnibus habetur.

*Fidelis discipuli exemplum.*

*Tritemianum.*

*Loca non illustrant homines.*

*Luce. 4.*

habetur. Cui frequenter dicere soleo: En sanguis Tritemii mei exquiritur: & sicut illi fecistis non merenti, ita vobis vestro demerito fiet. Non putasset Dux ipse Ioannes, nec sicut audiui credidisset, quod illud factum in captione familiarium tuorum, tibi ad iniuriam deputare debuisses, & adeo recepisse ad mentem, vt abbatiam propterea dimitteres tuam. Nam si hoc sciuisset, nunquam vt fieret commisisset. Ego autem sciens quæ mihi scripsisti, talia dicentibus soleo respondere illud Virgilianum:

*Tarde venere bubulci.*

Laqueus impiorum contritus est, & innocens Tritemius meus Deo saluante liberatus est. Hæc tibi reuerēdissime præceptor ex sinceritate cordis mei rescribere volui, quæ vt animo intelligas gratiose te etiam atq; etiam rogo. Tuus enim sum quicquid sum, idcirco scribo confidenter quicquid venerit in buccam. Magister Conradus Antonianus Agrippinas non sine lachrymis tuas perlegit literas, te vt scis multum diligit, omniq; prosequitur honore, teque salutat. Vale præceptor optime, sæpiusq; ad me scribere memento, quia epistolæ tuæ super aurum mihi pretiosæ sunt & charæ. Iterum vale. Ex ædibus meis in villa Mandal, quarta mensis Maii. Anno dominicæ natiuitatis 1507.

## XVIII.

*SERENISSIMO PRINCIPI D. IOACHIM BRANDENBVRGENSIVM Marchioni, Stetinēsium Pomeranorumque Duci, Rugensium & Cassubiæ Principi, &c. Ioan. Tritem. abbas S. Iacobi Herbipolensis æternam optat felicitatem.*

QVID maiestati tuæ retribuam, sapientissime Princeps, aut in quo tuis rependere vicē beneficiis potero vnquam? Ecce quantis me iam hominem humilem & abiectum honorasti muneribus? Primo apud Francfordiam aureo poculo satis pretioso atque pulcherrimo. Secundo cum in Marchia tua Brandenburgensiū apud te essem cōstitutus, muneribus me decorasti quampluribus in auro, argento, & lapidibus preciosis, quorum pretiū magni satis erat valoris. Nunc vero peramplius paupertati volēs cōsulere meæ, tria mihi vasa piscibus repleta salsatis misisti, quorum vsus per hanc quadragesimam & mihi & fratribus meis non parum vtilis fuit & oportunus. Quid enim sacratissimæ maiestati tuæ pro his omnibus rependam, o nobilissime princeps, nisi totum id quod sum, possum & valeo tuo famulatui quam libens impendo. Referre namque gratias tuæ celsitudini valeo minime, habeo & ago quantas possum immortales, offerens me ad tuæ serenitatis obsequia omni tempore pro viribus ex animo paratum. Sciat tua Serenitas optime princeps, Libanium nostrum, præceptorem meum charissimum adhuc esse superstitem, & sanum atq; incolumem: seq; pollicetur venturum ad me anno præsenti, si vllo id fieri modo possit. Scribit autem se fuisse infirmum quasi ad mortem mensibus ferme duobus. De meo ad te reditu clementissime princeps in Marchiam, literas tuas domino meo præsuli Herbipolensi reuerendissimo præsentaui, quas cum legisset etiam mihi tradidit legendas. Libens quidem tuis desideriis præberet assensum, nisi formidaret absentiam meam tanto tempore & mihi & monasterio meo esse nociuā, propterea vel maxime, quod ego in abbatia adhuc sum nouellus, & Scotorum temeritas nobis comminatur insidias. Vt autem tua serenitas eius erga te animum cognoscat amicum, tandem concluſit, sicuti ex literis suæ reuerendissimæ paternitatis quas mitto, clare intelliges, vt tuæ perficiam celsitudini quæcunq; scribenda fuerint, quibus tandem cōsummatis, ad tuam me serenitatem conferre possum, vno vel duobus mensibus in Marchia tua mansurus. Summe tuis cupio in omnibus obedire mandatis, quantum cum Deo possum, & tuæ præ cunctis principibus seruire maiestati. Sed quia homo sum sub potestate constitutus, necessarium mihi est imperio subseruire maioris. Hoc autem & rogo & consulo, vt tua serenitas vsque in annum proxime futurum patientiam habere dignetur, interea quod iusseris hic scribam, cum venero consummatum mecum perferendum. Confido enim absq; vlla hæsitatione, quod tempore constituto ad festum paschatis anni sequentis, dominus meus reuerendissimus præsul memoratus, vt veniam ad tuam magnificentiam mihi iuxta pollicitationem suam non negabit. Nihil hac vice mittere potui, quoniam ea quæ scripsi necdum satis emendaui, quæ tamen omnia mecum afferre curabo, daboque pro viribus operam, ne frustra videar à tua celsitudine honoratus, neue tua de me confidentia fructu priuetur optato. Græce modum scribendi quem præsens dederam iterum misi, quoniam priorem vltimis lite-

ris celsitudo tua signavit amissum. Deus omnipotens tuam serenitatem conseruet incolumen. Ex Herbipoli 9. die mensis Aprilis. Anno Christianorum 1507.

## XIX.

### IOACHIM DEI GRATIA MARCHIO BRANDENBVRGENSIVM Princeps Elector, &c. Ioanni Tritemio abbati sancti Iacobi in suburbio Herbipolensi salutem dicit plurimam, cum precatione totius fortunæ & prosperitatis.

REVERENDE in Christo abba mi pater amātissime, accepi literas paternitatis tuæ iucundissimas, simul & nuncium quem misisti, quo referente sanum te & incolumem, statumq; tuum satis quietum & fortunatū cognoui, super quo tibi ex affectu congratulor & Deo gratias ago debitas immortali. Agit mihi tua paternitas de munificentia & beneficiis in eam factis gratias maximas, quæ mihi minime debentur, proinde quod parua & vilia sunt omnia, quæ tibi contuli munera: quinimo nec munera quidem appellari merentur, & ob id nullis indigent gratiarum actionibus, quod etiamsi fuissent alicuius æstimationis aut pretii, non tamen sunt talia & tāta, qualia & quanta meruisti recipere à me, teq; maxime decebant. Volui enim per ea solum animi in te mei affectum & beneuolentiā ostendere, quem vt potius pensiculare velis quam ipsa vilissima dona te etiam atque etiam rogo. Libanium præceptorem tuum sanum & incolumem gaudeo, quem si vllo fieri modo posset, videre & alloqui cuperem. Accepi & literas amici nostri domini Herbipolensis de tuo ad me in Marchiam reditu in futurum annum promisso, quod me non parum contristat, propter rerum mearum dispositionem causarumque proprietatem, quibus diuturna tui absentia nocumentum afferre potest, quia tuus ad me reditus non solum vtilis mihi, sed & valde necessarius est. Verum ex quo fieri aliter non potest, cogor esse contentus, & promissum tempus expectare anhelus. Rogo tamen ne paternitas tua suum ad me reditum vltra tempus promissum differat, quia nouit peroptime, quam mihi sit necessarius denuo tuus aduentus. Rescripsi autem amico meo domino Præsuli Herbipolensi, rogans eundem, ne reditum tuum vltra tempus retardet promissum: tu illi meo nomine præsentare literas meas non graueris. Literas quoque ad principem tuum Palatinum dedi, in quibus vt tibi cooperetur pro libris tibi necessariis rogaui. Vt autem te lateat minime quibus à te lucubrationibus cupiam oblectari, ad schedulam te remitto ex Tangrimunda priori anno transmissam, in qua tibi signaueram certarum nomina rerum, de quibus opto ex tua officina luculentos habere tractatus. Quicquid tua paternitas mihi ad verā sapientiam beateque viuendum iudicauerit conducibile, meas computabo delitias. Ago paternitati tuæ gratias infinitas pro modo illo pulcherrimo & exquisitissimo græce scribendi, quem mihi denuo misisti, quo in secretis meis non vellem carere pro multa pecunia. Non diffidat paternitas tua de mea persona, quod cœptam inter nos fidem & charitatem deserturus sim vnquam, quia non sum arundo, neque tuorum in me benefactorum vnquam potero obliuisci, Satis enim tibi patulus est animus erga te meus sincerus, rectus, & amantissimus tui, quem nunquam reperies immutatum. Mitto etiam tibi præceptor eruditissime cyphum vnum argenteum intus & foris deauratum, non pro munere, sed in signum amoris in te mei, ac stabilis inter nos amicitiæ dudum contractæ, & vsque ad mortem permansuræ, quem vt lęto suscipias animo precor, eoque sæpius in mei vtaris memoriam. Scire cupio de literis meis an peruenerint ad manus Libanii nec ne. Palestinus, de quo interrogasti, adhuc est cum Rege nostro Maximiliano, & nescimus quando venturus sit. Agat paternitas tua in his quæ mihi nouisti vtilia diligentiam, & habebis me tibi gratificaturum, quo ad vixero in omnibus. Vale Germaniæ decus, totiusque archa sapientiæ, mei memor ad Deum & amans, qui te vehementer amamus. Ex Berlin manu propria vicesima nona die mensis Maii, Anno Christianorum 1507.

XX.

*IOAN. TRITEM. ABB. MONASTERII S. IACOBI HERBIPOLENSIS, Georgio Episcopi prædicatorum in Berlin Priori, & per Marchiam vicario generali amico charissimo, Salutem.*

MEMOR tuorum in me beneficiorum venerande pater, non possum tibi non fauere quam optime, & esse pro tua salute tanquam integerrimi fautoris sollicitus. Et ideo scire abs te cupio quid agas, & quomodo valeas, tametsi optime sciam inuidiam te sensisse fratrum tuorum, qui vt mea se habet sentẽtia, te digni sunt minime. Sed hæc sunt multis innata, vt ita dixerim, claustralium vitia, sanctis & optimis reluctari prælatis, eosq; variis murmurationibus & detractionibus inquietare, iniustisq; machinationibus turbare, & omnium quantum prævalent oblocutionibus exponere. Turbati ad prælatum pro cõsolatione omnes veniunt, si autem perturbari ipsum rectorem qualibet occasione contigerit, quis fratrum consolabitur eum? Has ego inquietudines expertus in abbatia Spanhemensi per annos tres & viginti, dudum scripsi librum de miseria prælatorum claustralium, quas etsi non omnes patiantur æqualiter, pauci tamen ab eis prorsus reperiuntur immunes. Multæ enim sunt miseriæ & tribulationes rectorum claustralium, quas tãto possem enumerare certius, quanto sum plures & acerbiores semper expertus. Hoc vnum me consolabatur solum, quod sciebam ex institutionis meæ regula, infirmarum me curam susceppisse animarum, & ob id pro summi pastoris honore & reuerentia quantum potui omnia patienter toleraui, mercedem ab ipso me sperans recepturum, qui pro nostris infirmitatibus mori non recusauit. In omnibus his adhuc vnum tribulationibus meis defuit, quod præter mortem miseriarum vltimum fuit. Cumque & illud inuidia æmulorum in me sæuiente tandem experiri cœpissem, vidissemque indurata corda prauorum, dare locũ iræ statui, & ingratis seruire claustralibus amplius recusaui. Scis enim causas mearum turbationum, propterea breuior ero. De Marchia reuersus in patriam, quosdam è monachis meis reperi non recte mecum sentientes, quorum prouocatus ingratitudine & perfidia Herbipolim vocatus me contuli, & monasterium sancti Iacobi in suburbio gubernãdum acceptaui. Abbatiam vero Spanhemẽsem propter improbitatem monachorum & æmulorum inuidiam resignaui, malens viuere cum paucis monachis in pace, quam cum multis in continua perturbatione. Historiam tibi mearum tribulationum breuiter recensere volui, vt in tuis aduersitatibus & me scias esse participem, & tibi ex animo compatientem. Scripsi autem pro defensione tui serenissimo principi verbum, quod quale sit noueris, introclusa his schedula referabit. Tu mihi quæ tecum agantur referas velim, neque meum hunc nuncium sine tuis literis abire permittas. Saluta quæso nomine meo nostros quoscunque amicos, & eos qui mei recordantur in bonum. Et tu pater optime valeas cura, Deum orans pro nobis. Ex monasterio nostro decima die mensis Aprilis, Anno Christianorum 1507.

*Detractores monachi.*

XXI.

*IOAN. TRIT. ABBAS S. IACOBI IN SVBVRBIO HERBIPOLENSI, Ioanni de Segen Abbati montis diui Petri in Erpfurdia S.*

REVERENDE pater & amice, missurus hunc famulum meum pro quibusdam negotiis ad serenissimum principem Ioachim in Marchiam Brandenburgensem, non potui, neque certe debui ipsum sine meis ad te literis dimittere, cum per Erfurdiam sit necessario transiturus. In primis ago paternitati tuæ gratias immortales pro tua in me humanitate, referamq; si potero vnquam. Non inueni tantam charitatem in tota vnione Burffeldensi, præterquam in Antonio Abbate sancti Mathiæ Treuirensis, qui beneficiis in me tecum certare visus est. Vnde merito vos duos primarios posuerim inter amicos, vestra in me beneficia sine obliuione cogitans. Abbatiam meam Spanhemensem voluntate spontanea resignaui, propter ingratitudinem fratrum & inuidiam æmulorum, videns tandem & aperte cognoscens induratum cor Pharaonis, qui mendacio potius quam veritati adhibuit fidem. Veni autem Herbipolim per abbatem S. Stephani ex iussione præsulis reuerẽdissimi vocatus, & abbatiam S. Iacobi apostoli quondam Scotorum 15. die mensis Octobris institutus canonice, pauperem pauper assumpsi, in qua me cõfido victurum deinceps cum pace & tranquillitate maiore, quam in Spanheim hactenus potuerim conuersari. Multis enim laboribus crebro fui contritus, pro quibus nisi omnipotens Deus mihi restituat

tuat mercedem, frustra coram hominibus laboraui. In communibus denique cãusis & negotiis capituli, ordinis & vnionis, visitando, scribendo, dicendo, ac legationes coram principibus, Episcopis, aliisque compluribus, multis vicibus peragendo non parũ laborauí, quanquam mercedis ab hominibus receperim nihil. Spero tamen, quod omnipotens & misericors Dominus, pro his bonum præstabit æternum. Paucos habui fideliter pro bono communi coadiutores, & vt videmus aperte, pauciores operũ meorum pro nostra obseruantia reliqui sequaces. Pauci sunt, inquam, ne dicam paucissimi, sanctæ religionis necessarium habentes zelum: quæ sua sunt quærunt omnes, non quæ Reipublicæ communis. Vnde visitationes negliguntur, perit obseruantia regularis, & nemo inuenitur qui doleat. Scio quædam vnionis & obseruantiæ nostræ monasteria, & quidem non pauca numero in Sueuia & Francia nostra orientali, quorum alia in octo, alia in decem, alia vero in quatuordecim annis non sunt à patribus visitata. Denique reperiuntur hodie in quibusdã vnionis nostræ cœnobiis monachi simul & abbates, publice & priuatim manducate carnes in despectum & contumeliam obseruantiæ regularis, & nemo qui corrigat tam enormiter delinquentes occurrit. In obliuionem simul & contemptum deducti sunt patrum sancta studia priorum, qui obseruantiam disciplinæ regularis diutissime collapsam magnis laboribus, vigiliis & sumptibus sub titulo vnionis Bursfeldensis nostris penitus temporibus in Saxonia & in partibus Rhenensium cæterisque adiacentibus magnifice restaurarunt. Doleo vehementer, nec immerito, per horum temporum negligentias sanctos patrum interire labores præteritorum. Operæ pretium fuerit patres aliquando capitulariter congregatos admonuisse, vt sequentia mala præueniant, & eos qui carnaliter ambulant redire ad semitam regularis obseruantiæ compellant. Vale mei memor ad Deum in orationibus tuis. Ex monasterio sancti Iacobi in suburbio ciuitatis Herbipolensis decima die mensis Aprilis. Anno Christianorum 1507.

## XXII.

### *REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. THEODORICO Ecclesiæ Lubecensis Episcopo, Ioannes Tritemius ab. S. Iacobi Herbipol. felicitatem orat sempiternam.*

REVERENDISSIME præsul, doctissime pater, semperque colende præceptor, quod mutauerim titulũ abbatiæ non miraberis; si causas animũ meũ ad cedendũ æmulis prouocantes æqua lance discusseris. Non te latent iniuriæ, quas sine demerito accepi: ne grauiora paterer abbatiã rationabili occasione cõmutaui. Sum enim pacis amator, propterea habitare in medio turbationum diutius recusaui. Quid sentiã ego de vita Apollonii Tyanei philosophi, quam Philostratus ex comportatis à Damide cæterisque discipulis illius in octo libris descripsit, ex me scire paternitas tua reuerendissima cur velit, non satis valeo admirari. Cũ enim sis ipse doctissimus in omni varietate tam diuinarũ quã humanarũ scripturarũ, nihil te poterit latere, quod ego vel intelligere, vel scribere possim. Quare satis mihi verecundum est in hac re tuo respõdere imperio, cũ ingenio & eruditione me sine cõparatione præcellas: & quicquid ego possum adferre, prius in armario tui pectoris multipliciter constat esse repositũ. Sed ex aduerso niti tuisque nolle obedire mandatis, nõ solũ temerarii, sed dementis quoque animi, manifestũ mihi videretur inditiũ, cuius à me longe maculã semper consueui propellere. Malo enim si alterũ oporteat subire, corã tua paternitate insipientiæ redargui, quã inobedientiæ seu temeritatis. Breuiter itaque & sine ordine disputationis tumultuarie vt potero, quid sentiã de Apollonio simplici narratione exponã, sine iniuria cuiuscunque melius sentientis. Eo vixit Apollonius tempore, quo Christi Apostoli atque discipuli per vniuersam Græciam & Asiam choruscantibus signis atque miraculis fidem prædicauere catholicam, ipsiusq; Domini & Saluatoris Iesu Christi vitam, doctrinam, virtutes, passionem & miracula Gentibus annunciarunt, cõuertentes eos, qui fuerant prædestinati ad cognitionem summæ veritatis, & magnam in populo admirationem simul & sui reuerentiam suscitantes. Audientes hæc quæ sancti prædicatores de vita & miraculis Christi per orbem sparserunt vniuersum, Damis & reliqui Apollonii sectatores, quanquam facta non crederent quæ de Saluatore dicebantur, similia tamẽ de suo præceptore post eius mortem finxerunt, vt quem philosophum nouerant, cum aliquid esse supra hominem, & ob id Christo non inferiorem, stultis hominibus persuaderent. Existimabant enim miraculis de nominatissimo tunc philosopho Apollonio

*Apollonius Tyaneus quando vixerit.*

scriptis

scriptis quanquam ementitis, quod homines latebat, fidem non tardius daturos auditores, maxime cum ea philosophi prædicare viderentur nobiles, quam his quæ de Saluatore imperiti nunciassent piscatores. Sumentes ergo de veris Christi miraculis audaciam, similia de suo præceptorq; confinxerunt, non minorem in populo fidem sibi promittentes quam sanctis prædicatoribus (quos vt simplices & indoctos despiciebant) datã à credentibus viderunt: Christum de medio Iudæorum ad præcipitium ductum audientes transisse intactum, suum Apollonium de conspectu Cæsaris euanuisse subito, longeq; factum extra vrbem fabulantur. Item Dominus Iesus tres mortuos in mysterium baptismatis reuocauit ad vitam, & Apollonium sui puellam Romæ mortuam resuscitasse mentiuntur. Super Dominum baptizatum paterna vox audita est, Apollonium Hercules cæterique Gentilium dii allocuti feruntur: quod si verum est, laruæ dæmonum necessario fuerunt: si non est verum, Damis vtique ficuti & reliqua multa, vel ipse Apollonius confinxit. Item Dominus Iesus post resurrectionem suam ianuis clausis ad discipulos intrauit: Apollonium Romæ compedibus vinctum, Damis quoties voluerit se fecisse liberum mentitur. Longum & nimis foret audire tædiosum, si omnia vellem reuocare ad calamum, quę de Apollonio Philostratus narrat miracula, quibus vt ea patrare potuerit nulla ratio suffragatur, quia manifestum est eum hominem fuisse mortalem, cultoremque idolorum, & de animarum transmigratione in corpora multa sæpius tenuisse pernicio̅sum errorem. Iuuenem introducit nobilem apud Hiarcham ac Indiæ sapientes, literas & omnem philosophiam in odium Homeri calumniantem, propterea quod cum in bello quondam Troiano Dux esset magnanimus, eius inuidia nullã inter illustres memoriam recepisset. Tunc ergo hominem reindutus prioriq; iniuriæ memor, omnes vna pertinaciq; sententia tractatores aspernatur literarum. Quid hac fatuitate dementius, hominem, quid fuerit ante mille ducentos annos (tantum enim ferunt effluxisse temporis inter excidium Troianum & Apollonii huius Tyanei ætatem) rememorari, cum scire nequeat, vbi, vel quid, aut quomodo fuerit, priusquã ex matris vtero egrederetur? Aut quomodo hæc fabula etiam secũdum Pythagoricos Platonicosq; aliquam poterit habere similitudinem veritatis, qui trãsmigrationis & reuersionis in primum punctum annos ponunt quamplurimos? Sed vetãte pudore loqui diutius de his vanissimis deliramentis, quæ somnijs sunt vaniora, non deb̃eo, sed reliqua breui narratione prosequenda fuerint. Quale est illud contra omnem rationem naturæ manifestum Damidis fictitium, quo in congressu Apollonii cum Indianis philosophis Hiarcha præsidente, inaudita & nusquam vsitã introducit miracula, è terra prorupisse philosophorum sedilia, solemque ministrasse sacrificiis perpetuum ignem, & phialam sæpius à philosophis exhaustam poculo, rursum & subito plenum & copiosum exsudasse liquorem, vt quoties epotata fuisset, toties iterum plena exundaret. Transeo cætera simili præsumptione conficta, leuatos in excelsum cantores, expulsos ab hominibus per epistolam dæmones, futurorum prędictiones, occultorum & nominum & rerum æditiones, hirundinum auiumq; interpretatos garritus, laruarum & lemurum denudata facinora: & quicquid sui de Apollonio miraculosum scripserunt, paucis verbis meam sententiam de miraculis Tyanei tibi reuerendissime præsul, quoniam ita iubes, aperiã. Miracula, signa, & prodigia, quæ in octo Philostrati voluminibus Apollonio leguntur adscripta, mea sententia firmiter indubitanterque tenendo, aut cõficta sunt & falsa, aut si facta extiterũt, absq; vlla hæsitatione Dæmonum fuerunt cooperatione perpetrata. Quod sint conficta, ementita & falsa, magna mihi persuasio est Damis ipse discipulus Apollonii, qui quoties magnum aliquid & arduum miraculosumq; scribit de illo, condiscipulos semper introducit fuisse absentes, seq; aut solum, aut cum paucissimis interfuisse præsentem, sæpius autem neminem fuisse cum Apollonio dum grandia faceret aut loqueretur cum laruis cõmemorat. Quod si fidem dictis meis non satis conciliat memorata persuasio, nolueritque aliquis Tyanei defensare miracula, quisquis ille fuerit mihi dicat in primis. Si Apollonius sibi adscripta patrauit miracula, cuius ea virtute facere potuerit? Propria videlicet an aliena? Certe non propria, neque aliquam scientiam naturalem ea patrandi adsecutus fuit, cum se ad plæraque talia quæ narrantur de illo virtus magicæ naturalis minime extendat. Fuit enim Apollonius homo corruptibilis atque mortalis, qui sua virtute nihil potuisse credendus sit vltra communem naturæ ordinem, quod nomẽ mereatur miraculi. Sequitur ergo si quid talium fecerit non sua, sed virtute patratum aliena. Sola vero potentia diuina miracula patrantur vera, quæ facere Tyaneus nullatenus potuit, qui cultor existens idolorum & multa superstitione plenus, longe à veri Dei cognitione alienus fuit. Virtute quoque propriæ intelligentiæ spiritus sui, aut magicæ naturalis plæraque maiora, quæ de

*Pigmenta de Apollonio.*

*Iudicium Trithemii de miraculis Apollonii.*

ipso narrantur, eum potuisse minime, certa est mihi ratione persuasum. Nihil etiam idololatræ cum sanctis Dei spiritibus commune fuisse credendum est. Restat igitur in dubitata diffinitione tenendum, si ea fecit miracula quæ sui de illo scripserunt, non alia quam dæmonum patrata cooperatione atque virtute, quibus non est difficile miraculis falsis hominum sibi deditorum etiam in maioribus decipere sensus, quippe qui nobis natura & industria per longam consuetudinem ad figmentorum productionem subtiliores existunt. Sed magices argui Apollonium sui non patiuntur. Adhæreo itaq; priori sententiæ, quam dixi, miracula inscripta Apollonio, vel per ipsum vel per eius discipulos excogitata, conficta & ementita: neque induci vt aliter sentiam facile me posse existimo, nisi forsitan artibus dæmonum attribuenda concedant. Quid mirum si homines mundanæ dediti sapientiæ ac philosophiæ, cognitionis quoque diuinæ penitus ignari, laudis & æstimationis inter homines cupidissimi, de suo præceptore maiora confinxerunt miracula falsa, quam apostoli de saluatore nostro per orbem vniuersum prædicauerint & in eius nomine fecerint vera? Vt ergo summatim vniuersa Tyanei miracula concludam: si fecit ea quæ sui miranda in eius laude scripserunt, magus profecto & dæmonum laruarumque infernalium excantator fuit. Si non fecit, (vt mea sententia habet) nulli dubium esse potest, quin omnia per Damidem cæteroſque discipulos eius sint excogitata, conficta & ementita, vt falsis magistrum exornarent laudibus, quo & ipsi gloriam inter mortales consequerentur æternam. Si facti miraris temeritatem, cogita quid ab initio non præsumpsit Græcorum audacia scriptorum? Multorum sententia est, Græcorum historias confictis scaturire fabellis, & excidium illud ingens Troianum poetarum est figmentum. Libenter Apollinianis commenticiis dæmones credimus impendisse operam, vt per hæc Damidis sociorumque illius figmenta, Christiana vilesceret inter gentiles religio, cum Tyaneus non minora videretur fecisse apud Græcos, quam Christum audiuissent operatum apud Iudæos. Arbitrabantur etiam forsitan hominibus facile persuadendum Christum propter miraculorum exhibitionem non esse Deum, quorum patratione & ipse Apollonius idolorum cultor, qui nullam de se prædicari diuinitatem propterea voluerit, non minus extitisset insignis. Quam autem fuerit iste Tyaneus æstimationis & humanæ gloriæ cupidus, multa per Damidem scripta in diuersis testantur locis, maxime vbi Deos & animas defunctorum in templis idolorum sibi apparuisse locutosque grandia ipse Apollonius discipulis recitat. Quicunque ergo Tyaneum conscripta de illo miracula aut sua virtute naturali, aut sapientia philosophica & sanctimoniæ puritate, aut scientia naturali, quam magiam physicam appellant, fecisse credit, caueat ne Christo saluatore omnium iniurietur, quia si ea fecit, dæmonum excantator potius quam philosophus fuit. Hæc est candidissime præsul mea de miraculis Apollonii sententia, quam scire voluisti, cui quidem si quis voluerit esse contrarius, non satis mihi videtur intelligere, quousque humanæ se naturæ vires extendant. Vale clarissime pontifex, & Trithemium tuum habeto commendatum. Ex Herbipoli 16. die mensis Aprilis Anno 1507.

*Græcorum lenitas. Satana astutia.*

## XXIII.

*IOACHIM DEI GRATIA MARCHIO BRANDEN. PRINCEPS Elector, Ioan. Trithem. abbati S. Iacobi Herbipolen. Salutem.*

REVERENDE in Christo pater, vir clariss. sciat paternitas tua me diuina miseratione sanum & incolumem vnà cum vxore, & filio, quod ipsum & tuæ paternitati super omnia fauco, precor & oro, quia felicem statum eiusdem sæpius audire me valde delectat. Dedit ad me literas Dominus & frater meus Colonienſis Archiepiscopus Princeps Elector, cum quibus & tuæ paternitatis literas misit, quas ad eum in mense Martio dedisti, excusationem & impedimenta continentes, quare ad ipsum personaliter non descenderes à me ad patriam reuersus, & tibi commissa per me mittere quare sine nuncio certo nequeas, quæ omnia mihi placuerunt. Agit autem sua paternitas gratias infinitas de libris & aliis medicamentis, quæ tibi commisi ad eum si posses cum literis meis personaliter deferēda. Verum ex quo tibi hoc tempore non est animus descendendi ad eum, & ipse missis à me diutius ægre posset carere muneribus, misi hunc nuncium eius ad te, per quem illi vt mittas mittenda etiam atque etiam rogo. Reliqua vero secretiora, quæ ore ferenda commisi, penes te maneant, donec eum personaliter accedere potueris. Vale sanus & felix orans pro nobis ad Deum. Ex Colonia mea circa Spreuum 28. die mensis Maii, Anno Christi 1507.

XXIIII. RE-

## XXIIII.

*REVERENDISSIMO PATRI SERENISSIMO QVE PRINCIPI ET DOmino D. Hermanno archiepiscopo Colonienſis Eccleſiæ, Angariæ Weſtphaliaque Duci, Paderbornenſis Eccleſiæ adminiſtratori, ſacri Imperii per Italiam archicancellario, Principi Electori, Ioan. Trithem. abbas S. Iacobi Herbipo. fœlicitatem.*

REVERENDISSIME princeps, mitto celſitudini tuæ cum præſentium latore nuncio tuo, quem propterea ex Marchia deſtinauit ad me Illuſtriſs. Princeps Ioachim, librum & ea quæ mihi anno priore ab eodem cõmiſſa principe fuerunt, per me perſonaliter, vt nuper ſcripſeram tuæ paternitati reuerendiſs. deferenda. Statueram quidem deſcendere ad te, ac reliqua tradere quæ mihi commiſſa fuerant ore ferenda, ſed rebus meis in perturbatione poſitis, vt optime nouit tua ſerenitas, in aliud tempus hunc animum differre neceſſario ſum compulſus. Modum vtendi rebus quas mitto, in ſcriptis à Principe memorato non accepi, dabo tamen operam quamprimum id efficere poſſum, vt certo nuncio ad tuã celſitudinem & ipſe mittatur. Iam enim reſcripta ad manum non habeo, quæ rebus miſſis neceſſaria viderentur. Confido autem quod mihi tempus aliquando dabitur & otium veniendi ad ſacram præſentiam tui, vt reliqua expediam, quæ mortuis literulis non videbantur committenda. Omnipotens Deus tuam reuerendiſſimam paternitatem diu conſeruet incolumem. Ex Herbipoli quinta die menſis Iunii, Anno Chriſtianorum 1507.

## XXV.

*IOAN. TRITHEM. AB. MONASTERII S. IACOBI IN SVBVRbio ciuitatis Herbipolenſis, Rogerio Sycambro Dumetenſi canonico Salutem.*

TRIBVLATIONIBVS Macharii abbatis Lympurgẽſis & magnis & cõtinuis tanto cõpatior amplius, quanto ſum cum eo diutius conuerſatus. Quis non compateretur tam horrendam iniuriam paſſo? niſi prorſus à fide Chriſti fuerit alienus, quemadmodum & illi ſunt, qui tam inſigne quondam monaſterium Lympurgenſe incendio concremarunt. Niſi enim à fide fuiſſent penitus alieni, Comes ille truculentus, impius & ſceleratus de Lyningen, & qui ei ſeruiunt ſatellites impietatis, Dei templa non deſtruxiſſent, non violaſſent altaria, nec omnipotenti Deo conſecrata ſuos in vſus conuertiſſent. Sed quid faciunt principes terræ, qui poſiti in vindictam malorum, ſuas iniurias & paruas, & nonnunquam pueriles tam ſeuere puniunt, Dei autem contumelias non aduertunt? Non eſt mirum meo iudicio Sycamber, quod fides hodie Chriſtiana periclitatur vbique, deuotio perit in hominibus, charitas cum religione extinguitur, impietas cum crudelitate vbique dominatur. Meritis noſtris Rogeri mala patimur, propterea quod ſummum illud bonum veraciter non amamus. Quia vitia & ſcelera tyrannorum hodie qui corrigant principes deſunt, ſoli qui corrigantur plures occurrunt. Propterea naufragatur Eccleſia, imperium minuitur, infidelium numerus augmentatur. Quod olim Chriſtianiſſimi principes deuota intentione Eccleſiis Dei contulerunt, hodie tyranni rapiunt, & hoc vt frequenter impune, nec ipſi Deo parcentes neque hominibus. Vnde merito nunc lamentatur Eccleſia Chriſti dicens: *In pace amaritudo mea amariſſima.* Sed noſtra de his cum ſit infructuoſa diſputatio, tacere compellimur, ne os in cœlum poſuiſſe videamur. Ioannem Cantherium Friſium medicum ex Groningen, virum doctum, literæ tuæ vita defunctum mihi nunciarunt. Nihil eſt noui, nihil miri, ſi moriatur, qui natura mortalis erat, quoniam ea intrauit lege, vt aliquando rurſus egrederetur. Ecce iam egreſſus eſt, ſoluit naturæ quod tenebatur debitum, omniumque terribilium terribiliſſimum euicit, & ſibi fecit præteritum quod omnes nobis formidamus eſſe futurum. Si bene vixit in Chriſto, feliciter egreſſus eſt, quoniam vt ſanctus inquit Auguſtinus: *Non poteſt male mori qui bene vixit, & vix poteſt bene mori qui male vixit.* Ovtinam tales iugi prudentia viueremus, quales mori cum neceſſarium fuerit optamus. Cantherius nos præceſſit, ſuperauit mortem, humanumque iam nunc excuſſit timorem. Cogitemus itaque Rogeri chariſſime, cito eo nos peruenturos, quo illum peruenisſe mœremus, & ſic viuamus paruiſſimum quod ſupereſt momentum, vt quamlibet horam ſuſpicemur eſſe nouiſſimam. Non enim vt ſanctus ait Chriſtophilus, hic manentem ciuitatem habemus, neq; durabiliores ſumus patribus noſtris, qui nos omnes præceſſerunt ad mortẽ. Nos quoq; vt Cenomanenſis ait Epiſcopus:

*Tollimur è medio ſatis vrgentibus omnes,*
*Et trahimur quo nos vita peracta vocat.*

*Religionẽ nullam eſſe curam.*

*Eſaiæ 38.*

*Mors quibus ſit bona.*

*Hebræ. 13.*

Felices illi mortales, quorum semper in Dei amore sancta deuotio feruet, qui se peregrinos huius mundi agnoscentes ad cœlestem patriam animo suspirant, nihilque corruptibilium rerum amantes, iugi desiderio mansionibus inuehi concupiscunt æternis. Mors illis iucunda erit non horrenda, per quam lætis vadunt è carcere votis, malorum omnium suscipientes terminum, & initium fine fine bonorum. Mors terribilis est his qui tali viuunt instituto, vt eis post mortem spes non sit vlla boni, qui moriuntur mente simul & corpore desperationis suæ mercedem recipientes obliuionem æternam. Vale ex Herbipoli decima quarta die mensis Iunii. Anno Christianorum millesimo quingentesimo septimo.

## XXVI.

*HERMANNVS DEI GRATIA ARCHIEPISCOPVS COLONIENSIS, princeps Elector, &c. Venerabili nobis in Christo syncere dilecto Ioanni Trithem. Abbati S Iacobi Herbipolensi. S.*

EA quæ nobis ex parte & commissione principis excellentissimi domini Ioachim Marchionis Brandenburgensis, sacri Romani Imperii archicamerarii, ac principis Electoris, consanguinei ac fratris nostri tibi credita misisti, grato suscepimus animo. Et ex quo earundem rerum pro nostra voluntate & arbitrio necessarium vtendi modum non habemus, singulari à te optamus desiderio, cupientes vt nobis cum præsenti nostro tabellario plenam singularum informationem mittas in scriptis, vel certe si quouis modo tibi fuerit possibile, intra quindecim dierum spacium ad nos personaliter descendas, in aliquo principatus nostri loco circa Rhenum, quoniam vltra quatuordecim dies in his terminis non intendimus remorari. Cupimus enim earum à te rerum omnimodam nanciscí cognitionem. In his diligentem & voluntarium te nobis exhibere non pigriteris, vt nostra sese confidentia habet in te. Facies enim nobis in his singularem complacentiam gratamque voluntatem, fauore & gratia sine obliuione recognoscendas. Datæ Aldenaræ sabbato post festum Barnabæ Apostoli. Anno 1507.

## XXVII.

*REVERENDISSIMO PATRI SERENISSIMOQVE PRINCIPI D. HERmanno Archiepiscopo Colonien si, &c. Ioannes Trithemius abbas sancti Iacobi Herbipolensis felicitatem.*

REVERENDISSIME princeps, voluntas mihi inesset quidem promptissima personaliter vniendi ad te, nisi duorum hac vice prohiberer impedimento. Alterum est, quod excellentia reuerendissimæ paternitatis tuæ quatuordecim dierum constituit mihi tempus veniendi, quos ab emissione literarum tuarum interpretatus nimium reperi breues, vnde metuens ne forte cum descenderem, tua serenitas aut ex more in Westphalia esset, aut alibi procul absens à Rheno, frustra laborasse contingeret, iter assumere prolixum nisi certus non audebam. Alterum vero quod etiam mentem à proposito nō parum retraxit, absentia reuerendissimi præsulis mei extra patriam constituti fuit, sine cuius voluntate & consensu tantum subire itineris spacium non satis videbatur mihi conueniens, propterea vel maxime, quod eius munificentia & benignitate pauperi huic præfectus cœnobio totam post Deum spem meam in eius humanitate locaui. Addo & tertium voluntarii itineris impedimentum, quoniam hactenus in rebus propositis celsitudinis tuæ ignarus consilii, ea quæ mihi ad complementum videbantur necessaria non paraui. Ad complacendum vero pro viribus reuerendissimæ paternitati tuæ paratus sum totus voluntarius & promptus: & ne morer diutius, statui circa festum sancti Michaelis (quo tua clementissima celsitudo ex Westphalia redire consueuit ad Rhenum) Deo miserante ac reuerendissimo pontifice meo consentiente, descendere Bunnam ad sacram præsentiam tuam, allaturus mecum ea quæ tuam paternitatem reuerendissimam poterunt recreare. Non enim parare omnia tam breui tempore potui, quæ mihi mittenda videbantur, quia Serenissimus princeps Brandenburgensis nihil mihi præter ipsas nudas, quas pridem misi, tradidit rerū formas: reliqua misit ore ferenda. Nunc autem reuerendissimæ paternitati tuæ mitto per nuntium mihi destinatum ea quæ præcepit, modum videlicet rebus dudum missis vtendi, cum reliquis in sarcinula colligatis, quibus vtinam serenissimæ celsitudini tuæ gratum seruitutis exhibuerim munus. Omnipotens Deus celsitudinem tuam inclyte princeps diu con-

diu conseruet incolumem, cui me humilem commendo ministrum. Ex Herbipoli vicesima tertia die mensis Iunii. Anno Christianorum 1507.

## XXVIII.

### *IOAN. TRITHEM. ABBAS S. IACOBI HERBIPOLENSIS, FRIDERICO de Redeuuitz Canonico & Cantori Ecclesiæ Bambergensis, ac præposito in Oringeuu, amico Salutem.*

QVOD literis tuis ornatissimis tardius reddo vicem clarissime vir, non tui factum existimes obliuione, sed meis in re literaria consuetis occupationibus. Quod me inter amicos admiseris tuos, & mihi vehementer gratulor, & tibi gratias habeo immortales. Quid enim dulcius mihi homini peregrino, & in terra constituto aliena, contingere potuisset, quam optimi doctissimiq; viri amicitiam nanciscí? quem non solum nobilitas generis morumq; integritas spectabilem fecit, sed eruditio quoq; literarum omnifariam exornans cunctis virtutibus merito reddidit gloriosum. Eo quoque magis delectat tecum iniisse amicitiam, ô reuerendissime parens, quod iuxta sententiam diui Hieronymi veram hanc necessitudinem nostram intelligo, quam Christi glutino copulatam, non vtilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor & diuinarum scripturarum studia conciliant. Hæc est perfecta amicitia, qua in Deo diligitur amicꝰ, fitq; Christi amore mens vna corporibus in duobus, nō ob aliam causam, q̄ studiorum similitudinē, quibus ad apicem summi & incommutabilis boni ambo concurrunt amici. Ideoque inter malos & reprobos homines esse amicitia vera non potest: quoniam sicut Aristoteles dicit: *perfecta amicitia non est nisi per vnum, quia quod est perfectum non potest fieri ad plura sed ad vnum.* Mali autem & reprobi semper in turbatione viuunt, nūquam pacifici, nunquam quieti, nunquam tranquilli, sed vt mare nequitiam spumantes, ad multa neglecta vnitate rapiuntur, & propter hoc eorum coniunctiones non amicitiæ sed magis coniurationes dicendæ sunt. Est enim amicitia æqualitas animorum intellectu constans & ratione, quapropter inter sceleratos appetitu non ratione viuentes nullam esse amicitiam contigit vnquam. Hoc ipsum satis expressit memoratus philosophus in Ethicis dicens: Solam amicitiam bonorum honestorum intransmutabilem esse. Nulla vero æqualitas animorum constantior esse potest quam illa quæ ex diuino nascitur amore, quo vnum, verum, solumque incommutabile bonum per fidem pura deuotione cognoscitur, & pari consensu ab amicis feruenti desiderio amatur. De hac ipsa necessitudine vir sapiens inquit: *Amico fideli nulla est comparatio, quoniam amicus fidelis protectio fortis, qui inuenerit illum, preciosum inuenit thesaurum.* Hinc me beatum iure existimo, quoniam te verum inueni amicum, quippe qui nihil in me diligis aliud quam Christianæ glutinum charitatis, quod est amor sapientiæ cœlestis & diuinarum scripturarum. Quis nesciat felicitatis æternæ fruitionem, ad quam omnia nostra sunt studia ordinanda, ex cognitione & amore summi rerum omnium constare principii? quod more nostro Deum appellamus, ipsamq; in regno beatitudinis bonis omnibus esse communem, atq; ipsius boni adhæsione amicitiā omnium electorum Dei confirmare perfectam, & nulla vnq̄ intercapedine dissoluendam. Omnium namq; suo principio per gratiam fruitionis vnitorū propterea est amicitia sempiterno fœdere indissolubilis & firma, quia vnū volunt, vnum diligunt, & in vnius fruitione consistunt. Nos ergo q̄i fundamentum amicitiæ nostræ in Christiano solidauimus amore firmandum, tanto magis cœlestium appropinquamus necessitudini, quanto fuerimus in via quæ ducit ad illā studio & voluntate concordes. Est aūt triplex iter ad amicitiam illam fruitionis æternæ, q̄ in vnam viam dirigit ambulantes. Cognitio diuinæ bonitatis studio sacrarum scripturarum acquiritur: amor cœlestis desiderii virtutum exercitio nutritur, & cultus Dei mandatorum obseruatione declaratur. Cognitio itaque causat amorem, quia nemo recte diligit quod ignorat, amor vero exigit cultum dicente Gregorio: *Amor Dei nunquam est ociosus.* Operatur enim magna si est, quod si operari renuit, amor non fuit, cum exhibitio operis vere signum sit dilectionis. Hic est veræ amicitię Christianæ funiculus triplex, qui facile non rumpitur, quoniam quisquis in hoc itinere cum amico fideli consentiens ambulauerit, suos aduersarios, carnem, mundum, & diabolum facile superabit. Propterea sanctus hortatur Hieronymus Paulinū hoc itinere gradientem dicens: *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in cœlis.* Et ad quendam alium scribens dicit: *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Sacra enim scriptura viam amantibus eam ad Dei cognitionem ostendit, omnemq; doctrinam

*Vera amicitia per Christum fit.*

*Inter malos non est vera amicitia.*

*Amicitia quid?*

*Eccle. 6.*

*Triplex iter ad amicitiam veram.*

*Commendatio sacræ lectionis.*

incomparabiliter longe præcellit, quoniam vera docet ac solida, ad æternæ felicitatis fruitionem inuitat lectorem: mentem quoque amatoris sui reuocat à terrenis, & tanto plus instruit ad scientiam, quanto fuerit studiosius in meditatione ruminata. Non est in ea fastidium, vsu placet, negligentia displicet, & quanto plus legitur, tanto amplius amatur. Duo suis amatoribus pretiosissima confert dona, quoniam & intellectum dulciter erudit: endo illuminat, & abstractam à mundi vanitatibus mentem ardore diuini amoris super omnia suauiter inflammat. Hanc diuus commendans Hieronymus ait: Pinguissimus est sermo diuinus, omnes in se habet delitias: nam quicquid boni volueris ex ipso nascitur: sicut manna quando manducabatur secundum vniuscuiusque voluntatem in ore sapiebat. Hinc sanctus pulchre χριστόφιλος Paulus diuinarum volens exprimere latitudinem scripturarum, suo Timotheo scribens discipulo inquit: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Est ergo sacræ scripturæ effectus, veritatem docere, falsitatem arguere, à malo eripere, ad bonum inducere, & mentem studiosi lectoris ad perfectum eleuare. Vnde merito scriptura diuina omnibus mundi scientiis est præferenda, quoniam quicquid boni continetur in singulis, vniuersaliter in ea totum commendatur. In ea namque totius philosophiæ habetur institutio, quoniam omnes omnium naturarum causæ (vt sacer inquit Augustinus) in Deo creatore sunt, cuius sancta cognitionem scriptura nobis promittit & astruit. In ea etiam Ethica superata conspicitur, quoniam bona vita & honesta, non aliunde formatur, quam cum ea quæ diligenda sunt, à nobis diliguntur, Deus videlicet & proximus noster, quod vere sola docet scriptura diuina. Hic logica est, quoniã veritas & lumen animæ rationalis non nisi DEVS est; quam ipsa nobis scriptura pronunciat sacra. Hic laudabilis Reipub. salus, hic principum leges & iura Nationum. Neque enim optime custoditur ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cum bonum diligitur commune, summum atque verissimum Deus, quod sacra tantum nobis scriptura insinuat. Cunctis ergo sunt præferendi doctoribus, & quarumlibet scientiarum præponendi studiosis, viri sacris cum pietate scripturis intenti, quoniam vt quidam ait:

*Nil homini melius quam si diuina legendo*
*Figat ibi mentem quo sibi vita venit.*

Est enim studium diuinarum scripturarum via expedita, pulchra & iucunda, quæ nos in cognitionem summi & incommutabilis boni cum dulcedine introducit, quo cũ mens viri studiosi peruenerit, læta exultans in Domino clamabit: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Felix illa conscientia, in qua præter amorem Christi, qui est sapientia Dei patris, castitas, patientia atque iustitia, nullus alius versatur amor, nec ad infima se conuertit, sed cœlestia semper animo desideranti suspirat. O mentem ter felicem quaterque felicissimam, quæ studio inflammata diuini amoris cum beatissimo Christi martyre Ignatio dicere potest: Amor meus crucifixus est. O iugum sancti amoris quam dulciter alligas Christi aratro mentem humilem, quam glorioſe trahis laqueatam, quam suauiter præmis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis. Dulcedo tua nulli est cognita inexperto, quoniam quid sit amor nemo intelligit, qui semper desidiosus nũquam veraciter amauit. Amor Dei fortissimus est ignis quem Dominus Iesus venit mittere in terram, voluitque vt in cordibus suorum fidelium iugi charitate arderet, illuminaret, atque consumeret. Ignis iste diuini amoris mentem quam inhabitat iugi cœlestium bonorum facit ardere desiderio, ipsamque suauiter illuminans in omnem introducit veritatem, consumensque in ea fortiter omnia desideria vanitatis, diuinorum facit participatione bonorum locupletem. Mentis amor rationalis Christus est, ideo quicunque vult veram dilectionem prægustare, Christum discat suauiter diligere. Est enim thesaurus indeficiens amor diuinus, quem qui habet diues est, quo quicunque caret, etiamsi omnibus mundi affluat diuitiis, reuera pauperrimus est iure dicendus. Quisquis enim Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligit, locum vitus non relinquit, quoniam non intrat diabolus cum Deo plenus est animus. Nam sicut in sancto Euangelio Dominus significat, diabolus mentem vacantem desiderat, nudatam scopisque mundatam perquirit. Vbi autem Deum adesse per amorem reperit, sub magna statim confusione recedit. Quemadmodum enim visibilia rerum materialium vasa, cum aliquo liquore plena sunt, superuenientium augmenta non capiunt, ita nos diuina charitas si totos repleuerit, non erit quo crimen intrare possit. Amor vero Dei nunquam est otiosus, sicut dictum est, sed magna pro cultu & reuerentia operatur amati, semper vigilans, omnique sollicitudine circumspectus, ne vel in paruo suum offendat dilectum, sed illius in omni-

2. Tim. 3.

*Doctores verbi Dei quanti sint faciendi.*

Cantico. 2.

Luca 12.

*Amor mentis Christus est.*

Matth. 12.

in omnibus se voluntati conformans mente sagax reuoluit mandata. Sic enim ait in Euangelio Dominus Iesus: *Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & Pater meus diliget eum, veniemusque ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* O mansio sancta, ô visitatio mentis dulcissima, in qua Deus omnipotens creator omnium rerum incomprehensibilis dignatur iucundum celebrare conuiuium, vbi creatura suo factori per gratiam intimi amoris coniungitur, & omnes mundanæ affectiones potenter extinguuntur. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor & concordia dulcis. Hic est fructus amicitiæ nostræ patens reuerende, ad cuius dulcissimam acquisitionem iugi meditatione suspirantes cum alacritate in via mandatorum Dei ambulemus: & ne fastidium itineris incidamus nociuum, semper nobis assit diuinarum consolatio scripturarum. Nam vt sanctus ad Romanos scribit χαρίσφιλος: *Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Cum ergo studium sanctarum scripturarum iter nobis paret expeditum, secundum atque pulcherrimum ad Dei cognitionem, cognitio vero ducat animum per viam Spiritus sancti amœnissimam suauissimamque ad amorem, & ex his duobus in mortali vita hac qua viuimus obseruatio mandatorum Dei mentem feliciter occupet, cui post mortem carnis in illa cœlesti patria summi fruitio boni succedit sine fine mansura: illi felices censendi sunt, qui contemptis mundi vanitatibus, spretisque doctrinis inutilibus & curiosis, huic sanctissimæ philosophiæ diuinarum traditionum se totos cum pura sobrietate manciparunt. In quorum te numero Friderice præceptor doctissime, cum primis duxi locandum: quoniam sicut rosa inter spinas pulchritudine sua odorisque fragrantia suauiter allicit legentem, ita tu inter multos nostræ huius tempestatis genere & sanguine nobiles Ecclesiæ Dei canonicos atque prælatos, eruditione diuinarum scripturarum continuoque earundem studio, moribus quoque sanctis & innocentia vitæ rutilans choruscas, meque torum vsque adeo tibi deuinxisti, vt te amando colendoque cessurus sim nemini. Vnde tibi persuadeas velim, eum me esse, qui contractæ inter nos amicitiæ iura, & sanctissime colere & inuiolabili constantia illæsa seruare & nouerit & velit. Nam si raritas precium rebus auget, tanto mihi tu preciosior amicus amplectendus es, quanto inter nobiles Christi ministros diuinis hodie scripturis operam nauantes & rarus, & inter notos mihi charosque pene vnicus haberis & solus. Quam multi hodie (cum pudore & reuerentia dico) ex nobilibus inueniuntur non solum cathedralium, sed aliarum quoq; Ecclesiarum canonici atq; prelati, contemptores sacræ lectionis, qui scientiam scripturarum propterea sibi existimant ignominiosam, quia non rusticorum procreati sanguine se nobiles gloriantur ignaros. Quanta insania mortalium pectora rotat? Si cõtemptus & ignorantia scripturarum nobiles faceret, iure tales dicerentur nobilissimi, quia minus quam nihil intelligunt, cum & se nesciant & Deum ignorent. Sed nostri non est officii sapientiæ salutaris taxare osores, propterea valeant cæci, palpantes in tenebris, qui lucem scientiæ detestantur. Nos cœpto pergamus itinere studii scripturarum, quatenus earum meditatione continua intellectus noster in cognitionem summæ veritatis delectabiliter possit assurgere, & affectus in Dei amore iugiter ardere. Hæc enim vera est Christianorum amicitia, communi studio Deum per fidem vnum in substantia, & trinum in personis, iuxta sanctarum traditionem scripturarum, credere, ipsumque pari voto, pari virtute, pariq; cõsensu super omnia veraciter amare. Ideoq; tu mihi Friderice parens amantissime preciosior chariorq; amicus, quoniam in me amando nihil requiris terrenum, nihil venaris caducum, diuinarum scripturarum studio dulciter ardes, ad Deum cognitione simul & desiderio amoris interni anhelas, propterea me habere cupis amicum, quem pari credis seruore inflammatum. Ego autem tametsi tibi nulla sim parte comparandus, amatorem me tamen scripturarum sanctarum ingenue confiteor, comitemq; itineris polliceor ad summi delectabilem cognitionem boni, in cuius amore fundata permaneat nostra inuiolabilis amicitia: semen bonorum operum nunc terræ committens puri cordis proprii, de quo fructum adsequamur æternæ fruitionis inter filios electionis Dei. Libellum sancti Ioseph, laudes nutricii Domini & Saluatoris nostri continentem, tuoq; nomini celeberrimo inscriptum, Deo auxiliante cõpleui, in quo cum mihi nonnulla magis elucidanda statuerim, necessario fuerit denuo rescribẽdus, vt in manus tuas politioribus dignas, quoad fieri potest q̃ emendatissimus perueniat. Interea patienter moram feras hanc rogo, donec ædatur in lucem, quia patronum alium quam te patrem & dominum reuerendum neminem admissurus est. Hortaris tuas ædes iure amicitiæ ingrediar, quoties me Bambergam ascendere contigerit: oblationem hanc tuam libenter accepto, & ago gratias quantas possum

Ioan. 14.

Cap. 15.

*Nobiles sacerdotes, contemptores sacræ Scripturæ.*

*Vera Christianorum amicitia.*

ingentes, sciens te verum & ex animo fidelem amicum. Nisi enim tua me præruncti desiderio lectaret amica præsentia, verus certe non essem amicus. Quis non totus delectetur esse secum? aut quis patiatur esse diuisus? Totus autem secum esse non potest, qui non vult esse cum amico. Interrogatus namque Aristoteles, quid esset amicitia, respondit: *Vna est anima in duobus corporibus cohabitans.* Et quod alius pulchre quidem dixit de amico suo: *Dimidium animæ meæ.* Secum ergo est qui est cum amico. Et ego sentio dimidium animæ meæ esse in te amicorum constantissime, propter vim scilicet amoris, & ideo te corpore quidem absente nescio quid patior præsente spiritu: quo fit vt me loqui tecum existimem, raptusque amoris magnitudine finem nequeam inuenire verborum. Vnde vim mihi facere compellor, ne modum excedat epistola. Tu literis parce præcor incultis, & si minus scripsi prudenter, amicitiæ noueris imputandum, cuius impellente potentia me amorin te occupauit diuisum. Quoties enim cunque amicum te cogito, dimidium me non totum penes me esse cognosco. Vale alter ego, tui memor & amans, quoniam ego mei sum memor & amator per amicitiæ speculum in te. Iterum vale. Ex Herbipoli 12. die mensis Iulii Anno 1507.

## XXIX.

*REVERENDO IN CHRISTO PATRI, DOMINO IOANNI TRITHEMIO abbati monasterii S. Iacobi Herbipolensis, quondam vero Spanhemensi, præceptori suo colendissimo, Ioannes de Woesbruck, Serenissimi Regis Castiliæ monetarius magnig. Telonei Brugis in Flandria magister Salutem.*

REVERENDE pater, anni ferme quinque iam elapsi sunt, quod cum tua paternitate vltimo in Spanheim fui constitutus, & nihil postea certi audire vel percipere vsquam potui de eadem, quid ageret, aut quomodo valeret. Nihil enim audirem libentius, quam bonam valetudinem tuam, felicem statum, prosperamque in cunctis fortunam. Magna est nominis tui fama nobiscum, & in ore laudaris omnium doctorum virorum, nobilium quoque & magnatorum: & multi sunt in omni terra nostra, qui te videre cupiunt, tuaque optant eruditione doceri. inter quos est vnus venerabilis decretorum doctor, Nicolaus nomine de pulchro monte *, homo vniuersaliter doctissimus in philosophia, in mathematica, in astronomia, in medicinis, in cosmographia, in theologia quoque, & in cæteris scripturarum disciplinis multum excellenter peritus, quia fama nominis tui vsque adeo inflammatus est, vt neque sumptibus parcendum duxerit, neque periculis & laboribus ferreretur itineris longissimi, quo minus ad tuam venire paternitatem quantotius posset. Commendaticiis ad tuam reuerentiam literis à me petitis & acceptis, anno proxime præterito iter satis periculosum assumpsit ad te, propter inquietudinem Sycambrorum, venitque ad monasterium tuum Spanhemense vicesimaquarta die mensis Februarii. At tua reuerendissima paternitate non inuenta, cum tristitia magna reuersus est ad oppidum nostrum Brugense vnde exierat, literis suis & meis in Spanheim apud priorem tuum relictis, tibi quam primum præsentandis ad manum. Hinc factum est, vt status & rerum tuarum ambo ignari vitam cum tædio multo agere cœperimus, & necessario abinquisitione tui cessaremus. Ferebatur etenim istic tuam reuerendissimam paternitatem esse cum Marchione Brandenburgense in Marchia, sed de tuo ad monasterium reditu nihil certi audiuimus. Tandem Deo sic ordinante ex magistro Nicolao Beiselio, quem optime nouit paternitas tua, canonico sancti Germani Traiectensi, in medicinis doctore, qui veniens ex Italia tecum fuit Neometi, cognouimus te esse sanum & incolumem, rebusque tuis bene prouisum, dimissaque abbatia Spanhemensi ad Herbipolim te contulisse, & ibi in pace & tranquillitate philosophari, de quo tibi multum congratulamur, scientes quod vitam in ocio minime sis acturus: quin potius more tuo semper aliquid scripturus, quod multis proficiat in salutem. Prædictus vero de pulchro monte Doctor Nicolaus, qui præ nimio tui desiderio vigilans te semper cogitat, & nocte somniat dormiens, nullam sibi requiem dare potest, donec suo tandem satisfaciat instituto, quo te videre cupit, & dulces tecum de vera scientia miscere sermones. Est enim vir tua allocutione non indignus, vtpote doctus & multarum linguarum peritus: in multis quoque expertus & rebus & gentium ritibus diuersarum. Bina vice Hierosolymis fuit, in Turcia diutius conuersatus est. Venetiis quoque, Neapoli, Bononiæ, Parisijs, Oxoniæ, Salamanticæ in Hispania, & alijs multis locis amore sapientiæ scripturarum peregrinus extitit. Quatenus ergo tandem satisfieri sancto eius desiderio queat, reuerendissimam paternitatem tuam

ambo

* Schomberg.

D. Nicolaus de pulchro monte.

ambo simul diligentissime rogamus, vt nobis rescribas cum latore præsentium, vbi & quando præsentiam tuam possit conuenientius accedere, propterea quod multa habeat tecum loqui & conferre, quæ literis nequeat demandare. Spero certe, quod eius conuersatio tibi non erit iniucunda. Vale præceptorum amantissime. Ex oppido Brugensi in Flandria, 4. die mensis Martii. Anno incarnationis dominicæ 1507.

## XXX.

*IOAN. TRITHEM. AB. MONASTERII S. IACOBI IN SVBVRBIO ciuitatis Herbipolensis, quondam vero Spanhemensis, Ioanni de Woesbruck magni Telonei Brugensis magistro, Salutem.*

VICESIMA septima die mensis Maii Literas tuas amice charissime, simul & cuiusdam Nicolai de pulchro monte decretorum Doctoris per quendam iuuenem suscepimus, qui cum altera mox die abiturum necessario se diceret, breuius rescripsimus quam nostri fuerat instituti. Quod cum serenissimo Principe Domino Marchione Brandenburgensium nos fuisse commemorasti, verum est, abbatiamque dimisisse Spanhemensem & assumpsisse aliam, qui retulit non errauit. Non sine caussa factum est maxima, quam vt scias, quam potero breuiter his literis consignabo. Anno Christianorum quinto supra quingentesimum atque millesimum, prima die mensis Aprilis de monasterio meo Spanhemensi exiui, à Sereniss. Principe Palatino vocatus Heidelbergam, vbi me aliquandiu moram agente, quidam ex monachis meis coniunctis sibi quibusdam Cynonotis, quandam in me conspirationem ordinantes occultam, Ducem illum Ioannem, quem optime nouisti ab olim, mihi reddiderunt infensum, vsque adeo, vt quosdam è familia nostra, qui partibus fauere meis videbantur vinculis iuberet mancipari publicis, quasi malefactores sceleratos. Hæc dum mihi nunciarentur absenti commotus temeritate facti, statueram non redire ad monasterium, nisi tanti prius auctores mali contumeliam satisfactione congrua expiassent. Remansi ergo foris & maneo vsque in præsentem diem, nihil dubitans de iustitia Dei, quoniam in foueam cadent impii quam fecerunt. Quintadecima igitur die mensis Octobris proxime præteriti, abbatiam hanc in qua nunc maneo adsumpsi, & Spanhemensem propter infidelitatem monachorum & ducem infensum voluntate spontanea resignaui. Hic ergo nunc viuo quamdiu voluerit altissimus, mihi & scripturis vaco, semperque vltimam vocationem quam effugere potest nemo pauidus expecto. Quod si bonus ille doctor tuus me accedere voluerit, hic spero inueniet, nisi forsitan me interea oporteat aliquorsum declinare ad tempus vocatum vt olim. Scis enim quam necessarium nobis sit principum quandoque obedire mandatis. Vale nostri memor & amans. Ex Herbipoli vicesima octaua die mensis Maii. Anno Christianorum 1507.

## XXXI.

*REVERENDISSIMO PATRI DOMINO IOANNI TRITHEMIO abbati ædis S. Iacobi Herbipolis, viro inter Germanos primario, Nicolaus Gerbellius Phorcensis salutem & felicitatem æternam.*

CVM tu quidem reuerendissime pater & abba integerrime, tuis tibi monumentis literariis laudem tantam apud posteros & gloriam ineluibilem comparaueris, vt non tam humo humili, quam ipsis sub astris splendicantibus deambulare occipias: non tamen viuidus hic ille ingenii tui vigor otio delitescit, senio languet, viribusve medullitus disciplinarum palæstra eneruatis fluctuat, debilitatur, aut alget, sed lucubrationibus diurnis elychniumque redolentibus noui aliquid (si vera est fama) excogitat, quod admirabimur, concupiscimus, summaque veneratione hilariter exosculemur. Gratulor mihi ipsi sæpiuscule reuerendissime pater, me felicissimo hoc seculo progenitum, quo tot illustres viri, nec ignobilis famæ, in Germania passim prodiere, quos inter tu vnus es, qui cum literis Latinis & Hebræas & Græcas apud Germanos fecisti locupletiores, inter quos tantum polles & enitescis, vt an cuiquam te comparem, an præferam cunctis in triuio sim, fluctuemque Chremetis instar Terentiani. Verum non inconsiderate dubito, cum non triuium in te, sed disciplinarum omnium theatrum spaciosum, exuberans, nitidissimum conspiciamus, non in te virtutem vnam aut tres, sed eas omneis tenaciter & agminatim coagulatas perinde ac spectaculo decentissimo spectemus. Quibus magnificenter & bellule exornatus multorum animos, plærorumque exercitationem literariam, omnium in

te quoque oculos plausibiliter conuertisti, qui certatim te adamant, viciſſim ſalutant, ad-
ceruatimque intuentur. Quibus & ego quidem excitatus perniciter accurro, amoremque
hunc, qui cum diutina cuiſceratione præcordia noſtra populabundus concremauit, hiſce
noſtris literis qualibuſcunq; ſignificanter (vt arbitramur) oſtento, quibus me tibi conſun-
ctiſſimum fore exiſtimo, cum non dedignaris imi etiam ſubſellij literatores familiariter
in albo tuo conſcribere. Quod ſi tuo tuorumq; conſortio adſcribor, optime cum Gerbel-
lio actum eſſe aſſeueranter affirmo, ſiquidem non mortalem me ſed immortalitate do-
natum haud incurioſe iudicaturus. Quod reliquum ſupereſt reuerendiſſime pater, quic-
quid id eſt q̄ ſub incude tua nunc elegantiſſima fabrefit & bracteatur, fac quæſo vt ego qui
tuus ſum, qui me totum tuæ ſectæ conſecro, ſciam: vel q̄ nouum hunc tuum confectaneū
& militem ſcire magnopere deſideras perſcribe. Tuas enim literas deſideranter expecto,
quas, nimirum ea qua doctiſſimorum ſcripta veneratione excipere ſoleo, oſculabundus
æterna cedro, perpetuiſque hederis ſempiternaque blanditer exornabo. Vale reuerendiſ-
ſime pater, & me inter tuos dignanter adnumera. Ex Colonia quarto Idus Iunii. Anno
Domini 1507.

## XXXII.

### *IOANNES TRITHEM. ABBAS S. IACOBI HERBIPOLENSIS, QVONdam Spanhemenſis, Nicolao Gerbellio Phorcenſi ſalutem.*

IAMDVDVM acceptis literis tuis Gerbelli optime, ſimul ac votis reſpondere vt par erat
animo ſtatui, quo confidentiæ de me tuæ non fruſtrareris effectu, tantoque fierent ami-
citiæ noſtræ gratiores, quanto citius coaluiſſent. Quod vero tantiſper diſtuli, non te pro-
pterea vel neglectum exiſtimare debebis à me, vel contemptum, dabiſque vltroneus tar-
ditati veniam, ſi penſiculaueris examuſſim inexputabiles hierodulorum occupationes.
Oportebat etiam ſpontaneum adeſſe tabellarium, qui noſtras ad te deferret literulas, ne
petronibus traditæ medio itinere perirent. Oras in primis te noſtris adſcribamus amicis,
rem certe non difficilem poſtulans, quando bonarum literarum ſtudioſos omnes inter
fratres nobis atque chariſſimos habere ſemper fuerit iucundiſſimum. Tenebriones vero
& diuitiarum auariſſimos incubones in amicitiam noſtri nunq̄ admittere conſueuimus,
propterea q̄ bonorum obnitentur ſtudiis, & hirrire cōtra viros doctos & eruditos ſemper
ipſis ſit familiare. Te autem, ſtudioſe Gerbelli, quē ornatiſſimæ tuæ literæ doctum & pana-
retum declarant, in amicitiam noſtrā (tametſi medioximi ſumus) obuijs manibus libēter
accipimus, fidemq; & charitatem inuiolabili conſtantia pollicemur. Quamuis in noſtri æ-
ſtimatione vehementer, fama deceptus, erraueris, q̄ pace tua dixerim, cū laudes tuæ noſtra
procul nimis excedant merita: integritatem tamen animi erga nos tui qua decet beneuo-
lentia acceptamus. Scio enim q̄ non imitaris vaniſſimos illos palpones, qui cum laudare
quempiā videntur decipiunt, cōficta mentientes præconia, propterea q̄ non hominem i-
pſum, ſed dona ſequuntur & munera. Tu etſi amore laudaueris, cuius iudicia cæca, famæ
credidiſti fallaci, longe tamē defuit mentiendi animus ac decipiendi voluntas. Sed cōtue-
are ſi literarū tuarum verax ſum paraphraſtes, vt rectæ opinionis tuę ſententiam me appre-
hendiſſe intelligas. Intemerata ſunt veritatis teſtimonia, quia rem ſatis enodem & mani-
feſtam mente concepiſti, vt menceps habeatur potius q̄ ſani capitis, qui clariſſimorū in pa-
læſtra literaria hominum negauerit amicitiam eſſe immortalē. Omnia enim glorioſe fa-
cta priorum, cum ſuis iamdudum interiſſent auctoribus, ſi monumentis nō fuiſſent ami-
corum ſcribentium immortalitati donata. Quocirca felices illos iudicauit antiquitas, qui
ingenio, ſapientia, vel fortitudine memoratu digna facientes ea inciduſſent tempora, qui-
bus copia eſſet eruditiſſimorum clariſſimorumque virorum, quorum amicitia perurgē-
te quicquid videretur laudandum, literarum firmamento reciperet immortalitatem. Re-
cte igitur amicitia clarorum & in re literaria nominatiſſimorum hominum immortali-
tatem tibi polliceris: quoniam ſicut aſtra cœli choruſcantibus radiis micant illuminata
per ſtatanum in circuitu ſolem, ita quicunque illuſtrioribus in ſcriptura viris per amici-
tiam coniuncti ſunt, immortalitatis lumine frequenter apud poſteritatem illuſtrati per-
manent glorioſi. Ad amicos docti bona & honeſta ſcriptitant omnes, eorumque & nomē
& famam immortalia facere non ſecus ac ſeipſos apud omnem poſteritatem conſueue-
runt. Inimicum vero & in obſcuro latitantem, nemo vnquam ſcriptis immortalitati
donauit. Ego autem, mi Gerbelli, tametſi nec eruditum me ſciam nec immortalitatis
largitorem, ſed medioxime ſtudioſum, pro viribus tamen curabo, ne te iniſſe nobiſcum
amici-

*Amicitia doctorum virorum immortalitate conſtat.*

*Similitudo elegans.*

amicitiam pœniteat. Quid incudem iam fabrefiat sub nostra tibi pãdamus efflagitas. Rurestrem tractamus camœnam, nostroque musam proposito conuenientem quantum reiectanea permittunt intercinimus. De sancto Christotrepho Ioseph librum mediocrem absoluimus. Nepiachum quoque Annalium nostrorum ab hora natiuitatis in hunc diem perduximus. Opus magnum librorum duodecim *de dæmonibus* ad preces amicorum inchoauimus, in quo decreuimus omnes magorum prophanas destruere artes in genere simul & in specie, earumque causas, inuentores, libros, modos, & deceptiones nominatim & proprie taxare. Inter hæc quoq; nouo inuento Steganographię nauamus operam, quod in lucem ædere necdum pollicemur, nebulonum malignitate deterriti. Dicebat quidam: *Qui facit quod nemo, mirantur omnes:* Iam vero dicendum: *Qui facit nouum, detrahunt omnes.* Maneat ergo sepultum, quod tempore incongruo culpatur repertum. Vale & nos ama. Ex Herbipoli decimasexta die mensis Iulii. Anno Christianorum 1507.

*Liber de nutritio Christi Ioseph.*
*Opus Annalium.*
*Opus magnum de dæmonibus.*
*Opus Steganographiæ.*

## XXXIII.

### *IOAN. TRITHEM. ABBAS S. IACOBI HERBIPOLENSIS, QVONDAM Spanhemensis, Conrado Celti Protutio poëtæ laureato fratri & amico charissimo salutem.*

SPERAVERAM frater ex Augustiburgio * te venturum ad nos, quo tibi omnem rerum mearum historiam enodassem, ne tu aut falsa pro veris admiseris de nobis, aut fortunarum amici videare ignarus. Quoniam vero iter tuum deflexisti rursus in Austriam, literis id facere quod verbis paraueram compulsus sum. Proinde satis oportune mihi nepos iste tuus ex sorore Nicolaus Wilandt occurrit, per quem eorum quæ circa me transacta sunt noticiam adsequaris. Anno Christianorum quarto & quingentesimo supra millesimum, Rex noster serenissimus Romanorum Maximilianus, auxilio multorum principum, rebus bellum atrocissimum indixit Palatinis, ingressique (Rheno apud Moguntiam transisso) Nagauium Hassones cum Wedressis, omnia circa Alcennam Gauii oppidum * & Stauronesum sub ditione Palatini & ducis Cynonotorum inuenta rapuerunt, ecclesiis, castellis, & viculis, nisi redimerentur auro multo, incensis atque destructis. Vnus omnium in principem clementissimum Palatinum furor & incredibilis hirritus, qui nomen & memoriam eius inferni tenebris operire putabant. Hassonum metu, & eorum qui nobis erant vicini Melantagorum pauore, ac minis exterritus, monasterium meum, quod imperio ipsius Palatini ac ducis Cynonotorum æqua subiacet potestate, exire compulsus sum, propterea quod Alexander filius Melantagi, qui iam diu vitæ munia peregit, datis iam tum Hassonibus dextris auxilia ferret, cuncta deuastans Palatinensium rura, nec ætati parceret nec religioni, mihique in primis odio Illustrissimi principis Comitis Budoriani exbalistationes pararat. Stauronesum * ergo me contuli, vbi duabus & viginti hebdomadibus remansi, eatenus namque furor & insania Spaticorum durauit Hassonum. Interea dum hæc agerentur, duo ex monachis meis, Melantius Remitius Prior, & Pingionidum assueti, primum occulto, ac demum recluso me odio pulsare occeperunt. Ducem in primis Transyluanum, qui Cynonotis rurestribus imperat, mihi reddiderunt infensum, multa confingentes, quorum excipium in summa, quod me Palatinis rebus optime semper doluere fauentem. Reliqua vero excogitata & ementita fuerunt omnia. Anno dehinc altero, qui fuit quintus Christianorum supra quingentesimum atque millesimum, prima die mensis Aprilis Budorim accitus mandato principis me contuli, ratione monasterii Lympurgensis per nefandos Palatini hostes funditus exusti, vbi me aliquandiu necessario existente, Cynonoti iussu Ducis inuasere cœnobium, captisque è familia quibusdam in odium mei, ecclesiasticam libertatem ausu temerario violarunt. Hæc cum mihi Budorim denunciata fuissent, satis profecto displicuerunt, habitoque amicorum consilio reditum ad cœnobium meum differre statui, donec malefactionis tantæ condigna sequeretur expiatio. Mansi ergo Budoris & Neometis mensibus tribus vsque ad conuentum principum cum maiestate Regia apud Coloniam Agrippinam, quo per Ioachim Marchionem Brandenburgensem Principem Electorem ad caput Iulii euocatus descendi, remoratus & ibi hebdomadibus quinque. Inde vero ad ipsius illustrissimi principis instantiam Marchiam post eum intraui. Reuersus tandem post nouem menses in patriam, manifeste cognoui omnium malorum auctores memoratos extitisse monachos, vnà cũ Moguntino abbate, qui non satis bene rebus fauebant meis, propterea quod sunt litera-

** Augsburg.*

*Bellum Bauaricum Anno 1504.*
** Altzey auff dem Gau.*

** Crentznach.*

rum osores, & sanctarum scripturarum penitus ignari. Intelligens itaque non satis mihi fore tutum, conuersari iam deinceps cum æmulis & nebulonibus Cynonotis, ad alia me transferre loca tutiora decreui. Abbatiam ergo istam sancti Iacobi Herbipolensem, oblatam mihi per dominum Laurentium Reuerendissimum præsulem, quintadecima die mensis nouissimi Octobris pauper pauperem accepi, & postea Spanhemensem cum suis ingratissimis monachis voluntate spontanea resignaui. Valeant nunc tenebriones & æmuli, quibus studia nostra sancta non placuerunt, & nos cum Psalmista læti cantabimus: *Laqueus inutilium occupationum contritus est, & nos liberati sumus.* Neque enim facti me pœnitet, quia locum adeptus quietum, iam primum mihi videor philosophandi nancisci exordium. Bibliothecam integram dimisi in Spanheim, cuius non magnifacio iacturam, cum iam tandem sine illa philosophari magna ex parte didicerim. Prouisurus mihi vitæ necessaria quo ad viuerem Illustrissimus Princeps fuerat Palatinus, nec minus præfatus Marchio Brandenburgensis si voluissem, sed conuersari inter aulicos palpones mihi non placuit. Elegi proinde pauper habitare in cœnobio, magis quam diues conuersari præter monasticam regulam in sæculo. Habes nunc, amantissime frater, calamitatis meæ historiam in summario conscriptam, cuius lectione agnoscas hominibus non temere fidendum. Hæc mihi fecerunt qui videbantur amici: in patrem hæc filii perpetrarunt. Sed vereor ne malum quod mihi parauerunt, ipsis occurrat in foribus, cadantque in foueam quam fecerunt. Abbatiam vero meam Spanhemensem Prior Melantius adeptus est, in qua sine dubio iniuriarum mihi factarum partem recepturus, quam merito suo præparauit. Vigilius noster, Mœcenas philosophorum, canonicatum Wormatiensem obtinuit, sed clero nondum ad ciuitatem reuerso Budori se continet. Vale ac sæpius ad me da literas. Iterum vale. Ex Herbipoli prima die mensis Iulii. Anno Christianorum 1507.

Psal. 123.

## XXXIIII.

*REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO IOANNI TRITHEmio, abbati sancti Iacobi Herbipolensi, maiori & amico suo præcipuo, Bilibaldus Pyrckēheimer salutem plurimam dicit.*

BINAS à te, pater reuerende ac obseruandiss. accepi literas, quibus huc vsque nil respōdi, cum negotiis tum absentia mea impeditus. Mandatorum tamen tuorum memor cum nuper Augustam venissem, tuas vltimas Celti nostro legendas tradidi. Ille vero, vt tui studiosus est, quampluribus aliis eas monstrauit, qui omnes grauiter tulerunt aduersam tuā fortunam, quam etiam antehac audierant. Nam penitus aliqua calamitate indignum te putant. Sed vt tumet optime nosti, fortiter nobis quicquid acciderit ferendum est.

Βέβαιον γὰρ οὐδὲν ἐν τῷ βίῳ δοκεῖ πέλειν.

*Boni semper à malis persequuntur.*

Scimus enim ferme omnes, magnos ac bonos viros omni æuo à malis persequutos fuisse. Quapropter & tu in domino confide, qui dat & eripit, extollit & deprimit, affligit & rursus solatur. Non enim secundis rebus dignus est qui aduersas ferre non potest. Sic enim sapiens à stulto discernitur, cum magno animo aduersitates tolerare nouit. Tu igitur

Νίκα λογισμῷ τὴν παροῦσαν ξυμφοράν.
Ἀνδρὸς γὰρ προσπίπτοντα γενναίως φέρειν.
Καὶ
φέρειν ἀνάγκη θνητὸν ὄντα τὴν τύχην.

εἰδυλλίῳ. Δ.

Quapropter non desperandum, sed potius confidendum ac sperandum, & vt Corydon apud Theocritum ait:

Θαρσεῖν χρὴ φίλε βάττε τάχ' ἄυριον ἔσσεται ἄμεινον
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χ' ὦ ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει ἄιθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Sed de his satis. Quid enim sus Mineruam docebit? Ad rem igitur veniamus. Celtis vero ac præcipue Peutingerus me rogarunt vt ad te scriberem, & intelligerem an tibi animus esset (habito stipendio à Serenissimo Rege nostro) Augustam te conferendi: se enim operam daturos, vt tibi honesta offeratur conditio. Offerunt & domum & alia quamplura, quibus habitis ociose philosophari possis, procul ob omni strepitu. Tuum igitur considerare erit, quid tibi faciundum sit: deinde me certiorem reddere, vt amicis hac de re scribere possim. Tibi vero persuade, omnia quæ in rem tuam sunt me enixe curaturum. Vale & me tibi deditissimum ama. Ex Nurenberga calendis Iulii Anno Domini M.D.VII.

XXXV. IO-

## XXXV.

*IOANNES TRITEMIVS ABBAS MONASTERII S. IACOBI IN SVBurbio ciuitatis Herbipolensis, Bilibaldo Pyrckenheymer Nurenbergensium Senatori atque patritio Salutem.*

LITERAS tuas, Bilibalde mi magnifice, consolatione ac eruditione plenas, non sine magna animi voluptate sæpius relegere mihi fuit dulcissimum, in quibus & tuam φιλομυθίαν, & amicorum plane intellexi communem atq; sinceram erga me compassionem. Tibi ergo in primis clarissime vir, nec minus amicis omnib. gratias habeo & ago immortales, & si qua mihi dabitur referendi facultas voluntarium me paratissimumque exhibere curabo. Ego tuam admonitionem libenter amplector, qua me ad tolerantiam pulchre ac modestissime hortaris. Omnia in me citra demeritum patrata iam ante hac Deo commisi, neque vindictam quærere statui, sciens ὅτι συγγνώσεταί ποτε τινὰ χρόνον ὁ συγγνώμων Θεὸς, ὑμᾶς ἀεί. Οὐδ' ἡμέραν ἱλαρὰν ἴδωσιν καὶ ἔπιδῶμεν πάσαν ἢ χεῖρα τὴν κυρίου. Quam seruierim ingratis monachis, exbalistatus iam satis mihi videor expertus. ἀλλὰ μὴν δίκαιος ὁ θεὸς ὃς ἐν ἁμαρτήμασι μᾶλλον καλάζει μυσεῖ, ἢ τῷ ἀχαριστίας αὐτῷ. Nam etsi noueram optime dictum à sapientibus: quoniam πάντων δεῖ πραγμάτων ἀλλοίωσις καὶ μεταβολή, ignarus tamen futurorum cum Isocrate: πᾶν μέλλον ἄδηλον, semper meliora sperabam, donec subito scire compulsus sum experientia docente: quoniam ὑπὸ τὸν βίβλιον ἐν ἀνθρώποις. Vnde pulchre dixit Hildebertus Gallorum Thuronis Archiepiscopus:

*Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,*
*Et respondent propria mobilitate fugam.*
*Quicquid habes hodie, cras te fortasse relinquet,*
*Aut modo dum loqueris, desinit esse tuum.*

Sed est prouidentia sempiterna in cœlis, cui omnia subiiciuntur inferiora, quæ iusto rectoq; iudicio moderatur vniuersa, quam laudare, benedicere, & glorificare semper & vbiq; debemus, ab ipsâ creati, saluati, & beatificandi, nõ minus in aduersis quam in prosperis atq; secundis expurissimis mentibus gratias agentes. Est enim mihi salutis argumentũ & spes non modica superuenturæ miserationis Dei, insignem prauorum præcessisse persecutionem, sancto dicente χριστοφίλῳ: *Quoniã omnes qui pie viuere cupiunt in Christo, persecutionẽ patientur.* 2. Tim. 3. Cessi finibus malorum, ne mihi relinqueretur occasio vindicãdi, neue hirritum audire diutius me contingeret tenebrionum, quibus nihil eruditione grauius, nihil dulcius ignauia, nihil familiarius esse quam inuidia consueuit. Valeant in melius cõmutandi cum ille voluerit, qui iudex est omnium, in cuius arbitrio illatas mihi contumelias collocaui. Conditionem per Celtem & Peutigerum mihi propositam, vt litteræ tuæ significabant, cum sim monachus & regularis disciplinæ professor, non conuenit acceptare, maxime autem propterea, ne dominum Reuerendissimum episcopum meum Herbipolensem ciusq; de me expectationem, fidem, & confidentiam viderer decepisse. Præfecit enim me pauperi huic monasterio, spem de me gerens singularem, gratiose prosequitur, & clementissime fouet. Oportet me tanti principis nõ esse ingratum beneficiis: nec decet me am religionem extra cœnobium in vrbibus habere domicilium. Nam si principum viuere stipendiis voluissem, non vtique conuersari istic in paupertate fuisset necessarium. Plures enim sunt qui larga me prouisione susciperent cum honore procurandum. Sed nunquam induci poteram, vt aulicis me palponibus paterer coniungi, vetante id non minus philosophia quam religione, quam in tumultu aulico illæsam conseruare nescio, si quis potuerit vnquam. Ad literas natus sum, quarum frequens studium tumultus horret aulicos, solitudinem diligit, & publicum detestatur in vrbe consessum. Inops rerum & pauper hic viuo, diuitias qui nunquam amaui, sciens prudenter Senecam præmonuisse discipulum: quoniam studiis & diuitiis pariter vacare non possit. Et scriptum esse in Euangelio: οὐ δυνάσθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμωνᾷ: *non potestis Deo seruire atque diuitiis.* Pulchrum est illud dist chon, quod Theognis poeta cecinit.

Οὐκ ἐθέλω πλουτεῖν, ἀλλ' οὐ κτήσομαι, ἀλλὰ μετεῖη
ζῆν δοτὸν τῶν ὀλίγων μηδὲν ἔχοντι κακόν.

Conditione igitur & sorte mea contentus diuitias non quæro: seruire principibus sicuti proposito meo est contrarium, ita nunquam placuit voluntati: habẽs iuxta sententiam diui Christophili Pauli victum & amictum, his volo esse contentus. Gratias tamen ago viris illis amicis Celti & Peutingero quantas possum ingentes, qui pro me curam habentes meæ consulere paupertati & desolationi non contemnunt. Reddat illis omnipotens DEVS gratiam & misericordiam in tempore opportuno, quoniam me pauperem

non despexerunt amicum. Tibi quoque, vir magnifice, gratias habeo immortales pro tua in me humanitate, beneuolentia, & charitate, qui nullius apud te sum meriti, neque ad referendas gratias idoneus. Quicquid tamen sum, quicquid possum & valeo, id omne tuo imperio semper debebit esse subiectum. Amicis munificentissimisque viris Peutingero & Celti rescripturus meo nomine gratias agito. Vale ex Herbipoli decima octaua die mensis Iulii. Anno Christianorum 1507.

## XXXVI.

*IOAN. TRITEM. ABBAS COENOBII S. IACOBI IN SVBVRBIO HERBIpolensi, Georgio de Rotenburgio medicinæ doctori clariss. S.*

CVM anno proxime transacto de Marchia Brandenburgensi reuersurus ad Rhenum iter meum per Erfurdiam direxissem, inquisitionem tui vir clarissime feci diligentissimã, cupiens te videre & alloqui, ob veterem notitiam & charitatem, memor beneuolẽtiæ & humanitatis tuæ mihi quondã in monte diui Petri per te filiosq; tuos, magni adolescentes ingenii, coram tota congregatione patrum honorificenter exhibitæ, pro qua tibi gratus sum quamdiu memorandi mihi virtus affuerit. Quæsiui autem & non inueni, quoniã in ciuitate non eras. Triduo igitur cũ desiderio tuum præstolatus aduentum, cum venires minime, tristis abscessi. Magno enim tui tenebar desiderio. Et sæpiuscule quidem dare literas ad te volui, sed certus & fidelis semper mihi defuit, qui eas perferret tabellarius. Hodie tandem volente Domino Iesu lator istarum presbyter & gymnosophista Erfurdiensis oportune satis occurrit, per quem satisfacerem desiderio meo. Itaq; inexputabiles tibi scribo salutes, amorem erga te meum tibi vt possum significo, firmamque & esse & permanere perpetuo veterem amicitiam nostram concupisco. Quod superest rerum nostrarum infortunium ac mutationem infirmi status nostri, & quæcunq; nobis obuiauerunt aduersa, te credimus ex abbate sancti Petri cognouisse. Contumeliam & grauem iniuriam passus sum à monachis meis in Spanheim, & quibusdam nebulonibus adhærentibus illis, quibus adeo in displicentiam & loci & gentis prouocatus est animus, vt in nauseam procederet indignatio: ex illaq; deinceps horror mihi cœnobii mei nasceretur, qui in tantũ cum tempore præualuit, vt mihi tandem omnino persuaserit monachos ingratos deserere, & mihi vbicunq; potuissem cum honestate prouidere. Interea offertur mihi à Reuerẽdissimo patre Domino Laurentio Episcopo Herbipolensi, abbatia S. Iacobi pauperrima, sed quieta, studiisque meis satis conueniens & congrua, quam pacis & trãquillitatis amore suscipiens, Spanhemensem cum Spaticis persecutoribus spontanea voluntate resignaui. Annis tribus & viginti maximos in abbatia Spanhemensi labores pertuli, pro quibus inuidiam recepi æmulorum, quorum cedere temeritati satius duxi, quã ex cohabitatione continua pernitiosam tolerare vesaniam. Duorum miliũ reliqui volumina, vetusta, pretiosa, atq; rarissima, quæ studio incredibili & amore ad Spanheim ego comportaui in tẽpore præsidentiæ meæ non sine impensis & laboribus multis, in omni varietate scripturarum, scripta complura, impressa etiam multa, Græca, Latina, simul atq; Hebraica, quorũ ante me ibi nullum fuit. Fractum animum fateor meum, tantam librorum supellectilem monachis indoctis ex asse contigisse & ingratis, quem totum redderem sibi mortis me oportebat reuocare imaginem. Cœpi experientiam mortis in vita, & necessarium cum voluntario quadam arte pigmentaria contemperaui, vt alterum in alterius transiret naturam. Paulatim itaque cœpit quasi menceps deferuescere dolor, raptusque ad præsentia, dicere cum S. Hiob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus q; reuertar in terram vnde progenitus sum.* Et illud diui Christophili Pauli: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubiũ quia nec auferre quid possumus.* Præcipuum ergo inter omnia quæ huius mundi sunt, quo propter vltimum finem delectari solebam ipsa bibliotheca fuit, quam pacis amore contemnere quidem necessarium fuit, animo licet amara separatio, qui scripturarum in rebus aduersis familiari consolatione vti consueuit. Euici tamen auxilio Dei hanc mentis intolerantiam, faciens de necessitate virtutem, vt summo liberius intenderem bono, quod nemo recte cum socio amauerit vnquam. Lætor sane inutilibus me curis terrenarum occupationum in vita tandem exemptum, quo mihi deinceps liceat quietius sub tranquillitate philosophari. Consilium diui Ambrosii libenter secutus sum dicentis: *Melius est emigrare cum gratia, quam cum iurgio residere.* Locus autem in quo maneo exilis & pauperrimus est, in ædificiis quoq; & structuris magna ex parte ruinosus. Sed verbum me cõsolatur viri sapientis

Cap. 1. 1. Tim. 6.

pientis qui dicit: *quoniam melius est parum cum iustitia quam multi fructus cum iniquitate.* Diuitias enim sicut non habui, ita nunquam amaui: mediocritate cõtentus sum: omne extremum excedens atque duritia plenum. Sed de his satis. Scire quam maxime cupio quomodo valeas, quid agant ingenioſi filii, quos ante plures annos cum adhuc essent adolescentuli perorantes audiui, quousque discendo profecerint, & quid in Athenæo profiteantur. Existimo enim ætate illos cuasisse doctissimos, qui in pueritia adhuc ingenio tam mirando floruerunt. Ad tuas proculdubio laudes eruditio filiorum accedit, qui virtutibus illos instituisti auitis, patris optimi in moribus, & præceptoris eruditissimi in doctrinis & philosophia functus officio. Deus omnipotens per suam clementissimam pietatem in filiorum tuorum sapientia, prosperitate & incolumitate, iucundum te facere atque felicem conseruare dignetur in æuum, memorem nostri. Ex Herbipoli 20. Iulii. Anno Christi 1507. *Prouerb. 16.*

## XXXVII.

*IOAN. TRITEM. ABBAS S. IACOBI APOSTOLI MAIORIS in suburbio ciuitatis Herbipolensis, Ioanni Gotfridi Mandalensis ecclesiæ vigilantissimo pastori, salutem & charitatem.*

QVotiescunq; mihi præbetur occasio, me continere sicut non debeo, ita nec possum, quo minus scribam ad te amicum mihi vere charissimum, certiorem te facturus cõditionum mearum. Dulcissimum plane mihi est & tuas crebro videre literas, & meas frequentius dare ad te. Reddidit mihi nuper epistolam tuam magister Iacobus Tritemius frater meus, cum à Treuiri per Spanheim iter dirigeret ad nos, in qua me procul deploras absentem, teque vehementer protestaris afflictum in animo tuo. propterea quod abbatiæ Spanhemensi prorsus renunciaui. Nec te solum pro mea resignatione turbatum asseris & mente deiectum, sed omnes quoque in circuitu sacerdotes lamentabiliter contristatos, cp locũ deserui meum, & in exteras discessi nationes. Factum est matura consultatione amicorum, neque enim te pœnitet, neque si pœniteret poterit reuocari. Gratias tibi ago, cunctis quoq; amicis, qui meas doletis iniurias. Non me mouebit pœnitentia Ducis, nec propterea pœnitebit Spanhemensi renunciauisse cœnobio, si ille forsitan optaret non intulisse contumeliam. Satius enim mihi est vitam in pace mentis agere, quam sub captiuo principe continuis turbationum fluctibus agitari. Neq; huius assumpti per me cœnobii paupertatem valde pondero, qui & in Spanheim me pauperrimum semper vixisse scio. Veruntamen quantum ad mediocritatem omnibus necessariis corpori, tam pro me quã pro his qui versantur mecum sufficienter prouisus sum, & amplius non requiro. Nemo enim tam facile contemnere diuitias potest, quam is qui semper in mediocritate vixit. Mihi quidem vt Christiano philosopho simul & monacho ditissimus est animus, qui semper fui mea sorte contentus, & nunquam diuitias non habitas aut amaui, aut habere concupiui. Quod æmuli mei me post discessum à Spanheim, Episcopis & Principibus arbitrantur ignotum, nihili pendo, nec opus est illos nostras si quæ fuerint secundas nosse fortunas, ne maiore obinde tabescant inuidia. Tu vero qui paci & trãquillitati cõgaudere soles amici, quam aliter res sese habeant nostræ ab æmulorum iudicio, relatione huius fratris, qui has literulas tibi tradidit meas, plenissime intelliges. Non enim curandi sunt æmuli, nec inuidia illorum rectitudinem animi mei cõmouebit. Quod officiales principum & in circuitu vicini monachos propter me detestantur Spanhemenses, sicuti nihil mihi conducit ita nec placet. Satis enim intelligo hanc hominũ auersionẽ non mediocriter pauperi nocituram cœnobio, cuius inopiæ maxime cõpatior, & Deũ oro continue, vt ei clementer prouidere in suis necessitatibus dignetur. Te etiã, quoniam vicinus es loco, qua possum charitate moneo, rogo & exhortor, quatenus non magni pendas iniurias filiorũ, quas patri intulere non merenti, sed locũ potius Deo & sancto dicatũ Martino adtende, & quotics videris illos inopia deprimi, quantum poteris auxilium Dei amore importare non negligas. Satis. n. afflicti sunt, & graues temeritatis suæ pœnas dederunt. Abbas institutus est qui abbatiã cõcupiuit, qui resignationis meæ causa non vltima fuit, cuius ordinationẽ nõ omnibus placuisse audiui. Timeo aũt vehemẽter, det omnipotẽs vt frustra, quoniã sicuti me pastorẽ & abbatẽ suũ in occulto persecutus est, ita permittente Deo qui iustus est, ipse quandoq; à suis subditis manifestam persecutionem patietur. Omnia quæ circa me gerũtur, ex

latoris relatione si volueris peramplius intelliges. Vale memor nostri in tuis ad Deũ orationibus. Ex Herbipoli vicesima septima die mensis Iulii. Anno Christianorum millesimo quingentesimo septimo.

## XXXVIII.

### IOAN. TRITEM. AB. MONASTERII DIVI IACOBI HERBIPOLENSIS, Iacobo Vuimpfelingo Seleſtadiensi amico vnico atq; chariſſ. S.

LITERAS ex Argentina quas duodecima die mensis Iulii emisisti ad me, eiusdem die vicesima secunda recepi. Eas vero quas te antehac dedisse scribis, nec dum in notitiam mihi peruenerunt. Detulit mihi destinatum à te libellum, sancto abbati Bernardo inscriptum super septem pœnitentiales Psalmos, Dominus Gaspar episcopus Bethleemitanus, Reuerendissimi præsulis nostri generalis in pontificalibus vicarius. Is autem qui mihi literas tuas exhibuit memoratas, simul tuo nomine tradidit libellos duos Argentinę nuper impressos, alterum Vuilhelmi episcopi Parisiensis *de collatione & pluralitate beneficiorum*: Alterum Alberti Magni Ratisponensis episcopi *de feruore charitatis*, quos me animo suscepisse gratissimo non dubitaueris. Tribulationibus quas pateris ex corde fidelissimo compatior, & si quid me posse pro tua pace existimas, fac sciam, moxque paratum ad omnia inuenies. Confide in Domino Iesu, & ambula firmiter in via veritatis, & ipsa veritas te liberabit. Vnum hoc solum te moneo, promptulus ne sies in antea negotiis & rebus occupare clauſtralium: quia quod extra te ac conditionem status tui, nihil ad te. Quid enim ad te Augustinus cucullatus fuerit an togatus? Scripsisti in libello illo tuo *de integritate*, Bedam non fuisse monachũ & plerosque alios, quos ego inter monachos cõputauerim in libro *de scriptoribus ecclesiasticis*, quod nisi mihi deferres amico te facile probaturũ polliceris. Cõgrediamur inter nos si placet: quos ego monachos scripsi & Bedã maxime, tu monachos non extitisse minime docebis. Videris mihi non satis tranſacti temporis perlustrasse historias, qui Bedam fuisse monachũ ignoras. Sed ego tibi parcendum duxi, quem fratrum eremitarum S. Augustini vexationibus plus quam satis tribulatum intelligo. Scire vis à me an tibi locus esse possit cum successore meo in Spanheim, & quis ipse sit, quoniam penitus fugere consortia hominum velis mundanorum. Mihi quidem in abbatia Spanhemensi Prior quẽ nouisti successit, pars non modica, licet occulta, persecutionis meæ. Vereor autem te apud illud manendi locum non esse habiturum, propterea quod princeps Cynonotorum viris parum inclinatur literarum studiosis, quod experieris si illo pergas. Mecum autem viuere cupientem te non penitus aspernor, sed hoc suadeo primũ, vt explorato rerum gentem & locum ipse venias, & si res tibi fuerit animo, qua conditione consequaris effectum consilio tractabimus. Ego enim quicquid possum, amore tui libentissime facturus sum. Est mihi cœnobiolum pauper & exiguum, sed quietũ & philosophanti satis accommodum, sola me penuria molestat librorum, quibus vt nosti in Spanheim erã ditissimus. Vale mi Iacobe, eumq; me esse tibi persuade, qui te deserturus sum nunquam. Ex monasterio meo iuxta Herbipolim 27. die mensis Iulii. Anno Christianorum 1507.

## XXXIX.

### IOAN. TRIT. AB. MONASTERII DIVI IACOBI IN SVEVIA bio ciuitatis Herbipolensis, amantiſſ. confratri ſuo Simoni abbati monaſterii Lacenſis S.

QVID est confrater & amice chariſſime, quod miraris me abbatiam resignasse Spanhemensem, in qua me clarum dicis insignemque extitisse, & multis beatum amicis? Mirare potius quod tanto tempore fraudes & insolẽtias potni sufferre monachorum, Cynonotorumq; dissimulare quasi nescirem, insidias. In quartum & vicesimum annũ Spanhemensi monasterio in multis laboribus & paupertate non modica præfui, cumque structuris, libris, ornamentis, & multis necessariis rebus, vt tutemetipse vidisti, illud tandem pulchre ornauissem, & in bonum statum rerũ temporalium reduxissem, bello imperii superueniente aduersus Illustriss. principem Philippum Comitem Palatinum Rheni Bauariæq; ducem, ac principem Electorem, sub cuius defensione monasterium dignoscitur esse constitutum, grauem possessionum, rerumq; suarum ab hostibus iacturam sustinuit. Erant

rant inter Cynonotos qui me rebus Palatini iustissima ratione fauētem iniuste persequebantur, primum quidem occulte, potentiam benignissimi principis metuentes, quē tandem bello Regis imperio deferuescente humiliatū exhaustumq; viribus arbitrantes, aperto in me odio sæuire cœperunt, potioribus ex monachis meis consentientibus. Quæ & quanta tum in me excogitauerint mendacia, tempus iam partim in lucem dedit, reliquū non dubium quantotius dabit. Sed causa principalis omnium in me malorum hæc vnica fuit, quia principem clementissimum, quem vt debui semper amaui, æmuli mei odio habebant occulto. Nec solo Cynonotorum quidam, sed fratres quoq; mei pene omnes vna cum abbate ac monachis cœnobii belli montani vniuersis. Ego autem videns contra me prævaluisse improbos locum mutaui, acceptaq; abbatia, in qua nunc dego cum pace, Spāheim simul & ingratissimis monachis renunciaui. Et forsitan ita Deo placuit omnipotenti, cuius (vt diuus ait Hieronymus in Ezechielem) prouidentia omnia gubernantur, & aduersitas nobis ab eo dispensata, quæ putatur pœna, medicina est. Quantis subiiciantur miseriis claustralium pastores, quantisque pulsentur incommodis, quotidiana tumet experirisinstantia. Omnia patienter eatenus pro Dei amore sustinenda censebam. Subintrante autem meorum proditione in me, fuerat iam deinceps omnino sine fructu patientia. Sanctum igitur Benedictum ducem monachorum sequutus, monachos, quos induratos promouere ad saniora nō potui, pacis amator deserui. Vale sanus mente & corpore felix orans pro me. Ex Herbipoli 28. die mensis Iulii. Anno Christianorum 1507.

## XL.

### *IOANNES TRITHEM. ABBAS DIVI IACOBI IN SVBVRBIO HERbipolensi Rogerio Venray Sycambro salutem & sinceram in domino charitatem.*

PRIMA die mensis Augusti literas tuas ad me datas vt apparebat in subscriptione Calendis Maii per incertum nuncium accepi, in quibus te certa carmina in librum meum de laudibus sanctissimi Ioseph nutricii Saluatoris nostri misisse scribis, quæ ad manus meas minime peruenerunt. Post biduum alius quidam comparuit, qui literas mihi exhibuit tuas septimadecima die mensis Iullii scriptas, quas sibi ab alio nescio quo dicebat esse commissas vna cum duobus opusculis tuis, tua manu scriptis, quorum alterum carmine vario quasdam odas continet familiares: alterum vero prosaice compositum disputationem quandā complectitur minualem: non displicet materia, neq; argumentū aduentionum tuarum abhorreo, sed vellem te potioribus operā nauare studiis, quod postulare abs te & tempus videtur & ætas tua. Quinquagesimum ætatis annum supergressus es, qualia te deinceps iam studia deceant, maxime tibi considerandum. Alia nos iuuentus monuit, alia iubet rimari senectus. Sol vitalis nostri roboris vergit ad occasum, & vires corporis quas meridies præbuit, hora paulatim vespertina consumit. Animæ iam deinceps assumenda est cura, quæ manet immortalis, satis concessimus carni, pabulo necessario duntaxat nutriatur asellus, procul abst lasciuia omnis. Lucubrationes cedant puriles, & qui virum præfers ætate, synthemata canos decentia non fabulas amplectere. Sex & triginta supra centū lucubrasti opuscula, & magnū est iudicio meo & laudabile, otiū quod regularis permisit institutio, ad studium conuertisse literarū, ac libris componendis animum potius intendisse, quam voluptatibus carnis. Numero tamen nullius sunt pensiculanda opuscula sed vtilitate, si ad veram sapientiam erudiant animum, mentem legētis si à terrenis sublatam ad cœlestia erigant, & in diuino amore veraciter compungant. Orbis iam vbique innumerabiles ebullit scriptores, & vt Flaccus ait:

*Scribimus indocti doctique poemata passim,*
*Omnibus libet insanire poetis.*

Sed minor pars scribentium ædificationem cogitat animarum. Ex cordis abundantia scribimus omnes, easq; cogitationes scribendo litteris committimus, quibus occupati sumus. Vnde scribere spiritualia & diuini amoris feruorem inducentia non possumus, quia pleni cogitationum mundanarum carnaliumque proh pudor æstuamus. Nemo enim sine fide & charitate Iesu Christi, qui sapientia est Dei patris, veram & salutarem poterit assequi sapientiam, vt videlicet spiritualia scribat, qui carnalia & transitoria sapit. Propterea te hortor mi Sycamber, cū scias te religioni monasticæ iuratum, vt sicut in exteriori conuersatione in medio confratrum tuorum sine offensione ambulas, ita contemptis

*Semile stadiū quale debeat esse.*

*Ad ædificationem scribendus est.*

ſtudiis puerilibus, quæ parum conferunt ad animæ ſalutem, & mentem & calamũ ad ſpiritualia totis viribus conuertas. Talia rogo poſthac æde opuſcula, quorum lucubratio Dei in te amorem ſuauiter augeat, mentemq; legentis in contemptum mundanorum ducat. Cedant iam nũc ludi pueriles, ſenem non decent carmina poetarum, proſaice tibi proſenectutis honore pergendum eſt: tortuoſis ludat verſiculis immatura iuuentus, planum nos iter amamus. Quod ſi verſificare lubet, iterum dico, nulla ſenem debere confingere carmina, præter penthica, forſitã epitaphia mortuorum, niſi talis ſit paraphraſtes, qui carminum ſemper habuerit vſum, proſæ vero nunquam, vt cum Prudentio, Sedulio, Iuuenco, eorumque ſimilibus conuerſus ad pœnitentiam mundanæ arma ſapientiæ ad laudes ſcripturæ conferat diuinæ. Nulla ſanctorum veterum doctorum Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Origenis, Ioannis Chryſoſtomi, Baſilii, Cyrilli, aliorumque complurium carmina legimus præter hymnos ad Dei laudem compoſitos, & epitaphia paucula mortuorum, quamuis artem illos habuiſſe non dubitamus. Cupientes enim lucubrationibus ſuis animarum prodeſſe ſaluti, proſa ſcribere quam carmine maluerunt, propterea quod ſit difficile in omnibus quæ ſcribenda vtiliter occurrunt legem ſeruare metrorum, & hoc genus docendi magis videretur iuuenes decere quã ſenes, taroq; contingat quempiam in vtroq; reperiri perfectũ. Rogas vt omnium lucubrationum mearũ rationẽ, titulos & argumenta tibi perſcribam, earum maxime quas poſt æditionẽ libri de ſcriptoribus eccleſiaſticis compoſui. Dicis enim cauſam te habere honeſtiſſimã, qua eorum expetas rationem. Satisfaciam deſiderio tuo quam primum mihi per otiũ licuerit, qp iã fieri non potuit, & feſtinante nuncio, & me in aliis occupato. Veldicum amantiſſimum mei non dubito, quẽ non minus amo quam amer ab ipſo. Herbenum noſtrum communem amicũ & cõphiloſophũ integerrimũ, quoties oportunitas data fuerit meo nomine ſaluta, qui omnium bonorum virorum amicitia dignus eſt, vtpote non minus ſanctimonia vitæ quã eruditione literarũ inſignis. Vale mente & corpore ſanus, mei memor ad Deum. Ex monaſterio meo S. Iacobi Herbipolis 12. die menſis Auguſti, Anno Chriſtianorum 1507.

*S. patres quare proſa & non metro vſi ſint.*

## XLI.

*IOAN. TRITEM. ABBAS DIVI IACOBI HERBIPOLENSIS, WILHELMO Veldico Monapio plebano in Dyrmſtein, theologo & mathematico nobis amiciſſimo ſalutem.*

LITERAS tuas amice quas emiſiſti ad nos quinta die menſis Iulii, prima die menſis Auguſti cum Rogerianis accepi, quibus per ordinem ſi potero duxi reſpondendum. Et in primis quidem gratias tibi ago ingentes pro tua in me beneuolentia, qua meæ congaudes tranquillitati, locumque me inueniſſe aptum lætaris cum libertate philoſophandi. Gaudeo ſane non mediocriter & ipſe, quoniam Deo miſerãte laqueus terrenarum occupationum, quo nimium grauabar in Spanheim contritus eſt, & ego licet cum magna difficultate liberatus ſum. In quartum & viceſimum annum vt noſti grauiſſimum hoconus paſtoralis curæ inuitus portaui, quoniam natus mihi videbar ad quietem ſolitudinis ac ſtudium ſcripturarum potius, quam ad mundi tumultus & iurgia ruſticorum. Solitudo mihi ſemper placuit, quam quoties deſerere compulſus fueram, minus aptus ad ſpiritualia toties fiebam. Non enim me fugit ſanctum Ioannem dixiſſe Chryſoſtomum ſuper Euangelium Matthæi: *Sicut difficile eſt arborem iuxta viam poſitam fructus vſque ad maturitatem ſeruare: ſic difficile eſt virum iuxta hunc mundum viuentem, id eſt in actibus mundi, iuſtitiam immaculatam vſque ad finem tenere. Recede ergo,* inquit, *de via & planta te in loco ſecreto, vt nec mũdus tecum habeat aliquid commune, nec tu cum mundo.* Diui quoque ſententia Hieronymi memoriam raro deſerebat dicentis: *Quid deſideramus vrbium frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur? Mihi enim oppidum carcer eſt, ſolitudo paradiſus.* Nam vt beatus Auguſtinus dicit in libro de ſingularitate clericorũ: *Minus voluptatib. ſtimulatur, qui nõ eſt vbi eſt frequentia voluptatũ: & minus auaritiæ moleſtias patitur, qui diuitias nõ videt.* Inopia fratrum, & magna loci neceſſitas me curis temporalium rerum ſæpius occupauerunt inuitũ, eoq; magis, quo mihi nullus in his aderat fidelis & peritus adiutor. Feci tamen omnem quam potui circa vtriuſque ſtatus reparationem diligentiam, quod ſtructuræ & alia per me facta docebunt, quouſque tandem fratrum meorum cum Cynonotis pernitioſa in me conſpiratio inuoluntarium reddidit, & ad cedendum improbis omnino paratum. Mihi proinde viuere deinceps & ſacris ſcripturis pro viribus ſtatui, mundique inutiles curas reſignare mundanis, quoniam hactenus

hactenus monachis plusquam satis deseruiui ingratis. Huius autem cœnobii cui nũc præsum indignus, etsi paupertate grauetur, nec solicitudines sunt tantæ, nec pernitiosæ cum rusticis tot contentiosæ occupationes. Viuo gratia Dei mea sorte contentus, & quanto rebus transitoriis locus est pauperior, tanto me pacis & tranquillitatis abundantia existimo ditiorem. Enimuero iuxta consilium sancti Christophili Pauli, victum habens necessariũ, quo mortale ad tempus vitæ sustentetur corpusculum, & vestem Boream cohercens, amplius nõ requiro. Orbem terræ marisq; & insularum, quem pulchre depictum in Wormatia scribis esse venalem, me quidem consequi posse optarem, sed quadraginta pro illo expendere florenos, nemo facile mihi persuadebit. Comparaui enim mihi ante paucos dies pro ære modico sphæram orbis pulchrã in quantitate parua, nuper Argẽtinæ impressam, simul & in magna dispositione globum terræ in plano expansum, cum insulis & regionib. nouiter ab Americo Vesputio Hispano inuentis in mari occidentali ac versus meridiem ad paralellum ferme decimum, cum quibusdam aliis ad eam speculationem pertinentibus. Quod autem mones vt huius rei causam Domino meo reuerendissimo proponam episcopo, satis quidem facis officio tuo, sed minus mihi principum pensiculate occupationes & negotia perpetua & maxima videris, qui occupatissimis animis ociosorũ studia existimas persuadenda. Veteris amicitiæ non dubita sum tenacissimus, & quam semel in te charitatem effudi, nulla vnquam terrarum spatia infirmabunt. Vnde quod iubes vt faciã, te quoque facere ne pigeat exhortor & peto. Ita precor viuamus amici, vt alterius in altero memoria valeat apud Deum. Hæc enim veræ amicitiæ causa est, qua non quærimus aliud quam in theosophia parilitatem cordium, & ex mutua cohortatione profectũ animorũ. Quod si alter amicorum aliquam sæuientis mundi calamitatẽ inciderit, ab altero totis est viribus consolandus. Si errauerit, mox ad viam veritatis ab amico reuocandus est. Si tepuerit in studio salutari, excitandus, quia erit vera & iure commendabilis amicitia, si hoc effecerit ad quod est instituta. Et ideo sancti patres iustissimam esse amicitiam legẽ arbitrati sunt, qua præcipitur vt non minus nec plus quisquã amicũ suum quã seipsum diligat. Henricum de Bunau diu vita audiui defunctum, sed libros eius & globum cosmographiæ quẽ olim comparauit ex officina tua, remansisse apud Saxoniæ principes, quod tu existimas, non audiui. Habet enim superstitem fratrem, cui omnia morituros cõsignauit. Rebus tuis secundis vehementer congratulor, tibiq; vt verus amicus congaudeo, cupiens nihilominus memorem te esse versiculorum Hildeberti Turonensis Archiepiscopi dicentis:

*Sphæra.*

*Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,*
*Et spondent propria mobilitate fugam.*
*Quicquid habes hodie, cras te fortasse relinquet:*
*Aut modo dum loqueris, desinit esse tuum.*

Miranda te significas lucubrasse opuscula, ab eo tempore quo tecum fui in Dyrmstein, quæ mihi ostensurum te polliceris cum ad te venero. Sed cum nulla sit mihi causa veniendi ad te, immo neq; voluntas quietem interrumpendi meam, benefeceris & quod maxime decet amicum, si operum tuorum omnium ad me titulos quãprimum dederis, aut certe quod magis cuperem, ipsa opuscula, quæ lecta per me, vel etiam rescripta tibi fideliter quantotius restituenda polliceor. Miraris forsitan quod me causam veniendi ad te dixi non haber, sed accipe rationem. Monasterium cui præsum licet indignus, necdum annali capitulo Bursfeldensium patrum dignoscitur subiectum, quod nouiter est reformatum, quapropter officio visitationis me grauare minime possunt, quẽadmodum per annos viginti continuos non sine graui dispendio meo antea fecerunt. Hinc mihi quiescendi copia Domino Iesu prouidente conceditur, & nulla vagandi sicut prius occasio præbetur. Et inde est, quod causam veniendi ad te me dixi non habere. Maxime tamen vellem vt mecum esses vel vno die, ostenderem & ego tibi quæ mirareris opuscula. Sed videbimus nos aliquando si voluerit Dominus Iesus qui omnia potest. Interea quoties oportunitas se nobis obtulerit, literis nos mutuo in amore ipsius cohortemur. Ora pro me frater ad Deum, vt in sua me via custodiat, omnesq; mihi transgressionis meas, quarum nõ est numerus, propter dolorem amarissimæ passionis suæ misericorditer indulgeat.

Vale. Ex Herbipoli 12. die mensis Augusti. Anno Christianorum 1507.

## XLII.

### IOAN. TRITEM. ABBAS MONASTERII D. IACOBI IN SVEVE-bano ciuitatis Herbipolensis, M. Matthæo Herbeno amicorum integerrimo salutem D. P.

LOCORVM distantia facit nimia quod dare ad te literas rarius possum, nec ideo tamen spiritu disiungor à te, quamuis corpore tibi longe sum absens, quem in vera charitate Christi semper amaui, & inter amicos primariũ cõstitui. Semper itaq; mihi præsens es spiritu, cum te habeam in visceribus fraternæ charitatis. Biennium effluxit quo vltimas ex Colonia Agrippina ad te literas dedi, cum quibus miseram & exemplar literarum mearũ ad Briselium communem amicum, quo certior fieres de his quæ tunc mecum agebantur. Interea nunciorum penuria nihil scripsi ad te, neq; literas tuas vidi vllas, quod eadem causa arbitror accidisse. De Colonia soluto cõuentu principum, cum sereniſſimo principe Electore Ioachim Marchiam Brandenburgensem intraui, & cum eo mensibus nouem cõmoratus sum.

Verum postea reuersus Budorim animo & intentione redeundi ad Spanheim, cum fratres meos Melantium priorem, quem nosti maxime, cum Cynonotis æmulis meis conspirasse aduersum me manifesto cognouissem inditio, mutaui propositum, susceptaq; oblata mihi abbatia, in qua nunc dego sancti Iacobi iuxta Herbipolim, Spanhemensem cum improbis monachis resignaui. Quid enim in medio æmulorum facerẽ, qui semper vel occultas in me, vel apertas inimicitias agerent, ita vt nulla mihi vnquam posset esse securitas, sed continua suspicio insidiarum vtrinque mox oriretur, iuxta dictum Achillis ad Hectorem apud Homerum Iliados x. ita loquentis:

ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
Οὐδ' λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν·
ὡς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι, &c.

Παράφρασις.

*Vt non est leonibus & viris concordia firma,*
*Neque lupi & oues vnum animum habent,*
*Sed mala meditantur vtrinque ad inuicem:*
*Sic non erit me & te amari alterutrum.*

Interposuerunt patres ordinis nostri vices, nosque ad mutuam nitebantur reuocare concordiam, mihique viribus totis reditum ad monasterium persuadere tentabant, sed tutum mihi visum non est, inimicis confidere necessitate sua non voluntate reconciliatis, Pittaci memor sapientiæ pulchre monentis. Μισῶ τὸν ἐχθρὸν φίλον οὐ γενῶ.

Hoc est:

*Neque inimicum amicum tibi existima.*

Et Menander:

Λόγον παρ' ἐχθροῦ μὴ ποθ' ἡγήσῃ φίλου.

id est.

*Sermonem ab inimico nunquam putabis amicum.*

Cessi ergo inuidiæ & æmulationi satis oportune, nec me pœnitet, quietem bonam & pacem DEO fauente consecutum, vbi Iberius iam deinceps mihimetipsi liceat esse intentum. Semper enim tumultuarias mundi occupationes odi, magis autem & loci solitudinem & mentis tranquillitatem amaui, vsque ad inuidiam quorundam, quod ipse non ignoras, qui non paucis diebus mecum Græcarum literarum amore in Spanhemensi monasterio dudum conuersatus es, moresque tam meos quam fratrum meorum satis peruidisti. Sed missa faciam hæc: amicorum tibi conditiones exponam potius, quoniam perlibenter scire te non dubito. Ioannes Damius qui Græcas literas tecum à me olim didicit in monasterio Spanhemensi, præpositus est monialium

in No-

in Noniburgio prope Heidelbergam, & rebus immersus cathedris penè studium literarum omne postposuit. Rogerius noster Sycamber suo more librificat ac foetus producit innumeros, ita vt vel solos titulos recensere mihi sit tædiosum singulorum quæ hic enubrauit opusculorum. Absoluit enim (vt suo vtar verbo) centum triginta sex lucubrationum suarum opuscula in codicibus quatuor, & nec hodie scribere cessat. Iacobus Wimpfelingus Argentinæ est grauem à fratribus eremitis diui Augustini sustinens persecutionem, propterea quod in opere suo *de integritate*, prænotato, scripsit ipsum Augustinū non extitisse monachum, sed cucullatum. Comparor homini pene vltra vires molesta ferenti, cuius hoc bile ingenium iam senescentis ad iurgia compellitur iuristarum. Nam in propria persona citari illū ad sedem Apostolicam procurarunt, cuius apologiam in centum versiculos edidit cum literis meis ad te missis, vt excusationem viri intelligas. Sebastianus Brant adhuc Argentinæ viuit publico senatus stipendio conductus. Ioannes Nutius monachus ille Spanhemensis, qui nunquam in coniurationem prauorum aduersum me consensit, mortuus est, pro cuius anima vt intercedas apud Deum, rectum atq; etiam rogo. Mihi ero in Abbatia Spanhemensi successit prior Melantius, quem nosti, qui non satis pastori suo fidelis extitit. Non imputet illi Deus, quoniam in scitis forsitan seductus est. Valeat Nestoreos in annos memor nostri ad Deum. Ex Herbipoli 16. die mensis Augusti, Anno Christianorum 1507.

*Vuimpfelingi persecutio & vrmita Augustinus.*

## XLIIII.

### *IOAN. TRITEM. ABBAS MONASTERII DIVI IACOBI HERBIPOlensis, Ioanni Capellerio mathematico Parisiensi salutem.*

CREBRIVS ad te literas darem, eruditiss. Ioannes, si mihi non deesset copia nuncium. Non te latere credo quod abbatiam Spanhemen. propter inuidiam æmulorū dimisi, & ideo tibi scribere de hac ipsa mutatione mea necessarium non iudicaui. Causas æmulationum in me omnium, vtinam hæc nullarum notas fecissem, cum apud me essem in Colonia Agrippina in magno conuentu illo Principum. Quæris qui mihi successerint in Marchia Brandenburgensi successus, quid ibi egerim, & quibus fuerim donatus à Principe muneribus fuerim, & quid nunc agam. Hæc summa literarum tuarum est, & quod re peramplius vrgeta me nosse desiderem. Miserante Deo qui disponit & ordinat vniuersa, prospere rediere Marchiam intraui, & qui claudus eram ex fluxu vnius cruris, vt me Colonię vidisti, in Marchia principis chirurgico me curante perfecte conualui. Mansi autem in Berlin cum ipso Marchione mensibus nouem, discalciatus functus officio. Tradidi enim præcepta & regulas principi, quibus sine magno labore in latina lingua doctior euasit, scripsi etiam ad instantiam eius quædam symbemata, quorum lectione gaudebat. Iam enim latine scribit ornate satis, & loquitur diserte, ac quicquid legit perfecte intelligit. Reuertentem me tandem gratiose remunerans ducatos trecentos mihi donauit, seq; maiora daturum cum tempore promisit. Postea vero cum me in hac abbatia constitutum audiisset, etiam alia dona splendida transmisit. Habes breuiter ad interrogata responsum. Et ecce hic mihi tam vtio & studio scripturarum tanto liberius, quanto minus sum in curis temporalium rerum occupatus. Pauperculum & exiguum est monasterium cui præsideo, & paucis ob id negotiis inuolutum. Si lucubrationum mearum interea factarum exigis seriem, & hanc tibi breui narratione expediam. Epistolas meas familiares quas dedi ad amicos ex eo die quo de Spanheim exiui, prima videlicet die mensis Aprilis, anni Christianorum millesimi quingentesimi quinti, vsq; ad introitum meum ad hanc abbatiam, qui fuit quintadecima Octobris anni sequentis, in librum vnum comportaui. Cui adiunxi & secundum, qui continet epistolas primi duntaxat anni prælationis meæ in hoc monasterio, cui & istam inserui. Deinde scripsi itinerarium totius vitæ meæ, à tempore natiuitatis meæ vsque in hunc annum. Post hæc lucubraui de laudibus sancti Ioseph nutricii saluatoris librum vnum. Item scripsi hac æstate opus magnum quod prænotaui Polygraphiam libros sex, ad memoratum principem Dominū Ioachim Marchionem Brandenburgensem. Scripsi & alia quædam minora opuscula, quorum assignare titulos superfluum existimo. Præterea quæ in manibus versantur, cum perfecero, forsitan intelliges. Steganographiam vero meam, cuius primos duos libros in Colonia vidisti, nescio si vnquam in lucem adituros sum, rerum instituta tionum. Prima ratio quæ me ab eius editione retrahit, est futuri consideratio, & timor

*Tritemii scripta. Libri duo epistolarū familiarū.*

*Opus polygraphia.*

*Quare nolit edere Steganographiā.*

verisimilis mali, quod per abusum prauorum hominum contingere posset, cum nostris inuentis mali non minus vterentur ad malum quam boni ad bonum. Secunda est maximi laboris intentio & paruæ mercedis retributio. Nam vt vidisti, opus est arduũ & acutissimæ speculationis, quod sine labore maximo nequeat consummari. Et quæ tanti laboris retributio, nisi auri forsitan pondus modicum, quod transitorium est, & ob id à Christiano monacho potius contemnendum. Pro mercede temporali nunquam mihi fuit animus laborandi, qui me vocatum in vineam Regis conspicio sempiterni. Tertia vero causa est, indoctæ plebis æstimatio, qua omne quod non intelligunt malis artibus adscribunt. Nihil adhuc scripsi, de quo merito quispiam possit admirari, nihil feci stupendũ, & tamen vulgi opinionem patior, dum magum me plerique arbitrantur, asseuerantes me suscitasse mortuos, euocasse ab inferis dæmones, prædixisse futura, furesque reduxisse carminibus & ligasse latrones. Quæ omnia conficta & ementita nec feci vnquam nec cogitaui quidem. Libros fateor magorum plerosque legi, non vt imitarer, sed vt eorum superstitiones pessimas aliquando redarguendo confunderem, quod largiente Domino Iesu Christo breui me facturum confido. Quid putas de me opinabitur stulta hominum indoctorum futura temeritas, cum steganographiam in lucem produxero, quæ talia confinxit de me mẽdacia cum nihil adhuc viderit archani. Quamuis non magnifacio hæc garrulamenta imperitorum, conscientiæ testimonio contentus: dare tamen occasionem suspitionis malæ quantum fuerit possibile non intendo. Vale sanus & fœlix, veteris amicitiæ robore firmus & constans. Ex Herbipoli 16. die mensis Augusti. Anno Christianorum 1507.

*Tritemium nẽ esse magum.*

## XLIIII.

### *IOANNES TRITHEM. ABBAS S. IACOBI HERBIPOLENSIS, Iacobo Kymolano Carmelitani ordinis Theologo & mathematico salutem.*

LITERAS tuas Kymolane quas prima die Maii ex Gandauo scripsisti ad me, vltima die mensis Iulii per quendam mercatorem accepi, in quibus te more tuo rerum mearum ostendis percupidũ, de quo tibi gratias ago immortales. Scias ergo velim, me Christo Iesu miserante, sanum & incolumem, & quod te multorum relatione audiuisse scribis, abbatiam resignauisse Spanhemensem, & eam in qua nunc dego pauper voluntate spontanea acceptasse. Causas huius commutationis audiuisti ex me, cum ante biẽnium vna essemus in Colonia Agrippina. Bibliothecam pretiosam duorum milium voluminum, quam olim vidisti, integram dimisi in Spanheim, quia de monasterii substantia comparata fuit. Nihil enim proprium mihi est, qui monachum iuxta regulam sanctissimi patris nostri Benedicti profiteor. Quosdam vere libellos de rebus naturæ mysticis & archanis, quorum lectio non omnibus conducit, mecum detuli Herbipolim, qui ad Spanheim nunquam pertinuerunt. Græca quoque volumina centum & Hebraica præter Bibliam illam paruulam impressam, simul cum cæteris in monasterio dimisi. Comparaui autem postea mihi in vtraq; lingua volumina de pecuniis mihi donatis à Marchione Brandenburgensi, & si quibus indigerẽ amplius mihi cum tempore prouidebo. Prior mihi in Abbatia Spanhemensi successit, homo sane quem intus & in cute nouisti, qui non magnifacit studium scripturarum, à quo si vellem libros Græcos vili precio facile redimerem. Sed nõ placet mihi Spanhemensi cœnobio suum auferre decorem, quem magno satis pretio comparaui. Sufficit mihi paupertas mea, qui paucis didici esse contentus, cum tempus iam mihi videatur adesse quo multitudo ad vnitatem debeat reduci. Multa & ferme incredibilia legi, satis est, opera sequantur aliquando tempus postulat. Quid opus est multa legendo percurrere, cum sufficere ad necessariam eruditionem paucula queant? Scatet hodie voluminibus mundus, totque in lucem quotidie veniunt libri, vt nemo sit, qui legere omnes possit. Ars enim quam impressoriam vocant tempore infantiæ meæ apud Moguntiam metropolim Francorum inuenta, infinita pene & veterum & nouorum volumina quotidie producit in lucem. Ioannes Amorbachius ciuis Basilienſis, vir doctus & integerrimus, anno præterito omnes diui Augustini libros quotquot inuenire potuit in quindecim voluminibus satis emendate impressit. Simili diligentia formis excussit omnia opera sanctorum Hieronymi & Ambrosii, impressurus etiam de nouo diui Papæ Gregorii opuscula, quorum aliqua male, aliqua vero nunquam fuerunt impressa. Sed de his hactenus. Scire cupio abs te quid factum sit cum literis quas tibi Coloniæ tradideram

*Impressoria quando inuenta.*

Libanio

Libanio Gallo mittendas in Franciam: Scripsi enim mihi interea, & nullam facit earum mentionem, quo fit vt eas in manus illius peruenisse addubitem. Ioannes Paleonydorus concarmelita tuus quando vltimo recessit à me ex Spanheim, in breui se reuersurum promisit, & ecce transierunt iam anni quatuor, in quibus nihil audire de illo vel percipere vspiam potui. Si tibi constat vbi sit an viuus vel mortuus, me quam primum certiorem reddas precor. Ego hic sedens in loco solitudinis & quietis victoria de inimicis facta mihi vaco & literis sacris, experiorque verum quod scriptura promittit diuina: *Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, quia sedebit solitarius & tacebit, & leuabit se supra se.* Tu supplex ora pro me ad Deum, qui pauperem de inopia releuat, vt me custodire in sua volũtate dignetur. Scio enim breue tempus esse peregrinationis meæ in terra, & vt Seneca inquit, punctum est quod viuimus, & adhuc puncto minus. Et hoc minimũ specie quadam longioris spacii natura diuisit. Nam aliud ex hoc infantiam esse voluit, aliud pueritiã, aliud adolescentiam, aliud inclinationẽ quandam ab illa in senectam, quam propriis grauem incommodis non sinit esse quietam, vt iusta consideratione dixerit vir quidam sapiens in ecclesiastico: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, vsq; ad diem sepulturæ eorum in terram matrem omnium.* Omnia enim quæ de terra sunt in terram conuertentur. Et propterea homo vanitati similis factus est, quoniam dies eius sicut vmbra prætereunt. Ecce breues anni transeunt, & semitam per quam non reuertemur ambulamus, multisque repleti miseriis continuis aduersitatum agitamur procellis. Quid enim sumus miseri mortales, nisi ventus & vmbra, qui in turbatione viuimus, & in momento decidentes amplius non comparemus, Sicut Sophocles in Aiace furentem Vlyssem introducit loquentem:

*Tren. 3.*

*Cap. 40.*

*Fragilitas hominum.*

ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
Εἴδωλ' ὅσοι περ ζῶμεν ἢ κούφην σκιάν. id est:
*Video enim nos nihil existentes aliud, quam*
*Simulachra quotquot viuimus, seu leuem vmbram.*

Vnde Homerus poetarum princeps, hominis intuens miseriam ingemiscit dicens in Iliad. ρ. quod & ipse non ignoras:

Οὐ μὲν γὰρ τίπου ἔστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ὑπηνείει καὶ ἕρπει,
*Non enim certe aliquid est miserius homine*
*Omnium quæ spirant in terra serpuntque.*

Arborum foliis comparandi sumus, vt idem Homerus dicit in sexto, quoniam sicut folia cadunt de arboribus hyeme properante, ac veris alia tempore succrescunt: ita & hominum genus aliud quidem nascitur, aliud vero moritur. Folium quod semel deciderit, amplius ad arborem non consurgit, & homo posteaquam semel moritur, ad hanc vitam deinceps nullatenus reuertetur. *Proh superi quantum mortalia pectora cæcæ noctis habent? Viuimus mortales, & morituros non cogitamus.* Lætamur, gaudeamus, & amplectimur caduca tanquam semper victuri, & cum existimamus minime hinc rapimur quasi nunquam nati. O Kymolane cogitemus nouissima nostra dum cogitasse iuuat, ne tarde ignauiam vitæ ploremus. Grammatica Lascaris Græca quam tibi Coloniæ commodaueram tua sit, quoniã mihi necessaria non est. Habeo enim similem alteram Venetiis nuper impressam. Neminẽ hic Græcis noui literis intentum, præter vnicum Engelhardum Funck Decanum noui monasterii, virum doctum & tam carmine quam prosa exercitatũ. Vale nostri memor ad Deum. Ex Herbipoli decimasexta die mensis Augusti. Anno Christianorum 1507.

*Glauci verba sunt.*

οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν. &c.

*D. Engelhardus Funck.*

## XLV.

*IOAN. TRIT. AB. MONASTERII DIVI IACOBI IN SVBVRBANO HERbipolensi, Christiano Masseeu presbytero Gandaui in cœnobio diui Hieronymi commoranti, amico chariss. salutem.*

QVANTO cupiam scire desiderio quid agas, quomodo valeas, & quid scribas noui, aut si chronicon perfeceris tuum, nec literis possum exprimere, nec verbis, cum longe simus ab inuicem disiuncti, notum tibi facere. Maxime tamen optarem tuas aliquando videre de temporum supputatione lucubrationes, quas mihi dudum abscribere pollicitus es. Quinque iam anni effluxerunt ex eo tempore, quo Chronicam scribere ad-

orsus es, quam si necdum compleuisti, opus profecto aut maximum est, aut tu compilator omnium tardissimus. Vehemēter autem timeo ne tibi contingat quod multis hodie clausstralibus sub obedientia constitutis prælatorum nouimus euenire, qui nobilissimis ingeniis præditi, ad viles mundanarum actionum sarcinas compelluntur subeundas: &c quib. animus ad studia literarum aptissimus est, manibus contrectare librum prohibētur. Miseram tibi vltimo vt postulasti nomina duodecim mensium, quibus apud Græcos appellantur simul & Hebræos propriis literis scriptos, nec satis intelligo ad quid tibi in chronicarum æditione conducant. Epigrammata vero Græca, quæ in aurea cruce dicis inscripta conseruari apud vos, admirationem mihi non modicam pepererunt, quomodo ex Constantinopoli Gandauum venerint. Habet enim inscriptio *crucem ipsam iussu & impensis Constantinopolitani factam Imperatoris.* Cessauit admiratio statim, cum venisset in mentē, Constantinopolim captam olim & spoliatam tempore Henrici Imperatoris quarti, per Gotfridum comitem de Bulyon, qui ob magnifice gesta in terra Lotharingiæ, ducatus nomine meruit insigniri, & in regem Heroſolymitanum sublimari. is enim per Vngariā & Bulgariam exercitum ducturus in Palestinam, iniuriis prouocatus Alexii Imperatoris, Bizantium cepit, & spolia militibus, quorum multi postea in Germaniam reuersi, reliquias, cruces & tabulas aureas, argenteasque sublatas à Græcis Latinorum ecclesiis contulerunt. Memor esto Christiane in æditione chronicorum tuorum, quod omnes ferme chronographi in supputatione annorum Domini grauiter errauerunt, omittentes quatuor & viginti annos, qui sub consulibus non recte supputati transierunt, quod ex Mariano Scoto monacho, & Augustino Westgallo Louanienſi theologo subtiliter inuenies calculatum. Scripseram tibi de hac ipsa re ante triennium latius ex Spanheim per Ioannē Steinenmoelen presbyterum Mechilinienſem. Scripsimus autem & nos interea chronicon non paruæ quantitatis monasterii Spanhemensis cui tunc præeramus, incipientes à prima ipsius fundatione, quæ facta est anno Christianorum millesimo quadragesimo vsque ad annum secundum supra quingentesimum atque millesimū, in quo per successiones omnium abbatum seriem narrationis deduximus, vsque ad nonumdecimū prælationis nostræ annum, multa inserentes rerum in Alemania gestarum, quæ nobis memoria videbantur dignæ. Festina quæso tandem operi manum imponere vltimam, vt illud videre quandoque mereamur. Quamprimum fieri potest facnos eorum quę circa te geruntur certiores. De nobis autem tib. significamus, quod abbatiam nostram Spanhemensem pacis amore dimisimus, & eam in qua nunc viuimus S. Iacobi Herbipolis assumpsimus, occasionem nobis præbentibus quibusdam æmulis, quibus nostra studia sancta minime placuerunt. Vale & Deum ora pro nobis. Ex Herbipoli decima sexta die Augusti, Anno Christianorum 1507.

*Constantinopolu quā do capta.*

*Chronica Spanheim. 1040. 1102.*

## XLVII.

### *IOAN. TRITEM. ABBAS MONASTERII D. IACOBI IN SVBVRbio ciuitatis Herbipolensis, Ioanni Damio Curtensio salutem, ac syncceram in Domino charitatem.*

RETVLIT nobis lator præsentium frater Wilhelmus orphanus, nepos abbatis Macharii Lympurgensis, magnæ temeritatis historiam, quæ si vera est satis nos facit admirari. Dicit enim abbatem Bursfeldensem cum nescio quo alio nuper in Spanheim visitationis peregisse officium, & inter alia suæ auctoritatis mandata, præcepisse abbati Nicolao successori nostro certis sub pœnis, quatenus omnia linguæ græcæ volumina scripta simul & impressa de monasterio studeat alienare, distrahere & vendere, quæ nos cum magno labore vt nosti grauibusque expensis ex Græcia & Italia comportauimus. Quæ si vera sunt, te enim latere non possunt, maxime rogamus quatenus ad monasterium Spanhemense quantotius accedas, & ipsa volumina Græca simul & Hebraica pro nobis cōpares, aut scire nos mentē abbatis facias. Curabimus enim ex his quæ nobis principum sunt largitione collata tātum cōportare pecuniarū, quo libros redimamus venales. Quāuis nō temere fidē dictis adhibere possimus. Quęnā causa bonū abbatē illū potuit permouere, vt libros iubeat venūdari græcos, in quibus nihil cōtinetur mali. An forte nostri laborat odio, vel zelo ductus amaritudinis memoriā per hoc Tritemii de terra delendū existimat, quod olim diuo Papæ Gregorio primo leguntur fecisse Romani, qui post mortē eius omnes libros abeo cōpositos quos poterant inuenire ignibus tradiderunt. Sed credere non possumus hoc

abbatem

abbatem cogitare Bursfeldensem deuotione Christo iuratum, qui nos meruisse de reformatione ordinis meliora cognoscit, quanquam pro memoria apud posteritatem habēda cura sit nobis aut nulla, aut parua. Magis autem credimus illum pia consideratione motum, vt quia neminem græcarum literarum peritum in Spanheim reperit, propterea libros quasi inutiles arbitratus loco, vendi ac verti in vsus fratrum necessarios precium mandauit. Quamuis ista venditio mihi non placeat, propterea quod omnes libros multis pecunijs comparatos per me ad perpetuum cœnobij Spanhemensis ornatum atq; decorem, in ipso suo loco maxime vellem permanere. Scis enim q̄ plus quam mille quingentos auri ducatos pro libris expositis in quatuor & viginti annis nostræ prælationis, magnamq; & copiam & multitudinem eorum comportauimus in vnum. Duo quippe millia numerauimus voluminum Bibliothecæ monasterij Spanhemensis ante hoc triennium, quando Henricus de Bunau eques auratus Ducum Saxoniæ doctissimus orator fuit nobiscum, quorum nullum fuit in loco tempore introitus nostri ad abbatiam, quod tu frater minime poteris ignorare, quippe qui & monasterium mecum intrasti, & multo tempore minister mihi & Camerarius fuisti. In omni facultate scientiarum multa volumina comportauimus non solum impressa, sed etiam pergameno scripta complura, preciosa & rara, vt confidenter ausim dicere, in tota Germania similem non esse bibliothecam, in qua tot, rara & peruetusta reperiantur volumina in omni varietate scripturarum tam diuinarum quam secularium: diuersarum quoque linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ. Taceo reliquas consulto quæ nostris vtuntur characteribus, vt Italicæ, Gallicæ, Bohemicæ, ac similes. Scio enim quod Græcorum voluminum scriptorum simul & impressorum numerus centenarium excedit, pro quibus vt curam habeas te vehementer oramus. Et siquidem venales sunt, pro nobis comparentur. Dabimus enim iustæ æstimationis precium quod nemo alius daturus est, cum hodie sciamus neminem in omni prouincia Rhenensium Græcarum literarum studiosum & doctum. Sin vero libri non sunt venales, quam optime sumus contenti, quatenus in suo loco permaneant. Age precamur vt diligentiam tuam nostro experiamur conuenisse desiderio. Vale nostri memor ad Deum. Ex Herbipoli vicesima die Augusti. Anno Christianorum millesimo quingentesimo septimo.

*Bibliotheca Spanhem.*

## XLVIII.

### *IOAN. TRITHE. AB. MONASTERII S. IACOBI IN SVBVRBIO ciuitatis Herbipolensis, Ioanni Virdungo de Hasfurt mathematico doctissimo salutem.*

EXHIBVIT mihi literas tuas Henricus Gronigerus Reuerendissimi præsulis nostri à secretis, quibus plane cognoui causam meam petitoriam apud Illustrissimum principem Philippum Comitem Palatinum per te fuisse promotam. Quare tibi gratias habeo quam maximas, referamque pro viribus quoties mihi dabitur occasio. De libris vero principis faciam iuxta consilium tuum, quamuis timeam ne mora inducat periculum, quoniam homines sunt vigilantia vt plurimum carentes, qui paruam rebus etiam arduis adhibeant curam. Librum vero tuum quem mihi commodasti manibus commissi scriptoris, qui mox vt fuerit rescriptus, ad te sine mora reuertetur. Libros autem Berengarii meos, quos apud te Budoris dimiseram rescribendos, cum perfeceris ad me vt redeant iubeto. Homo ille de quo mihi scripsisti Georgius Sabellicus, qui se principem necromanticorum ausus est nominare, gyrouagus, battologus, & circuncellio est, dignus qui verberibus castigetur, ne temere deinceps tam nefanda & ecclesiæ sanctæ contraria publice audeat profiteri. Quid enim sunt aliud tituli quos sibi assumit, nisi stultissimæ ac vesanæ mentis inditia, qui se fatuum non philosophum ostendit? Sic enim titulum sibi conuenientem formauit: *Magister Georgius Sabellicus, Faustus iunior, fons necromanticorum, astrologus, magus secundus, chiromanticus, agromanticus, pyromanticus, in hydra arte secundus.* Vide stultam hominis temeritatem, quanta feratur insania, vt se fontem necromantiæ profiteri præsumat, qui vere omnium bonarum literarum ignarus fatuum se potius appellare debuisset quam magistrum. Sed me non latet eius nequitia. Cum anno priore de Marchia Brandenburgensi redirem, hunc ipsum hominem apud Geilenhusen oppidum inueni, de quo mihi plura dicebantur in hospitio friuola, non sine magna eius temeritate ab eo promissa. Qui mox vt me adesse audiuit, fugit de hospitio, & à nullo poterat persuaderi, quod se meis præsentaret aspectibus. Titulum stultitiæ suæ qualem dedit ad te

*Georgius Sabellicus.*

*Fausti vanitas insignis.*

quem memorauimus, per quendam ciuem ad me quoque destinauit. Referebant mihi quidam in oppido sacerdotes, quod in multorum præsentia dixerit, *tantam se omnis sapientiæ consecutum scientiam atque memoriam, vt si volumina Platonis & Aristotelis omnia cum tota eorum philosophia in toto perisset ab hominum memoria, ipse suo ingenio velut Ezras alter Hebræus, restituere vniuersa cum præstantiore valeret elegantia.* Postea me Neometi existente Herbipolim venit, eademque vanitate actus in plurimorum fertur dixisse præsentia, *quod Christi Saluatoris miracula non sint miranda, se quoque omnia facere posse quæ Christus fecit quoties & quandocunque velit.* In vltima quoque huius anni quadragesima venit Stauronesum, & simili stultitiæ gloriosus de se pollicebatur ingentia, dicens *se in Alchimia omnium qui fuerint vnquam esse perfectissimum, & scire atque posse quicquid homines optauerint.* Vacabat interea munus docendi scholasticum in oppido memorato, ad quod Francisci ab Sickingen Baliui principis tui, hominis mysticarum rerum percupidi promotione fuit assumptus, qui mox nefandissimo formationis genere cum pueris videlicet voluptari cœpit, quo statim deducto in lucem fuga pœnam declinauit paratam. Hæc sunt quæ mihi certissimo constant testimonio de homine illo, quem tanto venturum esse desiderio præstolaris. Cum venerit ad te, non philosophum, sed hominem fatuum & nimia temeritate agitatum inuenies. Vale mei memor cum oportunitate principali. Ex Herbipoli vicesima die mensis Augusti. Anno Christianorum 1507.

## XLIX.

*REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ILLVSTRISSIMOQVE principi & domino, Domino Hermanno Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Angariæ Westphaliæq. Duci, administratori Ecclesiæ Padelbornensis, sacri imperii per Italiam Archicancellario, Principi Electori, Ioan. Trite. abbas S. Iacobi Herbipolensis felicitatem optat.*

REVERENDISSIME Princeps, promiseram vltimis literis quas dedi ad R.P.T. in fine mensis Iunij, venturum me circiter ad festum sancti Michaelis archangeli, quod & fecissem quam libentissime, nisi pestis epidimiæ interea nimium grassari cœpisset in omnibus pene locis cisrhenanis, per quæ fueram descensurus, atque in hunc vsq; diem non cessauerit. Quapropter necessarium mihi fuit domi consistere, scienti quod præsentia cuiuscunque hominis per loca in quibus pestilentia viget, cunctis solet esse principibus nauseanda. Metuens ergo ne hoc ipsum R.T. contingeret paternitati, cum pene in omnibus locis hodie circa partes Rheni hoc sæuiat malum, necessaria consideratione aduentum meum in aliud differre tempus decreui, nisi tua Serenitas hoc meum institutum indicauerit immutandum. Interea quæ restant adiicienda paratis pro eadem tua serenitate, vt quam abunde perficiantur pro viribus curabo. Omnipotens Deus tuam paternitatem reuerendissimam diu conseruet incolumem, cui me quam humilime facio commendatum. Ex Herbipoli, vicesima quarta die mensis Augusti. Anno Christianorum 1507.

## L.

*IOAN. TRITHE. AB. MONASTERII DIVI IACOBI APOSTOLI in suburbano Herbipolensi, Iodoco Beiselio Iurisconsulto perspicacissimo salutem.*

NVNCIATVM tibi credo Iodoce per communes amicos, Rogerium, Herberum, & Kymolanum, & alios rerum mearum variatum iuxta Genesim statum, vt compleretur prædictio astrorum, si quid virium habere credenda sit, quam ante viginti annos Regis Philippi vaticinauit astronomus. Sæpius fateor & ipse interea comminantes inuenisse calculatione figuras, sed diui Augustini consilio persuasus, risum computaui vaticinia stellarum. Euenit mihi tandem quod videbantur polliceri, & data mihi occasio est, qua deinceps experientia faciat necessario cautiorem. Inuidia æmulorum præstitit vaticinio locum, quam ne mathematici vacillaret prædictio nulli dubium dæmonium aliquod malignum suscitauit. Libenter enim, si Deus permittat, dæmones vaticiniis cooperantur humanis, per quæ in erroris deuio mentes capiant nimium credulas vanitatibus. Preualuit aduersum me temeritas æmulorum dæmonis haud dubium instigatione agitata, quod etsi præsignauerint astra futurum, hominum tamen libertate prouenit arbitrij. Nemo enim

enim vt in me sæuirent æmulos prouocauit inuitos, nec me vt abbatiam dimitterẽ Spanhemensem compulit quisquam: sed voluntate quidem cessi spontanea, causam vero vt vellem ingratitudo præstitit monachorum, de qua tibi olim ex Colonia q̃ latissime scripsisse me memini. At nunc viuo hic multo quam in Spanheim quietior, mihi vacans & lectioni scripturarum, pauper quidem rebus, sed animo vt mihi videor dives, vtpote qui vanas mundi occupationes amauerim nunquam. Quod me hortaris vt veniam ad te, promittens mihi omnia vitæ huius necessaria quoad vixero, amoris erga me tui maximum est inditium, cui gratias & habeo & ago pro viribus immortales, referamq; si vnquam mihi facultas data fuerit. Descendere aũt ad te ibiq; manere deinceps, quod maxime videris optare, scis quoniam meæ non congruit professioni, qui monasticæ sum religioni addictus, & in verba sanctissimi patris mei Benedicti iuratus. Nullatenus enim proposito meo conuenit monasticam solitudinem relinquere, & cum hominibus sæcularibus quantumlibet bonis & iustis in sæculo continue habitare. Nam etsi mihi forsitan cohabitare tibi nullum sit periculum, fieret tamen multis in religione mea scandalosum, quoniam sicuti nõ omnibus omnia placent, ita nec omnibus omnia expediunt. Statui ergo in monasterio aliquo consistere ordinis & obseruantiæ regularis, ne alicui de me præberetur male sentiendi occasio. Habuissem alioquin ex magnis mundi principibus nõ vltimos qui me copiosissime prouiderent in necessariis vitæ præsentis, si me curiis & ministeriis eorum inscribere voluissem. Vnde vsque in hunc diem qui me proposito annali stipendio satis copiose ad curias inuitant suos complures agnoui. Sed non est vita piscibus in arido, nec monacho tuta conuersatio sine claustro. Propterea ne mendacem constituam memetipsum, elegi pauper & abiectus habitare in cœnobio, magis q̃ dives & gloriosus apparere cũ principibus in sæculo. Quid enim mortuo homini magis congruit quam latere in sepulchro? Et monachum qui semel abrenunciauit sæculo, quid amplius decere putas, quam vt spretis omnibus negotiis mundi, corpore quietus & mente tranquillus, sibi vacans & scripturis diuinis in monasterio permaneat? Maxima enim & principalis causa vt Spanhemensem abbatiam plenam inutilibus mundi curis resignarem, istamq; sancti Iacobi, qua non est in ordine pauperior, assumerem, fuit amor solitudinis, pacis & tranquillitatis, non vt ocio defluerem inerti, sed quo studio liberius possem insistere scripturarum. Neq; enim inuidiam æmulorum vsque adeo insuperabilem expertus fuit animus, vt eam non facile domare fauore & auxilio sereniſſimi principis Philippi Comitis Palatini potuerim si voluissem, præsertim cum patres ordinis de obseruantia omnes nihil magis cupierint, quam vt abbatiam non desererem Spanhemensem. Vnde miserunt ad me Budorim duos abbates ex Synodo, quam apud Moguntiam celebrabant, qui reditum ad monasterium mihi persuaderent. Sed ego non minus amore pacis & tranquillitatis quam iniuriarum consideratione permotus, fixum apud me quod statueram seruaui, patienter sufferens datam mihi occasionem, qua vanis & inutilibus mundi occupationibus vel sero tandem eximerer. Itaque largiente Domino nostro Iesu Christo, qui est saluator fidelium animarum, quam semper optaui pacem assecutus sum: pace nunc fruor desiderata: pacem quoque sequar quam diu in carne spiritus in me vitæ permanserit. Neque paupertatem loci præsentis quem assumpsi grauiter duxi ferendam, sciens breuitate huius vitæ consummata tandem nihil hinc mecum transiturũ ex omnibus quæ possidentur in mundo. Victum ergo habens & vestitum Christianus iubetur esse contentus, quoniam qui diuites fieri cupiunt, varias tentationes dæmonum incurrunt. Monachus autem qui diuitias amat, nec monachus est nec Christianus, sed apostata potius & infidelis, quoniam & Euangelium transgreditur, & voti contemptor monastici suo domino mentitur. Sed vale, & rerum quoque tuarum me facito certiorem. Ex Herbipoli vicesima sexta die mensis Augusti. Anno Christianorum 1507.

## LI.

### *IOAN. TRITHE. AB. D. IACOBI HERBIPOLENSIS, ROGERIO Sycambro salutem & charitatem.*

EPISTOLAM tuam prima die mensis Augusti ad me datam Rogeri charissime, suscepi sexta die eiusdem mensis, in qua iterum atque iterum postulas, vt tibi titulos & rationem omnium lucubrationum mearum transmittam, quod itidem & re prius rogasse, & me promissione pollicitum non ignoro. Faciam nunc itaque quod hortaris, pinacemque æditionum mearum per ordinem temporis quo sunt factæ tibi designabo.

Catalogus librorum Ioannis Trithemii.

In primis cum essem annorum trium & viginti, comportaui ex scriptis doctorum summulam virtutum in duobus libris, quam necdum in lucem ædere potui. Hoc opus sic incipit: *Magna virtus animæ est virtutem amare.*

Ad instantiam quoque Ioannis Damii Curtensij, nunc præpositi sanctimonialium in Nouiburgio prope Budorim, tunc monachi & capellani mei, scripsi de tentationibus monachorum libros duos, qui & ipsi necdum sunt emissi. Hoc opus sic incipit: *Humanum genus.*

An instantiam denique Nicolai Stauronesij, tunc prioris mei clausralis in Spanheim, scripsi super regulam sancti patris nostri Benedicti libros duos, quod sic incipit: *Venite filii audite me, timorem Domini doce.*

Ad petitionem quoque memorati Ioannis Damij scripsi duos libros exhortationum ad monachos, qui & ipsi delitescunt. Hoc opus sic incipit: *Milites conuenit Christianæ.*

Ad instantiam cuiusdam amici librum scripsi vnum de miseria vitæ præsentis, in quo legentis animum ad mundi contemptum inducere conatus sum. Hoc opus dudum fuit impressum & incipit: *Cum nihil sit vita*, &c.

Contra vitium proprietatis monachorum atque clausralium scripsi librum vnum, ad instantiam cuiusdam monachi in Blidenstat, qui est impressus Moguntiæ ante plures annos. Hoc opus sic incipit: *Omnes ad vitam*, &c.

Chronicon quoque monasterij tunc mei Spanhemensis, à tempore fundationis suæ vsque ad annos Christianorum millesimum quingentesimum secundum cum magno labore conscripsi, in quo successiones, tempora, & gesta omnium abbatum eius à primo vsque ad me, quantum inuenire potui diligentissime ordinaui, magnum volumen conficiens historiarum, in quo singulis annis multa perdigressionem inserui rerum memorarum in Alemania dignarum. Hoc opus sic incipit: *Anno Domini.*

De modo & forma visitationis clausralium scripsi librum qui Nurenbergæ dudum iussu patrum est impressus, & sic incipit: *Fratres thos visitabis si recte.*

De modo etiam & forma celebrandi synodum ordinis prolixiorem scripsi librum vnum iussu & imperio patrum, qui præscripto coimpressus est, incipit: *Quoniam in celebrand.*

Statuta quoque capitulorum prouincialium à tempore concilij Constantiensis vsque ad capitulum in Hirsauia celebratum, mandato Patrum abbreuiando in vnum librum comportaui, qui duobus præscriptis Nurenbergæ coimpressus est, & incipit sic: *Quoniam volenti singula ord. stat.*

Statuta etiam annalis capituli patrum de obseruantia eorum iussu in vnum librum ornatiore stylo abbreuiando redegi, qui Coloniæ habetur in cœnobio sancti Martini, & in Spanheim habetur, & incipit sic: *Reuerendis in Christo.*

Ad instantiam Ioannis abbatis Bursfeldensis modum & formam descripsi annale capitulum celebrandi, quod opus priusquam perficerem ille obiit, & libellus in Spanheim cum aliis remansit. Incipit autem sic: *Reuerendo patri Domino Ioanni.*

Ad preces Blasij abbatis Hirsauiensis *chronicon eiusdem cœnobij* scribere adortus maiorem partem compleui, sed illo mortuo æditionem intermisi, incertus qua mercede successor eius laborem recompensare futurus sit.

Ad eiusdem abbatis Blasij preces scripsi librum vnum de ruina ordinis nostri, quem *ruinam*, id est lugubrem, prænotaui. Hoc opus Moguntiæ impressum est, & mandato patrum ad mensam in prouinciali capitulo semper legi consueuit. Incipit autem: *Cum ordinis nostri prisstinum decorem.*

An instantiam Gerlaci de Breytbach abbatis Tuitiensis prope Coloniam, scripsi de laude scriptorum librum vnum, qui est Moguntiæ impressus, & incipit: *Venerabili patri & Domino* &c.

Ad preces quorundam patrum de ordine carmelitarum scripsi libros duos, in quorum primo, principium, incrementum, & laudes eiusdem ordinis digessi. In secundo illustres viros qui in eo claruerunt consignaui. Hoc opus Moguntiæ impressum est & incipit: *Precibus & instantia Vene.* &c.

De laudibus quoque sanctæ Annæ matris intactæ atque castissimæ virginis Mariæ Deigenitricis scripsi librum vnum ad preces Rumoldi Prioris Francofordensis memoriæ ordinis, qui est impressus & incipit. *Voti compellit necessitas.*

Ad preces cuiusdam nouelli sacerdotis Nicolai Mernicensis apud Grunes quondam conscholaris mei scripsi de institutione vitæ sacerdotalis librum vnum, qui est impressus & incipit sic: *Petis à me Nicolae frater charissime.*

Ad Io-

Ad Ioannem Camerarium Dalbergium Vangionum eruditissimum antistitem librum scripsi *de ecclesiasticis scriptoribus* prænotatum, qui Basileæ fuit impressus, sic incipit post epistolam: *Multorum instantia sæpe rogatus.*

Ad preces Iacobi Wimpfelingi Slestattensis, poetæ, oratoris, atque theologi clarissimi opusculum scripsi de illustribus Germaniæ scriptoribus, quod prænotaui: *Catalogum luminarium Germaniæ.* Hoc opus Moguntiæ impressum sic incipit: *Quoniam sunt nonnulli Iacobi.*

De viris quoque illustribus ordinis nostri scripsi libros quatuor, qui necdum in lucē prodierunt, quorum primus loquitur de principio & incremento ipsius ordinis in genere. Secundus vero catalogus est sanctorum ex ordine ipso canonizatorum. Tertius Romanos continet pontifices ex ipso assumptos. Et quartus viros ordinis exprimit insignes, qui non minus Ecclesiam catholicam quam ordinem ipsum scriptis & lucubrationibus suis magnifice ornarunt. Hoc opus sic incipit: *Cogitanti mihi ac crebrius.*

Ad fratrem Albertum Latronem, ordinis Minorum scripsi de computo Ecclesiastico librum vnum, qui non est adhuc deductus in publicum. Incipit autem: *Ioannes Trithemius abbas*, &c.

Ad imperiū patrum ordinis mei de obseruantia nostra quæ Bursfeldensis à loco suæ originis dicta est, scripsi arduū opus de triplici regione claustraliū, occasione accepta ex quibus synthematibus in prologo fit mentio. Sunt autem tres libri quorum primus regionē describit claustralium incipientium, secundus proficientium, tertius perfectorum. Hoc opus Moguntiæ impressum est, & post epistolam meam ad præsidentes sic incipit: *Cum vitæ monasticæ statum.*

Ad preces quoque cuiusdam amici, præfato trium regionum claustralium operi adiunxi post finem, spirituale exercitium monachorum librum vnum, qui similiter cum illo est impressus, & incipit sic: *Quoniam opusculum de triplici reg.*

Rursus de ipso monachorum exercitio vnum epitoma ad eiusdem amici petitionē extraxi, quod cum præscriptis similiter est impressum, & sic incipit: *Et si formula spiritualis.*

Magnum post hęc & nimis arduum opus Steganographiæ mirabilis adinuentionis in octo libros partiendum scribere sum adorsus, cuius primum quidem librum & secundum ad finem vsque perduxi, tertium vero mancum & reliquos omnes dimisi vsque in hunc diem animo sepultus, multiplici consideratione persuasus, cum & labor sit magnus, & forsitan retributio parua. Maneat ergo imperfectum, sicut iacet, donec aliud persuadeat vtilitas. Hoc opus sic incipit: *Antiquissimos sapientes, quos græco sermone philosophos.*

Ad preces Vdalrici Eslingensis Theologi, Colonienſisque maioris Ecclesiæ Canonici, de certis dubiis & quæstionibus in Euangelio κατ᾽ Ioannem scripsi ad textum græcum libellum qui non est impressus & incipit: *Crebris amicorum.*

Ad eundem alium scripsi libellum de quibusdam in Psalterio dubiis ad exemplaria græcorum, quorum breuem feci absolutionem. Incipit autem: *Cum nuper ad Coloniam.*

De sanctissima quoque matre Anna rosarium quinquaginta distinctum articulis ordinaui, pro mea in eam deuotione, simul & horarias preces, quas cursum appellare consueuimus, officium missæ cum sequentia. Exultent in hac die, & alia, quæ incipit: *Iesu cælorum regis sanctam laudemus.*

Ad preces Macharii abbatis Lympurgensis scripsi de miseria prælatorum claustralium libros duos, qui necdum in lucem sunt æditi, sed in Spanheim manserunt. Hoc opus sic incipit. *Vt de miseria prælatorum claustralium*, &c.

Orationes in capitulis ordinis & extra habitas, plures scripsi numero quam viginti, quorum aliquæ Moguntiæ fuerunt impressæ, aliæ vero per amicos dispersæ sunt.

Rosaria quoq; multa de diuersis sanctis, Petro, Paulo, Maria Magdalena, & alijs, collectas, prosas siue sequentias, orationesq; supplicatorias sine certo numero complures, ad instantiam deuotorum hominum scripsi, quorum omnium exemplaria non retinui. Cōplura etiam parua scripsi opuscula, quorum hac vice titulos omnium ad memoriā nequeo reuocare. Ex his nonnulla in lucem ædita iamdudum prodierunt, alia vero in Spanheim necdum satis elucubrata dimisi, in posterum forsan perficienda.

*De origine & progressu ducum Bauariæ* historiam quoque scripsi, iubente sereniſſimo principe Domino *Philippo* Comite Rheni Palatino, cuius exordium operis à memoria lapsum est.

Epistolas vero ad amicos scripsi multas, quarum paucas in vnum librum coadunaui, illas videlicet quas in principio abbatiæ meæ Spanhemensis emiseram. Reliquæ autem

absque ordine iacent adhuc in schedulis dispersæ, quas si potero in vnum volumẽ aliquo tempore comportare curabo.

Hæc sunt synthemata mea Rogeri amantissime Sycamber, quæ in abbatia Spanhemensi me scripsisse ad præsens memini, inter occupationes rei familiaris continuas, & treberrimas vt nosti in ordine meo visitationes, ab anno Christianorum millesimo quadringentesimo octogesimoque tertio, die mensis Iulii vicesimanona, quando in abbatem fui electus Spanhemensem, vsque ad annum millesimum quingentesimum quintũ, primam videlicet diem mensis Aprilis, quando de Spanheim vltimo exiui non amplius reuersus. A tempore vero exitus mei de Spanheim vsque ad introitum meum in hanc diui Iacobi abbatiam, fluxerunt menses decem & octo, dies quindecim, in quibus parum scribere potui, præter quasdam epistolas familiares, quas in vnum librum hic postea redegi. Nouem vero mensibus, quibus interea cum sereniſſimo principe Ioachim Electore in Marchia Brandenburgensium manseram, quod te non latet, minime fui otiosus, sed quazdam ad eius imperium lucubraui opuscula, quorum aliqua compleui, reliqua imperfecta dimisi. Nam complurium historias abbreuiaui sanctorum ad eiusdem Principis instantiam, quorum deuotione peramplius feruebat, multasque & varias orationes de eisdem supplicatorias in vno volumine comportaui quod sic incipit: *Magnum & arduum opus tui amore Princeps*, &c.

Eodem quoque tempore in Marchia constitutus iubente memorato principe scripsi de varijs atque diuersis materijs & rebus antiquitatum ex disputatione quotidiana emergentibus libros 14. in vno volumine, quod opus prænotaui Panalethiam, cuius prologus primus sic incipit: *Multa sunt præceptor magne*, &c.

Aliud etiam opus Hieraticum scripsi ad eundem principem pro diuersis morbis propellendis necessarium, in quatuor & triginta particulas diuisum, cuius primus prologus sic incipit: *Ea quæ tuæ mateſtati scripturus aggredior*, &c.

Præscripta tria volumina compleui ad finem, reliquorum vero quæ necdum perfeci titulos hic dicere nemo compellit.

Hæc sunt Rogeri charissime, quæ abbas Spanhemensis in tribus & viginti annis lucubraui opuscula, quæ vero sequuntur postea scripsi abbas monasterii sancti Iacobi Apostoli in suburbano Herbipolensi, cui nunc præsum indignus, tanto literarum intentioni vacans liberius, quanto propter inopiam rei temporalis minus fum in externis occupatus. Sciens enim locum esse pauperem & quietum eo assumpsi libentius, quo me posse vacare studio scripturarum liberius sperabam. Scis enim quod plures magnas abbatias & pingues mihi à principibus oblatas, amore quietis & scripturarum contempsi. Hanc autem, cum mihi fuisset oblata, meo confidens amplius conuenire proposito sciens pauperculam assumpsi, in qua necdum integrum compleui annum, vnde & pauca lucubraui.

In primis scripsi librum vnum in laudes sanctissimi Ioseph nutricii Domini & saluatoris nostri IESV CHRISTI, cui adiunxi rosarium quinquaginta articulorum ex præconiis meritorum eius. Officium quoque cum orationibus, & prosa quam sequentiam appellant. Hoc opus sic incipit: *Magno sæpe desiderio statui satisfacere & deuotioni propriæ.*

Post hæc scripsi ad Iacobum Trithemium fratrem Epistolarum mearum familiarium libros duos, quorum primus continet quasdam epistolas numero 66. quas scripsi ad diuersos per totum illud tempus, quo de monasterio Spanhemensi exiui, vsque ad introitũ meum in hunc locum. Secundus vero continet epistolas similiter 60. quas hoc anno abbatiæ huius primo scripsi ad diuersos. Hoc opus sic incipit: *Oportune satis admonuisti suauissime*, &c.

Scripsi præterea hoc ipso anno magnum & laboriosum opus in sex libros partiales diuisum, quod prænotaui græca dictione Polygraphiam, quod latine sonat multam scripturam. Docet enim miranda subtilitate naturali, multos immo infinitos scribendi modos, & nunciandi secretissime tutissimeque ac sine aliqua suspitione vniuersaliter in omni lingua totius mundi quodcunque fuerit nunciandum vel scribendum. Hoc opus sic incipit: *Legimus complures veterum sapientes*, &c. Sed notandum Rogeri, quod hoc opus habere neminem æque decet ac principes magnos atque potentes, per quod secretissima negotia sua nunciare possunt absentibus sine timore, ita quod archanum eorum totus mundus non possit inuenire absque huius libri scientia, quæ facile discitur habito volumine, & sine labore in memoria retinetur. Propterea statui hoc opus cuidam offerre principi, cuius sapientia & virtus omne bonum meretur.

Contra pernicioſum quoque Simoniæ ac proprietatis clauſtralium morbum & vi-

tium

tium maxime monialium ad propositam mihi quæstionem respondendo scripsi librum vnum, qui sic Incipit: *Est cœnobium quoddam monialium*, &c.

Hæc etiam sunt Rogeri quæ præsenti anno in hac sancti Iacobi abbatia constitutus lucubraui, quorum scire titulos & seriem toties desiderasti. In manibus adhuc quædam versantur imperfecta, quorum titulos & prænotationes te scire faciam, cum ad calcem ædita fuerint.

Decreui autem in posterum, si voluerit altissimus, qui potest omnia solus, opus lucubrare meorum omnium quidem maximum, quod libris duodecim foret distinguendum, quorum materia erit. *De dæmonibus artibusq; prophanis & maleficiis eorūdem, quibus humanum genus misere decipiunt*: estque mihi animus omnes superstitiosas Dæmonum artes & hominum pro viribus explodere, confutare, & quam sint vanissimæ, pernicioſæ ac detestandę multipliciter ex propriis stultorum qui eas tradiderunt libris demonstrare. Videtur enim mihi necessarium opus his maxime temporibus, in quibus homines nimium sunt curiosi, docti videlicet nonnulli similiter & indocti, ea perquirentes quæ melius nescirent. Laboris tamen ardui magnitudine non mediocriter deterritus ad tempus differre intentionem hanc meam vtile putaui, quo interim succesſiue materia in vnum pro tanto necessaria opere comportetur. Hæc sunt quæ tibi ad literas tuas iudicio meo rescribenda fuerant. Si qua vero posthac in lucem ædidero, non inter vltimos scies. Vale nostri memor ad Deum. Ex Herbipoli vltima die Augusti. Anno Christianorum millesimo quingentesimo septimo.

## LII.

*REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO IOANNI TRITHEMIO abbati sancti Iacobi in suburbio Herbipolensi, præceptori suo egregio atque doctissimo, Bartholomæus Lescanius presbyter indignus, & Marchionis Alberti Capellanus, salutem exoptat æternam.*

ET si paruo tempore vobiscum reuerende pater in Vrsulo sum conuersatus, non paruum tamen ex ipsa conuersatione profectum reportaui, quoniam vestro medicamine de grauissimo capitis mei dolore, quem per annos decem & octo continue ac sine intermissione aliqua sustinui, & à nullo medicorum poteram releuari, Domino Deo miserante curatus sum & plene conualui, de quo paternitati tuæ infinitas gratiarum actiones dico, meq; totum in mancipium offero, do, & impendo. Omnipotens Deus reuerentiam vestram & in corpore & in anima saluam & incolumem perpetuo conseruare dignetur, sicut me miserum miserandumque hominem vestra pietas misericorditer respexit, & de tam graui ac diuturno capitis dolore curauit, de quo medici nostri omnes semper quotquot consului desperauerunt. O spes mea post Deum vnica, salus & promotor egregie, calamo exarare non valeo tenui, quanta vobis sum charitate obnoxius & inclinatus, in tantum vt si vestræ complaceret paternitati, omnibus vitæ meæ diebus me vobis obligare in famulum vna cum his quæ possideo vellem ac optarem. Vestræ namque gratioſæ paternitatis recordatio semper apud me est, & de memoria cordis mei nullo vnquam momento potest deleri, quoniam non est hora in qua præsentiam vestri non cogitem. Valde autem sum tristis, & multi ciuium Berlinensium mecum dolent vehementer de perpetua paternitatis vestræ absentia, qui omnes nihil magis cupimus, quam si foret possibile quod aliquando ad nos rediretis. Nouimus enim plures quod princeps noster clarissimus multum desiderat reditum vestrum, & quotidie vestrum dicitur præstolari aduentum. O, si ad nos cito reuertatur vestra paternitas, quanto cum gaudio susciperemini à nobis? Sciat paternitas vestra, quod promotione Domini Georgii prioris amicissimi vestri, capellanus factus sum illustris magnificique principis domini Alberti Marchionis, cum quo mihi videor in loco esse paradisi, quia licet iuuenis sit, valde tamen religioſe viuit, & honestissime in omnibus conuersatur. Laus cunctipotenti Deo, qui non deserit sperantes in eum, cuius benignitas vestram paternitatem mihi merito colendam, felicem in æuum conseruare dignetur. Amen. Ex Berlin decima tertia die mensis Maii. Anno Domini millesimo quingentesimo septimo.

## LIII.

### *IOANNES TRITHEMIVS ABBAS MONASTERII SANCTI Iacobi Herbipolensis, Bartholomæo Leſcanio presbytero ſalutem.*

LITERIS tuis amantiſſime vir, quibus mihi de tua ſanitate magnifice gratias agis, quid aliud reſpondere, aut poſſum, aut debeo, quam illud quod Ioannes Meſue medicus in principio cuiuſdam aggregationis ſuæ præfatur, dicens: *Sanat ſolus languores Deus, & de frugalitatis ſolo produxit in largitate ſua medicinam benedictus, glorioſus, & excelſus.* Vnde non mihi ſed Deo gratiarum actiones habendæ ſunt, quia ſua bonitate non ſolum infirmos ſanat, ſed cum ſit omnipotens etiam mortuos viuificat. Ego autem non medicum, ſed monachum profiteor Chriſtianum, cuius ſi quid tibi profuere conſilia, ille merito benedicendus & collaudandus eſt, à quo totum accepimus bonum quod intelligimus. Memoriam vero mei, quam te iugiter habere teſtaris, cum pro peccatis meis intercedendo conuerteris ad Deum, eſſe mihi gratiſſimam ſcias, hoc eſt, vt quoties in altari ſacrificium redemptionis noſtræ oblaturus Deo Patri omnipotenti memoriam amicorum tuorū celebras, etiam orando pro me mentaliter dicas. *Oro te Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, per dolorem vulnerum Ieſu Chriſti Domini noſtri, memento etiam ſeruitoris tui licet praui Ioannis Trithemij abbatis, & quicquid peccauit in te, per ſanguinem eiuſdem filij tui miſericorditer Eccleſia tua per me poſtulante relaxa.* Si hanc memoriam mei ſedulo habueris Leſcani chariſſime, beneficio me quam maximo donaſti. Congaudeo tibi non mediocriter, quod boni principis fauorem & gratiam inueniſti, in cuius te ſeruitio ita viuere decet, vt animæ profectum atque ſalutem nunquam poſtponas illecebris carnis, nec ita diligas commodum & pacem mundi, vt obliuiſcaris cœleſtis conſolationis regni. Reditum vero meū in Marchiam ſicuti promittere poſtulantibus cum principe amicis vobis non audeo, ita non temere nego. Poteſt enim omnia Deus, cuius nutum & voluntatem ſequi, omnis creaturæ ſalus. Futurorum autem nulla mortalibus eſt determinata cognitio. Vale noſtri memor. Herbipoli penultima Auguſti. Anno Chriſtianorum milleſimo quingenteſimo ſeptimo.

## LIV.

### *REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO IOANNI TRIT. abbati S. Iacobi Herbipolen. præceptori ſuo quam chariſſimo, frater Theodoricus monachus Fuldenſis reuerentiam & honorem cum humilima ſui recommendatione.*

REVERENDE pater & præceptor amantiſſime, audiens paternitatem veſtram aliam ſuſcepiſſe abbatiam, & reſignauiſſe Spanhemenſem, vltra modum ſum animo conſternatus & fluctuans in memetipſo quodammodo diuiſus, & contriſtatus euaſi, & lætus. Contriſtatus quidem propterea, quod inuidia æmulorum veſtrorum in tantū valere permiſſa eſt, vt vobis occaſionem præberet monaſterium veſtrum deſerendi, quod veſtris ingenio ſcriptis & libris per totum ferme orbem notum, clarum, famoſumque reddidiſtis & inſigne. Quid enim fuit monaſterium Spanhemenſe priuſquam veſtra paternitas reuerenda eidem præficeretur? In obſcuro latebat & in tenebris, ita vt vltra decem milliaria in circuitu nominis eius nulla æſtimatio vel notitia haberetur. Reddidiſtis illud veſtris lucubrationibus longe lateque glorioſum & notum, ita ſicut vidi per memetipſum, qui vltra triennium ſub veſtro magiſterio militaui diſcipulus, quod ex Gymnaſio Pariſienſi in Gallia, Louanienſi in Brabantia, Tubingenſi in Sueuia, ex Italia quoque & Alemania, aliiſque remotioribus terrarum locis, quā multi viri doctiſſimi, Principes quoque & pontifices excitati fama nominis veſtri, certatim confluebant ad Spanheim non ſine monaſterii ipſius cōmodo & vtilitate, qui omnes non hoc quidē nomine venerunt vt monaſterium viderent, immo quod indubitanter tenendum eſt, propter te ac eruditionem tuam aduenerunt. Ornauiſti etiā nouis ſtructuris monaſterium atq; pulcherrimis, libris quoque & multis & precioſiſſimis, de quibus vehementer doleo, quod penes indoctos ingratiſſimoſque monachos illos Spanhemenſes debeant remanere. Lætor autē & congratulor paternitati veſtræ non mediocriter, quod locum inueniſtis quietum & ſtudiis veſtris conuenientem, quāuis ego conſuluiſſem potius, vt apud illuſtriſſimū principē in Marchia manſiſſetis, qui vobis, vt mihi tunc videbatur, non ſpernendas conditiones offerebat. Benedictus Deus, qui pacem veſtræ paternitati tribuit, & aduerſarios veſtros iam in eorum confuſione dereliquit. Æſtimauerunt ſe animū paternitatis veſtræ partibus ſuis inflectere poſſe, ſed minime potuerunt: & contigit vobis cū ſancto patri noſtro Benedicto, & Rabano quondam Fuldenſi

Fuldensi contigit abbati, qui cum essent animarum idonei optimique pastores, odium monachorum suorum propter iustitiam inciderunt, & quos venerari summo honore debuerant, inuidis machinationibus persecuti sunt. At illi mox relictis ouibus ne dicam hœdis ingratissimis atque peruersis, ad alia se loca transtulerunt. Sera tandem pœnitentia ducti se pastores perdidisse optimos lamentabantur, quos prauis antea moribus excæcati nō cognouerunt. Simile continget in breui non dubito monachis in Spanheim relictis, columna totius ordinis spreta & contempta, iam sub ficu sterili & fatua, hoc est, sub stolido priore, quē sibi in abbatem præfecerunt, degētibus, qui se vna dierum mœsto corde altisq; fatebuntur suspiriis grauiter deliquisse & peccasse in patrē mansuetissimū doctissimumq; pastorem, qui nulli contra æquitatem fuit molestus, nulli grauis, nulli onerosus. Tunc sine dubio dicturi sunt, & fortè iam etiam dicunt, huius in quo nunc versantur monasterij status incomparabilem cōparationem facientes, ad eū, in quo sub vestro regimine claruerunt. Nos insensati atq; omnium hominū miserrimi, quare tam vtilem, insignē & humanissimū pastorem ad indignationem iniuriis & contumelijs nostris prouocauimus? quare detractoribus & æmulis tanti viri credidimus? ecce quomodo nunc sedemus abiecti, despecti atq; contempti sub fatuo & inexperto pastore, ille autem coram Regibus & principibus magnus inter doctos vtriusque viæ viros reputatur habeturque ac varijs honoratur muneribus. Credat mihi reuerenda paternitas vestra, quoniam cito indubitanter dolebunt se peccasse in personam vestram, cum euenerit eis iusto Dei iudicio vindicta quam meruerunt, reportabuntque ingratitudinis suæ condignam mercedem. Quantum ad meas pertinet conditiones, noscat paternitas vestra, quod posteaquam anno præterito recessi à vobis de Spira cum licentiatorio abbatis mei Wissenburgensis veni ad Fuldam, ibique in maiori cœnobio iam professus & stabilitus manere deinceps promisi. Commiserunt mihi statim patres loci negocium stationarium S. Bonifacij in terris Thuringorum & Buchoniorum procurandum, ratione cuius in breui venturum me confido ad Hamelburgium, inde si quoquo modo fieri potest vestram paternitatem accedam, de cæteris latius cum eadem collaturus. Te enim tanquam protectorem & consolatorem meum vnicum humanissimumque semper & habui & expertus sum in omnibus tribulationibus, tā meis quam monasterii quondam mei Wissenburgensis, in quibus per annos extitimus quatuordecim, cum sæuiret in nos impijssimus ille tyrannus Ioannes de Drade frater Episcopi Mersburgensis Palatini comitis Marschalcus, militiæ nomine indignus, vnà cum Acherontis satellitibus, qui suis ausibus temerarijs adhæserunt. Abbas noster tyrannorum crudelitatem declinans pro rebus monasterij apud sedem Apostolicam Romæ certabat, æmuli contra nos miserabiles monachos in patria tot & tantas crudelitates exercebant, vt nusquam essemus securi. Interea patres ordinis pene omnes, & maxime obseruantiæ Bursfeldēsis metu tyrannorum manus subtraxerunt, & cum præinopia monasterij nos dispergi esset necesse, vix quempiam ex nobis hospicio recipere audebant, & præsertim vicinio-

*Ioh. de Drade.*

res, qui magis incendi cortes timuere suas, quam fraternam violare charitatem. Vestra autem paternitas Deum magis timuit quam homines mortales, & quamuis hostes nostri vobis essent multum vicini, nihilominus velut alter Thobias, non solum hospitio nos, sed etiam ad conuentum vestrum complures nostrum multo tempore suscipiens humanissime tractauit. Inter quos & me tandem clementer admittens in quartum tenuit annum, gratis mihi omnia necessaria tribuens, & quod maximum est omnium, studijs me imbuere curauit bonarum literarum, de quo gratias paternitati tuæ ago immortales, nec agere cessabo quam diu in carne fuero. Semper enim non solum mihi, sed omnibus quoq; monachis desolatis, & miseris, aduocatus extitisti atque patronus, & multos ad viam veritatis reduxisti, nec aliquis vnquam sine consolatione abijt, qui tuum consilium imploranit. Propter quod sicuti nullatenus dubito, misericors Deus, qui te tribulari ad tempus modicum permisit, locum tibi postea magis quietum & aptum pro studio scripturarum prouida dispensatione ordinauit. Parcat mihi paternitas vestra de prolixis & ineptis scriptis meis, & longæue valeat vtriusque hominis incolumitate, cui me humilime commendo. Datæ ex Fulda vicesimaoctaua die mensis Augusti. Anno Domini millesimo quingentesimo septimo.

## LV.

### *IOANNES TRITHEMIVS ABBAS DIVI IACOBI IN SVEVEbano ciuitatis Herbipolensis, fratri Theodorico de Eltz monacho Fuldensi S.*

CONGRATVLOR sanitati tuæ Theodorice frater chariss. & paci tuæ vehementer congaudeo, quod vt faciam tua merita ratione iustissima exegerunt, foremq; ingratitudinis vitio perpetuo arguendus, si ministeria per te mihi exhibita multipliciter tã cito traderem obliuioni. Quoniam quidem vt cætera pertranseam, hoc vnum à memoria mea nunquam vlla delebit obliuio, quod me apud Budoras cum serenissimo principe Palatino ante biennium in causa exusti Lympurgensis monasterij per plures dies existente, cum principis Cynonotorum quidam satellites interea monachis meis dissimulantibus, ne dicam consentientib. in contumeliam mei conspirassent, eo q; partiũ memorati principis Philippi me dolerent fautorem, temerariam tu mihi præsumptionem illorum & primus & solus nunciasti, per minas eorum & gladios iter charitate tibi tutum faciente. Monachi vero mihi regulari fidelitate professi cum æmulis infideliter conspirantes, quid in me cõmiserint, scienti non opus est vt enarremus. Nec solum mihi denunciasti conspirationem æmulorum, quæ mihi alioquin ignorata nimis pernicioſa fuisset, sed etiam libellos nostros & instrumenta scientiarum & rerum archanarum apud Stauronesum & monasteriũ, tua industria & fidelitate ad nos de manibus æmulorum transduxisti, meque Neometi & Nouiburgio infirmantem non dereliquisti. Ad Coloniam Agrippinam, indeque ad Marchiam Brandenburgensem eunti mihi comes & minister indefessus semper extitisti, quando in his omnibus fratrum meorum venire nec vnus quidem curauit. Quocirca dignum est & iustum videtur pro tuis in me ministerijs, quod fidelitatem tuam condignis beneficijs, quantum cum Deo potero, recognoscam. Ex literis igitur tuis, quas nuper dedisti ad me duo notaui, quæ tibi ad periculum animæ respiciunt tuæ, nisi quantotius per fugam eorundem saluti tuæ prouideris. Quorum alterum est, quod contra æquitatem de regulari ordinis obseruantia declinasti ad monachos deformatos. Alterum vero quod ratione ministerij tibi commissi quæstum sequens publicum, non sine iniuria propositi vitæ monasticæ hinc inde mendicus & vagus discurris. Oro te frater vt audias cõsilium meũ, quem fidum tibi semper cõtestaris extitisse patronum. Rem animę tuę pernicioſam nimis & sine hæsitatione aliqua periculosam fecisti, recedens à legitimis patrum nostrorum, derelinquensq; obseruantiam vitæ regularis, quam in cœnobio Wissenburgensi publice professus es, iurasti, & promisisti coram Deo & sanctis eius solenniter, & nunc inter monachos deformatos vitam agis professioni tuæ minime congruentem. Quomodo stabis in iudicio Dei? aut quid respondebis, si in tali statu decesseris, qui professioni tuæ omnino est contrarius? Ecce iam facis ea quæ sanctus pater Benedictus tibi & omnibus interdixit, carnibus vesceris, ludis & potationibus vacas, peculium possides, contra institutionem monasticam vagus in mũdo cum dissolutione animi discurris, & quæ sequuntur ista calamus exprimere per singula erubescit. Non sic in Albiburgio * Heluetiorum instituus es, nec apud me in Spanheim hunc viuendi modum didicisti, sed neq; aut à me talis conuersationis exempla vllo tempore vidisti, aut vel minimo norasti. Contrarium potius in me tibi manifestum, qui tam in Spanheim q̃ extra vitæ & conuersationis vltra quadrienniũ semper testis affuisti. Scis enim nec te latere potest, q; pleriq; Reges & principes me sollicitari multoties fecerunt amplo satis promisso stipendio, quatenus ad eorum curias declinarẽ, sed nec hodie penitus cessant à cœpta petitionis instantia. Ego tamen hactenus semper restiti, & nec muneribus nec promissis eorum acquiescere volui, vt ab obseruantia regulari, quam semel professus sum, vllatenus recederem, quamuis maior data fuerit mihi quam tibi occasio ad alienos declinandi. Memento frater obsecro primæ institutionis tuæ, memento voti, memento promissionis, & redi ad cor, quoniam non est licitum quod facis, sed omnino prohibitum, damnabile, & apostaticum à sancta reformatione vitæ regularis discedere, & ad deformatum cœnobium transmigrare. Proficere semper vnicuiq; in melius licuit, votumq; in bonis augere semper laudabile fuit, sed à bono in malum deficere nunq̃ licuit: nec violare & imminuere votum Deo solenniter factum alicui permissum fuit. Nulla te coegit necessitas propositum regularis obseruantiæ transferendi ad non regulariter viuentes, propterea minime poteris excusari. Monachus es sub regulari obseruantia professus, qui ob id extra obseruantiam nullatenus poteris saluari. Aut ergo si vis esse saluus ad obseruantiã régredere, aut si perseueraueris in deformatione vitę quã assumpsisti, scias te damnandum ab eo quem voti transgressor contempsisti. Reuertere itaque te hor-

*Weissenburg.

te hortor quando pœnituisse iuuat, & considera quod licentiatorium tuum non extendit se ad deformatos. Ego me operam daturum polliceor, vt vel mecum, vel ad placitum alibi locum in obseruantia habeas honestum. Vale mente sanus & corpore, monita charitatiue suscipiens amici. Scribam tibi alio tempore super his latius. Iterum vale nostri memor ad Deum. Ex Herbipoli prima die mensis Septembris. Anno Christianorum 1507.

## LVI.

*REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, DOMINO MATthæo Lang, Ecclesiarum Curcensis Episcopo & Augustensis præposito, Ioannes Trithemius abbas monasterii sancti Iacobi in suburbano Herbipolensi S.*

REVERENDISSIME præsul, is qui paternitati tuæ reuerendissimæ has meas exhibuit literulas, Ioannes dictus Rummel ex Nurenberga se missum asserens, à maiestate regia pridem ad me venit, multisque modis mihi persuadere conatus est, quatenus eandem aditurus maiestatem iter cum eo versus Augustanam ciuitatem assumerem. Dicebat enim se duos & triginta recepisse ducatos pro viatico de manibus tuæ celsitudinis nomine regio, iussumque vt me quantotius curaret sacris præsentare conspectibus. Verum quia literas non exhibuit vllas, neq; regias, neq; tuas, quibus veritate subsistere doceret asserta, subdubitare cœpi, ne forte sollicitator ipse fuerit apud Regiam maiestatem de me promittens magna quædam profutura maiestati, quæ professus fuerim nunq̃. Homo sum in religione monastica sub potestate constitutus, cui non licet sine manifesta ratione leuiter extra cœnobium vagari. Quocirca tuam paternitatem reuerendissimam humilime duxi rogandam, quatenus mihi vera si nunciauit, & absque regio nomine commissa, absentiam meam rationabilem habere digneris excusatam: sin vero aliter, mihi non reputes ad præsumptionem, quod scripsi ab homine deceptus. Enimuero si literas mihi exhibuisset necessarias, quis ego qui non maxime optarem complacere Cæsareæ maiestati, quamuis nihil in me sciam tantæ celsitudini dignum. Nostra enim studia nihil magni promittunt: humilia sunt, qualia non magnos oblectare principes, sed mediocribus soleant conuenire hominibus. Nihilominus si quid in me est virium, quod regiam queat oblectare magnificentiam, vias aperiet lator, quibus me coram licebit alloqui principem. Vale pontificum decus. Herbipoli prima Septembris. Anno 1507.

*Ioh. Rumel.*

## LVII.

*IOANNES TRITHEMIVS ABBAS MONASTERII S. IACOBI IN SVburbano Herbipolensi Eberhardo Senfft, Decano Ecclesiæ eiusdem S. Iacobi Bambergensis, Capellano Regio S.*

QVOD literas ad te mitto meas tibi ignotus vir humanissime, earundem lator tibi notus effecit. Retulit enim mihi quod me fauore prosequaris ingenti, sæpeque nominis mei rationem habeas cum laude coram Maiestate, maximeque optes & notitiam habere nostri & amicitiam familiarem, atque propterea Cæsaream sollicitaueris maiestatẽ, vt me suis faciat astare conspectibus, ad conferendum de his vel maxime, quæ ad historiarum pertinent æditionem. Habeo tibi gratias immortales pro beneuolentia in me tua, quas etiam, si licuerit vnquam, referre pro viribus curabo. Venire autem personaliter ad maiestatem Cæsaream hac vice propterea distuli, metuens notari pro leuitate mea, si ad vnius incogniti hominis instantiam me vocatum à maiestate regia credidissem, cum nulla affuerint testimonia literarum, quibus fides mandati potuerit astrui maiestatis. Leuis iudicarer ab omnibus & ambitione plenus, si nulla probatione confirmatis tam facile mouerer suasionibus. Itaque si Maiestas regia me coram vult esse præsentem, literis me faciat certiorem. Non enim mihi est animus ad ignoti hominis instantiam quoquam vagari, cuius in hac parte solum acquieui votis, vt literas ad te darem meas, quibus tibi occasio præberetur ad me scribendi, animumque tuum non verbis alienis, sed propriis manibus reserandi. Vale nostri memor. Ex Herbipoli prima die mensis Septembris. Anno Domini millesimo quingentesimo septimo.

## LVIII.

### IOANNES TRITHEMIVS ABBAS MONASTERII SANCTI IACOBI in suburbano ciuitatis Herbipolensis, Conrado Beutingero Iuris vtriusque doctori salutem.

BILIBALDVS Pirckenheymer communis noster amicus scripsit ad me ante paucos menses, eam mihi conditionem ad instantiam tui & amicorum à Regia maiestate dispositam, quasi velim sub certo sufficientique stipendio quo ad vixero libere mihi deinceps liceat in ciuitate Augustana philosophari: domum quoque aptam cum cæteris vitæ necessarijs copiose fore constitutam, nihilque restare amplius, nisi quod meum in his duntaxat præbeam consensum. Gratias Cæsareæ ago maiestati, tibi quoque & cæteris in communitate amicis habeo non vulgares, pro tanta benevolentia in me vestra. Conditionem vero quam mihi proponitis nullatenus acceptare possum, quia locum deserere meum, quem mihi dominus reuerendissimus præsul & princeps Herbipolensis sub fide & confidentia singulari commisit, non solum turpissimum foret, verum & ingratitudinis vitio plenum. Malo enim omnibus vitæ meæ diebus in paupertate consueta hic latere in exili cœnobio, quam meo discessu tantum principem offendere aut parum turbare patronum. Enimuero confidentiam eius quam semel ad meam visus est habuisse personam, ego quantum in me est nunquam infirmabo. Neque meo conuenit proposito qui monachus sum, & in regulam diui patris Benedicti voluntate spontanea dudum iuraui, relicto cœnobio in ciuitatibus conuersari, & post gustatam vtcunq; cœlestis secreti dulcedinem, mundi rursus occupari tumultibus. Non enim decet homines, imo nec licet, qui se diuinis semel mancipauerunt obsequiis ad actus redire seculares, neq; habitare in vrbibus qui monasterijs sunt addicti. Piscis in coquina & monachus in principis curia, ab extremo nihil videntur distare periculo, quoniã morti vterq; est proximus, alter videlicet vitæ & carnis, alter spiritus & mentis. Nam sicut impossibile piscem videtur diu in culina differendum à morte, cũ propterea sit illatus vt comedatur ab hominibus, ita non est possibile, quod monachus in curia principis, vel in tumultu mundanæ actionis propositum suum monasticu inuiolatum custodiat, maxime si eum ambitionis aut auaritiæ cupido extra monasterium trahat. Secus est iudicandum, si ad hoc ipsum compellat quempiam ratio pietatis. Ego autem quietis & pacis amator, qui tumultuosam propterea dimisi abbatiam Spanhemensem, per inuidiam æmulorum præstita mihi occasione, istamque reuera pauperculam assumpsi, vt à curis mundi aliquantulũ liber & absolutus, mihi & studio vacem scripturarũ, in consilio mentis dudum iam studium tenere & contiuuare decreui solitudinis, & quantum sine iniuria fieri potest curæ pastoralis, nullam dẽ mundi negocijs habere sollicitudinẽ. Quod si majestas Regia pro chronicorum æditione meo delectatur officio, voluntarius & paratus sum hic in meo facere cœnobiolo quicquid lucubrandum iniunxerit, modo labor ipse meus aliquantulum pro loci recompensetur necessitate, ne grauis persona iudicetur mea alienis intenta vel onerosa. Amicissimo tamen affectui tuo erga me gratias iterum atque iterum ago, & ne moleste feras hanc meam sententiam oro. Vale sanus & fœlix longoque tempore saluus. Ex Herbipoli sexta die mensis Septembris. Anno Christianorum 1507.

## LIX.

### IOANNES TRITHEMIVS ABBAS DIVI IACOBI HERBIPOLIS, magistro Libanio Gallo præceptori suo doctissimo salutem, & perpetuam in Domino charitatem.

NESCIO Libani quid mali nobis intulerit fortuna, quidve inuiderit boni, vt cum natura simul & gratia nos mente & spiritu fecerit vnanimes, illa tanto locorum interuallo voluerit ab inuicem corporibus esse distantes. Vnde fit quod vterque vehementer dolemus, neque verbis quidem, neque literis mutuis, nisi post menses & annos plærumq; plures, nos posse consolari, & interdum ne hoc ipsum quidem, propter rarum qui literas perferant nostras referantq; occursum. Accepi nuper in fine mensis Septẽbris literas quas ad me cuidam mercatori Francfordiã petituro in Hispania vicesimaquarta die mensis Junij vt apparuit tradidisti, ornatas simul & multis philosophiæ nostræ mysterijs plenas, in quarum lectione sæpius & iterum repetita, vsq; adeo miratus & lætatus sum, vt pene mihi viderer extra me factus, nec esse in Frãcia mecũ, sed in Hispania, vel in Maiorica tecũ. Erũt mihi literæ hæ tuæ quoad vixero memoriale sempiternũ, & in vnicũ post Dominũ nostrũ Iesum Christum repositę confugium, per quas in aduersis constantiã, in ambiguis experiar verita-

veritatem. Magnis mirandisque in philosophia scatent archanis, quæ meo iudicio nullius capiet mortalis intellectus, qui tuo prius non fuerit magisterio imbutus. Cellam te breui proponis intrare magistri, quē imitari morib. sanctis tempore paruo in terris, te perpetuo nunq̄ pudebit in cœlis. Sed interea præceptor discipulū cui imbuendū cōmendas, si pro Christi amore tu eremū, ille inhabitat mundū? O Libani animæ dimidium meæ, me precantem si possibile fuerit exaudi, vt priusquam tuum hac in re nimis ardua exequaris propositum, fidelem imo fidelissimū tibi accedas Melanium, cui sapientissimus archicomes iugiter adest Theophilus, qui forsitan sua prudentia Pelagium tibi nouum ex matheto suscitabit. Maioricam siccine Libani abibis confusioni exponens Triandricū, mœrori quoque Megalopium, quorū alter promisit, alter iam diu anhelus præstolatur aduentū. Quid velim intelligis, fac vt amorem in nos tuū fortissimum etiam nūc experiamur valentiorē. Libros diui Pelagii cœlestis doctrinæ, quos Melanio internunciante postulauimus à te, iā nos confitemur adeptos, pro quibus & tibi gratias agimus, & iuxta placitū fideliter remittemus. Mearum cupide rerum Libani, viuo hic tanto liberior mihi, quanto mundi pauperior rebus, ternarium pro viribus ad vnitatem reducens, mentēque restituens sibi, quo purior intellectus ad metas euadat principii iure propositas. Est mihi contentio interdiu cum Melantianis, qui binarii partem subuertere conantur, aliquantoq; tempore non iure sed violentia quadam septimam sub æquinoctiali portionem agelli possederunt. Noster ille pigmentarius suo more in orbe rotatur, parum stabilis loco, qui quoties ad nos reuertitur, nouos semper auribus ingerit ventos. Mare Deo optimo maximo largiente tranquillum agnoscito, quam diu placuerit illi qui omnia dedit, quo nobis feliciter nauigandum, hoc solum triste habentibus, cp tempestate transacta incommodorū meminisse pudet. Archicomitem Melanii præceptorem vigilantissimum, si quo tempore viciniorē tibi intellexeris, non prætereas velim, vt pote amantissimum tui, & qui communis in Christo sit multorum amicus, crebroq; benefecerit nobis. Dedi has ad te perferendas literas meas cuidam mihi ignoto, qui se in Galliam testabatur iturum, cum mandatis, quatenus Carolo Bouillo Theologorum principi eas apud Parisios philosophanti consignaret, per quem ad tuas tuto peruenirent manus. Tu mihi rescribere cum decreueris per ipsum Bouillum, si aliter nequiueris, mihi & notum & amicum, literas tuas ad me ordina perferendas. Vale nostri memor ad Deum. Ex Herbipoli 6. Octob. Anno Christianorum 1507.

## LX.

*SERENISSIMO INVICTISSIMOQVE PRINCIPI ET DOMINO, D. IOAchim Brandenburgensium Marchioni, Stetinensium Pomeranorumque Duci, sacri imperii Archicamerario, principi electori, Ioan. Trithem. abbas S. Iacobi Herbipolensis S.*

SERENISSIME princeps, tuæ in primis excellētiæ notum facio, me serenitatis humilimum oratorē, Deo miserante optimo maximo, sanum & incolumē, meoq; more valentē ac nihil magis optantē, quā vt omnia circa statū T.S. vxoris quoq;, filii, ac fratris prospero gerantur successu. Librū pro quo in mēse Maio tua serenitas ad me literas dedit, iuxta votum scriptori meo dedi rescribendum, quem mense perfectū Septembri, quanta mihi fuit possibile venustate ac pulchritudine feci operimentis ligari, de foriſq; more tuo in superficie deaurari per totum. Volui autē quantotius ipsum librum tuæ destinare maiestati, nec differrem vel pauculos dies, nisi tabellariū quē erā missurus febres detinerent quartanæ, qui mox vt conualuerit, librum tuæ celsitudini portabit. Cætera vero quæ tua serenitas mihi lucubranda commisit, partim iam ædidi, partim ad hunc perficienda in manibus versantur vsq; diem. Curabo enim pro viribus, vt tuis in me beneficiis memor & gratus inueniar, quibus etsi referre gratias nequeo, habere tamen & agere minime cessabo. Quod vere desideratum volumen cum latore præsentium literarum serenitati tuæ non miserim, factum ratione arbitreris oportet. Est enim iuuenis & pauper scholaris, aliquandiu famulus meus existens, qui mea cohortatione studium repetiturus cp intermiserat, Francfordianū illud serenitatis tuæ Gymnasiū adibit, cui has quidem tradidi literas: librū vero committere periculorū metu non audebam. Spero tamen cp breui conualescente tabellario meo, gratiam lætior tuam aditurus sit. Scyphum argenteum intus & foris deauratum, quem mihi clemētia tua per eundē tabellarium destinauit, cum maxima animi gratitudine me fateor suscepisse, pro quo gratias ago quantas possum & habeo immortales. Erit enim mihi serenitatis tuæ memoriale magnum, & signum beneuolentiæ

tuæ in me manifestum. Compleui Domino adiuuante Polygraphiæ meæ opus in sex partes, siue libros distinctum, quod tuæ maiestati constat esse dicatum. Operam dabo vt sacris conspectibus tuis quantotius exhibeatur. Omnipotens Deus celsitudinem tuam, o princeps inclyte, diu conseruet incolumem perpetuoque felicem, cui me humili supplicatione commendo. Ex Herbipoli decima sexta die mensis Octobris. Anno Christianorum 1507.

## LXI.

*IOAN. TRITEM. ABBAS MONASTERII S. IACOBI IN SVBVRbano ciuitatis Herbipolensis, Iacobo Tritemio fratri charissimo salutem.*

QVOD in principio huius secundi voluminis epistolarum nostrarum Herbipolensium tibi sumus pollitici amantissime frater, pro viribus nos credimus executos. Congessimus enim in vnum librum epistolarum nostrarum non omnium, sed quarundam, iuxta promissionem exemplaria, quas ex eo die qua monasterium istud intranimus anno proxime transacto emisimus, vsque in hunc diem quo istam ad te perscripsimus. Accipe nunc igitur absentium cogitationes amicorum, quibus interdiu reuoluendis nostri memoria tibi nascatur, quãuis nitore carẽt venustatis literę quas dedimus omnes, poterunt nihilominus tuæ charitati conducere, propterea quod fraterno fiunt amore suaues. Fecit interdum festinatio calamum titubantem, propterea si cubi aut verba notaueris transposita, aut in aliqua sui parte defectuosa, seu mendas offenderis quascunque, nõ sinas ipsum volumen prodire in publicum, nisi per te fuerit diligenter prius emendatum. Fieri enim non potuit nimium festinantibus nobis, quin aut verbum aliquando intermiserimus aut literam, quæ facile corriges. Vale nostri memor. Ex Herbipoli 16. die mensis octobris. Anno Christianorum 1507.

*Finis secundi voluminis Epistolarum familiarium Ioannis Tritemii.*

Quibus & has duas sequentes ex libris *De occulta Philosophia*, addere non abs re visum.

*R. P. D. IOANNI TRITEMIO, ABBATI DIVI IACOBI IN suburbio Herbipolis, Henricus Cornelius Agrippa a Nettesheim, S.D.*

CVM nuper tecum Reuerende pater, in cœnobio tuo apud Herbipolim aliquandiu conuersatus, multa de Chymicis, multa de magicis, multa de cabalisticis, cæterisque quæ adhuc in occulto delitescunt, arcanis scientiis atque artibus vna contulissemus: magna inter cæteras quæstio erat, cur Magia ipsa, cum olim primum sublimitatis fastigium vno omnium veterum Philosophorum iudicio teneret, & à priscis illis sapientibus, & sacerdotibus, summa semper in veneratione habita fuerit: deinde sanctis Patribus à principio nascentis Ecclesiæ catholicæ odiosa semper & suspecta, tandem explosa à Theologis, damnata à sacris canonibus, porro omnium legum placitis fuerit proscripta. Eius causam speculatus meo iudicio non alia est, nisi quod fatali quadam temporum hominumque deprauatione sub'ntroierunt multi Pseudophilosophi, ac mentito nomine Magi, qui per varias errorum sectas & falsarum religionum factiones, multas admodum execrandas superstitiones atque ferales ritus, multa etiam ex orthodoxa religione scelerata sacrilegia, in naturæ persecutionem, hominumque perniciem ac Dei iniuriam congerentes, multas admodum quales hodie circumferri videmus, reprobatæ lectionis libros ediderunt, quibus Magiæ honestissimum nomen atque titulum, furto & rapina præfixerunt. Hi itaque cum sacrosancto hoc Magiæ titulo suis execrandis nugis fidem sese conciliaturos sperarent, id egerunt quod laudatissimum olim Magiæ nomen, hodie bonis & probis omnibus odiosissimum redditum sit, ac capitale crimen habeatur, si quis doctrina oper. busue Magum sese audeat profiteri, nisi forte demens aliqua vetula rus habitans credi velit admodum perita, & diuinipotens, vt (sicut ait Apuleius) possit cœlum deponere, terram

*Magia damnatio.*

suspen-

fuſpẽdere, fontes durare, montes diluere, manes ſublimare, Deos infirmare, ſydera extinguere, tartarum ipſum illuminare; ſiue, vt canit Virgilius:

*Quæ ſe carminibus promittat ſoluere mentes*
*Quas velit, aſt alijs duras immittere curas,*
*Siſtere aquam fluuiis, & vertere ſydera retro,*
*Nocturnoſque ciet manes, mugire videbis*
*Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.*

Tum quæ referunt Lucanus de maga illa Theſſala, & Homerus de Circes omnipotentia, quorum plurima fateor tam fallacis opinionis, tam ſuperſtitioſæ diligentiæ, pernitioſiq; labores exiſtunt, vt cum ſub artem non nefandam cadere nequeant, tamen magiæ venerabili titulo ſeſe veſtiri poſſe, præſumunt. Cum hæc igitur ſic ſe haberent, mirabar admodum, neq; minus etiam indignabar, neminẽ hactenus extitiſſe, qui tam ſublimem ſacramq; diſciplinã, ab impietatis crimine vindicaſſet, aut illam nobis pure ſincereq; tradidiſſet. Siquidem quos ex recentioribus ego vidi Rogerium Bachonẽ, Robertum Anglicũ Petrum Apponũ, Albertum Teutonicum, Arnoldum de Villa noua, Anſelmum Parmẽſem, Picatricem Hiſpanum, Cicchum Aſculum Florentinum, & pleroſq; alios, ſed obſcuri nominis ſcriptores, cũ ſe magiã tradere pollicentur, nõ niſi aut deliramenta quædã nulla ratione ſubnixa, aut ſuperſtitiones probis omnibus indignas præſtiterunt. Hinc concitus eſt in me ſpiritus meus, atq; propter ipſam cum admirationem tum indignationẽ, volui & ego philoſophari: non illaudabile opus me facturũ exiſtimans, qui ab eunte ætate ſemper circa mirabiliũ effectuũ & plenas myſteriorum operationes curioſus intrepiduſq; extiti explorator, ſi magiam ipſam vetuſtã ſapientumq; omniũ diſciplinam ab impietatis erroribus redemtam purgatamq; & ſuis rationib. adornatã reſtituerem, & ab iniuria calumniantiũ vindicarem. Quod vt iam diu ipſe mecũ deliberaui, nunquã tamen in hanc arenã deſcendere hactenus auſus fui. Verũ poſt collatũ inter nos Herbipoli dẽ his reb. ſermonem, tua præcellens peritia & doctrina, tuaq; ardens adhortatio audaciam mihi animũq; addidit. Itaq; electis è Philoſophorũ exploratæ fidei ſentẽtiis, purgata introductione malignorum (qui ſimulata ſcientia mentientes, magorum traditiones ab ipſis tenebrarum reprobatis libris, velut ab ipſis adeptis mirandorum operationes requirendas docebant) diſcuſſis tenebris, tres libros de magia compendio breuitatis complexos recẽtibus his diebus compoſui, & *De Occulta Philoſophia* minus inſenſo titulo inſcripſi, quos nunc tuo examini, qui harum rerum pleniſſimam peritiam tenes, caſtigandos, cenſendos, iudicandoſque ſubmitto; vt ſi quid in illis à me ſcriptum ſit, quod aut in naturæ cõtumeliam, aut cœlitum offenſam, religioniſue iniuriam vergere queat, cõdemnes errorem: Sin autem diſſoluta & purgata ſint impietatis ſcandala, veritatis traditionem tueare: ſicq; cum his libris noſtris, atque cum ipſa magia agere velis, ne occultetur aliquid quod prodeſſe queat, nec probetur quod poſſit non niſi nocere, quo ſic tandem libri iſti tuo examine probati, digni ſint, qui aliquando felicibus auſpiciis in publicum egrediantur, nec timeant iudicium ſubire poſteritatis. Vale, & his audacibus parcito cœptis.

## *IOANNES TRIT. ÆB. D. IACOBI HERBIPOLIS, QVONDAM Spanhemenſis. ſuo Henrico Cornelio Agrippæ ab Netteſheim. ſalutem & charitatem.*

OPVS tuum, ornatiſſime Agrippa, *De occultiore philoſophia* prænotatum, quod nobis examinandum per latorem præſentium obtuliſti, quãta cum voluptate ſuſceperimus, nec lingua mortalis vnquam poteſt exprimere, nec ſcribentis calamus referare. Admiratione maxima ducimur ſuper eruditione tua non vulgari, qui & iuuenis tam ſecreta penetras, & arcana multis etiam viris doctiſſimis abſcondita, non ſolum pulchre ac vere, ſed etiam proprie & ornate proferre in lucem potuiſti. Vnde imprimis tuæ ad nos beneuolentiæ gratias agimus, & ſi poterimus vnquam, pro viribus indubitanter referemus gratias. Tuum opus quod nemo doctiſſimorum etiam virorum ſatis laudare ſufficiet, probamus: deinde vt ſtudio pergas in altiora, quo cœpiſti, nec ſinas tam excellentes ingenii tui vires otio tepeſcere, te qua poſſimus inſtantia monemus, petimus & rogamus, quatenus & tuo te labore ad meliora ſemper exercites, & lumen veræ ſapientiæ, quo maxime & diuinitus luſtratis, etiam ignorantibus demonſtres. Nec te retrahat à propoſito quorumcunque conſideratio nebulonum, de quibus vere dictum eſt:

*Bos lassus fortiter figit pedem.* Cum nemo, sapientum iudicio, veraciter doctus esse queat, qui in vnius duntaxat facultatis rudimenta iurauit. Te autem diuinitas ingenio donauit & amplo, & sublimi. Non ergo boues imiteris, sed volucres: nec circa particularia arbitreris tibi esse morandum, sed vniuersalibus confidenter intendito animum. Tanto enim quisque doctior esse putatur, quanto ignorat pauciora. Ingenium vero tuum ad omnia pleniter aptum non paucis nec infimis, sed multis & sublimioribus est rationabiliter occupandum. Vnum hoc tamen te monemus custodire præceptum, vt vulgaria vulgaribus, altiora vero & arcana altioribus atque secretis tantum communices amicis. Da fœnum boui, saccarum psyttaco tantum: intellige mentem, ne boum calcibus (vt plerisque contigit) subiiciaris. Vale felix amice; & si quid penes nos est, quod tibi conducere queat, iube, & factum sine mora intelliges: & vires vt nostra dietim sumat amicitia sæpius ad nos scribe, & tuarum aliquid lucubrationum mittito, instanter oramus, Iterum vale. Ex nostro cœnobio Peapolitano, octaua die Aprilis, Anno M.D.X.

FINIS.

INDEX

# RERVM, QVAE IN HOC HIRSAVGIENSI ET SPANHEIMENSI CHRONICO CONTINENTVR INDEX LOCVPLETISSIMVS; VBI PRIOR NVMERVS FACTI PAGINAM, POSTERIOR LINEARVM CONSEquentiam denotat.


A.

AARON abbas S. Panthaleonis in Colonia clarus. 53.50
Abbas humilitatis & simplicitatis amator. 112.54.
Abbas in Lorsch Fridericum abbatem Hirsaugiensem depositum, secum abducit. 61.50
Abbas Gebhardus aquæ ductum ad montem facit, 94.18
Abbas de Hassungen expellitur. 92.6
Abbas episcopo mortem prædicit. 118.30
abbas Sponheimensis monachos reformare conatur. 345.40
Abbas Sponheimensis, cum aliis per totam Moguntinam prouinciam, citatur ad concilium Constantiense. 344.51
Abbas Sponheimensis, contra Ducem Stephanum litigat. 359.12
Abbas Gobelinus ad anni spatium captiuus detinetur. 358.1
abbas Spanheimensis secundum carnem viuens, filios relinquit & filias. 374.9
Abbas monasterii Sponheimensis malus. 378.1
abbates in Sponheim duo electi. 285.30
abbates ex cœnobio Hirsaugiensi ad alia monasteria dati. 79.5
Abbates quidam Nurenbergam vocantur. 415.50
Abbates duo ad Trithemium missi, quid responsi acceperint. 426.10
abbatia noua in Sponheim constituitur. 405.30
abbatia S. Ioannis in Rinckaugia erigitur. 121.41
abbatiæ titulus in Franckenthal extinguitur. 125.51
Abbatia monasterii Hirsaugiensis vacat per 63. annos. 44.35
abbatia Ringauiensis fundatur. 246.13
abbatis super Wolfen apostolica commissio. 390.22
Abbatis Sponheimensis cum villanis contentio. 306.18.
abbatum Bursfeldensium in reformatione successio. 351.19
Abbo, abbas doctissimus Floriacensis, & martyr. 36.1
abbo episcopus ex abbato factus. 14.16
Academia Heidelbergensis à quo & quando erecta, & à quo confirmata. 343.41
Academia Francofurdiensis ad Oderam instituitur. 425.33
S. Adamarus abbas Cluniacensis clarus. 29.33
Adamitarum hæresis, & eorum pernicies. 119.48
Adelardus scholasticus S. Galli. 27.41
adelhardus monachus cæcus; Spiritu prophetiæ plenus moritur. 26.36
adelbero episcopus Wormatiensis, vir spectaculo dignus. 57.26
Adelbero monachus fit abbas S. Ferrucii. 26.3
Adelberonis archiepiscopi contra Henricum ducem Bauarorum consilium. 127.20
adelbertus comes Bambergensis interficitur. 24.14
adelbertus abbas in Clingenmunster clarus. 39.39
Adelbertus fit episcopus Moguntinus. 107.19. capitur ibid. 48. liberatur. 108.46
Adelbertus prioris officium sub abbate Wilhelmo sustinet. 83.57
Adelbertus de Calue comes, Hirsaugiensis monasterii aduocatus. 51. 27. inuitat ad se papam. ibid. 36
Adelberti comitis inconstantia. 58.23. Eius versutia contra monachos. ibid. 50
adelbertus ex comite monachus. 123.30
adelbertus comes Wilhelmum dolo circumuenit. 62.50. monasterio in perpetuum renunciat. 67.40
S. Adelbertus martyr claret miraculis. 43.9
Adelboldus ex monacho Episcopus Traiectensis. 43.25
Adelgarius ex monacho archiepiscopus Bremensis clarus. 22.32
Adelgerus fit abbas in Spanheim. 155.3. moritur. 157.4.
adelgerus abbas Sponheimensis tertius quot annis præfuerit. 255.51. Eius vita. 256.3. moritur. 257.23
adolphus archiepiscopus Coloniensis deponitur. 167.36
Adolphus de Nassauu fit episcopus Spirensis. 334.47
Adolphus comes de Nassauu, rex Romanorum factus. 201.49. deponitur. 204.22. occiditur in prælio. ibid. 39
Adolphus de Nassauu fit archiepiscopus Moguntinus. 331.46. loca & munitiones archiepiscopatus occupat 331.50
adolphus Dux Montensis & Iuliacensis moritur. 358.30
Adolphus comes de Nassauu eligitur in regem Romanum. 294.55


Adol-

*Adolphus rex Roman. in omnium odia incurrit. 296.15. Regno exuitur. ibid.31. occiditur. 297.4*

*Adolphus de Nassauu per papam fit archiepiscopus Moguntinus, depositio Diethero. 373.15*

*Adolphus Colonienſis archiepiſcopus, reſignans archiepiſcopatum, ducit vxorem. 329.28*

*Adolphus Imperator regi Angliæ mercenariam operam promittit, non præſtat. 295.24*

*Adolphus fit archiepiſcopus Colonienſis. 232.49. deponitur. 233.3*

*Adolphus Dux Gelriæ, patrem ſuum dormientem capit, & captiuum tenet. 377.42*

*Adrianus papa moritur. 144.19*

*adulterium Lotharii Regis. 14.35*

*Aduocati Sponheimenſis in villa Auugen ius. 308.21*

*Albertus de Anhalt fit dux Saxoniæ. 182.55*

*albertus dux Bauariæ moritur. 431.17*

*albertus ducis Saxoniæ filius, fit adminiſtrator Eccleſiæ Moguntinæ. 393.22*

*albertus rex Romanorum occiditur. 302.19*

*albertus Goler de Rauenſpurg Bingiones domat. 403.18*

*albertus dux auſtriæ conſecratur in regem Rom. 204.54. occiditur. 208.52*

*albertus dux Auſtriæ moritur. 325.50*

*albertus Auſtriacus contra Imperatorem Adolphum inſurgit. 295.33*

*albertus palatinus in Hollandia moritur. 342.14*

*Albertus de Hoinloe fit Epiſcopus Herbipolenſis. 224.44*

*albertus Dux Bauariæ moritur. 371.47*

*albertus dux Auſtriæ moritur. 339.41*

*albertus dux Auſtriæ, fit rex Romanorum. 358.43 moritur. 360.17*

*albertus dux Auſtriæ adolphum regem perſequitur. 203.13. vocatur ad imperium. 204.7.23*

*Albertus Magnus, necromanticus, philoſophus, & Theologus. 281.5*

*albertus dux Auſtriæ eligitur in regem Romanū. 296.49. coronatur. 297.20*

*albertus Magnus fit epiſcopus Ratisbonenſis. 284.26*

*Albertus Magnus fit epiſcopus. 191.11. moritur. 198.5*

*albertus Magnus in Sueuia naſcitur. 160.1*

*Albertus poſt fratrem regit Hollandiam annis 27. fere. 229.16*

*albertus rex rom. Gelriam intrat. 206.1*

*alchimiſtarum vanitas. 472.10*

*Aldericus ex abbate epiſcopus. 11.15*

*alexander papa tertius moritur. 157.9*

*alexander papa 6. moritur. 417.58*

*alexander papa quartus moritur. 191.51*

*algerus monachus Corbeienſis clarus. 38.24*

*almeinda pro pauperibus conſtruitur. 253.9*

*Alphonſus electus rex Romanorum, negligit imperium. 282.39*

*Alphonſus rex caſtellæ, in regem Romanum electus, venire contemnit. 190.37*

*alſatia ab amicis maius damnum quam ab inimicis percipit. 232.16*

*Altare S. Margaretæ, monaſterio Sponheimenſi incorporatur. 338.36*

*altare in ſacriſtia Sponhemiæ conſecratur. 397.13*

*Altaris in domo abbatiali Sponheimia conſecratio. 402.50*

*altare S. Pancratii monaſterio Sponheimenſi accedit. 357.37*

*altare in monaſterio S. Nicolai fundatur. 304.19*

*altare portatile cum ſuo priuilegio à Trithemio impetratur. 417.15*

*altfel caſtrum conſtruitur. 309.29*

*altfridus ex monacho epiſcopus Hildesheimenſis 12.1*

*Ambroſius monachus doctiſſimus quando claruerit. 23.44*

*ambroſius in depoſitione Aurelii orationem habet. 8.58*

*amichadus monachus Fuldenſis clarus. 50.16*

*amicitia doctorum virorum immortalitate conſtat. 544.44*

*amicitia quid. 539.27. Fit per Chriſtum ibid.19. Non eſt inter malos vera. ibid.24*

*Amicitia vera & fucata quæ, & quam rara. 455.45*

*amularius ex monacho Treuerenſis archiepiſcopus. 11.22*

*Anacletus antipapa, Innocentio ſecundo opponitur. 121.48*

*anaſtaſius IV. papa quis fuerit. 136.32*

*andernacum ciuitas à quo conſtructa, 95.20*

*andernacum igne crematur. 163.9*

*Angelonius monachus doctiſſimus. 11.6*

*Anglia fit tributaria papæ. 12.33*

*anglicana ſocietas quædam omnia per Hiſpaniam & Franciam vaſtans. 231.38*

*animæ defunctorum orari pro ſe petunt. 94.50*

*anna regis Poloniæ filia, à Ludouico palatino ducitur. 187.31*

*Anni fertilitas magna. 377.10*

*anno abbas Bergenſis primus. 29.47*

*Annus Iubilæus à papa Bonifacio octauo, inſtituitur. 205.50*

*annus Iubilæus à papa mutatur. 226.20*

*ansbaldus abbas clarus. 15.39*

*Ansbaldus abbas moritur. 19.23*

*anſcarius ex monacho archiepiſcopus Bremenſis. 12.50*

*anſegiſus ex abbate epiſcopus. 11.9*

*anſelmus monachus Remenſis clarus. 54.42*

*S. Anſelmus ex monacho Cantuarienſis archiepiſcopus clarus. 73.46. venit ad Hirſaugiam. ib. 55. amicitiam colit cum Wilhelmo abbate. 74. 10. moritur. 107.13*

Anſelmus prior Sponheimenſis moritur. 256.53
Anſelmus Bickelnheimenſis Romam mittitur. 245.1
Anſfridus ex comite monachus clarus. 43.18
Aquarum inundatio maxima. 370.44
Aquarum eleuatio mirabilis. 109.7
Aquenſes banno imperiali ſubiiciuntur. 341.22
Archiepiſcopus Treuirenſis capitur à comitiſſa de Starckenberg. 313.20
Archiepiſcopus Biſuntinus moritur. 183.16
Archiepiſcopus Moguntinus cum monachis Lauriſſenſibus diſcordare incipit. 273.24
Archiepiſcopus Colonienſis capitur. 200.54
Archiepiſcopus Coloniæ à ciuibus detinetur. 192. 18
Archiepiſcopi Moguntiæ duo electi. 202.10
Archipresbyter cum ſocietate Anglicana, omnia deuaſtat. 328.20
Arzenſchnuang villa ab abbate Sponheimenſe emitur. 259 3
Argentea capſa capitis S. Irminæ, venditur. 333.11
Argentinenſes damnum ab Anglis accipiunt. 231.52
Argentinenſis ciuitatis regimen in alium ſtatum mutatur. 311.56
Argentina per Philippum obſidetur. 162.42
Argentinenſes Rhenum occludunt. 226.40
Aribo archiepiſcopus Moguntinus doctiſſimus. 47.41
Arnoldus Cancellarius regis ſit archiepiſcopus Moguntinus. 136.17. occiditur. 144.37
Arnoldus Boſtius moritur 410.15
Arnoldus comes de Egmunda ſit Dux Gelrenſis. 347.40
Arnoldus archiepiſcopus Moguntinus occiditur. 255.2
Arnoldus primus archiepiſcopus Colonienſis. 127.15
Arnulphi Imperatoris vxor & liberi. 20.6. moritur. 23.27
Arnolphus Herbipolenſis epiſcopus inmiſſa occiſus. 20.4
Arnulphus ſit Imperator. 19.50
Arnolphus prædicator veritatis Romæ à Clero occiditur. 121.5
Armeniaci Cæſi pelluntur de Alſatia. 359.25
Armsheim, Baſenheim, & multæ aliæ villæ, incendio pereunt. 420.2
Armsheim à Friderico palatino capitur. 386.8
Arnſpurg comitatus Eccleſiæ Colonienſi traditur. 234.45
Ars impreſſoria quando, vbi & à quo inuenta. 366.43
Aſtra nullum imperium habent in mentem 473. 4
Auaritiæ Satan quantum noceat hominibus. 452. 30
Augienſes abbati homagium præſtare recuſant. 412.49
Auguſta Rhetiorum ab Alemannis capitur. 82.54
Auguſtinenſes Wormatiam intrant. 192.25
Auguſtiniani Eremitæ, Wormatiæ monaſterium ædificant. 285.19
Aula in Ingelnheim fit monaſterium. 327.56
Aurelii corpus in monaſterium transfertur. 6 33
Aurelius quot annis Mediolani ſepultus fuerit. 9.1
Aurelius in Italiam proficiſcitur. 8.39. moritur. ibid.53
Aurelius Nottingo apparet. 331
Aurelii epiſcopi commendatio. 7.50
Aurelius Cæco apparet 4.8. Eius reliquiæ in Capellam depoſitæ. ibid.15
Aurelius Vercellas transfertur à Mediolano. 3. 17
S. Aurelii Eccleſia perficitur annis decem. 89.15
Aureus nummus ad Cameram papæ quotannis à monaſterio Hirſaugienſi ſoluitur. 96.12
Aurea bulla conſcribitur. 325.30
Auſtria in manus Imperatoris deuenit. 183.56
Auſtriæ Ducum genealogia. 288.49
Auſtriæ Ducatus erigitur. 130.16
S. Authoris reliquiæ à Treueri in Saxoniam transferuntur. 107.53
Auvven villa monachis in Sponheim accedit. 261.11
Azelmus ſit abbas in Buren. 79.42


B.


Baianus in arte Magica doctiſſimus. 35.51
Baldemarus abbas Sponheimenſis quartus, quamdiu præfuerit. 257.43. Eius vita. ibid.54. moritur. 259.30
Baldemarus abbas Spanheimenſis moritur. 162. 29
Baldeuuinus filius comitis de Lutzēburg ſit archiepiſcopus Treuirenſis. 302.8
Baldeuuinus ſit Rector 4. Epiſcopatuum. 310. 30
Baldeuuinus ſit adminiſtrator Eccleſiæ Moguntinenſis. 217.33
Baldeuuinus Imperator Græcorum moritur. 168. 1
Bambergenſis Epiſcopatus fundatur. 45.44
Bardo Moguntinus, Eccleſiam Sponheimenſem conſecrat. 737.22
Bardo ex abbate Epiſcopus Moguntinus factus. 49.19. obitum ſuum prædicit & moritur. 53. 26
Baſilienſe concilium facit bullam pro reformatione. 359.30
Bauaria à Friderico, Auſtriæ duce vaſtatur. 306. 42
Bauariæ Ducum genealogia. 338.50
Bauaria inter fratres diuiditur. 338.48

Bauari tenuerunt Hollandiam annis. 80. 223. 22
Bauariæ inferioris diuisio. 218.56
Bauariæ ducatus transfertur in Australes. 129. 21
beckelnheim Castrum venditur. 289.26
beckelnheim deuenit in manus Friderici palatini. 387.46
bellum inter ciues confœderatos Sueuiæ & comites de Wirtenberg. 336.46
bellum inter comites Sponheimenses & Archiepiscopum Treuirensem. 312.40
bellum inter comites Sponheimenses, & Wernherum archiepiscopum. 290.1. componitur. 291. 3
bellum inter Leodienses & comitem Gelriæ. 315. 20
bellum apud Schuuartzbach. 291.55
belli Bauarici crudelitas. 468.10
bellum contra Svvitenses in quo Lupoldus Dux Austriæ occisus. 335.10
Bellum propter ducatum Limpurgensem. 293. 10
bellum inter Ducissam Brabantiæ, & ducem Geldriæ. 336.4
bellum imperii contra Wirtenbergenses. 303.9
bellum inter ducem Brabantiæ & Iuliacensem. 331.22
bellum inter Ludouicum Regem, & Fridericum ducem Austriæ. 305.30
bellum Sigismundi Regis Vngariæ aduersus Turcam. 339.13
bellum contra palatinum impium, & eius causa. 418.37
Bellum Eberhardi Comitis Wirtenbergensis cum ciuitatibus imperialibus Sueuiæ. 333. 55
bellum cum Hussitis in Bohemia magnum. 356. 40
bellum inter archiepiscopum Moguntinum, & comitem palatinum. 253.53
Bellum inter Vngariæ regem & Venetos. 229. 41
Bellum inter Brabantiæ & Iuliacensem Ducem, iuxta Basvviler magnum. 234.50
bellum inter matrem & filium. 226.44
bellum archiepiscopi Colonien sis contra Westphalos. 363.10 364.53
bellum inter Gelrenses & Iuliacenses. 363. 22
bellum inter Christianos & Turcos grauissimum. 363.4
bellum inter ducem Bauariæ & Marchionem Brandenburgensem. 371.10
bellum inter Marchionem Brandenburgensem & Nurenburgensem. 366.10
bellum inter Regem Poloniæ & Magistrum Teutonicum. 368.26
Bellum Ludouici Ducis Bauariæ contra Marchionem Brandenburgensem & ciuitates Imperij. 372.9
bellum inter Brandenburgensem & Ducem Austriæ. 375.56
bellum atrox in Hollandia. 207.36
bellum inter Franciæ & Angliæ Reges. 220. 52.
bellum inter Leodienses, & comitem Gelriæ. 220. 30
bella inter Ludouicum & Fridericum reges. 212. 47.56 214.36
Bellum iuxta villam Woring atrox. 200.48
bellum inter episcopum Argentinensem & comitem de Pfirrite. 178.21
bellum Maximiliani Imperatoris, contra Gelrenses. 409.56
bellum rusticanum aduersus omnes principes & dominos. 193.57
bellum inter Moguntinum & Comitem de Sponheim. 197.48
bellum inter Moguntinum & Landtgrauium. 180.13
bellum inter Regem & Bauariæ duces. 129. 8
bellum inter Rudolphum & Henricum Reges. 77.1
bellum inter Henricum & Hermannum Reges. 83.15
Bellum inter Fridericum & Ottonem Imperatorem. 170.45
bellum cum Vngaris super Lycum. 23.40
bellum Christianorum cum Saracenis. 170. 33
bellum regis Romanorum, contra Suitenses. 411. 29
Bellum inter Francofordienses & nobiles de Cronenberg. 396.40
bellum inter comitem Hollandiæ & matrem eius. 324.20
Bellum periculosum in Calabria. 37.42
Bellum inter Philippum Gallorum, & Edvardum Anglorum Regem incipit. 202.20
bellum inter episcopum Moguntinum & comitem palatinum. 137.24
bellorum contra Palatinum præludia. 418.7
bellum inter Angliæ & Franciæ Regem. 315. 40
Bellum totius fere imperij contra Philippum palatinum, 5. mensibus durans. 422.33
bellum inter Suiceros & regem Romanorum. 410. 7
bellum inter archiepiscopum Moguntinum, & Landtgrauium Hassiæ. 315.18
Belli contra Venetos per Cæsarem gesti, initium. 431.43
Bellum Maximiliani ducis Austriæ, contra Geldrenses. 392.3

Benedictus 12. fit papa mortuo Ioanne. 219.56
Benedictus papatus inuasor.34.36.in exilium mittitur. ibid.42
Bensheim ab Hassiæ comite obsidetur. 419. 18
Berengarii in Italia regnantes. 23.32
Berengarius tyrannus victus, incarceratur. 30. 40.
berengerus episcopus Spirensis moritur. 181.25
Berncastel iuxta Mosellam constructur. 197. 6
Bergzabern à Friderico Palatino capitur 369. 13
Bernardi abbatis morientis verba ad monachos suos vltima. 353.47
S.Bernhardus quando cistercium ingressus.108.11. quot monasteria fundarit. ibid.17
bernardus monachus Cluniacensis clarus. 54. 49.
bernardus monachus Corbeiensis clarus. 57.36
Bernardus Abbas Massilienſis legatus Apostolicus Hirsaugiam venit. 76 39
bernardus miracula multa facit.131.42. S. Hildegarden visitat,& eam consolatur. 132.3.23
Bernardus abbas clareuallensis moritur. 145.12
Bernardus abbas Sponheimensis 18. quot annis præfuerit.338.7. Eius genus & origo. ibid.20. amittit alterum oculum.345.33. moritur.353. 43.
Bernhelmus abbas Spanheimensis primus quot annis præfuerit. 242. 2. Eius vita. ibid.11. moritur. 252.17
Bernhelmus abbas monasterii Sponheimensis cõfirmationem à papa impetrat, 241.14
Bernhelmus abbas Sponheimensis primus. 238.54
Bernhelmus primus abbas Spanheimensis moritur. 135.25
Berno ex comite fit abbas Gigniacensis. 22.22
Berno abbas Augiensis vir clarissimus. 47.45
Bertha imperatrix moritur. 83.49
Bertholdus de Hennenberg, fit archiepiscopus Moguntinus.397.4.consecratur. 397 37
Bertholdus prior Sponheimensis primus moritur. 248.39
Bertholdus de Bucheck fit episcopus Spirensis. 309. 56
Bertholdus de Hennenberg archiepiscopus Moguntinus moritur. 423.5
Bertholdus fit abbas ad Alpersbach. 82.28
Bertholdus Episcopus Hildeshemensis moritur. 123.40
Bertoldus comes de Nuenburg in Brisgauu, ad terram S.proficiscitur. 260.40
Bertolphus ex abbate episcopus factus. 17.4
Betto monachus fit Episcopus. 25.9
Bibliotheca Sponheimensis destruitur. 314.33
bibliotheca Hirsaugiensis monasterii insignis 45. 18
Bibliotheca Trithemii quot libris constet. 416. 10
Bibliotheca à Trithemio comparatur maxima. 395.58
Bilibaldi Pyrckenheimeri, ad Ioannem Trithemium abbatem epistola.546.30. Responsio ad eandem Trithemy. 547.5
Bingen ab Alberto rege capitur. 300.24
Bingensium seditio. 306.46
Bingen oppidum incendio perit. 341.33
Bingium obsidione cingitur. 207.6
Bingen curtis monasterio Sponheimensi accedit. 318.35
Bingensis seditio inter ciues & consulatum. 269. 24
Bingen oppidum igne casuali crematur. 402. 3
Bingionum temeritas magna. 403.50
Bingensis consulatus deponitur,& instituitur nouus, 398.26
Bircklingen monasterium fundatur. 369.27
Blanca vxor Ludouici comitis Palatini moritur. 343.29
Blasius abbas Hirsauiensis moritur. 417.45
Blasius Abbas commendatur. 1.47
Blenich curtis monasterio Sponheimensi accedit 320.35
Blindenstat transfertur ab ordine. 410.14
Bockenauu villa,igne tota consumitur. 259.24
Bocksberg prædonum Castrum superatur. 381. 13
Boemundus de Edendorff fit archiepiscopus Treuirensis. 324.51
Boemundus fit archiepiscopus Treuerensis. 227. 31
Bohemundus Treuirensis archiepiscopus moritur. 298.35
Bohemiæ Dux in regem creatur. 162.53
bohemi terram Ducis Montensis peragrantes vastant. 365.23
bohemorum hæresis vnde initium sumpserit. 212. 32
bombardarum vsus. 355.30
Bonifacius papa 8. annum Iubilæum instituit & celebrat. 298.58
Bonifacius papa octauus moritur. 207.20
Bopardia & Wesalia Treuirensi ecclesiæ impignorantur. 304.13
Bopardia & Wesalia Treuerensibus impignorantur. 233.49
Bopardia per militares capitur. 413.40
Bopardia à Treuirensi capitur. 409.7
Bos humana voce loquitur. 93.37
Brandenburgensis Marchionatus à Bauaris venditur. 332.8
Brachium Adelberti Romam adducitur. 43.13
Brachium Gebhardi ad tactum fœminæ rigescit. 88.47

Brando episcopus Halberstatensis clarus. 48.34
Brachium puellæ sine dolore auulsum. 47.20
Brabantia à Friderico rege subacta. 171.48
brachium S. Hildegardis Trithemius accipit. 410. 11
S. Brigitta, Regina quondam Suetiæ, clara habetur. 232.31
S. brigitta canonizatur. 344.32
Bruno fit episcopus Hildesheimensis. 137.43
bruno Abbas 14. monasterij Hirsaugiensis, quot annis præfuerit. 103. 25. Eius vita & patria. ibid. 45. moritur. 112.41. exhumatus cæcum sanat. 113.17
bruno episcopus Spirensis, moritur. 115.42
bruno Colonienſis fit prior Carthusiensis. 83.26
bruno monachus Gladbacensis clarus. 39.34
bruno episcopus Colonienſis moritur. 35.1
bruno frater Imperatoris fit archiepiscopus Colonienſis. 31.54
Bruno archiepiscopus Colonienſis capitur. 168.11. liberatur. ibid. 36. Coloniam reuertitur. 169.7. moritur. ibid. 15
Brunteshusen monasterium in Saxonia fundatur. 14.10
buckenauu curtis, monasterio Sponheimensi accedit. 318.14
Buggo Episcopus Wormatiensis monasterium Sponheimense consecrat. 238.25
buggo Wormatiensis Episcopus moritur. 130.56
bulla confirmationis bonorum monasterij Sponheimensis. 313.54
bulla papæ pro monasterio Sponheimensi. 332. 20
bulla pro reformatione monasteriorum in concilio Basilienſi constituitur. 359.30
bulla Caroli aurea de eligendo Imperatore Romano conscribitur & confirmatur. 229.2
bulla Innocentij papæ de pœnitentia eorum, qui Episcopum Herbipolenſem occiderunt. 164. 55
Bulla Vrbani secundi papæ pro priuilegio monasterii Hirsaugiensis. 95.28
bulla papæ Gregorij pro expulsione monachorum Lauriſſenſium. 273.44
Burchardus ex abbate Episcopus. 28.42
Burchardus monachus fit abbas in Erfordia. 101. 19
Burchardus Wormatiensis Episcopus clarus. 46. 13
Burchardus duorum monasteriorum Abbas, in magno precio habetur. 106.44
Burgundij ab Imperatore vincuntur. 290.56
Bursfeldia plane desolata. 350.46
Bursfeldia monasterium fundatur. 94.54
Bursfeldenſis vnio à papa confirmatur. 370.50

C.

Cæcus Aurelii reliquiis obuius illuminatur. 4.4
Cæcus ad tumulum abbatis Brunonis illuminatur. 113.35
Caldenfels castellum, prædonum receptaculum & præsidium. 403.57
Calixtus papa secundus contra Gregorium 7. papam sentit, quoad missas sacerdotum concubinas habentium. 112.39
Calixtus secundus papa quis antea fuerit. 111.2. Imperatorem excommunicat. ibid. 4. pacem cum Imperatore facit ibid. 16. moritur. 119. 6
Cambium inter comites de Sponheim, & abbatem, de Basenheim. 308.5
Campana maior in Sponheim funditur. 416. 20
Cæcellaria Heidelbergæ igne casuali exuritur. 376. 38
Canonici seculares mali, ex monachis reprobis facti. 377.24
Canonici cum vniuerso clero Wormatia egrediuntur. 411.21
Canonici ex malis monachis deteriores facti. 397. 52
Canonicæ vitæ in Cathedralibus Ecclesiis antiqua institutio. 333
Canonicorum collegium de Bittelsbach in Stuckardiam transfertur. 218.1
Canonici Treuirenses fiunt ex regularibus seculares. 373
Cantilenæ in contumeliam Episcopi Spirensis cantatæ. 102.52
Capella beatæ Mariæ in ambitu monasterij Sponheimensis erigitur. 321. 28. consecratur. 322. 25
Capella S. Pancratij in valle, construitur. 399.21. consecratur. ibid. 36
Capella S. Nicolai fundatur. 151.26
Capella S. Nazarij martyris. 354
Capitis S. Annæ furtiua ablatio. 412.2
Capitulum prouinciale quintum Herbipoli celebratur. 348.6
Capitulum prouinciale tertium celebratur. 346. 32
Capitulum prouinciale primum Constantiæ celebratum. 345.7
Capitulum prouinciale secundum in Moguntia celebratur. 345.54
Capitulum prouinciale septimum prope Bambergam habitum. 349.55
Capitulum prouinciale quartum in oppido Selgenstat celebratur. 346.56
Capitulum prouinciale Sextum celebratur. 349. 26
Capitulum prouinciale 29. celebratur in Selgenstat. 408.15
Capitulum prouinciale 28. celebratur in Hirsaugia. 404.15
Capitulum prouinciale 30. celebratur. 410.38

Capi-

*Capitulum prouinciale 27. celebratur Nurenbergæ.* 401.53
*Capitulum prouinciale 25. celebratur.* 397.45
*capitulum prouinciale 26. celebratur.* 399.44
*Capitulum prouinciale decimum Nurenbergæ celebratum.* 359.43
*capitulum prouinciale 22. celebratur.* 389.53
*capitulum prouinciale octauum in Augusta celebratum.* 353.36
*Capitulum prouinciale 23. celebratur Nurenbergæ.* 392.10
*Capitulum prouinciale 24. celebratur in Blaburen.* 393.54
*capitulum prouinciale nonum Basileæ celebratum.* 356.49
*capitulum prouinciale 11. celebratur Nurenbergæ.* 361.28
*capitulum prouinciale 21. celebratur Nurenbergæ,* 389.23
*capitulum prouinciale 12. celebratur.* 362.52
*Capitulum prouinciale 13. celebratur in Constantia.* 365.13
*capitulum prouinciale 16. celebratur Erphordiæ.* 369.33
*capitulum prouinciale 14. celebratur.* 366.52
*capitulum prouinciale 15. celebratur in Selgenstat.* 368.36
*capitulum prouinciale 17. celebratur Nurenbergæ.* 371.31
*capitulum prouinciale 18. celebratur.* 337.13
*capitulum prouinciale 20. celebratur.* 384.47
*capitulum prouinciale 19. celebratur iuxta Bambergam.* 379.7
*capitulum prouinciale 31. celebratur.* 413.6
*Capilli S. Petri Apostoli, Hirsaugiam deferuntur.* 85.45
*Caput S. Matthiæ Apostoli ad Ecclesiam Treuirensem transfertur.* 352.14
*Caput S. Irminæ, argentea capsa vestitur.* 255.32
*caput S. Irminæ ad Spanheim transfertur.* 154.55
*caput Felicis papæ martyris, inuentum.* 130.45
*Carolus 4. rex Bohemiæ in Imperatorem eligitur.* 319.45.
*carolus quartus Romæ coronam accipit* 325.7. *moritur.* 334.15
*Caroli Burgundi magnificentia.* 389.11
*Carolus quartus Imperator expeditionem in Longobardiam mouet.* 234.32
*Carolus dux Burgundiæ occiditur.* 390.34
*Carolus quartus Rom. Imperator, 31. annis regnū obtinet.* 225.39. *Romæ coronatur.* 228.18
*carolus contra Guntherum ad Francofordiam venit.* 225.28
*carolus Iohannis Bohemiæ regis filius, eligitur in regem Rom.* 223.50
*Carolus Dux Burgundiæ Leodium obtinet.* 379.28
*Caroli Magni Imperatoris ossa reperiuntur.* 43.1
*Carolus Caluus quando Imperator factus.* 11.39. *moritur.* 18.15
*Carthusia Moguntiæ extructa.* 302.29
*Carthusia apud Treuerim à Baldewino fundatur.* 311.19
*Carthusia in Colonia fundatur.* 219.52
*Carthusia Treuirensis construitur.* 218.42
*Carthusiensium Ordo incipit.* 83.21
*castellensis reformatio in Bauaria incipit.* 341.57
*Castrum de Sponheim fit feudum abbatis.* 310.7
*Catharorum errores multi.* 148.27
*cathari hæretici Coloniam veniunt.* 148.4. *comburuntur.* ibid.24
*Celestinus papa 3. moritur.* 162.25
*celestinus papa 4. eligitur.* 185.12
*cella sancti Gregorii in Richenbach fundatur.* 78.10
*cellæ Paulinæ fundatio.* 105.40
*charitas inter Aurelium & Dionysium.* 8.10
*christianorum contra Turcos insignis victoria.* 370.15
*christianorum ad terram sanctam exercitus proficiscitur.* 163.48
*Christianus monachus doctissimus.* 14.19
*Christophorus Marchio Badensis ad monasterium Sponheimense venit, vt Bibliothecam videat.* 433.13
*Christophorus columbus, insulas quasdam incognitas, inuenit.* 404.45
*chorisatio S. Iohannis, vulgo S. Veitsdantz, dicta, homines multos affligit.* 332.37
*Chronicon Hirsaugiense ex quibus auctoribus cōcinnatum.* 2.29
*Gilianus de Oxenfurt abbas S. Iacobi Herbipolensis Trithemio abbatiam libenter concedit* 427.35
*Cistertiensis ordinis initium.* 94.31
*ciues Eslingenses contra Imperatorem insurgunt,* 327.34
*ciuitas in aere pendens videtur.* 93.24
*ciuitatum aliquot confœderatio.* 281.47
*Ciuitates imperii, oppugnant Duces Bauariæ.* 334.35
*ciuitatum multarum confœderatio.* 189.24
*Ciuium in Crentzenacht seditio.* 329.43
*ciuium in Erfurd seditio grauis.* 433.18
*S. clarus monachus Selgenstatensis doctus.* 50.20
*Clausa Sponheimensis deficere cœpit.* 261.20
*clausa Sponheimensis fit vinea* 300.2
*clausa Sponheimensis ampliatur.* 258.3
*Clausa in Sponheim deficit & diruitur.* 253.33
*clusa in Ringauia pro monialibus.* 247.20
*clausa pro Mechtilde fundatur.* 243.15
*Cleberg castellum à Friderico Palatino capitur.* 369.20
*Clementia virgo monialis moritur.* 255.22
*Clemens papa sextus eligitur.* 221.46

Clementis papæ ad principes mandatum. 223. 44
Clemens papa V. eligitur. 207.48
Clemens papa moritur. 159.32
S. Clementia virgo monialis moritur. 155.45
Clemens secundus fit papa, depositis tribus aliis de papatu contendentibus. 50.46
Clementia Henrici Quarti Imperatoris. 104. 51
Clerus Wormatia exit. 342. 23. reuertitur. ibid. 50
Clerici seculares monasterium Hirsaugiense inhabitant. 45.9
Clerici in Ecclesiam Sponheimensem collocantur. 237.36
Clerus Wormatiensis in vrbem reuocatur. 432. 35
Clerus Moguntinensis per ciues expellitur. 355. 40
Clerici de Colonia mensibus octo exulant. 234. 42
Cleri & Henrici Archiepiscopi contentio. 217.30
Clerici concubinarii excommunicantur. 72.37
clerici nec S. Petro parsuri essent si ab ipsis iam reprehenderentur. 121.13
Clerus totus Herbipoli expellitur. 292.20
Cleuensis comes in Ducem creatur. 344.35
Cleuiensis & Marchiæ comitatus coniunctio. 233. 13
Clinzenmonster, monasterium ab ordine transfertur. 403.37
colonienſis Academia erigitur. 336.11
Colonienſium cum Archiepiscopo dissensio. 306. 5
colonienſis ciuitas interdicto supposita. 330.57
Colonienſis Archiepiscopi captiuitas septennis. 293.32
colonienſes annis 7. excommunicati, absoluuntur. 297.39
colonienſium & Archiepiscopi dissensio 333.18. pax inter eos facta. ibid 57
colonienſis vniuersitatis contra Maculistas statutum. 410.43
colonienſes ciues contra Archiepiscopum bellum gerunt. 214.12
colonienſium ciuium seditio. 193.47
colonia à Philippo Rege obsessa. 164.13
colonia cum aliis destruitur. 18.6
colonienſes Philippo Regi reconciliantur. 168.13
cometa horribilis & ingens per dies fere octoginta apparet. 388.18
comes de Sponheim fit monachus. 265.55
comes de Hennenberg fit feudalis Ecclesiæ Treuirensis. 305.52
comes Gelriæ Reinaldus capitur. 293.19
comes de Monte ab Archiepiscopo Colonienſe capitur, & in carcere moritur. 295.38
comes Sylueſtris de Duna submittit se archiepiscopo Treuirorum. 317.51
Comes palatinus Rheni terras Ecclesiæ Traiectensis vastat. 320.46
Comes palatinus fit insanus. 325.38
Comes de Schuuartzburg eligitur contra Carolum quartum, in regem Romanorum. 320. 54
Comes Marquardus monachus moritur. 268. 49
comes votæ impositus. 268.26
comes Seynensis hæreseos coram Conrado de Marpurg accusatur. 271.13
comes Wirtenbergensis creatur in Ducem. 407. 47
Comes de Wirnenburg, Rabanum impugnat. 352. 44
comes de Sponheim interdicit monachis electionẽ liberam 354.18. hortatur monachos ad eligendum Cobelinum. ibid. 40
Comes de pfirrith à proprio filio occisus. 182. 9
Comes Ferrariæ creatur in Ducem per papam. 386. 39
comes Iuliacensis Aquisgrani occiditur. 197.6
comes de Katzenelenbogen fit inimicus Colonienſium. 337.12
Comes Montensis in Ducem creatur. 357.8
comes de Veldentz cum archiepiscopo Moguntino fœdus facit. 290.30
Comes Iuliacensis cum filio & 468. occiditur. 290. 45
Comitatus Baræ fit marchionatus. 228.58
Comitatus Lutzenburgensis fit ducatus. 228. 50
comites in hastiludio pereuntes. 328.16
comitatus Katzenelenbogen, ad Hassiæ comitatum transfertur. 384.16
comitatus de Bulion Episcopo Leodiensi venditur. 93.2
Comites de Habspurg fiunt duces Austriæ. 196. 30
comites, nobiles & equites plus quam sexcenti, à Friderico palatino capti. 372.23
comites Gelriæ duces fiunt. 216.10
comites 15. in regem conspirant. 195.30
comites quinque vno anno mortui. 293.28
comitum de Eberstein & Wirtenberg dissensio grauis. 233.57
comitum aliquot contra Imperatorem conspiratio. 288.25
comitum 16. aduersum vnum ducem Brabantiæ coniuratio. 310.1
concilium Constantiense inchoatur. 344.27. durat triennio. ibid. 24
concilium Basiliense inchoatur. 353.5
concilium Remis celebratum. 131.31
concilium Basiliense terminatur. 366.4
concilium Leodii celebratum. 121.54
Concilium in monasterio Selgenstadt celebratum. 48.53

Con-

*Concilium Lateranense celebratur.* 172.10
*concionatores Aristotelici taxantur.* 461.3
*concordia inter Archiepiscopum & ciues Colonienses.* 339.5
*concordia inter principes Coloniæ facta.* 424.51
*Concordia inter Pensantem manus, & Trithemium per vniuersitatem Colonienſem facta.* 406.12
*concordia inter Wormatienses & Moguntinenses firmata.* 189.14
*concordia inter Carolum & Guntherum.* 225.35
*concordia inter Marchionem Brandenburgenſem & Ducem facta interrumpitur.* 372.6
*Concordia inter Adolphum & Dietherum episcopos Moguntinos.* 376.24
*concordia inter palatinum & archiepiscopum facta.* 372.29
*concordia Imperatoris Friderici, cum Duce Saxoniæ Ottone.* 182.37
*Concordia papæ & Imperatoris Moguntiæ facta.* 111.51
*Confluentia per archiepiscopum Treuirenſem capta.* 301.42
*confluentia obsessa capitur.* 208.20
*congregatio de S. Aurelio ad maius monasterium.* 90.8
*Conradus de Marpurg prædicator & inquisitor hæreticæ pranitatis, occiditur.* 266.1
*Conradus Wiltgrafius de Duna excommunicatur.* 267.26
*Conradus Archiepiscopus Moguntinus in partibus Austriæ moritur.* 260.20
*Conradinus in Apuliæ regno patri succedere non permittitur.* 280.10. *interficitur inuidia papæ.* ibid.15
*Conradus de lapide, fit archiepiscopus Moguntinus.* 346.20
*Conradus Landtgrauius Thuringorum Moguntino archiepiscopo bellum infert.* 270.48
*Conradus Archiepiscopus Moguntinus restituitur.* 258.8
*Conradus Celtis Trithemii præceptor.* 401.41
*Conradus de Rodenberg, abbas S. Iohannis Rinckautenſis, moritur.* 399.49
*Conradus Archiepiscopus Moguntinus moritur.* 355.35
*Conrad⁹ tertius Imperator quot annis imperauit.* 249.15
*Conradus dux de Deck occiditur.* 224.52
*Conradi Abbatis S. Stephani Herbipolenſis, ad Ioan. Trithemium Epistola.* 498.40. *Responsio ad eandem.* 498.55
*Conradus rex filius Imperatoris iuxta Francofordiam bello superatur.* 187.12
*Conradus Humbrecht, abbas Sponheimenſis 21. quot annis præfuerit.* 363. 53. *moritur.* 373. 56
*Conradus tertius fit Imperator.* 127. 29. *moritur.* 135.48
*Conradus dux Sueuorum occiditur.* 193.46
*Conradus archiepiscopus Moguntinus expellitur.* 149.32
*Conradus Episcopus Herbipolenſis occiditur.* 164. 46
*Conradus monachus in Brunuuiler doctiſſimus.* 90.42
*Conradus fit abbas in Hornbach.* 82.10
*Conradus peregrinus, monachus Hirſaugienſis doctiſſimus.* 90.49
*Conradus filius Henrici Imperatoris patri rebellat.* 92.18. *Rex à papa creatur.* ibid.30. *moritur.* 99.45
*Conradus palatinus fit archiepiscopus Moguntinus.* 154. 21. *expellitur.* ibid.35. *moritur.* 163. 30.
*Conradus monaſterii Hirſaugienſis abbas 19. quamdiu præfuerit.* 156.2. *origo & vita eius.* ibid.15. *moritur.* 157.58
*Conradus palatinus, Hildegardi epistolam scribit.* 131.6
*Conradus secundus ab Electoribus Imperator designatur.* 49.9
*Conradus Episcopus Traiectenſis occiditur.* 95. 1
*Conradus Friderici Imperatoris filius eligitur in regem Romanum.* 184.10
*Conradus Imperator primus moritur.* 25.43
*Conradus Imperator vltimus de ſtirpe Caroli magni 7. annis regnat.* 24.55
*Conradus decimus Hirſaugienſis Abbas, quot annis præfuerit.* 41.18. *Eius genus & mores.* ibid. 48. *moritur.* 44.31
*Conradus de Winsberg fit archiepiscopus Moguntinus.* 336.10. *moritur.* 339.31
*consecrationis Imperatoriæ modus.* 29.11
*Constantienſe concilium triennio durans.* 344. 20
*Constantinopolis à Mahumete capitur.* 368.4
*Constantinopolis quando capta.* 558.10
*Constitutiones monasticæ nouæ à Wilhelmo Abbate factæ.* 66.5
*Contentio grauiſſima inter papam Adrianum & Imperatorem Fridericum, leui de cauſſa.* 140. 40
*Contentio inter archiepiscopum Treuirenſem, & comitem de Spanheim.* 230.53
*Contentio inter Abbatem Sponheim. & Capellanum S. Quintini.* 356.20
*Contentio inter fratres de ducatu Gelriæ.* 223. 37
*Contentio inter Duces Bauariæ, pro ducatu inferioris Bauariæ.* 218.50
*Conuentus principum Magdeburgi habitus.* 125. 31
*Conuentus principum Bambergæ habitus.* 127. 46

Conuëntus apud Triburias prope Oppenheim. 24. 5
conuentus principum Aquisgrani. 171.10
conuentus principum apud Francofordiam. 130.18
conuersi apud Monachos qui, & à quo inuenti. 65. 54. Eorum vita. 66.10
Conuiuium Imperiale. 183.10
Copia literarum papæ Gregorij ad archiepiscopum Moguntinum. 273.12
coppenstein castrum monasterio Sponheimensi accedit, & iterum amittitur. 253.47
Corbeia monasterium in Saxonia fundatur. 10.3
Corpus S. Disibodi transfertur. 249.17
corpora Henrici & Cunegundis imperatorum miraculis clarent. 164.30
corpora trium regum, Coloniam transferuntur. 147.24
corpus Christi in foraminibus & cistulis per aliquot annos, horrendo scelere repositum. 120.1
corpus S. Aurelii quæritur 52.2. inuenitur sub terra. ibid.16
corpus S. Disibodi Episcopi exhumatur. 127.51
corpus S. Aurelii sub terra absconditur. 21.40
Craffto comes Sponheimensis, fit monachus vnà cum sponsa sua Clementia. 250.53
Craffto primus, Sponheimensis monasterii abbas secundus, quamdiu præfuerit. 252.27. moritur. 255.40.
craffto Hirsaug. abbas 28. quot annis præfuerit. 198.40. moritur. 202.31
craffto fit secundus abbas in Spanheim. 135.28
Craffto secundus, monasterij Sponheimensis abbas 16. quot annis præfuerit. 332. 50. moritur 337. 15
crema vrbs à Cæsare Friderico expugnata. 144.1
crescens Romæ inuasor, capite truncatur. 44.14
creutzenacht villa. 257.54. crematur. 258.16
creutzenacht, antiquis Stauronesum dictum. 419. 49
creutzenacht ciuitas incenditur. 340.13
creutzenach venditur comiti Seynensi. 277.15
crimina papæ Iohannis, propter quæ depositus est. 33.38
cruces in vestibus hominum apparent. 33.11
cruces in vestimentis apud Leodienses apparent. 414.32
cruces in vestimentis lineis, anno 1500. varii in locis apparuerunt. 411.47
Crucigeri pœnitentes ex Italia veniunt. 415.23
crucis Dominicæ particula ad monasterium Spanheimense defertur. 254.50
crudelitas in mortuos perpetrata. 218.11
Crux contra Teucros prædicatur. 222.41
crux prædicatur, & multi signantur ad expeditionem. 172.13
crux contra Stadingenses prædicatur. 181.33
crux aurea monasterii Sponheimensis venditur. 337.38
Crux aurea in Ecclesia Moguntina. 144.51. diripitur ab episcopis. ibid.54
S. Cunigundis imperatrix moritur. 49.33
cuno de Falckenstein, fit coadiutor Treuirensis. 232.20. Episcopus. 23
cuno de Schoneck fit episcopus Wormatiensis. 213. 53. moritur. 218.17
S. cunno martyrizatur. 57.13
curia imperialis Aquisgrani habetur, 331.56
curtis in Nosbach à Sponheimensibus monachis venditur. 335.32
curtis in Winsheim monasterio Sponheimensi accedit. 342.32
curtis Sponheimensis in Elenich libertas. 324.28
Curtes Sponheimenses destruuntur. 410.52
curtis Nosbach media pars à Sponheimensibus recuperatur. 398.33
curtes in Winsheim à monasterio Sponheimensi alienantur. 349.33

D.

Dæmones castrum in Morauia occupant heredè & domino legitimo expulso. 413.30
Dalm villa conflagrat & desolatur. 275.49
Damnationis nostræ causa Deus non est. 458.39
Dantiscum ad Polonos deficit. 368.31
Dani conuertuntur ad fidem Christi. 30.27
Dauid pastor in Roxheim à rusticis occiditur. 277. 7
Decimæ in Bingen venduntur. 286.50
Decretales libri ab Innocentio papa componuntur. 166.5
Delft oppidum Hollandiæ capitur. 230.38
Diabolus Moguntiam miserabiliter per triennium vorat. 15.9
Diemarus miles nobilis fit monachus. 110.3
S. Diemo monachus moritur. 128.48
Diemo abbas fit monachus & postea Archiepiscopus. 76.16 martyrium patitur. ibid.28
Dietgerus ex monacho episcopus Metensis. 78.1
Diethardus ex abbate fit episcopus Hildesheimensis. 28.11
Diethardus monachus scholasticus. 26.19
Diethmarus abbas Hirsaug. sextus, quot annis præfuerit. 27.10. moritur. 30.44
Dietherus de Nassauu à papa in odium Alberti regis, archiepiscopus Treuirensis factus. 298.37
Dietherus archiepiscopus Moguntinus moritur. 393.15
Dietherus de Isenburg fit archiepiscopus Moguntinus. 371.20. deponitur à papa 373.14
dietherus archiepiscopus Treuirensis moritur. 208. 42
Diethericus abbas Petrushusensis. 79.16
Dietlibus monasterii Sponheimensis abbas 10. quamdiu præfuerit 297.55. eius vita. 298.6. moritur. 302.34

S. Dio-

S. Dionysius in custodia seruatur. 8. 28. moritur. ibid 35
Dionysius Mediolanensis episcopus mittitur in exilium in Armeniam. 8.2
Dionysii corpus Mediolanum introducitur. 8.43. post mortem Aurelio apparet. ibid.49.
Disciplina fratrum Hirsaugiensium tepet. 151. 22
Discipuli fidelis exemplum. 530.15
Discordia inter fratres comites Sponheimenses. 289.20
Discordia inter archiepiscopum Moguntinum & comitem palatinum. 334.53
Discordia inter Ludouicum palatinum & Ioannem comitem de Sponheim. 343.52
Discordia inter archiepiscopum Treuirensem & comites de Sponheim. 327.41
Discordia inter abbatem & villanos in Spanheim. 258.53.270.33
Discordia inter papam & Regem. 129.4
Discordia inter abbatem & fratres Hirsaugienses. 145.44. pax inter eos facta. 147.10
Discordia inter papam & Ottonem Imperatorem. 169.40
Discordia Abbatis & monachorum in Sponheim. 288.30. reconciliantur. 289.1
Dissaue castellum prædonum à Friderico palatino capitur. 388.41
Dissensio inter Duces Bauariæ componitur. 347. 6
Dissensio propter archiepiscopatum Moguntinum, inter Lupoldum & Sifridum. 260.24
Dissensio inter Ioannem ducem Bauariæ & ciues Leodienses. 343.2
Dissensio inter comitem de Sponheim & Veldentiæ. 293.47
Dissensiones inter episcopum & ciues Colonienses. 346.16
Dissensio inter palatinum & Ecclesiam Moguntinam. 403.6
Dissensio inter abbatem in Gotzauu, & Marchionem de Baden. 432.47
Dissensio inter Bingenses, & Dominos de capitulo. 398.16
Dissensio inter Archiepiscopum Colonienſem & capitulum. 388.22
Dissensionis inter palatinum & ducem Ludouicum initium. 369.7
Dissensio duorum ducum pro ducatu Lutzenburgensi. 365.47
Dissensio circa electionem abbatis Diethmari. 27. 12
Dissensionis inter papam Ioannem 22. & Ludouicum Imperatorem causa. 219.27
Dissensio in clero Moguntino magna. 163. 35
Dissensio inter Abbatem Hirsaugiensem & fratres. 159.45
Dissensio inter ciues & episcopum Wormatiensem. 177.22. sedatur. 181.28
Dissensio principum grauissima. 161 56
Dissensio inter papam & Regem magna. 105. 54
Dissensio circa electionem abbatis 41.220
Dissensio inter Palatinum & Landgrauium. 411. 40
Diuisio inter abbatem & conuentum Sponheimensem facta. 314.25
Doctores verbi Dei, quanti sint faciendi. 540. 26
Dolus comitis Adelberti, Wilhelmo abbati innotescit. 67.19
S. Dominicus moritur. 175.3
Donatio monasterii Sponheimensis solennis, à quo facta. 239.1
Donationes variæ monasterio Hirsaugiensi factæ. 143.4
Donationes monasterio Hirsaugiensi factæ variæ & multæ. 109.50. & seqq. & 114 40
Donationes Hirsaugiensibus ex longinquo fiunt. 114.58
Donatio monasterii prima per comitem facta. 6. 50
donatus monachus, fit prior monasterij in Sponheim. 386.45
Dorckheim à Friderico palatino capitur. 387 25
Dorsbach & Waltbach, à Friderico palatino capitur. 388.7
dotatio Ecclesiæ Sponheimensis prima per Euerhardum comitem facta. 237.25
Drazolus Wayda tyrannidem in Wallachia inauditam exercet. 368.42
Drechtingshausen venditur. 289.35
Dreckodernheim capitur. 421.23
Drogo frater Imperatoris, ex monacho episcopus. 11.46
Drutvvinus sit abbas in Breitenau. 80.43
Ducatus Iuliacensis coniungitur Montensi. 347.41
ducatus Bauariæ inter filios Ludouici Imperatoris diuiditur. 226.10
ducis Brunsuicensis historia mirabilis. 125.6
ducissæ tres, abbatissæ factæ. 14.7
Duna Castrum obsidione cingitur. 316.3
dux Montensis patrem suum captum in custodia ponit. 341.51. ad obedientiam parentis compellitur. 342.12
dux Montensis terram de Bare cum exercitu intrat. 348.12. capitur. ibid.15
Dux Limpurgensis sine liberis moritur. 200.39
Dux Burgundiæ, obtinet ducatum Lotharingiæ. 389.47

E.

Eberbach monasterium in Ringau fundatur. 247. 28

Eberhardus comes de Wirtemberg moritur. 234. 19
Ebervuinus fit episcopus Wormatiensis. 298.46
Ecclesia parochialis in Sponheim, cœnobio incorporatur. 286.23
Ecclesia in Schornsheim alienatur. 280.20
Ecclesia in Kemden, capitulo Moguntino datur. 282.5
Ecclesia parochialis in Nuhem canonicis Moguntinis datur. 282.14
Ecclesia parochialis in Oppenheim fundatur. 283. 26
Ecclesiæ Sponheimensis noua consecratio. 294.20
Ecclesia beatæ Mariæ Wormatiæ fundata. 295. 10
Ecclesia in Osternach Moguntinensibus donatur. 280.39
Ecclesia parochialis in Spõheim noua consecratur. 254.20
Ecclesiæ Moguntinæ de vngendis regibus Bohemiæ priuilegium. 269.2
Ecclesia in Berstadt Moguntinensibus datur. 282. 9
Ecclesia Limpurgensis, qualis fuerit. 422.10
Ecclesia parochialis in Wachenheim fit monasterium. 424.35
Ecclesia parochialis villæ Sponheim, monasterio incorporatur. 391.17
Ecclesia Hirsaugiensis per episcopum Spirensem consecratur. 67.10
Ecclesia Spirensis igne accensa. 126.56
Ecclesia Colonienſis noua fundatur. 187.36
Ecclesia S. Georgij in Dalen consecratur. 242.57
Ecclesia S. Germani extra muros ciuitatis Spirensis, incorporatur Ecclesiæ S. Mauritii intra vrbem. 379.36
Ecclesia Hirsaugiensis vetus destruitur, & fundamenta nouæ ponuntur. 56.48
Ecclesia Wormatiensis à Brunone episcopo dedicatur. 109.29
Ecclesia S. sepulchri in Spira traditur præposito in Deckendorff. 168.26
Ecclesia in Gentzingen alienatur. 285.52
Ecclesiæ Moguntinæ persecutio. 169.56
Eckbertus Abbas Schonaugiensis clarus. 148.9
Eckhardus primus abbas in Vraun, vir doctissimus. 99.58
Eclipsis solis magna. 124.43
Eclipsis Lunæ bis eodem anno. 109.25
Edmundus Rex martyrizatur. 17.10
Eduardus secundus rex Angliæ, venit ad Imperatorem. 315.16
Eduardus Dux Gelriæ sagitta percussus moritur. 331.30
Eduardus rex Angliæ ad imperium inuitatur. 320.20
Eduardus rex Angliæ ad Imperium vocatur. 224. 28
Eduardus Gelriæ dux, fratrem suum capit. 233.34
Eduardus rex Angliæ exercitum in Francium mouet. 221.50
Eduuius tyrannus, monasterium Hirsaugiense valde inquietat. 28.37
Egilo ex monacho archiepiscopus fit. 15.34
Einhardus abbas monasterii Selgenstatensis, clarus. 81.34
Einkirch villa subuertitur. 270.48
Electio monachis Hirsaugiensibus interdicitur. 44.44
Elfredus rex Anglorum quando clarus habitus. 23. 13
S. Elisabeth magistra in Schonaun moritur. 294. 38
S. Elisabeth in Hassia moritur. 179.29. canonizatur. 183.36
S. Elisabeth monialis prophetissa moritur. 158. 34. Eius vita, ibid. 42. variis libris conscripta. 152. 10
S. Elphegus episcopus & martyr. 48.4
Eluuangen monasterium transfertur ab ordine. 401.29
Embricho episcopus Herbipolensis moritur. 231.26
Emericus de Gronenberg fit episcopus Wormatiensis. 301.23
Emericus Vlner de Sponheim moritur. 346.32
Emicho de Liningen fit episcopus Spirensis. 305.24
Emicho comes de Liningen accusatur coram Regia maiestate super incendio monasterii Limpurgensis. 424.17
Emicho comes de Lyningen multas Palatinas villas incendio vastat. 419.57
Emicho comes de Liningen à Palatino cum alijs deficit. 433.36
Emporium de Bingen trãsfertur ad Monster. 433. 58
Enckerig villa destruitur. 327.41
Engelbertus archiepiscop. Coloniensis à nepote suo occiditur. 268.17
Engelbertus de Marchia fit archiepiscopus Coloniensis. 233.5. moritur. 234.9
Engelbertus archiepiscop. Coloniensis occiditur. 177.3
Engelbertus monachus Treuirensis clarus. 40.24
Engelbertus monachus doctus, fit archiepiscopus. 50.25
Engers Castrum construitur. 234.28
Ensis & Clypeus mirabiles regi Gallorum donantur. 414.52
Episcopus Spirensis capitur. 284.49
Episcopus Leodiensis, fit Coadiutor Ecclesiæ Treuirensis. 358.53
Episcopus Colonienſis, fit administrator Ecclesiæ Paderbornensis. 408.48
Episcopus à Leodiensibus capitur. 379.59
Episcopus Pragensis, fit Archiepiscopus. 231. 10

Episcopus Argentinensis Hirsaugiam destructurus subitanea morte moritur.
Episcopus Misnensis fundatur. 26.28
Episcopus propter simoniam depositus. 121.26
Episcopi Treuerensis & Colonienſis deponuntur. 16.42
Episcopus citatus ad iudicium diuinum, moritur. 55.35
Episcopus monachus factus. 120.30
Episcopi ex Alemania in depositione papæ qui fuerint præsentes. 33.55
Episcopus circa Bingen in Rheno à muribus consumptus. 35.25
Episcopus consilio suorum decipitur. 118.36
Epistola Ioannis Trithemij ad Rogerium Sycambrum. 468. 48. Eiusdem ad Ioannem Nutium epistola. 469.37
Epistola Theodorici episcopi Lubecensis ad Ioannem Trithemium abbatem. 486.45. Responsio ad eandem Trithemii. 487.9
Epistola Ioachimi Brandenburgensium Marchionis ad Trithemium Abbatem. 532.10
Epistola Ioan. Trithemii ad Nicolaum Priorem suum Claustralem. 444.5. Eiusdem ad fratrem Ioannem Nutium epistola. 444.35
Epistola Ioan. Trithemii ad Ioannem Capellerium græca. 453.54. eiusdem ad Ioannem Grypsium Artopæum latina. 455.35
Epistola Trithemii ad Arnoldum Bostium scripta, vulgatur. 410.58
Epistola Ioannis Trithemii ad Iacobum Kymolanum Carmelitarum ordinis. 451.30. Eiusdem ad Gerlacum de Breitbach abbatem monasterii Tuitiensis. ibid.45
Epistola papæ ad Hildegardem. 133.37
Epistola Iohannis Trithemii, ad Magistrum Iacobum Trithemium fratrem. 440.15. eiusdem ad Rogerium Sycambrum epistola. ibid. 45. & 454.20
Epistola Iohannis Trithemii ad Philippum comitem palatinum. 479.15
Epistola Ioan. Trithem. ad Rogerium Sycambrũ. 480.50
Epistola Ioan. Trithemii ad præsidentes in concilio annali ordinis S. Benedicti apud Moguntiam. 495.15
Epistola S. Elisabeth ad S. Hildegardem. 152. 23
Epistola Hildegardis ad fratres Hirsaugienses. 146. 46
Epistola S. Anselmi ad Wilhelmum abbatẽ Hirsaugiensem. 74.27
Epitaphium Petri Abelardi. 129.47
Equites in aere dimicantes. 93.16
Erckenbaldus fit abbas in Isna. 20.54
Eremita quidem per annos 20. sine cibo corporali viuit. 399.9
Erenfridus prior Sextus Sponheimensis. 260. 58. moritur. 261.26
Erlafridus comes in Calue, & filius eius Notingus episcopus Vercellensis. 3.3
Erlafridus nuncios ad Fuldam mittit. 334
Erlafridi comitis donatio, per Imperatorem confirmatur. 7.26
Ernestus Dux Austriæ moritur. 348.11
Ernestus Dux Bauariæ, amasiam filii de ponte in Straubingen præcipitari facit. 357. 15 moritur. 358.56
Ernestus abbas Hirsaugiensis 24. quamdiu præfuerit. 179.46. Eius vita & mores. ibid 56. moritur. 186.12
Ernestus primus prior in Richenbach. 78.22
Erphordiensis Academia fundatur & erigitur. 338.41
Erphordia obsidione cingitur. 165.49
Errores Henrici Quarti Imperatoris. 104.38
Eslingen obsidione cingitur. 230.48
Esso fit abbas in Beinuuiler. 80.18
Eubœa Christianorum Insula, à Turcis capitur. 388.35
Eucharii Heimeri ad Ioannem Trithemium Abbat. epistola. 483. 35. Responsio ad eandem Trithemii. 484.15
Euerhardus dux Wirtembergensis profugus. 409. 17
Euerhardus comes Wirtembergensis conatur in ducem Teccensem. 407.49
Euerhardus abbas Hirsaug. 23. quot annis præfuerit 173.12. Eius genus & vita. ibid. 22. moritur. 179.35
Euerhardus electus abbas Hirsaugiensis ornamẽta Ecclesiæ furatur. 4.24. moritur. 58
Eugenius papa Treuerim venit. 133.13. nuncios ad Hildegardem mittit. ibid 22. moritur. 136.31
Eutrandus Ticinensis Diaconus, vir doctus & clarus. 22.15
Eberuuinus in Theologia Treuirensium doctissimus. 47.54
Exactio Imperatoris magna, pro bello Bohemico. 349.43
Exequiarum Cæsaris Friderici pompa. 404.35
Expeditio contra Bohemos maxima. 347
Expeditio contra Hussitas in Bohemiam. 353.14
Expeditio Christianorum in Teucros. 222.57
Expeditio regis Rom. cõtra principes imperii. 207. 3
Expeditio regis Conradi in Saxoniam. 128.10
Expeditio regis Romani in Bohemiam. 195.42
Expeditio regis Cõradi in terram sanctam. 131. 20
Expeditio contra Albienses. 170.25
Expeditio contra Saracenos. 159.25
Expeditio in Danos & Sclauos mouetur. 122.17
Eydeluuolff de Beckelnheim moritur. 335.53
Eyslat à Duce Bauariæ obsidetur. 371.7
Ezelinus comes palatinus Rheni præclarus. 46.40. Eius sex filiæ fiunt abbatissæ. ibid.51


Fal-

F.


Falco Remensis Archiepiscopus interficitur. 23.50
Fames & mortalitas hominum & pecorum magna. 220.21
Fames propter hyemis iniuriam, magna. 176.55
Fames in omni regione magna. 358.35
Fames & pestis per Alemanniam & Italiam magna. 305.28
Fames in Germania magna. 12.27
Fausti vanitas insignis. 559.50
Febres doloresque capitis cum dysenteria homines valde affligunt. 417.10
Ferdinandus Hispaniarum Rex, regnum Granatæ capit. 408.35
Ferrandus Cordubensis scientia admirabilis ex Hispania in Franciam venit. 415.1
Festum Lanceæ, clauorum & coronæ Christi instituitur. 231.23
festum Dominicæ transfigurationis instituitur. 370.18
festum fidelium animarum quando & qua occasione institutum. 43.41
fides quam sit necessaria. 457.35
fides in Christum sola iustificat. 463.10
Flandriæ pars submergitur. 126.32
Flaualdus monachus Remensis clarus. 39.21
Flersheim Ecclesiæ Moguntinæ venditur. 289.42
Florentiæ vltra sexaginta millia hominum peste, vno anno pereunt. 321.50
Florentinus puer sex mensium comitatum Hollandiæ suscipit. 189.58. occiditur. 203.31
fœdus inter comitem Iohannem de Sponheim & archiepiscopum Moguntinum. 291.36
fœmina papatum obtinet. 13.16
fons sanguinis in ciuitate Ianuensi. 28.38
fornicationis crimen Abbati à monachis imponitur. 61.22
fossarii Hæretici in Bohemia augentur. 413.50
fossarii heretici quomodo doctissimi euadant. 414.10
Francia vastatur à Duce Burgundiæ. 379.42
franciæ Rex à Flandrensibus fugatur. 171.30
S. Franciscus moritur. 177.14
Franckenthal monasterium fundatur. 247.42
Francofordienses à Cronenbergensibus superati, conditiones pacis accipiunt. 336.40
fraternitas Sponheimensis monasterii cum multis aliis. 245.6.25
fratrum S. Aurelii multiplicatio. 9.57
fratrum conuersorum institutio qualis. 66.10
Frauuenburg castrum construitur. 313.24
Freculphus ex monacho episcopus Lexouiensis. 10.38
Fridburg castrum extruitur. 278.25
Friderichsburg nouum castrum palatini destruitur. 419.23
Fridericus Dux Austriæ contra Ludouicum eligitur. 395.35
Fridericus Dux Austriæ capitur. 367. non vuli liberari per spiritum. ibid.39
Fridericus Dux Austriæ nascitur. 344.30
Fridericus de Saruuerde fit archiepiscopus Coloniensis. 331.12
Fridericus rex Rom. venit ad Treuerim. 389.7
Fridericus Imperator vxorem suam repudiat. 337.54
Fridericus 2. Imperator, excommunicatur. 268.52. absoluitur. 269.30
Fridericus Imperator moritur. 404.26
Fridericus Imperator primus eligitur. 335.55. consecratur in Imperatorem. 137.14
Fridericus de Nackheim, abbas Sponheimensis 20. quamdiu præfuerit. 360.47. resignat abbatiam. 363.48
Fridericus comes palatinus moritur. 390.43
Fridericus Dux Austriæ fit rex Romanorum. 361.24. coronatur. ibid.48
Fridericus rex Romanorum oppugnat Suitenses. 363.16. coronatur Romæ. 367.37
Fridericus palatinus exercitum ducit ad Coloniam. 380.26
Fridericus palatinus deuastat terram Wirtembergensem. 373.49
Fridericus Dux Bauariæ, reformator existit monasterii Sponheimensis. 381.32
Fridericus Imperator ciuitates imperii contra Ducem Bauariæ concitat. 311.38
Fridericus palatinus quatuor principes & quingentos comites, nobiles & equites capit. 375.27
Fridericus Colonienſis episcopus moritur. 122.7
Fridericus Dux Austriæ Bauariam deuastat. 214.16. capitur. ibid.44
Fridericus Dux Austriæ contra Ducem Bauariæ in regem eligitur. 211.27
Fridericus palatinus contra Ludouicum Nigrum exercitum producit. 372.47
Fridericus Imperator à papa deponitur. 185.41. sententiam papæ non curat. ibid.57
Fridericus rex à Colonienſibus suscipitur. 172.25. fit Imperator. 174.39
Fridericus Imperator à papa excommunicatur. 177.53. peregrinationem in terram sanctam suscipit. 178.12. moritur. 188.31
Fridericus II. Hirsaugiensis abbas, quot annis præfuerit. 59.28. vita & conuersatio eius. ibid.37. apud Comitem accusatur. 61.4. iniuste deponitur. ibid.30.48
Fridericus Cardinalis fit monachus. 53.54
Fridericus episcopus Traiectensis martyrizatur. 11.29
Fridericus secundus Imperator vngitur. 266.6
Frisiones Wilhelmum regem Romanum interficiunt. 282.30
Frumenta in caro precio. 402.27
Frumenta pro vili precio comparantur. 398.12

*Fuldense monasterium spoliatur propter monachos.* 47.28
*Fulgetra siue lapis insolitæ magnitudinis, e nubibus cadit.* 404.10
*Fulminis ictus regem terret.* 106.2
*Furor Henrici regis contra Catholicos.* 91.56

G.

*Galeaceus vice comes Mediolanensis sine voluntate principum Dux factus est.* 340.10
*Gaudauum à rege Franciæ obsidetur.* 335.3
*Gandauum sex hebdomadibus obsidetur ab Imperatore.* 400.41
*Gaubreckelnheim à Friderico palatino capitur.* 373.53
*Gaudersheim in Saxonia fundatur.* 14.1
*Gauodernheim capitur.* 419.34
*Gauvvershausen exuritur & desolatur.* 276.44
*Gauxberg mons olim Gauvvesberg.* 243.2
*Gebhardus abbas, fit episcopus Spirensis.* 102.18. *mente, vita, & moribus mutatur in deterius, & à cunctis irridetur. ibid.* 45. *frustra laborat de abbatia retinenda.* 103.15
*Gebhardus monasterii Hirsaugiensis abbas decimustertius, quot annis præfuerit.* 87. 52. *eius vita.* 88.6. *benedicitur à Constantiensi episcopo.* 89.49
*gebhardus Romam ad papam missus.* 89.10
*gebhardus ex Duce monachus & episcopus Constantiensis.* 78.51
*gebhardus prior Cluniacum mittitur.* 84.56. *reuertitur.* 85.36
*Gebhardus Spirensis episcopus grauiter infirmatur.* 106.10. *moritur.* *ibid.* 35
*Gelasius papa secundus, quis ante electionem fuerit.* 109.36. *moritur.* 111.2
*Gelriæ Dux, fratrem suum capit.* 328.10
*gelriæ comes in ducem creatur.* 315.50
*gelriæ dux primus moritur.* 318.29
*gelriæ comes in ducem sublimatur.* 220.44
*Gerardus de Schuuartzburg, fit episcopus Herbipolensis.* 332.4
*gerardus abbas monasterii S. Iohannis in Ringauia moritur.* 408.31
*Gerardus de Ernberg, fit episcopus Spirensis.* 313.41
*Gerarsus ex monacho episcopus Morisenus in Vngaria clarus.* 48.18
*Gerberti qui postea Syluester papa secundus factus, scripta doctissima.* 42.43
*S. Gereonis corpus inuentum.* 115.52
*Gerlacus de Nassavv archiepiscopus Moguntinus moritur.* 331.2
*gerlacus archiepiscopus Moguntinus confirmat indulgentias monasterii Sponheimensis.* 326.40
*Gerlacus fit episcopus Wormatiensis.* 218.31. *moritur.* 219.10
*Gerlacus abbas Tuitiensis capitur.* 416.15
*Gerlacus à papa archiepiscopus Moguntinus factus, ad possessionem initio non admittitur.* 223.31
*Germani de Ganay ad Ioannem Trithemium epistola.* 471.2
*Geroltzeck castrum, & oppidum Morsmunster capiuntur à Friderico palatino.* 388.3
*Gerungus abbas cellæ S. Paulinæ primus, & eius vita.* 105.12
*Gerungus abbas Hirsaugiensis secundus quot annis præfuerit.* 13.21. *Auditor extitit Rabani. ibid* 34. *eius seuera disciplina. ibid.* 52. *moritur.* 18.22
*Giemps castrum in Morauia occupatur à Diabolo.* 413.31
*Giessen oppidum capitur.* 214.11
*gildericus ex monacho episcopus.* 26.22
*giselbertus abbas in Anglia doctissimus.* 76.12
*giselbertus ad Hassungen abbas constituitur.* 79.22
*gladius in aere volitat.* 93.20
*glanus fluuius à Iutta virgine sicco pede superatus.* 248.31
*Gobelinus abbas Sponheimensis 19. quot annis præfuerit* 354.15. *moritur.* 360.23
*Godefridus S. Iacobi abbas, abbatia & patria pulsus.* 147.50
*Godescalci presbyteri errores.* 12.40
*godfridus, Hirsaug. abbas* 29. *quot annis præfuerit.* 202.37. *eius vita. ibid.* 45. *moritur.* 206.11
*gotfridus fit comes in Sponheim.* 253.45
*Gotfridus rex Ierusalem moritur.* 99.34
*gotfridus fit rex Ierosolymitanus.* 94.3
*gotfridus fit episcopus Herbipolensis.* 156.49. *moritur.* 157.27
*Gotfridus fit abbas in Bregentz.* 81.49
*S. Gothardus episcopus Hildeshemēsis clarus.* 48.38
*Gotzauu monasterium fundatur.* 155.36
*Gradus sine scientia nihili esse faciendos.* 506.10
*Græcarum literarum in monasteriis studium.* 28.1
*granatæ regnum ab Hispanis capitur.* 403.35
*Grandimontensis ordinis initium.* 83.33
*Gratianus monachus Bononiensis clarus.* 141.46
*gregorius papa nonus Fridericum Imperatorem excommunicat.* 184.22
*Gregorius papa 10. eligitur.* 194.35
*Gregorius septimus papa, antea Hildebrandus dictus.* 72.30. *moritur.* 83.10
*Gregorius septimus papa Salernam fugit.* 77.17
*S. Gregorius & Euerardus eremitæ in nigra sylua.* 32.23
*Groinauu monasterium fundatur.* 247.22
*Grosbockenheim à Friderico palatino capitur & euertitur.* 387.1
*Guda specht monialis in magistram reliquarum assumitur.* 404.57
*guido Aretinus monach⁹ & musicus insignis.* 47.50
*Guimondus Archiepiscopus Auersanus, ex monacho, clarus.* 503

Guntherus cum exercitu ad Francofordiam venit. 320. 58. veneno intoxicatus moritur. 321. 12
Guntherus monachus S. Amandi clarus. 57.41
Guntherus comes de Suartzburg ad imperium vocatur. 224.42
Guntherus comes de Suartzburg Francofordiam obsidet. 225.20
Guntherus abbas constituitur ad Camberg. 79.31
Gurricke oppidum ab hæreticis Fossariis liberatur. 413.56
Gymnasii Heidelbergensis fundatio. 318.9

H.

Haderadus quartus Hirsaugiensis abbas quamdiu præfuerit.203.5.synodo apud Triburias interest.23.5.moritur. 25.28
Hæreseos catharorum origo. 148.39
Hæreseos pessimæ aliquot articuli. 211.55
Hæresis flagellatorum in Vngaria surgit. 225.55
Hæresis Longobardorum,& errores eorum. 179.3
Hæresis Fratricellorum damnatur. 205.36
Hæreticorum in Bohemia multiplicatio. 413.46
Hæreticus de Cardona conuictus. 149.12
hæretici in Austria combusti, & eorum errores. 211.53
hæretici in Alemannia comburuntur. 172.43
Hagenau obsessa & capta. 170 55
Hannoniæ comes à Frisonibus occisus. 318.52
hannoniæ & Selandiæ comitatus ad Bauaros veniunt. 318.57
hartfridus abbas Hirsaugiensis nonus, quot annis præfuerit.39.55. Eius vita 40.3. moritur peste. ibid.46
Hartmannus Regis filius submersus. 197.10
hartuuigus abbas Hirsaugiensis 16.quamdiu præfuerit.138.16.Hildegardem visitat.ibid.52.eius vita.139.7.moritur. 141.50
Hassungen monasterium constrnitur. 72.15
hasloch à Friderico comite palatino subuertitur. 372.55
hatstein castrum expugnatur. 330.40
hatto Augiensis abbas,fit archiepiscopus Moguntinus.21.48.moritur. 25.11
hatto ex abbate archiepiscopus Mogunt. 35.12. pauperes in Horreo concremauit. ibid.15
hausen monasterium Limpurgo incorporatur. 267.49
Haymo episcopus Halberstatensis quando claruerit.10.31.moritur. 12.46
hecli,ex abbate Archiepiscopus Treuerensis.10.42
hedekin spiritus in Saxonia apparens multa miracula facit. 123.44
heidelbergensis Academia erigitur. 221.17
Heidenheim à Marchione obsidetur. 376.5
heisheim obsidione cingitur. 330.17
S.helena Imperatrix in Galliã transfertur. 12.24
Henricus rex Italiam subiugauit 303.45. moritur. 304.52
Henricus comes de Lutzelburg eligitur in Regem Romanum. 302.25
henricus de Virnenburg moritur. 324.38
henricus Vlner de Sponheim moritur. 340.5
Henricus de Gelnhausen monachus,moritur.400. 22
henricus Dux Bauariæ exercitum in Saxoniã ducit.127.39 moritur. 128.17
Henricus Dux Bauariæ fit gener Imperatoris,124. 58
Hēricus secundus Imperator cum Cunigũda vxore castitatem obseruat & colit. 45.43. moritur. 49.7
Henricus Treuirensis Archiepiscopus per papam facĩus. 191.23
Henricus Dux Bauariæ moritur. 201.16
henricus frater Imperatoris capitur. 290.30
Henricus in episcopatu Moguntinensi confirmatur.49.218.34.deponitur.223 30.moritur.227.7
Henricus secundus fit Imperator. 44.26
henricus secundus, monasterij Hirsaug. abbas 30. quot annis præfuerit.206.16. Ortus & vita eius ibid.25.deponitur. 213.10
Henricus rex Saxoniam intrat. 176.39
Henricus filius Friderici fit rex Romanorum. 175. 30
Henricus Lutzenburgensis in Regem Rom. eligitur.209.8. Romæ in Imperatorem consecratur. 210.1.moritur. ibid.49
Henricus rex aduersus patrem conspirat. 181.51. à patre captus custoditur. 182.23
Henricus Imperator V. à papa paschali Romæ consecratur.101.26.patri rebellat. ibid.38
Henricus vltimus Lantgrauius Alsatiæ moritur. 184.45
henricus quartus Imperator Romæ excommunicatur. 72.44
henricus Caseus episcopus Herbipolensis. 164.50
Henricus monasterij Hirsaugiensis abbas 20. quãdiu præfuerit.158.6. Eius genus & vita.ibid.15. Abbatiam resignat.160 33.moritur. 161.41
henricus Imperator sextus Siciliam obtinet. 160.9. moritur. 161.54
Henricus comes Veldentiæ fœdus facit cum archiepiscopo Moguntino. 197.58
henricus abbas in Breitenau quos libros scripserit. 123. 1. miraculis post mortem claret. 123. 20
henrico Regi principes fere omnes renuntiant. 73. 37.rex Romam proficiscitur humiliatus coram papa.73.40. tertio excommunicatur. ibid.44. Romæ benedicitur ab Antipapa. 82.51
henricus Imperator cum omnibus qui in synodo Wormatiensi præsentes fuerunt, secundo excommunicatur. 73.25
Henricus tertius Imperator moritur. 54.7

Henricus Quartus Imperator moritur.104.35. Errorum eius enumeratio. ibid.40

Henricus Quintus à patre regnum accipit. 104. 28

Henricus rex Romam expugnat. 77.12

Henricus Quintus Romam venit.107.27. in Imperatorem consecratur. ibid.34

Henricus Rex.5.& Imperator eius nominis 4.moritur. 119.20

Henricus abbas ad S. Georgium in Nigra sylua. 79.13

Henricus Imperator filium ad concubitum cum nouerca inuitat. 92. 25. denuo excommunicatur. ibid.43

Henricus primus, Imperator quando electus & quot annis præfuerit.25.51.moritur. 28.56

henricus comes de Sponheim ad terram sanctam proficiscitur. 334.2

Henrici Cornelii Agrippæ à Nettesheim ad Ioannem Trithemium abbatem, epistola. 572. 39

henricus abbas huius monasterii 12. quot annis præfuerit.314.15.moritur. 316.10

herbipolis expugnatur. 83.17

herbipolenses ciues grauiter mulctantur. 286.45

Herdericus monachus Hirsaugiensis doctissimus. 22.42

Heribertus Archiepiscopus Colonienſis, maledictos quosdam à pœna absoluit.47.23. moritur. ibid.37

heribertus Episcopus Altisiodorensis vir doctus & clarus. 50.53

herigerus abbas bobiensis clarus. 36.9

Heriolus rex Danorum baptizatur. 11.9

Hermannus Hassiæ comes fit Gubernator Colonienſis. 388.56

Hermannus archiepiscopus Colonienſis moritur. 431.32

hermanni archiepiscopi Colonienſis ad Ioannem Trithemium epistola. 538.13

hermannus Marchio fit monachus. 77.47

hermannus contractus, monachus doctissimus floruit. 50.57

hermanus ex monacho episcopus babergensis.58.12

Heymo prior Hirsaugiensis ordinatur. 89.54

Heyne monasterium fundatur. 249.5

hidolphus archiepiscopus Colonienſis moritur.76.51

Hierusalem à Saracenis subuertitur.174.35. Christianis traditur. 178.31

hierosolyma à Christianis capitur. 94.1

Hildebertus abbas Fuldensis, fit archiepiscopus Moguntinensis. 27.56

hildeboldus abbas in Magdeburg constituitur.79.50

Hildegardis vbi nata, & quando ad monasterium tradita.133.51. à Regibus, Imperatoribus, episcopis & aliis literas accipit, iisque respondet. ibid.44. claret miraculis. 135.15. multis vera prædicit. 136.12.20.40.&c.

Hildegardis libri à papa leguntur & confirmantur.133.28.qui fuerint. 134.22

hildegardis moritur. 257.5

hildegardis tumba aperitur, & reliquiæ eius in quandam tabulam includuntur. 410.12

S. hildegardis de bickelnheim monasterium in monte S. Ruperti fundat. 247.57

S.hildegardis moritur. 156.56

hildegardis virginis origo & vita. 250.27

hildegardis S. bernardo reliquiarum S. Ruperti particulam offert.132.26. Eius scripta commendantur à bernardo. ibid.9

S.Hildegardis Hirsaugiam venit. 145.25

S.Hildegundis in Shonaun moritur. 157.42

hildegundis virgo sub virili habitu latitans, moritur. 258.38

hildemannus monachus fit archiepiscopus. 30.25

Hildeuinus ex monacho episcopus. 28.22

hildeuinus abbas S.Dionysii. 10.48

hildesleben cœnobium fundatur. 33.15

hillinus fit archiepiscopus Treuirensis. 136.5

hilpericus fit scholasticus S. Galli. 30.3

Hiltrudis monialis apud bingates, moritur.256.35

S.hiltrudis monialis moritur. 156.40

Hirsaugia ab Imperatore Henrico destrui iubetur. 91.43.92.10

hirsaugiensium fratrum fama sanctissima. 87.33

hirsaugia quo anno fundari cœperit. 4.30

hirsaugiensis monasterij perfectio. 4.50

hirsaugiensis monasterii fundatio. 31

hirsaugiense monasterium fit prostibulum meretricum.45.9.plane desolatur. 45.30

hirsaugiensis Ecclesia & monasterium dedicantur. 6.18

hirsaugiæ veteris & nouæ comparatio. 41.6

historiæ commendatio & vtilitas. 1.10. 31. eius præcepta duo. ibid.57

historiarum genera tria. 2.10

Hoensolms castrum solo æquatum. 334.43

Hoenzoller vrbs in Sueuia à ciuibus imperii capitur. 347.35

hollandia per 80. annos à bauaris possessa. 319. 10

Hollandiæ comitatus ad bauariæ Duces peruenit. 223.21

hollandiæ comitatus à bauaris ad burgundios deuenit. 348.28

Homberg Castellum comitis in Hanavv, occupatur. 420.40

homo quidam cunctos mortales sapientia superat. 414.57

Homines quidam per annum integrum saltantes. 47.10

honorius secundus papa, quis antea fuerit. 119.7

Honorius papa IV. moritur. 200.18.

horreū lapideum Sponheimij construitur. 402.21

hospitale in Sponheim cum Ecclesia parochiali crematur. 254.1

*Hugbertus abbas ex Duce.* 15.1
*Hugo Cardinalis depositus, papam mendose accusat.* 73.5
*Hugo S. victoris Parisiensis moritur.* 129.26
*Hugo episcopus Gratianopolitan⁹ moritur.* 123.34
*Hugo ex abbate, episcopus Altisiodorensis factus.* 115.26
*S. Hugo reliquias quasdam ad Wilhelmum mittit.* 85.1
*Humilitas Deo grata est.* 474.2
*Humilitas Friderici abbatis interior & exterior.* 60.20
*Hunbertus ex monacho cardinalis.* 51.16
*Hunibaldus & Hugbaldus monachi.* 17.38
*Hyems prolixa & æstas sicca.* 416.38
*Hyems aspera & inundatio magna.* 353.20
*Hyems prolixa, fames & pestis.* 233.21
*Hyems longissima usq; ad medium Maij durans.* 362.38
*Hyems dura admodum & aspera.* 130 36
*Hyems aspera & diuturna.* 188.39

I.

*Iacobi Trithemij ad Ioannem Trithemium fratrem abbatem epistola.* 486.8. *Responsio ad eandem Ioannis Trithemii.* ibid.30
*S. Iacobi monasterijs Moguntiæ destruitur.* 255.14
*Iacobus Marchio Badensis, fit coadiutor archiepiscopi Treuirensis.* 412.15
*Iacobus de Sirck archiepiscopus Treuirensis moritur.* 369.41
*Iacobus archiepiscopus Treuirẽsis moritur.* 416.43
*Ibanus abbas Spanheimensis moritur.* 188.58
*Ida comitissa de Spanheim fit monialis.* 159.12
*Idiota à Spiritu doctus factus.* 124.30
*Idolorum gentilium nomina, vero Deo non tribuenda.* 466.19
*Ieiuntum bannitum instituitur.* 38.57
*Imago per totum sudare visa est.* 300.54
*Imperator uxorem suã repudians aliã ducit.* 137.53
*Imperator exercitum mouet in Flandriam.* 400.36
*Imperator hostiam venenatam à monacho percipiens moritur.* 210.55
*Imperatrix fit sanctimonialis.* 92.47
*Imperatoris Henrici scelera.* 91. 29. *Hirsaugiam destrui iubet.* ibid.44
*Imperatores duo eliguntur.* 162.7. & seqq.
*Imperatoris filiæ moniales.* 49.53
*Imperator à papa depositus primus, quis.* 105.2
*Imperator à Saxonibus in bello superatur.* 108.40
*Imperator à papa deponitur.* 277.26
*Imperator Bulgarum fit monachus.* 16.48
*Imperator totam Apuliam occupat.* 169.50
*Imperium Germanis confirmatur.* 42.31
*Imperium Lotharij tripartite diuiditur.* 14.25
*Impressoria ars quando & vbi sit inuenta.* 505. 50
*Incendium Ecclesiæ Lympurgensis magnum.* 422. 27
*Indulgentiarum ab vno episcopo monasterio Spãheimensi factarum, copia.* 315.1
*Indulgentiarum literæ Romã afferuntur.* 299.3
*Indulgentiarum à 12. Episcopis pro monasterio Sponheimensi impetratarum literæ.* 320.3
*Indulgentia ad S. Georgy templum.* 279.5
*Indulgentia contra Tartaros & Ruthenos praedicatur.* 433.47
*Indulgentiæ conceduntur ijs qui opera Trithemij legunt.* 418.26
*Indulgentiarum monasterio ad quinque annos concessarum literæ.* 362.8
*Infans contra naturam loquitur in cunis.* 109.13
*Insulæ vsus Decano Moguntinensi conceditur.* 277.32
*Ingelnheim & Aula Caroli, quomodo ab obsidione liberata.* 420.26
*Ingelnheim à Moguntino Archiepiscopo obsidetur.* 372.39
*Ingratitudo hominum diuinitus punitur.* 397. 54
*Innocentius papa 3. moritur.* 172.54
*Insulæ nouæ à Columbo inueniuntur.* 404.45
*Inundationes aquarum maximæ.* 191.41
*Ioachimi Marchionis Brandenburgensis ad Ioannem Trithemium epistola.* 441.20
*Ioachimus abbas monasterij Florensis in Calabria claruit.* 141.37
*Ioannis Trithemij abbatis, ad Iacobum Wimpfelingum epistola.* 550.10. *Eiusdem ad Simonem abbatem monasterij Lacensis, epistola.* ibid.48
*Ioannis Trithemij ad M. Matthæum Herbenum epistola.* 554.2. *Eiusdem ad Ioannem Capellerium mathematicum epistola.* 555.20
*Ioannis Trithemii abbat. ad Iacobum Kymolanum Carmelitani ordinis epistola.* 556.25. *eiusdem ad Christianum Masseu presbyterum epistola.* 557.59
*Ioannis Trithemij abbat. ad Hermannum Colaniensis Ecclesiæ archiepiscopum, epistola.* 560.20. *eiusdem ad Iodocum Beiselium Iurisconsultum epistola* ibid.45
*Ioannis Trithemij abbat. ad Theodoricum de Eltz monachum Fuldensem epistola.* 568. 5
*Iohannis Trithemij abbat. ad Matthæum Lang, Episcopum, epistola.* 569.10. *eiusdem ad Eberhardum Senffi, Decanum Ecclesiæ Bambergensis, epistola.* ibid 35
*Ioannis Trithemii ad Ioannem Euriponum Carmelitanum epistola.* 483.23
*Ioannis Trithemii, ad Nicolaum Remitium priorem epistola.* 485.39
*Ioannis Trithemii ad Hermannum Buschium poetam epistola.* 487.28
*Ioannis Trithemij Abbatis, ad serenissimum principem Ioachimum, Brandenburgensium Marchionem, electorem, epistola.* 490.12

Ioannis Trithemij ad Conradum abbatem monasterii sanctorum Vdalrici & Afræ in Augusta, Epistola. 488.25

Ioannis Trithemij abbatis Spanheimensis, ad conuentum in Spanheim Epistola. 490.46

Ioannis Trithemij abbatis ad Iulium secundum papam, Epistola. 491.10

Ioannis Trithemii ad fratres in Spanheim Epistola. 492.30. Eiusdem ad Iacobum Wimphelingium epistola. ibid.55

Ioannis Trithemij ad Ioachimum Brandenburgensem Marchionem epistola. 571.35

Ioannes prior Sponheimensis decimus moritur. 277.2

Ioannis Trithemij ad Ioannem Steinemoel presbyterum Mechilmiensem Epistola. 459.10. Eiusdem ad Ioannem Brachtium epistola. ibid. 45

Ioannis Trithemij ad Iacobum Kymolanum theologum epistola. 460.20

Ioannis Trithemij ad Ioannem Cantherium Frisium Med. Doctorem epistola. 463.38

Ioannis Trithemii ad Rogerium Sycambrum epistola. 465.15. Eiusdem ad Ioannem Capellerium mathematicum epistola. ibid.40

Ioachimi Marchionis Brandenburgensis, ad Trithemium abbatem epistola. 515.3. Responsio ad eandem, ibid.40. Eiusdem Ioachimi Marchionis ad Trithemium epistola. 526.25. Item 536.40

Ioannis Trithemij ad Elisabetham de Longouico matrem suam epistola. 521.2

Ioannis Trithemij ad Nicolaum Basellium monachum Hirsaugiensem epistola. 527.10

Ioannis Centuriani de Clusardia ad Ioannem Trithemium epistola. 527.54

Ioannis Gotfridi pastoris Ecclesiæ in Mandal ad Ioannem Trithemium epistola. 529.15

Ioannis Trithemii ad Ioannem Damium Curtesium epistola. 518.3.525.25

Ioannis Trithemij ad Ioannem Vigilium I.V.D. epistola. 481.19. Eiusdem ad Ioannem Damium monachum epistola. ibid.45. Eiusdem ad Ioannem Brachtium priorem epistola. 482.12

Ioannis Trithemii abbatis, ad Henricum Cornelium Agrippam ab Nettesheim epistola. 573.40

Ioannes comes Lutzelburgensis, fit Rex Bohemiæ. 303.15

Ioannes comes Hollandiæ, sine hæredibus moritur. 348.20

Ioannes Archiepiscopus Moguntinus moritur. 331.43

Ioannes Scotus Theologiæ Doctor moritur 302.31

Ioannes filius Regis Bohemiæ, ducatu Carinthiæ exuitur. 318.44

Ioannes comes de Sponheim ad terram sanctam proficiscitur. 348.47

Ioannes de Fleckenstein episcopus Wormatiensis moritur. 349.11

Ioannes de Eglofstein fit episcopus Herbipolensis. 341.13

Ioannes electus episcopus Leodiensis, obtinet comitatum fratris sui Wilhelmi. 343.24

Ioannes de Brun fit episcopus Herbipolensis. 344.2

Ioannes secundus abbas Sponheimensis nonus, quot annis præfuerit. 294.2. moritur. 297.45

Ioannes prior Sponheimensis 16. deponitur. 298.22

Ioannes tertius dux Brabantiæ moritur. 324.56

Ioannes, Sponheimensis abbas septimus, quot annis præfuerit. 279.41. moritur. 285.20

Ioannes rex Bohemiæ Caroli Imperatoris pater occiditur. 319.54

Ioannes comes de Sponheim vltimus moritur. 357.49

Ioannes episcopus Herbipolensis ab illis de Hirschhorn capitur. 360.11

Ioannes papa 23. in concilio deponitur. 344.19

Ioannes de Nassauu, fit archiepiscopus Mogutinus. 339.33

Ioannes electus Leodiensis, ducit vxorem. 345.19

Ioannes Dux Burgundiæ capite truncatur. 246.23

Ioannes Rode Abbas S. Matthiæ qualis fuerit. 350.9

Ioannes abbas Bursfeldensis reformator primus, qualis fuerit. 350.21

Ioannes abbas de Clusa transit ad Bursfeldiam. 350.51

Ioannes Veri disputationem de conceptione Mariæ virginis renouat. 409.32

Ioannes Colnhausen quondam abbas Sponheimensis moritur. 407.30

Iohannes Damius monialium Confessor, à monialibus pellitur. 432.39

Ioannes Reuchlinus præceptor Trithemii. 401.43

Ioannis Trithemii ad Rogerium Sycambrum, epistola. 446.30

Ioannis Trithemii ad Iacobum de Maseck Physicum epistola. 452.10

Ioannes Keller senatorum apud Erfurdienses supremus, suspenditur ad patibulum. 433.22

Ioannes de Dalburg fit episcopus Wormatiensis. 393.29

Ioannes Trithemius, quomodo monachus Sponheimensis factus. 393.34

Ioannes Kolnhausen abbas Sponheimensis, transfertur ad Selgenstat. 394.20

Ioannes Trithemius abbas monasterij Sponheimensis 25. quot annis præfuerit 394.30. eius origo & patria. 395.4

Ioannes Ruchard de Wesalia Theologiæ Doctor, quando & cur Moguntiæ condemnatus 391.25

*Iohannes de Siemern, abbas monasterij Sponheimensis 27. quando constitutus. 435.20. Eius genus & origo. ibid.34*

*Ioannis Trithemij ad Iacobum Trithemium fratrem epistola. 438.10. Eiusdem epistola ad Priorem & conuentum in Spanheim. ibid.40. Eiusdem ad Iacobum fratrē, 439.20. eiusdē ad Priorem in Spanheim Nicolaum Remitium epistola. ibid.40*

*Ioannis Trithemij ad Conradum Abbatem monasterii S. Stephani in ciuitate Herbipol. epistola. 496 35. eiusdem ad Henricum Abbatem Bursfeldensem epistola. 497.25. Item ad Rogerium Sycambrum. 498.2. 499.20*

*Ioannis Trithemii ad Richmodem de Horst abbatissam, epistola. 499.45*

*Ioannis Trithemij ad Ioannē Brachtium priorem monasterii diui Matthiæ extra muros Treuirorū epistola. 512.30. eiusdem ad Ioannem Gotfridum pastorem Ecclesiæ vallis virorū. 514.20*

*Ioannis Trithemij ad fratrem Iacobum Trithemium epistola. 505.10. & 572.10*

*Ioannes Trithemii ad priorem & Conuentum in Spanheim epistola. 507.45*

*Ioannis Schadlandt sit episcopus Wormatiensis. 232.54*

*Ioannis Trithemii ad Libanium suum præceptorem epistola. 475.35. eiusdem ad Carolum Bouillum epistola. 476.25*

*Iohannis Trithemii ad Richmodem & vniuersum conuentum monasterii S. Laurentij in Sebach, epistola. 476.55*

*Ioannis Trithemij ad priorem & Conuentum in Spanheim epistola. 478.35*

*Ioannis Trithemii ad Iacobum Trithemium fratrem epistola. 479.35*

*Ioannes Dux Brabantiæ moritur. 228.27*

*Iohannes de Grumbach, fit episcopus Herbipolensis. 369.23*

*Ioannes Marchionis Badensis filius, fit archiepiscopus Treuirensis. 369.50*

*Iohannes Gutenberg, inuenit artem typographicam Moguntiæ. 366.44*

*ioannes Kolenhausen, abbas Sponheimensis 24. quot annis præfuerit. 383.37*

*Ioannes de Bockenau monachus, in Sponheimensi monasterio ad perpetuos carceres condemnatus est. 385.32*

*Ioannes abbas Bursfeldensis moritvr. 381.3*

*Ioannes Trithemius, in villa Tritenheim quando natus. 374.11*

*Ioannes Lucenburgensis, fit Rex Bohemiæ. 218.46*

*Iohannes comes Lutzenburgensis, fit Rex Bohemiæ. 209.45*

*Ioannes Scotus Coloniæ moritur. 209.18*

*Ioannes Abbas Hirsaug. 26. quamdiu præfuerit. 192.50. eius vita & origo. 193.3. moritur. 196.1*

*Ioannis Trithemij ad Georgium priorem in Berlin, epistola. 533.2.*

*Ioannes Trithemius quo ætatis suæ anno abbas S. Iacobi factus. 428.25. missis literis abbatiam Sponheimensem resignat. 428.36. ioannes Trithemius amulis suis cedit. 430 38. venit ad Maximilianum cæsarē. 431.23*

*Ioannis Trithemij ad Hermannū Archiepiscopū Colonienſem, Epistola. 537.2. & 538.30*

*Ioannis Trithemii ad Fridericum de Redewitz Canonicum Bambergens. epistola. 539.8*

*Ioannes Dux in Siemern moritur. 432.10*

*Ioannis de Woesbruck ad Ioannem Trithemium abbatem epistola. 542.20. Responsio ad eandem Trithemii. 543.10*

*Ioannis Trithemii abbat. ad Conradum Celtem Protutium, poetam laureatum epistola. 545.35*

*Ioannis Trithemii ad Georgium de Rotenburgio Med. Doctorem, epistola 548.10. eiusdem ad Ioannem Gotfridum Mandalensis Ecclesiæ pastorem epistola. 549.20*

*Ioannes Camerarius de Dalburg episcopus Wormatiensis moritur. 417.52*

*Ioannes de Rupe scissa multa de Antichristo prædicit. 233.23*

*Ioannes Wedel sit abbas in Schutteren. 82.35*

*ioannes abbas Vercellensis. 11.11*

*ioannes papa fœmina, in publica via puerum parit. 13.18*

*Iohannis papæ horrenda scelera. 33. 47. à Diabolo percussus moritur. 34 33*

*ioannis Trithemii ad Theodoricum Ecclesiæ Lubecensis episcopum, epistola. 534.30*

*iohannes Nix, fit episcopus Spirensis. 371.25. resignat episcopatum. 377.29*

*Iringus Herbipolensis episcopus moritur. 286.54*

*S. Irminæ caput in Sponheim defertur. 252.54*

*Iter ad amicitiam triplex. 539.47*

*Iuanus abbas Sponheimensis Sextus, quot annis præfuerit. 265.32. Eius vita. ibid.41. proficiscitur ad terram sanctam 266.19. moritur. 249.35*

*Iubilæus annus Monaci celebratur. 338.45*

*Iubilæus anni 1500. Romæ celebratur. 412.22*

*Iubilæus anno 1450. Romæ celebratur. 366.18*

*Iubilæi pdicatione pecunia multa colligitur. 416.6*

*Iudæi per totā fere Alemanniā occiduntur. 291.48*

*Iudæi puerum quendam clam ablatum occidunt. 292.38*

*Iudæi omnes de regno Francorū expellūtur. 301.56*

*Iudæi fontes & aerem veneno inficientes, grauem experiuntur persecutionem. 322.9*

*Iudæorum in Marchia Brandenburgensi combustio. 433.50*

*Iudæi puerum 7. annorum in Wiler villa comprehensum interficiunt, & pœnas eius malefacti luunt. 353.24*

*Iudæorum persecutio magna. 225.6*

*Iudæorum factnus contra Sacramentum Dominici corporis perpetratum. 433 52. Iudæi & Sacerdo-*

cerdotes Moguntiæ, spoliati capiuntur. 376.20
Iudæi puerum Christianum furantur & acubus & cultellis perforant. 200.10
Iudæus Duello superatus. 216.40
Iudæi cuiusdam baptizati, contra Mariam virginem scelus. 216.30
Iudæorum persecutio Moguntiæ. 198.56
iudæus magus mirabilia facit. 17.52
iudæi apud Fuldam cremantur. 183.48
iudicium Curiæ Hoffgericht à Friderico Palatino instituitur. 376.40
Iudith imperatricis scelus magnum. 11.30
iuliacensis marchionatus, fit ducatus. 325.24
Iulius papa Venetos absoluit. 434.10
iuramentum abbatis terribile. 118.1
iurisdictio super prioratum in Schonrein. 78.36
iurisdictio abbatiæ Hirsaugiensis in Rychenbach qualis. 78.27
Iutæ miracula. 248.30
S. iutta virgo deuotissima inclusa moritur. 126.20.
eius miracula. ibid.28
iuuenis quidam vetularum maleficio in asinum mutatur. 46.30

K.

Keisersvverde obsidione cingitur. 188.28
Keysersuuerde impignoratur Friderico palatino. 380.40
Kirsgarten monasterium fundatur. 268.35

L.

Lacensis monasterii fundatio. 108.25
Ladislaus Poloniæ rex in bello Turcico occisus 363.7
Ladislaus Bohemiæ & Vngariæ rex moritur 370.31
Lampertus chronographus monachus Hirsfeldensis. 54.33
Lampertus fit episcopus Spirensis. 232.42
Lampertus de Legia monachus Treuirensis doctissimus. 54.37
Lampertus episcop. Hostiensis mittitur à papa legatus in Germaniam. 115.20
Lampertus monachus Leodiensis clarus. 51.20
Lanceæ & clauorũ Christi festũ instituitur. 328.6
Lancea Domini venit ad imperium. 28.26
Lancolfus fit episcopus Wormatiensis. 276.10
Lanfrancus ex abbate Archiepiscopus Cantuariensis clarissimus. 55.6. Eius humilitas. 15
Lansheim à Friderico Palatino capitur. 387.17
Latrones vi precum alligantur vt se loco mouere non possint. 143.36
Laurissæ monasterii fundator quis. 275.36
Laurissa monachis aliquandiu vacua. 274.38
Laurissa monasterium, priuilegia & principatum amittit. 271.39
Lebenauu monasterium fundatur. 208.30
Lectionis sacræ commendatio. 539.57
Legatus Apostolicus monasterium Sponheimense reformare incipit. 327.13
Legati à papa in Alemanniam missi. 169.25
Leodium à Duce Brabantiæ capitur. 170.15
Leodium funditus euertitur & omnes incolæ eius necantur. 380.4
Leodienses obsederunt Iohannem, electum in Mastricht. 343.6. eorum plus quam triginta quinq; millia occiduntur. 343.14
Leodienses contra episcopum fiunt rebelles. 379.45
Leodiensis ciuitatis miserabile excidium. 379.56
Leodiensis episcopus cur se ducem de Bulion scribat. 93.5
Leo nonus fit papa. 51.8
Leo papa locũ S. Aurelii personaliter accedit. 51.51. Eius oratio ad comitem Adelbertum. 52.26
Leo papa IX. venit in Germaniam. 51.25
Leo papa Synodum Moguntiæ celebrat. 53 12. Romam reuertitur. ibid. 24. moritur. ibid. 34.
Leo papa quartus ex monacho. 12.56
Leo monachus fit papa. 24.20
Leo papa captus, fuga elabitur. 34.26. restituitur. 34.40
Lex & Euangelium populo proponi debent. 461.57
Libanij Galli, ad Ioannem Trithemium Epistola. 474.54
Libatius monachus fit Episcopus. 38.38
Liber sententiarum componitur. 141.26
libertas curtis Sponheimensis in Flonheim obtinetur. 333.31
libertas monasterij Hirsaugiensis. 7.17
liberum arbitrium quatenus homini datum sit. 458.31
libri sacri nauibus perforatis impositi demerguntur. 368.20
liga rusticorum in Francia. 207.14
Lindbertus abbas cum monachis Hirsaugiam mittitur. 5.46
lindbertus fit abbas in Hirsaugia. 6.46
lindberti abbatis vita & sanctitas, 9.25. quando monachus factus. ibid. 22. eius religio. ibid. 51. moritur. 13.5
Linthelmus monachus doctissimus scholæ Hirsaugiensis magister. 21.26
literæ compositionis belli inter Sponheimenses comites, & archiepiscopũ Moguntinum. 291.10
literæ super donatione ecclesiæ in Gentzingen. 285.56
literæ dotationis monasterii S. Nicolai. 304.23
literæ indulgentiarũ à 13. episcopis, Româ allatæ. 299.5. Aliæ trium episcoporum. ibid. 38
literæ fundationis monasterii S. Catharinæ iuxtæ Mandal. 266.37
literæ fundationis monasterii Schonaugiensis. 243.34
literæ archiepiscopi Moguntini commissoriæ super reformatione monasterii Sponheimensis. 381.45

*Literæ Innocentii papæ de monasterio Laurissensi.* 274.42
*Literæ confirmationis priuilegiorum monasterii Sponheimensis.* 239.13
*Literæ confirmationis monasterii Sponheimensis à papa Honorio secundo datæ.* 241.18
*Literæ donationis Bokenau & Gentzingen per Vdonem factæ.* 244.25
*Literæ fundationis monasterii in Schabenheim.* 245.42
*Lobenfeld cœnobium fundatur.* 126.1
*Loca non illustrant homines.* 530.29
*Longobardorum congregatio contra Imperium.* 177.31
*Louaniensis Academia instituitur.* 347.8
*Lotharii exercitus à Boemis cæsus* 119.
*Lotharius secundus fit Imperator.* 119 23
*Lotharingiorum scelus nefandum.* 163.4
*Lotharius secundus Henrico Imperatori quarto succedit.* 244.15
*Lotharius Rex excommunicatur.* 16.40
*lotharius Imperator fit monachus.* 14 30
*lotharingia à Lothario Imperatore dicta* 11.55
*Lotharius Imperator papam Ecclesiæ restituit.* 124.39. *consecratur in Imperatorem.* ibid.40 *moritur.* 127.1
*Lubentius ex monacho archiepiscopus clarus.* 39. 10
*Lucius papa tertius moritur.* 157.27
*Ludolphus Wormatiensis episcopus moritur.* 187. 14
*ludouicus comes palatinus moritur.* 292.26
*ludouici Palatini ex Matilde filij.* 343.34
*Ludouicus Dux Bauariæ, in regem Romanorum eligitur.* 305.12
*ludouicus dux Bauariæ occiditur.* 269.44
*ludouicus episcopus Bambergensis igne interceptus perit.* 331.52
*ludouicus palatinus barbatus, ad terram sanctam proficiscitur.* 348.40
*ludouicus rex pro corona Imperii Romam proficiscitur.* 308.52
*ludouicus comes palatinus, auus Philippi moritur.* 358.13
*ludouicus Delphinus cum Armeniacis, Alsatiam occupat.* 359.17
*ludouicus comes palatinus necem vxoris procurat.* 278.1. *eam interficit.* 283.10
*ludouicus Landtgrauius Thuringiæ moritur.* 268. 57
*ludouicus Imperator in venatione moritur.* 320. 10
*ludouicus comes palatinus vxorem ducit filiam Alberti Bauariæ ducis.* 435.1
*ludouicus, Philippi palatini primogenitus nascitur.* 391.5
*Ludouicus de Helmstat fit episcopus Spirensis.* 391. 1
*Ludouicus Rex Franciæ, obtinet Burgundiam.* 392.1
*Ludouicus Bauariæ Dux cognomento diues moritur.* 392.14
*ludouici Imperatoris facinus scandalosum.* 223.8 *moritur.* 224.12
*ludouici Bauariæ Ducis scelus in patrem impium.* 361.37
*ludouicus de Asti vtriusque iuris D. fit episcopus Wormatiensis.* 363.30
*ludouicus comes palatinus vxorem ducis Margaretam ducis Sabaudiæ filiam.* 363. 45. *moritur.* 366.29
*ludouicus dux Bauariæ, lacerat literas Imperatoris.* 371.15
*ludouici Imperatoris factum improbum.* 215.19
*Ludouicus Imperator à papa excommunicatur.* 215.30
*Ludouicus comes palatinus fit Imperator Romanus.* 219.23
*ludouicus dux Bauariæ fit rex Rom.* 211.24
*Ludouicus rex Romam profectus in Imperatorem coronatur.* 216.56. *Antipapam facit.* 217.4
*ludouicus Imperator moritur* 11. 41. *eius filius.* ibid.50
*ludouicus secundus Imperator Francofordiæ mortuus.* 17.31
*ludouicus Imperator cum vxore deponitur.* 11.36
*ludouicus comes palatinus moritur.* 199.35
*ludouicus dux Bauariæ occiditur.* 179.15
*Ludouicus comes fit monachus.* 106.58
*lugardis monialis sancta moritur.* 258.23
*luithelmus Scholasticus moritur.* 26.4
*Luneburg monasterium fundatur.* 36.28
*Lupoldus Abbas Hirsaugiensis octauus, quamdiu præfuerit.* 38.2. *Eius vita.* ibid.8. *moritur.* 39. 49
*lupoldus dux Austriæ moritur.* 269.31
*lupus presbyter moritur.* 12.38
*Luteræ regalis in Saxonia fundator quis.* 249.13
*lutfridus Hirsaug. abbas 22. quot annis præfuerit.* 166.56. *Genus & vita eius* 167.15. *moritur.* 173. 5
*Lutzenburgensis ducatus ad Bohemos defertur.* 224.6
*Lutzenburg à comite de Glichen, armis obtinetur.* 365.53
*Lutzelstein capitur à Friderico palatino.* 367.41
*luxuria Christianorum in itinere Ierosolymitano punita.* 93.54
*Limpurg monasterium, incendio consumitur.* 422.3
*Lympurgense monasterium fundatur.* 49.13

M.

*Macellarii in Creutznacht priuilegio donantur.* 290.22

Macha-

Macharius abbas exusti monasterii Limpurgensis moritur. 432.30
S. Macarii miraculum. 249.35
S. Macarius primus abbas Scotorum. 128.31
Machtildis auia Philippi comitis Palatini moritur. 358.39
Machtildis monialis virgo sancta, moritur. 253.23
Magnus rex Daciæ, se Imperatori submittit. 124. 51. occiditur cum quinque episcopis. ibid. 53
Magiæ damnatio. 572.50
Magia quid sit. 472.46
Magus quidã Lugduni in Gallia apparet. 414 38
Magus spiritum emittit ad ducem ex captiuitate liberandum. 214.50
Magus quidam multa mirabilia facit. 284.49
Mahumetes Turcorum Imperator moritur. 393.8
S. Maiolus Abbas Cluniacensis. 32.47
S. Malachias archiepiscopus in Hibernia moritur. 131.37
Manegoldus prior claustralis. 140.8
Manegoldus fit abbas Campedonensis. 80.14
Manegoldus monasterij Hirsaugiensis abbas 17. quamdiu præfuerit. 141.56. consecratur Spiræ. 142.14. eius vita. ibid. 19. moritur. 150.6
Manegoldi abbatis ad S. Hildegardẽ epistola. 146.5
Manfredus rex interimitur. 193.30
manigoldus Herbipolẽsis episcopus moritur. 296.11
marbaccium fit feudum palatini. 375.48
marbodus ex monacho episcopus Redensis. 60.43
marchion ssa dat impensas abbati. 77.53
Marchio Mysnensium rex electus, ius suum Carolo quarto vendit. 320.29
Marchio de Baden quomodo ad comitatum Sponheimensem peruenerit. 348.50
Marchio Iuliacensis fit Dux. 228.47
Marchio Misnensis ad imperium vocatur. 224. 33. cedit Carolo pro pecunia. ibid. 39
Marchio de Baden quanta se pecunia, à palatini captiuitate liberarit. 375.34
Marchio Brandenburgensis literas mittit ad Trithemium. 416.1
Marchiones Misnenses, fiunt Duces Saxoniæ 347. 54
Marcolfus præpositus Aschaffenburgensis fit Archiepiscopus. 249.52
Marcolfus Archiepiscopus Moguntinus eligitur. 130.6. moritur. 25
Mare terminos suos egrediens centum millia hominum submersit. 364.43
Mare terminos suos egreditur & plus quam centum millia hominum submergit. 174.29
Mare per 12. milliaria terminos suos egreditur. 149.21
Margareta Philippi palatini mater, moritur. 392. 38.
Margareta vxor palatini moritur. 413.18
Margareta Philippi Vlneri militis de Sponheim vidua moritur. 337.2
S. Maria, abbati cuidam sapientiam largitur. 116. 27
Maria vxor Ludouici comitis palatini interficitur. 187
Marianus Scotus monachus chronographus clarus. 57.7
mariolus & Odilo abbates Cluniacenses. 42.49
Marquardus abbas Hirsaugiensis 21. quot annis præfuerit. 160. 41. eius genus & vita. ibid. 52. Romam proficiscitur. 161. 25. moritur. 166.45
Marquardus fit abbas in Deckingen. 82.24
Martinus papa IV. moritur. 199.51
S. Martini sedes aurea Moguntiæ. 303.26
Matthæus de Cracouia fit episcopus Wormatiensis. 342.28
Matthias Vngariæ Rex, malleus Turcorum moritur. 402.10
Matthias de Raming, fit episcopus Spirensis moritur. 390.57
matthias de Raming, fit episcopus Spirensis. 377.37
S. matthiæ Apostoli corpus reperitur. 125.25
mauri defuncti corpus transfertur. 16.58
mauritius ex abbate episcopus factus. 57.54
Maximilianus rex Romanorum, Gelrenses bello aggreditur. 406.32
Maximilianus rex Trithemium priuilegio & aliis muneribus honorauit. 424.58. eius in Vngariam expeditio. 425.28
maximilianus Dux Austriæ, eligitur in regem Romanorum. 398.46
maximilianus rex Romanorum, Brugis capitur. 400.29
Maximiliani regis Romanorum nuptiæ. 404.50
Maximilianus rex Romanorum, Bauariam deuastat. 421.3
Mechtildis comitissa monachis necessaria omnia suppeditat. 241.54
Mechtildis Imperatoris soror fit abbatissa. 28.35
Mechtildis monialis in Spanheim moritur. 136. 55
Mediolanum ab Imperatore Friderico capitur. 143.45. destruitur. 147.22
Megenhardus comes de Sponheim moritur 253.39
Megenhardus fit prior decimusquintus in Sponheim. 289.11
meginfridus monachus & Chronographus. 46.20
meginherus abbas Hirsfeldensis moritur. 55.28
Megingerus fit archiepiscopus Treuirensis 120.14. in carcerem mittitur. ibid. 22
meginradus monachus martyrizatur. 15.29
meginradus monachus & scholasticus moritur 35. 34
Melchior abbas Schonaugiensis, moritur. 404.3
memoria iuuenis cuiusdam mirabilis. 415.6
Messana ciuitas per vim à Friderico Imperatore capitur. 180.55
Metensis ciuitas à Duce Lotharingiæ obsidetur. 402.14

Metensis princeps quanta se pecunia ex captiuitate palatini redemerit. 375.32
Michaelis Mort viri fortissimi insignis conflictus. 290.5
Micomonachus S. Richarij. 15.42
Milites infantem, ad mortem vsque assant. 406.40
Militares dicti de Coppenheim, vnde venerint. 308.12
Minores, ad Creutzenacht veniunt. 397.19
Miraculum de Sacramento Dominici corporis. 136.44
Miraculum Mariæ virginis. 216.35
Miraculum Wilhelmi Abbatis, super Gebhardo. 88.38
Miracula S. Bernardi in diuersis Germaniæ locis. 131.42. & 132.40
Miracula Aquisgrani facta. 132.46
Miraculum contra comam nutrientes. 121.20
Miracula Wilhelmi Abbatis multa. 64.35
Miraculum magicum Alberti Magni. 281.2
Miraculum imaginis Mariæ, in monasterio S. Ruperti. 300.45
Missa beatæ Mariæ in maiori Ecclesia Treuirensi instituitur. 352.16
Missa in Bockenauu instituitur. 327.1
Modon ciuitas à Turcis capitur. 412.36
Mœnia Moguntinensia destruuntur. 255.19
Moguntinus archiepiscopus ab Henrico comite palatino vastatur. 261.51
Moguntinenses & Wormatienses fœdus faciunt. 281.35
Moguntinensis Academiæ contra Maculistas decretum. 413.21
Moguntia cum principali Ecclesia combusta. 126.53
Moguntia, Spira & Goslaria cremantur. 249.10
Moguntia ciuitas per Adolphum archiepiscopum designatum capitur. 376.11
Moguntia, & in ea Imperator Henricus quartus, obsidetur. 102.3
Moguntinensis Academia instituitur. 389.38
Moguntia per annos 36. sine muro. 154.30
Moguntia ciuitas fere tota igne consumpta. 77.28
Moguntia à Diabolo per triennium vexata. 15.9
Molendini & pistrini iurisdictio datur monasterio Sponheimensi. 311.31
Monachorum Laurissensium ad papam literæ. 272.52. expelluntur. 274.13
Monachorum Sponheimensium laus magna. 346.51
Monachi in Nuwviler habitum cum ordine deponunt. 408.4
Monachorum pessimorum imago. 508.56
Monachi quatuor ordinis prædicatorum, Bernæ comburuntur. 432.2
Monachi Sponheimenses primi vnde venerint 238.40
Monachi Sponheimenses tempore reformationis qui. 382.33
Monachi Sponheimenses reformationem admittere nolentes exterminantur. 383.50
Monachi cuiusdam Iohannis de Bockenauu summa improbitas. 384.58
Monachorum in Hirsaugiensi monasterio numerus sub abbate Wilhelmo. 71.25
Monachi ex cœnobio Hirsaugiensi expelluntur. 44.56
Monachi concubinas publice habent. 374.52
Monachus Imperatorem veneno interficit. 210.55
Monachorum Hirsaugiensium vita laudabilis. 98.42. Eorum conuersatio sanctissima. 99.7
Monachi S. Maximini expelluntur ab archiepiscopo. 250.4
Monachorum Solitariensium commendatio. 59.50
Monachi ad Hirsaugiam in secunda fundatione, vnde venerint. 58.15
Monachi Hirsaugiensis monasterij contra Abbatem insurgunt. 60.50
Monachorum veterum pietas. 53. Religio eorum in Fulda magna. ibid. 28
Monachi vnde Hirsaugiam primum traducti. 5.16
Monachis studium literarum vtile. 21.35
Monachorum præclara scripta. 13.41
Monachi Corbeienses prædicant. 11.21
Monachorum humilitas in superbiam mutata. 40.53
Monachi quinque martyres. 38.33
Monachi 60. quatuor mensibus, in monasterio Hirsaugiensi moriuntur. 40.42
Monachi Sponheimenses ab obseruantia regulari recedunt. 289.23
Monastica disciplina tepet. 27.3
Monasterium S. Iacobi destruitur. 148.1
Monasterium S. Catharinæ fundatur. 266.33
Monasterij Oesborch fundatio. 112.33
Monasterij in Breidenauu fundatio. 108.54
Monasterium Tuitiense cum Ecclesia parochiali destruitur. 333.40
Monasterium prædicatorum in Spira cœpit. 206.37
Monasterij Sponheimensis status miser. 347.46
Monasterium S. Disibodi, Cistertiensibus datur. 283.48
Monasterium S. Ruperti spoliatur. 300.29
Monasterii Bursfeldensis reformatio. 350.5
Monasteria multa ex Bursfeldia reformantur. 351.10
Monasterii Ballenstat fundatio. 116.29
Monasterij Schonaugiensis fundatio. 119.14
Monasterium montis S. Ruperti, committitur abbati Sponheimensi. 268.3
Monasterium Wallsaxa cuertitur. 421.8
Monasterij in Spanheim fundatio. 115.56

Monasterium S. Disibodi spoliatur. 421.26
Monasterium in Odenheim ab ordine transfertur ad seculares. 407.52
Monasterium Selts ab ordine Benedictinorum transfertur. 397.50
Monasterium S. Ruperti reformatur. 404.53
Monasterium S. Nicolai in Camberg, mutatur in collegium canonicorum secularium. 401.20
Monasterium in Murheim reformatur. 434.47
Monasteriorum in diœcesi Moguntinensi reformatorum nomina. 351.27. in Treuirensi. ibid. 36. in Colonienſi. ibid. 42. In Saxoniæ partibus. ibid. 46
Monasterium Limpurg reformatur. 392.56
Monasterij Sponheimensis status malus. 356.12
Monasterium Minorum in Creutznacht fundatur. 302.42
Monasterium S. Michaelis in Hildesheim fundatur. 42.24
Monasterium porta Mariæ spoliatur. 419.45
Monasterium Bruvvilerense fundatur. 46.57
Monasterium montis monachorū fundatur. 45.50
Monasterii Konigsluter fundatio. 125.43
Monasterium Heyna fundatur. 126 6
Monasterium in Schonau fundatur. 125.54
Monasterium Clausæ Eberhardi fundatur. 368.52
Monasterium Schutterense restaurator. 45.54
Monasterij Sponheimensis fundatur quis. 237.55
Monasterium in Ballenstat fundatur. 242.47
Monasterii regularium in Schabenstein fundatio. 245.39
Monasterium regularium in Ingelnheim fundatur. 231.15
Monasterij Spōheimensis paupertas magna. 383.12
Monasterium S. Iacobi iuxta mœnia Moguntiæ, reformatur. 361.10
Monasterium S. Burchardi transfertur ab ordine suo. 377.20
Monasteriū Regulariū in Insula inferiori fundatur. 369.5
Monasterium Limpurg spoliatur. 386.31
Monasterium Sponheimense vnitur Capitulo Bursfeldensi. 384.52
Monasteria tria cremantur. 29.28
Monasterium Bergense fundatur. 29.43
Monasterium Hirsaugiense spoliatum. 41.30
Monasterium S. Pauli Traiecti fundatur. 43.21
Monasterium Tuicience construitur. 43.6
Monasterium montis monachorum reformatur. 376.52
Monasterium Lisbornense, & Isenburg, reformatur. 377.55
Monasterium S. Gotardi in Hildesheim reformatur. 378.7
Monasterij Sponheimensis Reformatio, quando, quibus auctoribus, & quomodo facta. 381.25
Monasterium in Wisenburg per Fridericum palatinum reformatur. 380.42
Monasteriū Scotorum Herbipoli fundatur. 249.31
Monasterii Kirsgarten fundatio. 177.17
Monasterij S. Iacobi apud Herbipolim, principiū. 428.1
Monasterium nouum in Brula erigitur. 431.37
Monasterium Schonauu apud Heidelbergam fundatur. 249.47
Monasterii S. Ruperti fundatrix. 250.20
Monasterium monialium Nuuenberg fundatur. 160.13
Monasterium monialium in Hocheim fundatur. 197.41
Monasterium Scōtorum apud Herbipolim fundatur. 128.25
Monasterium in Bibelis fundatur. 122.30
Monasterium S. Iacobi crematur. 144.39
Monasterium S. Walpurgis fundatur. 122.30
Monasterium maius in Hirsaugia fundatur. 77. 45. quot annis perfectum. ibid. 58
Monasterium in Grafschafft construitur. 58.1
Monasterii Salued fundatio. 58.4
Monasterium ad Eremitas, bonæ famæ. 58.33
Monasterium S. Iacobi Leodiense fundatur. 46.33
Monasteria septem à Wilhelmo Abbate Hirsaugiense fundata. 65.5. & seqq.
Monasterii Hirsaugiensis reparatio secunda. 56.1
Monasterium S. Gothardi in Hildesheim fundatur. 48.42
Monasterium S. Iacobi Moguntiæ fundatur. 53. 31
Monasteria S. Albani, Iacobi & Victoris euertuntur. 217.38
Monasteriorum confraternitatem cum Hirsaugiensi habentium nomina. 86.8
Monasterii S. Disibaldi fundatio. 106.40
Monasterii Lorch fundatio. 106.7
Monasterium S. Egidii in Brunsuico fundatur. 107.57
Monasterii Cluniacensis fundatio. 22.24
Monasteriū Gemblacense fundatur. 25.19
Monasterium Gladbach fundatur. 36.44
Monasterium S. Vincentii Metis constructum. 35 48
Monasteriū S. Martini Coloniæ fundatur. 36.49
Monasterium S. Pantaleonis in Colonia fundatur. 34.48
Monasterium monialium prope Heidelbergam fundatur. 50.31
Monasterii Hirsaugiensis dedicatio & consecratio quando facta. 6.7
Monasterium in Eberbach fundatur. 127.44
Monasterium Vrauu construitur. 99.54
Monasterium Munchnuenburg fundatur. 36.27
Monetarius quidam igne comburitur. 415.44
Moniales in hausen deficiunt. 267.45
Monialium S. Ruperti dissensio. 261.37
Moniales Sponheimenses deficiunt, & partim ad montem S. Ruperti transeunt. 267.56

Monia-

*Moniales S. Ruperti in Ibingen se recipiunt.300. 25*
*Monialium recluſoria, olim iuxta monaſteria virorum facta. 248.7*
*Moniales in monte S. Diſibodi multæ. 248.2*
*Moniales viris in laqueum & ſcandalum. 248. 23*
*Moniales ſemper incluſæ manentes. 107.6*
*Moniales in Nonnenmunſter Wormatiæ expelluntur. 276.12*
*Montenſes incendunt Tuitium. 344.40*
*Montabur oppidum incendio perit. 402.18*
*Montfort caſtrum prædonum, à Friderico palatino deſtruitur. 370.1*
*Monſtereyſel oppidum confracta nube ſubuertitur. 344.44*
*Monſter prope Bingen incenditur. 420.8*
*Monſtrum horrendum viſu naſcitur in Brechen. 339.8*
*Monſtrum mirabile circa Wormatiam naſcitur. 407.32*
*Monſtrum in oppido Bopardienſi naſcitur. 336.53*
*Monſtrum in villa Gebrad naſcitur. 276.29*
*Morbus vlcerum S. Iob. homines in Italia, Gallia & Germania valde affligit. 408.52*
*Mortem in ſenibus quid acerbam reddat. 468.13*
*Mortem non eſſe malam. 466.47*
*Mortuorum ingens multitudo circa Wormatiã viſa. 94.35*
*Mortuus quidam reuixit & miranda prædicauit 262.1. arduum pœnitentiæ iter aſſumit. 265. 10*
*Mulierem malam cuſtodire res ardua. 124.27*
*Mulieres viros ſuos ex capta ciuitate humeris portant. 129.18*
*Mulieres & virgines ad expeditionem Ieroſolymitanam cum viris, armatæ proficiſcuntur. 93.51*
*Mulieris circa nouiſſimum diem prophetia ficta. 12.19*
*Mundo nihil fallacius. 477.20*
*Munera à Nottingo tranſmiſſa. 4.37*
*Murium turris in Rheno. 35.33*
*Murus ciuitatis Moguntiæ totus deſtruitur. 148. 2*
*Murus monaſterii Sponheimenſis in circuitu abſoluitur. 258.35*

N.

*Nauukirch olim Buggenauu. 247.40*
*Neapolitanum regnum à Gallis deuaſtatur. 408. 6*
*Negligentia Gebhardi abbatis Hirſaugienſis. 100. 35*
*Niclashauſen villa, & populi ad eam concurſus. 390.1*
*Nicolai prioris ad Ioannem Trithemium abbatem epiſtola. 484.55*
*Nicolaus Andreæ de Reinig, fit prior monaſterii Sponheimenſis. 402.30*
*Nicolaus eremita admirabilis & famoſus moritur. 399.3*
*Nicolaus de Baden fit adminiſtrator Eccleſiæ Leodienſis. 377.30*
*Nicolaus papa 4. eligitur. 201.3. moritur. ibid.43*
*Nicolaus monaſterij Sponheimenſis abbas 26. quot annis præfuerit. 429.2. eius genus & origo. ibid. 28. moritur. 435.13*
*Nicolai Gerbellij Phorcenſis ad Ioannem Trithemium abbat. epiſtola 543.40. Reſponſio Trithemij ad eandem. 544.20*
*Nicopolis Turcorum ciuitas obſidione cingitur. 339.20*
*Nicopolis Chriſtianorum vrbs à Turcis obſeſſa. 370.8*
*Nobiles multi in Hirſaugia monachi fiunt. 78.46*
*Nobilium contra ciues Mogunt inenſes conſpiratio. 342.43*
*Nonnenmonſter cœnobium fundatur. 181.48*
*Nonnenmunſter reformatur. 276.12*
*Nosbach monaſterio Sponheimenſi accedit. 316. 54*
*S. Norbertus epiſcopus moritur. 125.37*
*Norbertus Coloniæ multas inuenit reliquias. 113. 47*
*S. Norbertus fit archiepiſcopus Magdeburgenſis. 120.34*
*Normannorum circa fines Hollandiæ & Galliæ, incurſus primus. 11.26*
*Nortmannorum exercitus ab Imperatore deletur. 21.31*
*Nortmanni Galliam infeſtant. 13.12*
*Nortmannorum in Hollandiam incurſus. 14.51*
*Nortmanni Prumiam inuadunt. 21.55*
*Notgerus monachus fit abbas ad Zunfalten. 79. 28*
*Nottingi epiſcopi propoſitum. 3.20. Eius oratio ad S. Aurelium. ibid.25. In germaniam proficiſcitur. ibid.43*
*Nottingus Vercellas reuertitur. 4.27*
*Nubes ſanguinea viſa. 93.12*
*Nubes cadens multa hominum millia ſubmergit. 47.33*
*Nuhuſen deſtruitur à Wormatienſibus. 335.46*
*Nuptiæ Wilhelmi Landgrauii Haſſiæ, celebrantur Francofordiæ. 410.39*
*Nurenberga ciuitas à Lothario rege obſeſſa. 120. 7*
*Nuſſia à Duce Burgundiæ obſidetur. 389.18*
*Nuvvenburg fit monialium cœnobium. 259.7*

O.

*Obſeruantiæ modus ſingularis Limpurgenſibus monachis præſcriptus. 116.49*

Odacha-

Odacharus rex Bohemiæ occiditur. 196.25
Odenheim monasterium construitur. 100.20
Odenheim cœnobii consummatio. 115 32
Odernheim Canonicis Moguntinensibus venditur. 283.42
Odor suauissimus de sepulchro Brunonis abbatis prorumpens. 113.22
Oeconomus secularis monachis Hirsaugiensibus præponitur. 44.48
Oppenheim, Odernheim, Ingelnheim, & Lutera Cæsarea, quomodo ad palatinum peruenerint. 334.20
Ordinis Templariorum destructio. 210.18
Ordo Celestinorum à quo initiũ sumpserit. 202.58
Ordo fratrum minorum confirmatur. 176.10
Ordo prædicatorum instituitur. 164 32
Ordo Teuthonicorum cœpit. 159.35
Ordo S. Trinitatis cœpit. 159.41
Ordo monasticus reformatur. 64.56
Ordo Minorum incipit. 169.35
Ordo Templariorum deletur. 302.14
Ortvvinus prior Sponheimensis 14. instituitur. 285.15. moritur. 289.8
Osbernus monachus doctus. 39.16
Osdacus episcopus Hildesheimensis ex monacho factus. 39.13
Osuualdus archiepiscopus ex monacho quando claruerit. 37.48
Otfridus monachus Wissenburgensis. 15.58
Othericus ex monacho fit archiepiscopus. 37.35
Otium quam mala res sit. 480.34
Otto comes palatinus excommunicatus, moritur. 277.50
Otto Marchio Brandenburgensis moritur. 334.30
Otto Archiepiscopus Treuirensis sepulchrum Domini visitat. 348.32
Otto Archiepiscopus Treuirensis moritur. 352.9
Ottonis primi Imperatoris vxores & filij. 30.6
Otto filius comitis de Zigenhan fit archiepiscopus Treuirensis. 345.30
Ottò comes palatinus Rheni moritur. 186.47
Otto primus quot annis regnarit. 28.58. consecratur in regem. 29.5. coronatur in Imperatorem. 33.25. moritur. 36.33
Otto Hauueysen, abbas Sponheimensis 23. quot annis præfuerit 378.23. Eius genus & origo. 378.35. reformationem incipit. ibid. 52. Abbatiam resignat. 382.49
Otto Wolfskel fit episcopus Herbipolensis. 219.19
Otto dux Bauariæ fit Rex Vngariæ. 209.34. moritur. 210.29
Otto dux Saxoniæ in Regem eligitur. 162.12. nauigat in Angliam. 168.19
Otto ex monacho episcopus Bambergensis. 99. 47.
Otto Rex Bopardiam ascendit. 163.25
Otto comes de Hoenburg moritur. 55
Otto Dux Bauariæ deponitur. 72.4
S. Otto Episcopus moritur. 128.57
Otto secundus Romæ coronatur Imperator. 35.10
Otto Imperator secundus moritur. 39.4
Otto dux Saxoniæ in Regno confirmatur. 168.56. coronatur imperator. 169.33
Otto tertius in Regem vngitur. 39.30. moritur in Italia intoxicatus. 44.20
Otto episcopus Monasterienſium capitur. 171. 34
Otto Imperator à Francis superatur. 171.41. moritur. 173 3
Ottocarus Bohemiæ rex, ab Rudolpho Rom. rege victus & occisus. 288.41
Ouorum vsus Treuirensibus & Colonienſibus cõceditur. 222.47

P.

Padelbornensis ciuitas exuritur. 54.20
Paderbornensis Ecclesiæ administratio venit ad episcopum Colonienſem. 408.48
Palatinatus Rheni & Bauariæ coniunctio. 269.51
Palatinenſes prælati, episcopi, abbates, comites, nobiles, &c. Heidelbergam vocantur. 422.58
Palatini principis potentia. 403.54
Palatinorum comitum descriptio. 220.58
Palatinatus diuisio. 277.57
Palatinatus à Moguntinensibus, Wormatienſibus, & Spirensibus vastatur. 336.16
Palatinus quomodo ad comitatum Sponheimenſem peruenerit. 348.57
Papa cogitur manducare literas. 330.50
Papa Gerlacum de Nassauu promouet in archiepiscopum Moguntinum. 319.22
Papa stat pro Venetis, contra Imperium. 434.17
Papa mandat principibus vt eligãt Imperatorem. 319.36
Papa Romanus munerum acceptator. 71 54
Papa Hirsaugiensi monasterio priuilegium concedit. 70.20
Papa mittit Wilhelmo diuersas sanctorum reliquias. 89.18
Papa Regem Henricum quartum cur excommunicarit. 72.44
Papa Gregorius septimus in synodo Wormatienſi deponitur. 73.20
Papæ Calixti II. de concordia inter Imperatorem & se ipsum facta, literæ. 111.20
Papa Ioannes propter crimina quædam ab Imperatore depositus. 33.35
Papa à rege vocatur bestia de mari ascendens ex Apocalypsi Iohannis. 312.20
Papa ab vniuerso clero decimum denarium postulat. 325.34
Paralyticus à S. Bernardo sanatur. 132.40
Parisiensis ciuitas per Iohannem Ducem Burgundiæ capitur. 346.10
Parisiensis vniuersitatis contra Maculistas statutum. 409.45

Parochia in Heldenberg donatur capitulo Moguntino. 269.57
Pascasius abbas Corbeiensis doctiss. 22.27
Paschalis papa secundus quo anno papa factus. 99. 18
Passagium ad terram sanctam sub Godefrido. 92. 55
Passionis Christi vera meditatio quæ. 478.24
Paternus monachus cum sua cella volens comburitur. 54.23
patientia Friderici Abbatis in perferendis iniuriis. 61.33
Paulina fœmina sancta moritur. 105.9
pauperes in monasterio Hirsaugiensi nouo, cibantur, ministrante eis abbate Wilhelmo. 84. 45
pax inter Ducem Brabantiæ & comitem Gelriæ reformatur. 164.39
pecunia omnium malorum causa. 452.18
Pedersheim Friderico palatino in pignus datur. 376.36
Pedersheim à Friderico palatino capitur. 372. 20
pensans manus se contra Trithemium erigit. 405. 50
pestis in Vngaria & Bohemia magna. 334.58
pestis, Hæmorrhois, & ignis sacer passim in Europa grassantur. 321.48
pestis per totam Alemanniam magna. 229.38
pestis in toto mundo ingens. 224.55
pestis per totam Alemanniam magna. 221.25
pestis magna vbique locorum grassatur. 415.40
pestis magna in Germania. 40.36
pestis & fames in Alemannia magna. 315.54
Petrus prior Sponheimensis 12. deponitur. 283.16
petrus archiepiscopus Moguntinus moritur. 306. 31
petrus medicus fit archiepiscopus Moguntinus. 208.1.
petrus Eremita totum Christianum orbem commouet. 93.40
petri Apostoli crines tres Wilhelmo abbati mittuntur. 89.35
petrus Comestor clarus. 141.32
petrus Damianus Francofordiæ regi Henrico mandatum papæ exponit. 71.38
Petrus Damianus Cardinalis clarus. 54.52
Petrus Abbas Sponheimensis octauus, quot annis præfuerit. 285.25. moritur. 293.36
pfortzen oppidum, fit feudum palatini. 375. 40
philippus de Hohenfels excommunicatur. 284.57
philippus Meysuuin, abbas Sponheimensis 15. quot annis præfuerit. 323.5. confirmatur. ibid. 45. Eius genus & vita. ibid. 52. moritur. 332.44
philippus de Rosenberg, fit episcopus Spirensis. 421
Philippus Dux Austriæ, ducit vxorem filiam regis Hispaniarum. 408.57
Philippus, philippi palatini secundogenitus, nascitur. 392.23
philippus palatinus ducit vxorem. 389
Philippus comes palatinus quando ad principatum peruenerit. 390.30
philippus dux Burgundiæ moritur. 379.24
philippus de Hoenfels excommunicatur. 192.5
Philippus dux Sueuiæ in regem eligitur. 162.7
philippus de Oberstein, fit archiepiscopus Coloniensis. 431.40
philippus comes palatinus moritur. 431.4
Philippus comes palatinus in sponheim venit ad Trithemium. 415.33
Philippus rex Thuringiam cum exercitu inuadit. 165.44. 166.18. occiditur à palatino. 168.41
Philippus rex Aquisgrani coronatur. 166.35
Philippus archiepiscopus Coloniensis moritur. 159. 23
philippi principis palatini laus. 470.4
Philippus Meysuuin prior Sponheimensis vigesimus eligitur. 314.50
Philippus secundus, monasterii Sponheimensis abbas 17. quam diu præfuerit. 337. 25. moritur. ibid. 57.
Philippus rex Romanorum interficitur, succedente ei Ottone Brunonisuicensi. 261.33
Phocylidis de fugienda auaritia præcepta. 452. 49
Pilickheim vicus palatini obsidetur. 410.43
Plaga horribilis in Occidentali parte Lotharingiæ, in populo sæuit. 84.31
Pluuia sanguinea per triduum. 37.33
Pœnitentiæ Monachi opus habent donec viuunt. 20.30
Pons lapideus super Mosellam Confluentiæ construitur. 218.44
Pons Francofordiæ propter inundationem aquarum fractus. 301.52
Pons apud Confluentiam super Mosellam construitur. 311.25
Pontius abbas fit Cardinalis. 119.9
Poppo episcopus Trenirensis moritur. 50.50
S. Poppo abbas stabulensis clarus. 48.24
Porta monasterii Sponheimensis transponitur. 391.20
Prædonum erga Clerum & Sacerdotes sæuitia. 403.44
Prædones de Rosenberg, per Principes domantur. 381.7
Præmonstratenses Laurissam inhabitant. 189. 39
Præmonstratensis ordinis initium. 111.11
Præmonstratenses monachi Laurissam introduc-euntur. 275.1. renunciant omni iuri principatus huius monasterij. ibid. 10
Præpositura in Nuenburg fundatur. 50.30
Præpositura in Rode ad monasterium Hirsaugiense pertinens. 78

*Præpositura in Rode fundatio.* 110.30
*Præpositura S. Iohannis in Rinckau fundatio.* 106.52
*Prætorium nouum Coloniæ fundatur.* 342.56
*Pragensis Ecclesia fit archiepiscopatus.* 328.3
*Pragæ, in vna die 1116 peste extincti.* 335.1
*Pragensis Academia fundatur.* 231.6
*praxedis Imperatori Henrico in vxorem datur.* 84.26
*Prior quidam apostata incarceratur.* 434.34
*Principes perpetuum inter se fœdus faciunt.* 300.20
*principum in Wormatia conuentus.* 140.23
*Principum contra Adolphum Regem conspiratio.* 203.45
*principum in Colonia conuentus celebris.* 423.29
*Principum Wormatiæ conuentus maximus.* 407.42
*principum in Confluentia conuentus.* 403.27
*principes in Oppenheim ad colloquium conuocantur.* 733.5
*Principum in Francfordia conuentus.* 418.10
*principes quatuor contra Fridericum palatinum procedunt.* 375.5
*principum tredecim aduersus Fridericum comitem palatinum coniuratio.* 371.53
*principum ad terram sanctam concursus.* 174.15
*principum in Moguntia colloquium.* 104.18
*principes ad Regem Philippum deficiunt.* 166.20
*principum apud Francofordiam conuentus.* 6.1
*priuilegia, literæ & monumenta monasterii Sponheimensis alio transferuntur* 355.46. *reducuntur ad monasterium.* 356.2
*priuilegium monasterio Sponheimensi concessum.* 240.6. *Eiusdem confirmatio à Henrico Imperatore facta.* ibid.40
*priuilegium Hirsaugiensi monasterio à papa Gregorio VII. concessum.* 70.24
*priuilegia Sponheimensis monasterii confirmantur.* 379.33
*priuilegium ab Vrbano papa secundo monasterio Hirsaugiensi concessum.* 96.30
*S. probus monachus & presbyter moritur.* 15.27
*prodigium in aere visum.* 193.55
*prodigia multa & inaudita.* 28.48
*prodigia multa & stupenda in cœlo & terra, vno anno visa.* 93.9
*Prophetia S. Hildegardis super Hirsaugiam.* 145.30
*prudentia quid efficiat.* 1.43
*pruteni conspirationem faciunt aduersus magistrum Teutonicorum.* 368.26
*Pseudopropheta igne crematus interit.* 390.20
*pseudo Imperator multos decipit.* 129.30
*Pseudofridericus Imperator exuritur:* 292.25
*puella quædam admirabilis, Regis Franciæ, in bello capta, à Rege Angliæ comburitur.* 349.17
*Puer biennis nascitur & loquitur.* 933.30
*Puer 6. annorum ornatissime latine loquitur.* 379.20
*Puerorum ad S. Michaelem in finibus Hispaniæ concursus magnus.* 370.22
*Puteus monasterij Sponheimensis foditur.* 244.10

R

*Rabanus de Helmstat, fit episcopus Spirēsis.* 339.45
*Rabanus de Helmstat archiepiscopatum Treuirēsem Iacobo de Sirck concedit.* 359.50
*Rabanus Maurus abbas Fuldensis.* 5.29
*Rabanus scholæ Fuldensis professor, quem præceptorem habuerit.* 9.46. *fit Archiepiscopus.* 10.28. *moritur.* 14.40
*Ratherius ex monacho episcopus.* 28.14
*Rebellionis filii contra Henricum Imperatorem, causa.* 92.20
*Reformatio noua monasterij Bursfeldensis.* 350.5
*Reges quidam capti, in Angliam ducuntur* 329.54
*Regiæ coronationis modus.* 188.6
*Regina & comes de Waldeck capiuntur.* 281.55
*Regina Angliæ maritum suum capit.* 214.33
*Regina henrici Imperatoris vxor, euadens de custodia, venit ad papam Vrbanum.* 92.35
*Reginbodo tertius hirsaugiensis monasterii abbas quot annis præfuerit.* 18. 30. *quomodo monachus, & abbas factus.* ibid.42. *Abbatiam resignat.* 20.16
*Reginfridus prior Sponheimensis nonus moritur.* 276.51
*Regino abbas Prumiensis clarus habetur.* 22.1. *deponitur.* 23.20
*Regum Bohemiæ coronatio ad quem pertineat.* 178.16
*Reliquiæ de Ierusalem ad monasterium Sponheimense feruntur.* 251.46
*Remigius abbas Mediolanensis, Doctor insignis.* 43.47
*Reinbertus ex monacho episcopus.* 19.26
*Reinhardus de helmstat accipit episcopatum Spirensem.* 359.55
*Reinardus primus dux Gelriæ moritur.* 222.29
*Reinhardus de Sickingen fit episcopus Wormatiensis.* 363.46
*Reinhardus Senonensis abbas doctissimus.* 47.1
*Reinhardus monachus scholasticus factus.* 35.40
*Reinhausen monasterium fundatur.* 94.7
*Reinholdus Cancellarius Imperatoris, fit archiepiscopus Colonensis.* 144.12
*Reuelatio diuina abbati Limpurgensi facta.* 117.41
*Rex Franciæ cum filio captiuus liberatur.* 229.53
*Rex Bohemiæ superatur.* 195.51
*Rex puer perporcum occumbit.* 121.34
*Rex & Antipapa cum omnibus suis excommunicantur.* 77.26

Reynaldus Dux Iuliacensis & Gelrensis moritur. 347.38
Reynaldus Gelrensis Dux.patrem suum captiuum habet. 308.45
Reynaldus de Sponheim interficitur. 324.33
Reynaldus comes Gelriæ capitur. 200.55
Reinerus de Westerburg fit inimicus Archiepiscopi Treuirorum. 318.39
Rhenus muros ciuitatis Colonienſis transcendit. 332.30
Rhenus per tres menses congelatus. 329.39
Rheni inundatio magna. 284.41
Rhenus excrescens multas domos subuertit. 318.1
Rhodus Insula à Turcis obsidetur, non obtinetur. 392.51
Rhodis Insula in manus Christianorum peruenit. 208.31
Richardus comes Cornubiæ, rex Romanorum eligitur.282.45.regnum pecunia emit. ibid.57
Richardus comes Cornutiæ electus, regnum Romanum assumit.190.20.coronatur Aquisgrani. 190.52
Richardus de S.Victore clarus. 141.21
Richardus ex abbate Virdunensi Canonizatus. 48.28
Richbodo scholæ in cœnobio S. Aurelii præsidet. 18.52
Richenbach in Bauaria fundatur. 102.23
Richiza Imperatrix moritur. 130.9
Richmodis de Hoerst abbatissæ Sebacensis ad Ioan. Trithemium epistola. 464.40
Richmodis de Horst monialis latinæ linguæ eruditæ. 412.32
Richmodis abbatissæ, & totius conuentus monasterii S. Laurentii in Sebach ad Ioan. Trithemium epistola. 502. 25. Responsio ad eandem. 503.15
Rinckaugia à Diethero archiepiscopo obsidetur. 373.44
Ringauienses monasterium S. Ruperti in præsidium capiunt, euersis domibus, & muris deiectis. 405.15
Ringauiensis abbatiæ fundatio, & literæ de eius fundatione. 246.15
Ringelheim monasterium fundatur. 26.7
Rogerii Sycambri Canonici ad Ioannem Trithemium epistola. 523.10
Roma ab Imperatore capitur. 34 39
Roma vrbs per biennium obsessa capitur. 77.15
Romani ab Ottone tertio superantur. 44.13
Romani imperii turbatio magna. 155.12
Romanorum infidelitas. 34.5. occiduntur vt periuri & infideles. ibid.15
Rosuida monialis doctissima. 36.17
Rotenburg à Friderico palatino capitur. 375.52
Rudolphus de Habspurg fit rex Romanorum. 288. 6
Rudolphi comitis palatini filij. 310.56
Rudolphus secundo exercitum in Burgundiam mouet. 293.25
Rudolphus rex Romanorum, Francofordiæ conuentum principum celebrat. 294.36. moritur. ibid.42
rudolphus episcopus Herbipolēsis moritur. 407.25
rudolphi regis factum turpe. 200.4
Rudolphus de Schernberg fit episcopus Herbipolensis. 378.10
rudolphus rex in Bohemia prosperatur. 198.14. moritur Spiræ. 201.38
rudolphus rex Roman.eligitur.195.1.coronam imperii cur non acceperit. 195.37
rudolphus Dux Sueuiæ contra Henricum, eligitur in regem. 73.44
Rudolphus rex moriturus errorem suum deplorat. 77.3
rudolphus Herbipolēsis episcopus expellitur. 23.54
rudolphus quintus Hirsaugiensis abbas, quot annis præfuerit.25.33.moritur. 27.1
Rupertus comes palatinus Rheni moritur. 318.8
rupertus Abbas Sponheimensis quintus,quamdiu præfuerit.259.37.Eius vita.ibid.50.moritur.15
Rupertus comes palatinus fit rex Romanorum. 340.50.Eius vxor & filij 341.2. coronatur 341. 16. proficiscitur in Italiam. 341.30. moritur. 343.39
rupertus abbas Limpurgensis accusatur. 116.56. excusat se intrepide. 117. 6. expellitur de Limpurg. 118.45
rupertus abbas Tuicensis,vir doctissimus. 116.23
rupertus Ludouici comitis palatini filius, fit archiepiscopus Colonienſis. 377.4
rupertus Dux palatinus,moritur. 421.48
rupertus archiepiscopus Colonienſis capitur. 391.9. moritur in captiuitate. 392.26
rupertus archiepiscopus Colonienſis nimia paupertate opprimitur. 380.16
rupertus monasterii Hirsaugiensis abbas decimus octauus, quamdiu præfuerit. 150.18. eius vita. ibid.35.abbatiam resignat. 151.28
ruperti sacerdotis imprecatio efficax. 47.14
ruperti crus dextrum ab Hildegarde impetratum. 132.35
S.ruperti crus in Sponheim transfertur. 251.41
rupertus Abbas Augiensis deponitur. 76.29
rupertus abbas de Gegenbach occiditur. 76.34
ruperius monachus S. Albani clarus. 22.7
rupertus rex Franciæ doctus & sanctus, quando claruerit. 37.35
rupertzeck castrum à Friderico palatino capitur. 386.23
rusticorum confœderatio. 194.3
Rutgerus princeps Apuliæ hostis Romanæ ecclesiæ. 126.45
Rutgerus Treuerensis Archiepiscopus clarus.26.24
Ruthardus Archiepiscppus Moguntinus, gratiam Henrici regis amittit.94.30. restituitur.101.52

*Ruthardus abbas Hirsfeldensis doctissimus.* 55.38
*Ruthardus fit archiepiscopus Moguntinus.* 83.52. *moritur.* 107.19
*Ruthardi monachi responsum pium.* 16.14. *moritur.* ibid.29

S.

*Sacerdotes nobiles sunt contemptores sacræ scripturæ.* 541.30
*Salamannus fit episcopus Wormatiensis.* 311.38
*Salamannus episcopus Wormatiensis moritur.* 228.10
*Salomon Constantiensis Ecclesiæ episcopus moritur.* 20.1
*Salomon ex monacho episcopus.* 15.48
*Saltzburgensis archiepiscopus interficitur.* 149.18
*Sanctorum reliquiæ altari in consecratione imposita* 406.54
*Sanctorum corpora duo ad monasterium Sponheimense deferuntur.* 249.54
*sanctorũ reliquiæ Coloniam transferuntur.* 34.53
*sancti & iusti non sunt sine peccato.* 458.20
*sanctitas quid.* 458.18
*Sanderadus Abbas sanctissimus* 36.46
*sanguis fluens e panibus.* 101.30
*sanguis cum lacte de imaginis vulnere profluens.* 300.57. *reseruatur in vase vitreo.* 301.8
*sata & vineta frigore pereunt.* 364.51
*Saxoniæ ducatus cum principatu electionis, confertur Friderico marchioni Misnensi.* 347.55
*Saxones à Rege Henrico victi.* 72.56
*Saxonum contra Imperatorem coniuratio.* 107.45. *Imperatorem superant.* 108.40
*Scelus Imperatoris in vxorem.* 92.22
*Schaffhausen monasterium fundatur.* 57.4
*Schaffhardus comes de Lyningen ex captiuitate liberatur.* 367.46
*Schauuenberg à Friderico palatino capitur.* 371.58
*Scheuren monasterium fundatur.* 122.43
*Scheurensis castri pars Diabolo oblata.* 122.46
*Schisma in Treuirensi Ecclesia factum.* 352.20
*Schismaticorum synodus paduæ habetur.* 144.30
*Scholarum vsus in monasteriis laudabilis.* 20.53
*Schonauu monasterium fundatur.* 243.26
*Schonneck dominium coniungitur Ecclesiæ Treuirensi.* 330.34
*Schreiesheim à Friderico Palatino capitur.* 386.6
*Scientiæ omnes ad fidem in Christum referendæ.* 456.40
*Scoti à cœnobio Herbipolensi pelluntur.* 409.7
*Scriptura sacra quantum præstet reliquis scientiis.* 507.13
*S. Sebaldus in Nurenberga, miraculis clarus.* 72.49
*Sebastiani ossa in Galliam translata.* 10.50
*Sebulo abbas S. Dionysii clarus habetur.* 22.11
*Secta Flagellatorum in Vngaria surgit.* 321.31
*Seditio Coloniæ magna.* 289.2.19
*Seditio ciuium in Creutznacht.* 408.37
*Seditio ciuium in Andernacht reprimitur.* 408.46
*Segenberg monasterium fundatur.* 53.47
*Segeuuinus fit abbas Hirsaugiensis.* 80.5
*Selgenstatensis monasterij fundatio.* 10.7
*Sententia stulta & iniusta contra papam profertur.* 73.12
*S. Seueri corpus Moguntiam transfertur.* 11.18
*Sibodo fit Episcopus Spirensis.* 300.10
*Sifridus de Westerburg fit episcopus Colonien sis.* 288.1
*Sifridus de Venyngen fit episcopus Spirensis.* 369.55
*Sifridus Archiepiscopus fit monachus.* 72.7
*Sifridus prior Sponheimensis vndecimus, deponitur.* 277.45
*Sigefridus fit abbas in Schaffhusen.* 79.10
*Sigerus abbas Hirsaugiensis quot annis præfuerit.* 31.30. *eius vita. ibid.* 43. *moritur.* 37.53
*Sigismundus Caroli 4. filius fit rex Romanorum.* 343.46. *coronatur Romæ* 353.41. *moritur* 358.26
*Sigismundus dux Saxoniæ, quondam episcopus Herbipolensis, moritur.* 392.34
*Sigismundus Hirsaugiensis abbas 31. quot annis præfuerit.* 213.20. *eius vita. ibid* 32. *moritur.* 221.55
*Sigismundus filius Ducis Saxoniæ, fit episcopus Herbipolensis* 361.16. *deponitur.* 362.45
*Signum mirabile in cœlo apparet.* 36.36
*Signa apud sepulchrum Friderici abbatis facta.* 62.3
*S. Simeon monachus Treuirensis claret miraculis post mortem.* 48.10
*Simon comes de Sponheim moritur.* 289.14
*Siphridus comes Montensis dolo captus.* 203.15
*Siphridus fit archiepiscopus Colonien sis.* 197.25
*Siphridus archiepiscopus Moguntinus cum 7000. Hierosolymam pergit.* 5.57.21. *reuertitur* 60.29
*Sobernheim, Mertzheim, Montzingen & Nosbaum, capiuntur.* 387.41
*Socrates impie confertur cum Christo.* 461.27
*Sonderoldus Archiepiscopus martyrizatur.* 21.36
*Sophia comitissa mulier sancta.* 143.30
*Spectra apud Wormatiam visa.* 94.35
*Spirensis episcopus, Argentinam transfertur.* 218.21.
*Spira obsessa capitur.* 121.23.125.21
*Spira obsidetur.* 120.58
*Spiritualis tribulatio comiti Adelberto immissa.* 67.33
*Spiritus iratus puerum mactat & coquit.* 124.8
*Spiritus mulierem impudicam ab adulterio conservat.* 124.20

Sponheimensis comitatus, quomodo ad Marchionem Badensem peruenerit. 348.50
Sponheim igne fortuito incenditur. 340.15
Sponheimensis Ecclesia in monasterium erigitur. 237.48
Sponheimensis Ecclesia à quo fundata. 737.18
Sponheimensis comitatus villæ aliquot comburuntur. 312.36
Sponheim Castrum sit feudum de manu abbatis. 313.27
Sponheimenses comites capiuntur ab archiepiscopo. 290.16
Sponsa regis Romanorum, rapitur à Rege Gallorũ. 403.42
Sprendlingen Castrum destruitur. 312.49
Stadeck & Grentzaun obsidione cinguntur. 318. 41
Stadingenses victi trucidantur. 181.38
Starckenberg Castrum expugnatum. 186.41
Stein Castellum capitur. 419.24
Stephanus comes palatinus, quam uxorem & quos filios habuerit. 344.7
Stephanus de Oirsbeck in hastiludio interfectus. 317.19
Stephanus comes de Sponheim moritur. 237.54
Stephanus miles de Oersbeck in hastiludio interfectus. 221.40
Stephanus Herrandus ex abbate episcopus Halberstadensis. 91.19
Stephanus Nonus papa quis fuerit. 54.19
S. Stephanus Rex Vngariæ moritur. 49.39
Strabus monachus Fuldensis. 113
Strata montana quomodo ad palatinatum peruenerit. 373.25
Strubingen obsidione cingitur à Ludouico Imperatore. 219.7
Stuba hospitum in monasterio Sponheimensi construitur. 398.39
Studium scripturarum quæ impediant. 505.25
Studium & amor literarum à monachis deficit. 230.19
Studium monachorum maximum. 30.53
Substantia Monasterii Hirsaugiensis valde augetur. 109.47
Sunderoldus ex monacho fit archiepiscopus. 19. 52
Sunsheim monasterium non longe ab Heidelberga, ab ordine transfertur. 409.2
Superbia initium est omnis peccati. 474.26
Susatum Westphaliæ ciuitas ab Archiepiscopo Coloniensi obsidetur. 361.44
Susatum tertio obsidetur per archiepiscopum Coloniensem. 365.20
Syluester papa secundus ex monacho. 423. fœderis initi cum Diabolo arguitur. ibid. 45
Symonia in regno Teuthonico. 71. 44. Symoniaci excommunicantur. 72.41
Synodus duorum papar um. 147.35
Synodus contra Petrum Abelardum. 129.35
Synodus apud Wormatiam contra papam habetur. 73.3
Synodus contra papam Moguntiæ celebratur. 82.57
Synodus magna Triburis celebrata 22.51. quos episcopos habuerit. ibid. 55
Synodus Moguntiæ à Rabano celebratur. 12.7
Synodus Romæ præsente Imperatore celebratur. 33.32
Suuickgerus de Gondelfingen interficit Conradum de Deck. 320.49

T.

Tartari Vngariam deuastant. 184.55
Tartarorum regnum incipit. 165.37
Tauchelinus hæreticus apud Antuerpienses spurcissimus. 119.36
Telonium Rheni in Confluentia, transfertur ad Capellam. 330.37
Telonia noua Rheno per Imperatorem imposita. 324.10
Tempestas in Ianuario magna. 222.20
Templa & monasteria à militibus Archiepiscopi spoliantur. 290.24
Templum Moguntinum comburitur. 292.20
Templum S. Georgij Dalense perficitur. 295.47
Templum S. Georgij reædificatur. 278.2
Templum S. Iacobi Moguntiæ construitur. 370. 54
Templum Spirense maius comburitur. 366.40
Templum Colonienſe construitur. 278.39
Teutonium mira arte fabricatum. 180.9
Terræ motus circa Argentinam & Basileam magnus. 325.16
Terræmotus magni in Europa. 42.53
Terræmotus Basileæ partem subuertit. 228.23
Terræmotus ciuitates in Cypro subuertit. 175. 34
Terræmotus in Asia ingens. 143.27
Terræmotus ædificia subuertit & homines. 109.1
Testamentum comitis Adelberti à Rege Henrico confirmatum. 67.53
Testamenti de libertate Monasterii Hirsaugiensis ab Adelberto comite facti consignatio. 68.1
Teuthonicorum ordo quando cœperit. 139.53
Theodorus monachus S. Matthiæ Apostoli clarus. 43.52
Theodorici episcopi Lubecensis ad Ioannem Trithemium epistola. 482. 45. Responsio ad eandem, Trithemii. 483.2
Theodoricus Schenck de Erbach, fit archiepiscopus Moguntinensis. 355.41
Theodericus de Mœrse fit archiepiscopus Coloniensis. 344.37
Theodericus puer sex annorum, latinam linguam ornate & diserte loquitur. 379.21
Theodericus comes hollandiæ moritur. 166.1

Theodoricus monachus Moguntinensis clarus. 39. 24
Theodulphus Aurelianensis episcopus. 10.53
Theophane Imperatrix moritur. 42.18
Thietagus archiepiscopus Pragensis clarus. 49.23
S. Thomas Aquinas, canonizatur. 215.15
S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis exulat. 149.51
Tonitrua in Ianuario audita. 317.47
Traiectensis Ecclesia crudeliter deuastata. 224. 48
Treuirensis archiepiscopatus à papa assignatur Rabano de helmstat. 352.33
Treuirensis ciuitas per biennium obsessa. 355.28
Tribock instrumenti bellici inuentio. 170.13
Trithemii abbat. ad Georgium Sibutum epistola. 488.50
trithemii abbatis Spanheim. ad Germanum de Ganay epistola. 471.33
trithemii abbatis ad Fridericum Ducem Saxoniæ epistola. 518.30
trithemii abbatis ad Rogerium Sycambrum Canonicum epistola. 522.2.524.20.552.25.537.20. 561.50
Trithemii ad Ioachimum Brandenburgensium Marchionem epistola. 531.20
Trithemius meru belli in Creutzenach secedit. 419.48
trithemius abbas vocatur Francofordiam. 418.10
trithemius Coloniam proficiscitur vocatus, 423. 50 intrat Marchiam, inuitatus à Marchione Brandenburgensi. 424.8
Trithemium quid ad scribendum impulerit. 400. 44
trithemii ad Richmodem de Horst, monasterii Sebacensis abbatissam epistola. 445. 5. & 455. 10
trithemii ad serenissimum principem Ioachimum Marchionem Brandenburgensem epistola. 441.35
trithemius cur in Galliam vocatus, non ierit. 425. 10
trithemius cogitat abbatiam Sponheimensem deserere. 425.57
trithemius Heidelbergæ infirmatur. 423.17
trithemius multas sanctorum reliquias ad monasterium Sponheimense comportat. 407.14
Trithemius pro mago à quibusdam habetur. 411. 6
trithemii liber de ruina ordinis Benedicti, publicè ad mensam legitur. 404.20
Trithemius in pensantem manus inquisitionem facit. 406.6
trithemii in Græcis literis studium. 401.35
Trithemii ad Iodocum Beiselium V. I. Doctorem, epistola. 448.45. eiusdem ad Matthæum Herbenum epistola. 450.10. Eiusdem ad Ioannē Capellerii mathematicum epistola. 451.17. 456.30
Trithemii abbatis ad fratrem Ioannem de Francfordia, epistola. 504.10. Eiusdē ad fratrem suum Iacobum Trithemium epistola. ibid.25
Trithemii ad Wolfgangum Hopilium epistola. 473.50
Trithemii abbat. ad fratrem Ioan. Nutium epistola. 494.4
trithemius vocatur Herbipolim ad abbatiam S. Iacobi 427.47 fit abbas S. Iacobi. ibid.56
trithemius à multis principibus expetitur. 426. 57. donatur magnificis muneribus à Marchione Brandenburgensi. 427.11
trithemii abbatis ad Wilhelmum Veldicum Monapium plebanum in Dyrmstein, epistola. 552.30
trithemium non esse magnum. 556.10
Trithemii abbatis ad Ioannem Damium Curtensium epistola 558.40. Eiusdem ad Ioannem Virdungum de Haisfurt Mathematicum epistola. 559.35
trithemij abbatis ad Ioannem de Segen abbatem, epistola. 533.43
trithemii abbatis ad Conradum Beutingerum I. V. D. epistola. 570.5. Eiusdem ad Libanium Galbum præceptorem suum epistola. ibid.45
Triticum & pisciculi in Gallia de cœlo pluunt. 42. 12
Tubingensis Academia instituitur. 390.28
tuitiense monasterium reædificatur. 336.1
tuitium à Colonienſibus destruitur. 333.35
Turci Croatiam & Carniolum inuadunt. 404. 30
Turcorum Imperator Mysiam inferiorē & Wallachiam armis obtinet. 368.49
Tyrannis Conradi, hæreticæ prauitatis inquisitoris. 271.8. occiditur. ibid.30. 275.45
Turris S. Martini in Colonia comburitur. 334.7

V.

Vas vini optimi plaustrale, ein fuder Wein, emitur vno floreno. 397.27
Vdalricus Dux Wirtembergensis, quasdam munitiones, oppida & castella Palatini obtinet. 419.7
Vdalricus comes Wirtembergēsis moritur. 222. 36
Vdalricus de Zeiskeim, Sponheimensis abbas 22. quamdiu præfuerit 374.16. eius vita. ibid 26. resignat abbatiam. 378.15
S. Vdalricus episcopus Augustensis. 32.39
Vdonis episcopi Magdeburgensis mors horrenda. 99.40
Vdo nobilis de Sponheim fit monachus. 252.11
Venetia à rege Vngariæ obsessa. 334.25
Veneti mittunt legationem ad papam. 434.6
Venetorum fraudes deteguntur. 433.5
Venetorum munitiones plures captæ. 431.50
Ventus ingens multum damni affert. 180.4

*Venti ingentis damna & incommoda.* 356.42
*Verbum Dei in Ecclesia, non philosophia doceri debet.* 460.43
*Vercellenses à Nottingo delusi.* 3.43
*Veterum in discendis literis diligentia.* 21.4
*Vicecomes Mediolanensis ab Imperatore ordinatur.* 308.6
*Victoria Ruperti comitis palatini aduersus ciues Wormatienses & alios* 336.17
*Victoria Friderici Palatini insignis.* 375.24
*Victor papa moritur.* 149.29
*Victor secundus papa quis fuerit.* 53. 41. *venit in Germaniam.* 54.2. *moritur.* 17
*Victor tertius papa, quis fuerit.* 83.11. *moritur. ibid.* 40
*Villarum monasterio Hirsaugiensi donatarum nomina.* 6.55
*Vindicta Dei contra Abbatem Gebhardum.* 101.3
*Vindicta Aurelij in tyrannum mirabilis.* 19.6
*Vini abundantia & copia ingens.* 335.42
*Vini summa paucitas.* 397.54
*Vinum in caro precio.* 398.42
*Vini abundantia maxima.* 397.23
*Vini & frugum abundantia.* 361.54
*Vini copia maxima, ita vt vasa defecerint.* 219.43
*Vinum Hirsaugiensibus monachis violenter aufertur.* 88.19
*Vinum in aquam versum.* 128.38
*Virgo quædam Christi stigmatibus insignita.* 412.57
*Virginum vndecim mille corpora inueniuntur.* 254.30
*Virgines à Turcis constupratæ interficiuntur.* 368.10
*Virginis concremandæ de virginitate sua responsum ridiculum.* 212.37
*Viri præstantes ingenio discendi gratia ad monasterium Sponheimense, sub abbate Trithemio confluunt.* 396.10
*Viro bono quæ necessaria sint.* 516.15
*Visio quam Trithemius habuit, super scientia scripturarum.* 395.25
*Visio horribilis Lingonensi episcopo facta.* 145.14
*Visio gaudiorum ac pœnarum futuri seculi.* 159.55
*Vitam Wilhelmi abbatis quis conscripserit.* 85.31
*Vita S. Aurelii episcopi.* 7.39
*Vita Diethmari Abbatis & eius ingenium.* 27.27
*Vita & doctrina ordinem monasticum illustrant.* 31.18
*Vlascus Lusitanus vir doctissimus cum Trithemio per literas agit.* 411.17
*Vlmen oppidum à Friderico palatino obsidetur.* 387.9
*Vngari ab Henrico Imperatore victi.* 28.8
*Vngari ad fidem Christi per reginam Gisilam conuertuntur.* 46.4
*Vngari Alemaniam gladio & igne vastant.* 25.6. *cæduntur in Saxonia.* 26.17
*Vngari Bauariam deuastant.* 23.35
*Vngari ab Imperatore Ottone cæsi.* 32.53
*Volandus abbas Hirsaug.* 27. *quot annis præfuerit.* 196.7. *eius ortus & vita. ibid.* 16. *multa alienauit.* 197.1. *deponitur.* 198.35
*Volmarus Abbas Hirsaugiensis* 15. *quot annis præfuerit* 113.41. *à quo & vbi consecratus. ibid.* 56. *eius vita.* 114.2
*Volpoldus Hirsaug. abbas* 25. *quot annis præfuerit.* 186.18. *Eius vita. ibid.* 29. *moritur.* 192.42
*Vrbanus papa tertius moritur.* 157.37
*Vrauu monasterium fundatur.* 249.39
*Vrbanus papa secundus quis fuerit* 83.45. *moritur.* 95.25
*Vriel de Gemmingen fit archiepiscopus Moguntinus.* 431.29
*Vxores Caroli* 4. *Romanorum regis.* 321.15
*Vxor impudica spiritui custodienda commendatur.* 124.16

## W.

*Waldensium hæresis incipit.* 145.3
*Wallo ex monacho episcopus.* 17.17
*Walramus fit episcopus Spirensis.* 218.27. *moritur.* 220.14.
*Walramus fit archiepiscopus Coloniensis.* 219.47. *moritur.* 225.45
*Walterus episcopus Basiliensis deponitur.* 172.40
*Wandelbertus monachus Prumiensis.* 15.49
*Warimus instaurator monasterij S. Martini.* 38.17
*Weissenburg à Friderico palatino obsidetur.* 305.50
*Weissenburgenses expulsis reformatis, monasterium suum deformatis rursus tradunt.* 385.42
*Welchio fit abbas in Altorf.* 79.39
*Wenceslaus Dux Brabantiæ moritur.* 335.18
*Wenceslaus Rex Bohemiæ, fit rex Romanorum.* 331.18. *deponitur.* 340.25
*Wenceslaus comes Lutzenburgensis, in Ducem sublimatur.* 325.26
*Vuenceslaus primus Dux Lutzenburgensis, filius Regis Bohemiæ.* 228.51
*S. Vuenceslaus martyrizatur.* 30.15
*Wernerus de Falckenstein fit archiepiscopus Moguntinus.* 191.32
*Wernerus fit abbas in Erphordia.* 120.45
*Vuernerus episcopus iniquus subitanea morte moritur.* 91.52
*Wernerus de Falckenstein fit archiepiscopus Treuirensis.* 336.29
*Wernherus archiepiscopus Moguntinus moritur.* 292.8
*Wernheri pueri cuiusdam à Iudæis interfect. cadauer, integrum, vbi inuentum.* 292.42
*Westphalia à Coloniensibus igne & ferro vastata.* 215.45
*Wetzillo fit abbas in Carentia.* 80.1

Wetzi-

Vngari Bauariam deuastant.
Vngari ab Imperatore Ottone cæs.
Volandus abbas Hirsaug. 27. quot annis præfuerit. 196.7. eius ortus & vita. ibid. 16. multa ædificauit. 197.1. deponitur.
Volmarus Abbas Hirsaugiensis 15. quot annis præfuerit 113.41. à quo & vbi consecratus. ibid. 18. eius vita.
Volpoldus Hirsaug. abbas 25. quot annis præfuerit. 186.18. Eius vita. ibid. 29. moritur.
Vrbanus papa tertius moritur.
Vrauu monasterium fundatur.
Vrbanus papa secundus quis fuerit 83.41. moritur. 95.25
Vriel de Gemmingen fit archiepiscopus Moguntinus.
Vxores Caroli 4. Romanorum regis.
Vxor impudica spiritus custodienda commendatur.


W.


Waldensium hæresis incipit.
Wallo ex monacho episcopus.
Walramus fit episcopus Spirensis. 218.27 moritur. 220.14.
Walramus fit archiepiscopus Coloniensis. 229.47. moritur.
Walterus episcopus Basiliensis deponitur.
Wandelbertus monachus Prumiensis.
Warimus instaurator monasterij S. Martini. 38. 17
Weissenburg à Friderico palatino obsidetur.
Weissenburgenses expulsis reformatis; monasterium suum deformatis rursus tradunt.
Welchio fit abbas in Altorf.
Wenceslaus Dux Brabantiæ moritur.
Wenceslaus Rex Bohemiæ, fit rex Romanorum. 330.28. 331.18. deponitur.
Wenceslaus comes Lutzenburgensis, in Ducem sublimatur.
Wuenceslaus primus Dux Lutzenburgensis, fit Regis Bohemiæ.
S. Wuenceslaus martyrizatur.
Wernerus de Falckenstein fit archiepiscopus Moguntinus.
Wernerus fit abbas in Erphordia.
Wuernerus episcopus iniquus subitanea morte mouritur.
Wernerus de Falckenstein fit archiepiscopus Treuirensis.
Wernherus archiepiscopus Moguntinus moritur.
Wernheri pueri cuiusdam à Iudæis interfecti, cadauer, integrum, vbi inuentum.
Westphalia à Coloniensibus igne & ferro vastata. 215.45
Wetzillo fit abbas in Carentia.





Wetzilo archiepiscopus Moguntinus prædicator egregius. 83.2
Wiberadis monialis, fœmina admodum sancta. 25.22
Wigandus Cauponis prædicator Francfordiensis contra Trithemium scribit. 405.53
Wignandus Hirsaug. abbas 34. quamdiu præfuerit. 230.5
Wigbertus fit Antipapa, dictus Clemens tertius. 77.20
Wigbertus Antipapa moritur. 99.26
Wighardus secundus, Hirsaug. abbas, quot annis præfuerit. 225.50. moritur. 230.1
Wighardus Hirsaug. abbas 32. quot annis præfuerit. 222.2. Eius vita & conuersatio. ibid. 10. moritur. 227.53
Wichboldus fit episcopus Colonien sis. 296.27
Wilhelmus pseudoabbas Sponheimensis capitur. 289.6
Wilhelmus comes Hollandiæ moritur. 343.18
Wilhelmus Dux Bauariæ 14. comitatus regit. 319.4
Wilhelmus dux Montensis, à Cleuensibus capitur. 339.57
Wilhelmus abbas Sponheimensis 14. quot annis præfuerit. 317.21. eius vita & conuersatio. ibid. 40. abbatiam resignat & moritur. 322.47
Wilhelmus de Arburg occiditur. 398.7
Wilhelmus comes Hollandiæ moritur. 333.50
Wilhelmus Landgrauius Hassiæ, ducit filiam palatini. 410.28. moritur. 411.36
Wilhelmus Landgrauius Hassiæ, moritur. 394.15
Wilhelmus Hollandiæ comes, fit rex Romanorum. 187.54. coronatur Aquisgrani. 188.1. occiditur in Phrysia. 189.55
Wilhelmus abbas Romam proficiscitur. 70.10. Romæ ægrotans miraculose conualescit. 71.10
Vuilhelmus comes Hollandiæ vesanus incarceratur. 229.10
Vuilhelmus comes Iuliacensis, fit Marchio Iuliacensis. 220.49
Vuilhelmus Dux Iuliacensis moritur. 231.28
Wilhelmus comes Hollandiæ in bello occiditur. 223.7
Vuilhelmus de Occam, ad tutelam Imperatoris confugit. 215.35
Wilhelmus de Ockam ordinis Minorum à papa excommunicatur. 219.39
Vuilhelm⁹ rex cõtra Phrysiones proficiscitur. 189.45
Wilhelmus Hassiæ Landtgrauius moritur. 432.7
Wilhelmi abbatis defuncti, ad Gebhardum Abbatem mandatum. 100.50
Vuilhelmus Abbas ad concilium Wormatiensẽ ire recusat. 73.30
Wilhelmus Abbas libertatem cœnobii impetrat. 58.56. infirmatur. 85.1. moritur. ibid. 26
Wilhelmus monasterii Hirsaugiensis abbas duodecimus, quot annis præfuerit. 62.10. absens eligitur in abbatem. ibid. 24. non vult ordinari antecessore suo viuente. ibid. 30. à quo ordinatus. 63.5. eius vita. ibid. 9
Wilhelmus abbas Hirsaugiensis ad Synodũ Moguntinensẽm non proficiscitur. 83.6
S. Wilhelmus ex comite eremita clarus. 141.3
S. Vuilhelmus abbas Diuionensis clarus. 48.21
Vuilhelmus filius Imperatoris fit archiepiscopus Moguntinus. 32.1
Willicho primus abbas Sponheimensis 11. quot annis præfuerit. 302.45. eius vita describitur. ibid. 57. moritur. 313.50
Vuillicho secundus, Sponheimensis abbas 13. quot annis præfuerit. 316.25. moritur. 317.14
Vuillicho comes fit monachus. 298.52
Vuilramus abbas Mersburgensis clarus. 57.30
Vuiltrudis comitissa, fœmina deuota. 56.17. Eius consilium vtile. 58.27
Vuindichinus monachus Corbeiensis Hirsaugiam venit. 31.25 32.8
Vuimsberg ciuitas expugnata & capta. 129.16
Wirtemburgensis princeps quanta sẽ pecunia ex captiuitate palatini liberarit. 375.43
Vuisbaden & Scharffenstein obsidione cinguntur. 305.45
Vuolfgangi Hopilii ad Ioannem Trithemium epistola. 473.25
S. Vuolfgangus episcopus Ratisponensis. 36.13
Vuolpeto fit abbas in Gotzau. 80.32
Vuormatia sub Henrico episcopo incenditur. 267.39
Vuormatia incendio perit. 185.32
Vuormatiensis ciuitas supra medietatem incendio, vna cum 300. hominibus absumpta. 277.22
Vuormatia incenditur, & magna parte crematur. 276.8
Vuormatiensium hostes nobiles. 284.37
Vuormatia casuali igne magna ex parte cremata. 295.2
Vuormatienses episcopi tres vno anno mortui. 295.3
Vuormatia iterum exusta. 202.10
Vuormatiensium contentio & confœderatio contra Ioannem episcopum. 233.32
Wymo monachus Corbeiensis fit Archiepiscopus. 24.27


Z.


Zelus Hardfridi pro disciplina monastica. 49.9


FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Trithemii

Opera Historica



Collegii Societatis IESU Paderbornæ 1697
dono P. Kloppenburg SJ.



tis IESV Paderborna 1697
loppenburg SJ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Trithemii

Opera
Historica

1607

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
1053a

Pithemij

Opera

historica

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN